BIBLIOTHECA THEOLOGICA



SEPTEM LIBRIS DISTINCTA.

IN QVA

Exacto ordine reponuntur cuncta ad completam Sacræ Doctrinæ, vel Theologiæ notitiam ſpectantia, tàm ſecundùm ſe, quàm ſecundùm diuerſa eius munera, *Deducendi* concluſiones beneficio Artis Syllogiſticæ; vndè *Scholaſtica*, vel *Argumentatiua*: *Ordinandi* & *explicandi* locos Theologicos, vnde *Poſitiua*, ſiue *Thetica*, & *Fundamentalis*: *Defendendi* ſua principia aduerſus omnia infidelium genera, vndè *Polemica*: *Diſponendi* ſuas materias, vndè *Methodica*: *Vtendi* metaphoris, vndè *Symbolica*: *Prouocandi*, vel *dirigendi* affectum in Deum, vndè *Myſtica*.

AVTHORE

F. DOMINICO A SS.MA TRINITATE

CARMELITA DISCALC. PROVINCIAE PARISIENSIS.

TOMVS QVARTVS.

Complectens Libri III. in quo agitur de Sacra Doctrina, quo ad munus ordinandi, & explicandi locos Theologicos, Sectionem ſeptimam de ratione naturali, diſciplinisque Philoſophicis in illa fundatis, & octauam de Hiſtoria: Oſtenditurque quantum vnaquæque referat ad perfectum Sacræ doctrinæ ſtudium, adducto breui illarum compendio.



ROMAE, M. DC. LXVIII.

Ex Typographia Philippi Mariæ Mancini.

SVPERIORVM PERMISSV.

INDEX

Librorum, Sectionum, & Capitum huius quarti Tomi Bibliothecæ Theologicæ.

LIBER TERTIVS.

In quo agitur de Sacra Doctrina quo ad munus ordinandi, & explicandi locos Theologicos.

SECTIO SEPTIMA.

SECTIO OCTAVA.

De Hiſtoria.



INDEX

INDEX

Locorum Sacræ Scripturæ, quæ in hoc quarto Bibliothecæ Theologicæ Tomo continentur.

Ex Veteri Testamento, iuxta ordinem librorum eius.

Cap.

EXODI.

LEVITICI.

NVMERORVM.

DEVTERONOMII.

Cap.

IOSVE.

REGVM.

PARALIPOMENON.

TOBIAE.

ESTER.

IOB.

LIBRI PSALMORVM.

LIBRI PROVERBIORVM.

LIBRI ECCLESIASTES.

CANTICI CANTICORVM.

SAPIENTIAE.

ECCLESIASTICI.

ISAIAE.

IEREMIAE.

BARVCH.

EZECHIELIS.

DANIELIS.

OSEAE.

AMOS.

NAHVM.

HABACVC.

ZACHARIAE.

MACHABAEORVM.

Ex nouo Testamento, librorum eius ordine seruato.

MATTHAEI.

M A R C I.

L V C AE.

Cap.17.

APO-

Erratorum index omittitur, quia nulla in sensu, pauca in ortographia, quæque facile à benigno Lectore animaduerti, & corrigi poterunt.




Impri-

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendissimo Patri Sacri Palatij Apostolici Magistro.

M. Episc. Arimini Vicesg.



Imprimatur.

Fr. Hyacinthus Libellus Magister Sacri Palatij Apostolici.

BIBLIO-



BIBLIOTHECAE THEOLOGICAE

LIBER TERTIVS.

De ſacra doctrina, quo ad munus ordinandi & explicandi locos Theologicos, vndè Poſitiuæ, vel Theticæ, alias Fundamentalis ſibi nomen vendicat.

SECTIO SEPTIMA.

De ratione naturali, diſciplinisque Philoſophicis in illa fundatis.

CAPVT PRIMVM.

Quod ratio naturalis, diſciplinæque Philoſophicæ in illa fundatæ, ſacræ doctrinæ ſubſeruire poſſint, ac debeant.



CIRCA præſentem locum à ratione naturali ſcientijſque in illa fundatis deſumptum, duo ſunt extrema viro Theologo accuratè vitanda: Primùm, ne ſolius rationis, ſcientiarumque naturalium & humanarum ductum ſequatur, contempta authoritate diuinæ reuelationis; aut præcipuum fundamentum in ratione naturali ponens, eas tantùm authoritates recipiat, quas naturali lumine percipit, alias verò non admittat; in hoc enim ſenſu, vel alio ſimili, ſi de naturali ratione, Philoſophicisque diſciplinis loquamur in ordine ad ſupernaturales fidei ſacræque Theologiæ veritates, obuia ſunt innumera diuinarum Scripturarum, Conciliorum Generaliū, Sanctorum Patrum loca, & ſententiæ, quibus Philoſophiam omnem, præſertim vero Dialecticam à Sacra doctrina ſegre-

ſegregandam putant, velut inſidioſam, & fallacem, minimèque cùm negotio fidei cohærentem, vt enim ſuper illud Matth. 10. *Dignus eſt enim operarius &c.* docet D. Hieronymus, *Huiuſmodi virga, & baculus arundineus eſt, quem ſi paululum preſſeris frangitur, & manum perforat incumbentis.* Nimirum *frangitur*, propter impotentiam luminis naturalis ad percipienda ſupernaturalia diuinæ fidei myſteria: *perforat*; propter periculum ea negandi, ſi ſcilicet talia voluerimus expendere myſteria ad trutinam rationis, ſcientiarumque in illa duntaxat fundatarum, non rationem ad trutinam myſteriorum: De quo argumento plura videri poſſunt apud Petauium in prolegom. Theolog. Dogmat. à cap. 3. Antonium Peres in Laurea Salmantina certamine 2.

Alterum extremum fugiendum, eſt, ne quis rationis naturalis, diſciplinarūque illius lumini innixarum præſidium, ac miniſterium prorſus abijciat; quàm enim illarum vſus eſt malus, ac peſtilēs; cum ad fidem ſic admouentur, vt ei præcant, ipſa verò ſubſequatur; quod tunc agitur, cum ſola credendi ratio in humana ſapientia, & dialectica conſtituitur; adeo vt nulli aſſentiri dogmati libeat, quod ſola auctoritate conſtat; niſi humana ratiocinatione capi, probarique potuerit. Quod eius, quem carnalem & animalem ſapientem vocat Apoſtolus, proprium eſt. *Humana mens*, inquit D. Hilarius lib. 8. *hoc ſolum ſapit quod intelligit: & mundus hoc tantum quod poteſt credit, ſecundum elementorum naturas id tantum poſſibile exiſtimans, quod aut videret, aut ageret*: Quàm, inquam, talis vſus ſcientiarum naturalium eſt malus, illumque acriter reprehendunt, vt dixi, omnes Sancti Patres; tàm ſuppoſita ſemel fide ex ſola Dei authoritate cauſas habente, quæ quidem idoneis ad ſui ſignificationem notis ac argumentis illuxerit, dicendum eſt magnam earumdem ſcientiarum opportunitatem eſſe, vel ad ornandam, vel ad tuendam, vel ad formandam diuinarum rerum cognitionē ac ſcientiam; quod ſatis infra conſtabit diſcurrendo per omnes, & ſingulas ſciētias, & oſtendendo quantùm vnaquæque ſacræ doctrinæ proſit; vnde nunc generalia tantùm ad hoc probandum adducemus argumenta tàm ex diuinarum litterarum, Sanctorumque Patrum authoritate, quàm etiam ex ratione deſumpta.

Primum igitur Eccleſiaſtici cap. 2. dicitur quod, *Omnis Sapientia à Domino Deo eſt*: conſtat autem quod nomine omnis ſapientiæ humana ſubintelligitur poſt ſapientiam diuinam; igitur eo ipſo quod ſcientiæ etiā naturales ſunt à Domino Deo, non eſt cur negetur illas ſubſeruire poſſe, ac debere doctrinæ ſacræ tanquam ancillas dominæ.

Deindè, dùm in ſacris litteris ita apertè cōmendatur & extollitur ſapientiæ humanæ ſtudium, etiam in illis, qui diuinarum Scripturarū amantiſſimi fuere, non eſt leue argumentum magnam ex illa fieri poſſe, & ad ornatum, & ad vſum ac commoditatem ſacræ doctrinæ, acceſſionē. Ita de Moyſe act. Apoſt. cap. 7. dicitur; *Et eruditus eſt Moyſes omni ſapientia Aegyptiorum: & erat potens in verbis & in operibus ſuis*. Similiter Sap. 7. & 3. Reg. cap. 4. legitur de Salomone quod Deus illi infuderit notitiam rerum naturalium, ſtellarum, elementorum, beſtiarum, virgultorum, idque à cedro Libani vſque ad hyſſopum quæ creſcit in pariete. Daniel etiam & ſocij eius Daniel. cap. 1. commendantur ob ſuſceptam à Deo humanæ etiam ſcientiæ cognitionem. Ita enim dicitur: *Pueris autem his dedit Deus ſcientiam & diſciplinam in omni libro, & ſapientiam. Danieli autem intelligentiam omnium viſionum, & ſomniorum*.

Tandem D. Paulus non leue concluſionis noſtræ veritati teſtimonium reliquit: cum tot in epiſtolis ſuis eruditionis humanæ monumēta inſeruit. Etenim 1. ad Corinth. cap. 15. inducit Menandri illud, *Corrumpunt bonos mores colloquia mala*. Et ad Titum 1. illud Epimenidis ſiue Callimachi, *Cretenſes ſemper*

per mendaces, ventres pigri, malæ bestiæ. Et actuum 17. testem vocat Aratum adducens illud ex eo, *ipsius & genus sumus*, & illud de ignoto Deo, eodem in capite.

Secundo probatur ex Conciliorum, Summorumq; Pontificum decretis. Nã in Concilio Viennensi sub Clemente V. & refertur in Clementina; constitutum fuit vt in monasterijs singulis idoneus aliquis eligatur Magister qui Monachos diligenter instituat in primitiuis scientijs intelligẽdo per primitiuas scientias, naturales dumtaxat disciplinas: Concilium etiam Trident. sess. 5. cap. 1. de reformat. Statuit vt ad catholicæ fidei defensionem & incrementum, & ad sanæ doctrinæ conseruationem & propagationẽ, instituantur extruanturque gymnasia in quibus publicè non solũ Theologia, sed etiam reliquæ bonarum artiũ litterarumque professiones tradantur, & à peritioribus magistris dictentur.

Clemens Papa I. epist. 5. ad suos discipulos & refertur cap. relatum est nobis, distinct. 37. sequentia pro sæcularis eruditionis scientiarumque humanarũ suffragio scripsit; *Cum ex diuinis Scripturis integram quis & firmam regulam veritatis susceperit, absurdum non erit, si aliquid ex eruditione communi ac liberalibus studijs quæ forte in pueritia attigit, ad assertionem veri dogmatis conferat*. Et Eugenius II. vt refertur cap. 12. de quibusdam distinct. 37. districtè præcepit vniuersis Episcopis plebibusque sibi subiectis, vt omnem adhiberent curam pro idoneis inquirendis, tradendisque plebi magistris, qui liberarum litterarum studia assiduè docerent.

Tertio locupletissimos huius veritatis testes habemus omnes Sanctos Patres qui in vnoquoque vixerunt sęculo, quorum multi primo non obiter sed ex instituto scripserunt integros libros aduersus Gentiles, & in ijsdem libris nihil ferè aliud quam Philosophiam, aut Poëtarum Carmina, aut historiam humanã proposuerunt, vt liquet ex operibus Lactantij, Arnobij, Clementis Alexandrini, Eusebij, Tertulliani, Sancti Iustini Martyris, & aliorum. Secundò pluribus etiam suorum operũ locis scientias naturales, & humanas laudibus extulerũt, vt pote quæ non decorem tantùm, & ornatum afferunt sacræ doctrinæ: sed vsũ etiam, ac præsidium singulare, penitusque necessarium.

Placet hac in re primum audire Clementem Alexandrinum qui in plerisque Stromateon libris perfectũ numeris omnibus exemplar informans Christiani sapientis, hoc est Theologi quem Gnosticon appellare solet, inter alia quæ in illo requirit ornamenta lib. 6. vnum est doctrinarum omnium complexio, non solum magnarum sed etiam mediocriũ. Vbi etiam quid ex quaque doctrina capere debeat, illi præscribit. Sed non sunt omittenda verba eiusdem libri sexti quæ etiam quomodo vti illum disciplinis oporteat, pulchrè & ad mentem nostram explicant: *Gnosticus*, ait, *in primis ac præcipuis semper animum occupatũ habet. Quod si quando illi otium est, & remittendi à primarijs studijs animi tempus, Græcam attingat Philosophiam tanquam bellarium aliquod post cœnam arrodens. ita quidem vt meliora non negligat: sed illa quatenus satis est, assumat*.

Clementi succedat Origenes homil. 2. in Exod. *Communis*, inquit, *ista rationalis scientia omnes instruit, omnes fouet: & si quis in ea virilis animi fuerit, & voluerit cælestia quærere ac diuina sectari, veluti medicatus & fotus, per huiusmodi eruditionem ad diuinorum intelligentiam paratior venit*.

Tertullianus lib. de idolatria cap. 10. ait, *Quomodo quis institueretur ad prudentiam interim humanam, vel ad quemcumque sensum vel actum (supple sine litteratura) cum instrumentum sit ad omnem vitam litteratura? Quomodo repudiamus sæcularia studia, sine quibus diuina non possunt*.

Diuus quoque Hilarius lib. 12. ait; *Fidem non nudam Apostolus, atque inopem rationis reliquit: quæ quamuis potissima ad salutem sit, tamen nisi per doctri-*

nam instruatur, habebit quidem inter aduersa tutum refugiendi recessum, non etiã retinebit constantem obtinendi securitatẽ, eritque vt infirmibus sint post fugam castra, non etiam vt arma habentibus adsit interrita fortitudo.

Basilius Magnus homil. 24. de legendis libris Gentilium sequentia verba notatu digna profert. *Si nostrorum sermonum ac Gentilium vlla est conuenientia, nobis illorum valdè conferet notitia. Sin minus, eos saltem simul conferendo differentiam discere licebit, cum ad melioris optionem, atque delectum non parum comparatio faciat, & inferiora sæpe collata sint potioribus ornamento. Veluti plantis, quibus propria virtus est fructu pulcherrimo scatere, folia nihilominus ramis coniuncta quemdam ferunt ornatum. Sic & animæ, cui præcellens quidem veritas fructus est, non abs re tamen exteriore sapientia circumdatur, sicut folijs quibusdam vmbram fructui ac aspectum non intempestiuum præbentibus.*

Basilium certè Gregorius Nazianzenus prædicat orat. 20. quod artes omnes, atque doctrinas humanas apprimè calleret. *Quis*, inquit, *in Philosophica, excelsa procul dubio scientia, & sursum gradiente doctior, siue eam partem spectes, quæ in actione, & speculatione posita est, siue eam quæ in logicis demonstrationibus, aut oppositionibus, & concertationibus versatur, quam Dialecticam vocant: in qua adeo excelluit, vt ijs qui cum eo disputabant facilius esset è labyrinthis se se extricare, quam argumentorum eius laqueos effugere.*

D. Hieronymus tomo 2. epistola ad Magnum Oratorẽ quæ est numero 84. respondens, & explicans illi quærenti, cur in opusculis suis sæcularium litterarum exempla misceret, ait. *Nec statim praua opinione fallaris contra gentes: quia omnes penè omnium libri, exceptis ijs, qui cum Epicuro litteras non didicerunt, eruditionis doctrinæque plenissimi sunt. Et quæso, suadeas ne vescentium dentibus edentulus inuideat, & oculos caprarum talpa cõtemnat.* Similiter in epistol. ad Damasum, quæ incipit, *Beatitudinis tuæ interrogatio est*, paulò ante medium, ad præsens institutum accommodat allegoriam quamdam ex muliere captiua ab Israelite in vxorem ducenda desumptam. *Huius sapientiæ typus, & in Deuteronomio cap. 21. sub mulieris captiuæ figura describitur; de qua diuina vox præcipit: vt si Israelites eam habere voluerit vxorem, caluitium ei faciat, vngues præsecet, & pilos auferat: & cum munda fuerit effecta tunc transeat in victoris amplexus. Hæc si secundum litteram intelligimus, nonne ridicula sunt? Itaque & nos facere solemus, quãdo Philosophos legimus, quando in manus nostras libri veniunt sapientiæ sæcularis: si quid in eis vtile reperimus, ad nostrum dogma conuertimus, si quid verò superfluum de idolis, de amore, de cura sæcularium rerum, hæc radimus, his caluitium inducimus, hæc in vnguium morem, ferro acutissimo desecamus.*

Tandem D. Augustinus lib. 2. de doctrina Christiana ait: *Philosophi autem qui vocantur, si qua forte vera, & fidei nostræ accommoda dixerunt, maximè Platonici, non solùm formidanda non sunt, sed ab eis etiam tanquam iniustis possessoribus in vsum nostrum vendicanda. Sicut enim Aegyptij non solùm idola habebant, & onera grauia, quæ populus Israel detestaretur & fugeret, sed etiam vasa atque ornamenta de auro, & argento, & vestem, quæ ille populus exiens de Aegypto, sibi potius tanquam ad vsum meliorem clanculo vendicauit, non authoritate propria, sed præcepto Dei ipsis Aegyptijs nescienter commodantibus ea, quibus non benè vtebantur: sic doctrinæ omnes gentilium non solùm simulata, & superstitiosa figmenta, grauesque sarcinas supernacanei laboris habẽt, quæ vnusquisque nostrum duce Christo de societate gentilium exiens, debet abominari atque deuitare; sed etiam liberales disciplinas vsui veritatis aptiores, & quædam morum præcepta vtilissima continent, deque ipso vno Deo colendo nõnulla verba inueniuntur apud eos.*

En quomodo iuxta cõmunem Patrum consensũ ex ratione naturali, humanæque

que

que sapientiæ cōmercio fructum Theologia percipit: vt ab istis non solùm cultior, elegantiorque, sed etiam instructior existat; & cùm ad integritatem, tùm ad tutelam, ac salutem permagnas opportunitates hauriat; quod amplius infra patebit discurrendo per singulas artes & scientias, quarum varietate non minus sacra doctrina, quam Ecclesia debet esse circumamicta in fimbrijs aureis.

Tertiò probatur Conclusio rationibus. Ita enim doctrina Sacra est prior omnibus alijs sciētijs philosophicis prioritate antiquitatis, siue temporis, prioritate originis, prioritate omnibus modis dignitatis, veritatis certitudine, authoritatis magnitudine, subiecti nobilitate, finis vtilitate, vani enim sunt omnes homines, quibus non subest scientia Dei, Sap. 13. eloquij fœcunditate, perfectionis integritate; ita, inquam, Sacra doctrina omnibus his modis est prior omnibus alijs scientijs humanis, vt tamen ordine doctrinæ sit illis posterior, si quidem non est prius notum semper ordine doctrinæ quod est prius in natura, sed illud à quo est facilior doctrina; vnde quia sacra doctrina de occultissimis est nobis, est enim de eis, quæ soli Deo cognita sunt, & omnem naturalem intellectum creaturæ excedunt; hinc sequitur ita esse priorem alijs scientijs ex natura rei, vt tamen sit illis posterior ordine doctrinæ; Ea igitur ratione qua cognitio imperfecta, est dispositio quædam ad cognitionem perfectam, tanquam via ad suum terminum; dicendum est etiam rationem naturalem, scientiasque philosophicas in illa fundatas posse, ac debere subseruire doctrinæ sacræ, ad cuius notitiam illa, quæ in talibus scientijs traduntur sunt manuducentia, vt mox explicabitur.

Secūda ratio desumitur ex hoc quod omnes aliæ scientiæ ordinentur ad doctrinam sacram, indè enim manifestè sequitur illi subseruire posse ac debere; ita autem rem se habere probatur, quia in eis quæ ordinantur ad eumdem finem, illa quæ imperfectè consequuntur finē, ordinantur ad illud, quod perfectè ipsū consequitur, vt docet Philosophus in principio Ethicorum; sed omnes aliæ scientiæ cum doctrina sacra ordinantur in eumdem finem diuinæ cognitionis, ita tamen vt scientiæ naturales imperfectè tantùm illum consequantur, perfectè autem doctrina sacra, diuinitusque inspirata, quantū possibile est homini pro præsenti statu viæ; ergò dicendum omnes alias scientias manuducendo ordinari ad istam, tam ex parte nostra, quam ex parte rei. Ex parte enim nostra, doctrina illa ordinatur ad aliam, à qua nobis est facilior via deueniendi in notitiam alterius; ordo si quidem disciplinæ nostræ requirit, vt ab imperfecto, ad perfectius, & à nobis magis noto ad minus notum ascendamus; sed omnes aliæ scientiæ philosophicæ docent nos deuenire in cognitionem Dei, & rerum spiritualium diuinarum imperfectam, scilicet quo ad communia scibilia de ipsis, quæ facultatem humanæ rationis non superant, & illa docent per nobis magis nota, vt per creaturas, in quibus elucescunt sicut causæ in effectu; doctrina autem sacra docet de eisdem propria scibilia, quæ Deo soli naturaliter de se sunt cognita, quæque facultatem naturalis rationis excedunt, & docet illa modo nobis minimè noto & connaturali, scilicet via fidei, quæ est obscura; ergò loquendo ex parte nostra omnes aliæ scientiæ ordinantur ad istā, quia per illas est nobis facilior, & notior via disciplinæ deueniendi in cognitionē istius. Quod eleganter expressit Hugo Vict. in prologo cœlestis Hierarchiæ: *Philosophia*, inquit, *tres partes continet Logicam, Ethicam, Theoricam. Theoricæ autem sunt tres partes, Mathematica, Physica, Theologia, quarum Mathematica speculatur visibilium rerū visibiles formas. Physica verò visibilium rerum inuisibiles causas. Theologia verò inuisibiles substantias & inuisibilium substantiarum inuisibiles naturas. Et est in eis quasi progressio quædam, & profectus mentis ad cognoscendum verum. Per visibiles enim visibilium formas peruenitur ad inuisibiles visibilium causas, & per inuisibiles visibilium causas*

ascen-

ascendimus ad inuisibiles substantias, & earum cognoscendas naturas, hæc autem Philosophia summa est, & veritatis perfectio, quia nihil altius esse potest animo contemplanti.

Quod etiam ex parte rei omnes aliæ scientiæ ad Theologicam ordinentur, sicut non principales ad principalem, satis patet ex hoc quod omnes illę attingunt imperfectè, quod ista consequitur perfectè, nihil enim aliud requiri videtur ad hoc vt ex parte rei vna scientia ordinetur ad aliam.

Tertiò probatur ex hoc quod sacra doctrina quamplurimas Theologicas cōclusiones deducere non potest, nisi accipiat aliquas propositiones à philosophicis disciplinis, non quidem ex necessitate, nam ex vtraque pręmissa de fide, Theologicus discursus est perfectissimus: neque vt à superioribus, sed vt ab inferioribus & ancillis, quia præmissis naturalibus, coniunctis cùm pręmissis de fide vtitur ad maiorem manifestationem suorum principiorum, quæ habet immediatè à Deo per reuelationem; ergò dicendum est sacræ doctrinæ non esse aspernandum philosophicarum disciplinarum contubernium; consequentia patet, probatur antecedens; Tum ex innumeris argumentis, quæ in toto decursu Sacræ doctrinæ efformantur ex vna præmissa ad fidem, & altera ad philosophiam pertinente; tum etiam quia, ita est in omnibus scientijs ordinatis ad vnam tanquam principalem, quod licet illi assumere, & in vsum suum conuertere quidquid vtile in alijs scientijs sibi subiectis inuenerit, quia propter ipsam, & eius finē & principia tractatur principaliter quicquid in illis tractatur, quare cum ex statim dictis sacra doctrina principalis sit omnibus modis principalitatis super omnes scientias, ideo eius est ab eis exquisita & benè considerata in suū vsum assumere, & in principia sua reducere, & ad suum finem ordinare; Vnde Exodi 5. super illud, *Vt eamus viam trium dierum in solitudinem*, dicit Glossa ordinaria, *Horū trium dierum iter proficiscimur, si rationalem, moralem, naturalem sapientiam de rebus mundialibus auferentes ad instituta diuina conuertimus.*

Quia autem assumere Philosophica, & miscere inter sacra scripta potest Theologus dupliciter. Vno modo antequam planè instructus sit in sacra doctrina, volens per vera à philosophicis dicta interpretari supernaturales fidei veritates. Alio modo veritatibus sacræ doctrinæ prius perfectè pertractatis, & intellectis, deinde illa tanquam vtilia & declaratoria adducere. Primùm non licet omninò, hanc enim disciplinæ cælestis, ac diuinarum rerum percipiendarū hominibus viam Christiana præcipit religio; vti eredendarum rerum rationem non ab intelligentiæ luce repetant, nec argumentis, ac probabilibus inuentis humanæ sapientiæ; vel argumentorū subtilitate, aut demōstrandi necessitate moueantur ad assensum, sed authoritate sola testificantis Dei; vnde vt innumera alia prætercam SS. Patrum testimonia, super illud Ioannis 6. *Et nos credimus, & cognouimus quia tu es Christus filius Dei.* Cyrillus Alexandrinus lib. 4. commentar. in Ioannem, rectum hunc esse ordinem adnotat, vbi prior sit fides, qua credimus, quàm cognitio. *Nam post fidem cognitio sequitur, non illā antecedit: quemadmodum scriptum est: si non credideritis, non intelligetis. Postquam enim basis instar constituta fuerit in nobis simplex, nec curiosa fides, super hac deinceps ac paulatim cognitio struitur: qua nos ad mensurā ætatis, quæ in Christo est, attollit, & ad virum perfectum, ac spiritualem.* Conuenit in hunc eumdem sermonē Basilius to. 2. homil. in Psalm. 115. & Augustinus in epistola 222. *Vt ergò in quibusdam rebus,* inquit, *ad doctrinam salutarem pertinentibus, quas ratione nondum percipere valemus, sed aliquando valebimus, fides præcedat rationem, qua cor mundatur, vt magnæ rationis capiat, & perferat lucem; hoc vtique rationis est. Et ideo rationabiliter dictum est per Prophetam: Nisi credideritis non intelligetis. Vbi procul dubio discre-*

uit

uit hæc duo, deditque consilium, quo prius credamus, vt id quod credimus intelligere valeamus. Proinde vt fides præcedat rationem, rationabiliter visum est.

Quod quidem communiter Patres docuerunt opposite ad Philosophorum, mundique Sapientum institutũ, quibus certum erat & firmum, nulli rei temere fidem adhibendam esse, nisi quam humana ratio, ac prudentia consequi posset: quæque vi argumentorum, ac probationum, viam sibi ad assensionem faceret. *In homine carnali*, inquit idem Augustinus serm.147. de tempore cap.1. *tota regula intelligendi, est consuetudo cernendi. Quod solent videre, credunt: quod non solent, non credunt*. Et Hilarius lib.8. in fine, *Humana mens hoc solùm sapit quod intelligit, & mundus hoc tantùm quod potest, credit*. Hinc Christianos irridebant Etnici; & eorum disciplinam professionemque carpebant; tanquam clausis, quod aiunt, oculis quodlibet sequerentur, sola credulitate freti, vnde & Pistous, hoc est fideles per ludibriũ appellabant, vt fusiùs infra dicetur libro huius operis 5. His etiam de causis antiqui Patres, qui Christianos ab illorum calumnijs vindicabant, eatenus Philosophicas disciplinas aliquando reiecerunt, & à fidei, eiusque doctrinæ consortio procul amandandas esse putauerunt, vt non duces haberentur, & magistræ credendi; sed ancillulæ, & pedissequæ: non quæ meliori afflatas luce mentes regerent, ac quo vellent ducerent: sed obsequerentur potius ac præsto essent ad tutelam, ac ministerium. *Hæc humanæ artis peritia*, inquit Petrus Dam. opusc.36. cap.5. *si quando tractandis sacris eloquijs adhibetur non debet ius magisterij sibimet arroganter arripere: sed velut ancilla dominæ quodam famulatus obsequio subseruire: ne si præcedit oberret: & dum exteriorum verborum sequitur consequentias, intimæ virtutis lumen, & rectum veritatis tramitem perdat.*

Vel etiam dicendum eos tantùm Theologos reprehẽdere Sanctos Patres, dum Philosophicarum disciplinarum vsum in Theologia damnare videntur; qui plus nimio illis indulgent. Noluerunt enim illi, quos occupationibus grauissimis maximèque necessarijs oportebat esse districtos, eos Philosophiæ studijs præpediri. Vtrumque proinde vitium reprehendendum supra monuimus & eorum qui philosophiam eiusque studium euangelijs præferre videntur, quibus Auerroes Paulus est, Alexander Aphrodisæus Petrus, Aristoteles Christus, Plato non diuinus, sed Deus; & eorum qui cum omni rerum naturalium cognitione vacui sint, vbi primoribus, quod aiunt, labris sacras litteras degustarint, tùm se Theologos absolutissimos profitentur, tùm Philosophiam quasi rebus Theologicis tractandis ineptam negligunt.

Tandem cùm in omnibus alijs sciẽtijs, quas doctrinę sacræ subseruire oportere, non dominari docuimus ex Patribus, quædam sint noxia, & falsa, quædã vera, sed vana, quia nullum vsum ad sacram doctrinam habent, quædam denique vera, & huic scientiæ aliquo modo proficua; satis patet prima nunquam debere à Theologia assumi, nisi vt improbentur, secunda omnino esse negligenda, tertia verò cum opus est vsurpanda; vt egregiè docet D. Augustinus lib.14. de Trinitate cap.2. vbi horum trium distinctionem tangit. *Non quicquid sciri ab homine potest in rebus humanis, vbi plurimum supernacuæ vanitatis, & noxiæ curiositatis, huic scientię tribuendum, sed illud tantummodo quo fides saluberrima, quæ ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur, roboratur*. Secundum quod etiam dicit Hieronymus super epistolam ad Titũ; *si quando cogimur litterarum secularium recordari, & aliqua de his dicere, quæ olim omisimus, non est nostræ voluntatis, sed, vt ita dicam, grauissimæ necessitatis*. Quasi velint illi Sancti ea tantùm secutè ex alijs scientijs à sacra doctrina posse vsurpari, quę illi possunt esse proficua & vtilia; queque consequenter non tam voluntate affectante, quia vanitas quædam, & osten-

oſtentatio eſſe videtur, quàm neceſſitate compellente aſſumuntur. Et hoc ſufficiat ad explicationem tertię rationis, in qua diximus plerumque ſacram doctrinam in vſum ſuum habere aſſumere aliquas veritates, quæ in alijs ſcientijs traduntur.

Quarta ratio poteſt deſumi ex hoc, quod ſæpe ingruit neceſſitas agendi cū Paganis, cum Atheis vt omnes adducantur ad Deum; at cum ipſi nec Scripturas ſacras, nec traditiones, vel authoritatē Eccleſiæ recipiant; nihil tunc prodeſſet diſputatio, niſi ex principijs naturalibus quæ ipſi admittunt, & negare non poſſunt Theologo cum illis agere liceret: Igitur vt ex D. Chriſoſtomo homil. 3. ſuper 1. cap. epiſtolæ ad Titum, S. Paulus electionis vas, egregiuſque Gentium Apoſtolus & conquiſitor, vt omnes lucrifaceret, omnes & omnia omnibus effectus eſt; ſcilicet Iudęis Iudæus: & his qui ſine lege erant, tanquam ſine lege: vt ipſe primæ Corinth. 9. teſtatus eſt; ad aucupandum enim aliquas etiam aues colorem atque ſpeciem auium callidus & doctus venator debet inducere: nam quiſque allicitur ad ſpeciem ſuorum. Ob eamdem etiam cauſam, nec non vt veritas ſacræ Scripturæ teſtimonijs aduerſariorum congruere appareat, vt docet D. Hieronymus ſuper epiſtola ad Titū; & tandem vt per vera, quæ ex illis aſſumuntur falſa ibidem cōtenta euidentiùs improbentur, ſecundum quod dicit Auguſtinus lib. 13. contra Fauſtum cap. 15. tomo 6. & refertur diſtinct. 37. cap. *Si quid. Si quid veri de Deo Sibyllæ, vel Orpheus, aliȷque Gentilium vates, aut Philoſophi prædicaſſe perhibentur, valet quidem ad paganorum vanitatem reuincendā, non tamen ad authoritatem complectendā*; Ob has, inquam, & ſimiles cauſas poterit aliquando, & debebit Theologus gentilium diſciplinis vti, vt ſic facilius ad veritatem fidei amplectendam manuducantur.

In hunc finem Iſaiæ cap. 8. præceptum à Domino eſt, vt conſcriberet ſtylo hominis, quæ ipſi ad homines inſtruēdos docendoſque dictabantur. Sic ſuper illud Matthęi 2. *Vidimus ſtellam eius in Oriente*, docet Chriſoſtomus homil. 6. ad medium, *Ad maiorem Dei gloriam pertinuiſſe, ſi virtus eius etiam inimicorum teſtimonio panderetur: & ſi ipſi quoque gentilitatis magiſtri conſonam proferrent de veri Dei poteſtate ſententiam*; Et paulò inferius reddens rationem cur Deus, non quidem per Angelos aut Prophetas, ſed tantum per ſtellæ ſignum vocare voluerit Magos ad ſui cognitionem, & ſtudium, in typum vocationis gentium ad fidem; *Per ea*, inquit, *illos vocat, quæ familiaria eis conſuetudo faciebat; quia enim vnuſquiſque conſuetudinis ſuæ amicitia ligatur, miſſi ad totius orbis ſalutem magiſtri de ipſorum cuiuslibet more gentis modos ſibi aſſumunt docendi, ſicut Paulus gentibus ſcribebat in medium teſtimonium proferens Poetæ, ſicut patet act. 17. Iudæis adhuc ſub lege viuentibus de ſacrificȷs poſuit initium doctrinæ, ſicut patet in epiſtola ad Hebręos*. Quod idem docet D. Hieronymus tom. 2. epiſtol. 84. *Quis enim*, ait, *neſciat, & in Moyſe, & in Prophetarum voluminibus (adde & in epiſtolis Pauli) quædā aſſumpta eſſe de Gentilium libris*; nam vt idem Hieronymus agens de Paulo inſerente humanas inter ſacras litteras perpendit; *Ne parum hoc eſſet, ductor Chriſtiani exercitus, & orator inuictus, pro Chriſto cauſam agens, etiam inſcriptionem furtiuam arte torquet in argumentum fidei. Didicerat enim à vero Dauid, extorquere dæmonibus hoſtiū gladium, & Goliæ ſuperbiſſimi caput proprio mucrone truncare, &c.* Diuus quoque Auguſtinus ait lib. 2. de doctr. Chriſtiana cap. 40. *Nonne aſpicimus quanto auro, & argento, & veſte ſuffarcinatus (ſcilicet eruditionis externæ) exierit de Aegypto (ſcilicet de Gentilium Philoſophorum codicibus) Cyprianus Doctor ſuauiſſimus & Martyr beatiſſimus? Quanto Lactantius? Quāto Victorinus, Optatus, Hilarius? vt de viuis taceam: quantò innumerabiles Græci: Quod prior ipſe fideliſſimus Dei famulus Moyſes fecerat, de quo ſcriptum eſt, quod eruditus fuerat omni ſapientia Aegyptiorū.*

At

At dicet aliquis, Apostolos non fuisse humanis litteris eruditos, nec eis vsos fuisse ad Gentium conuersionem, quin imo D. Paulus varijs in locis docet sapientiam huius mundi stultitiam esse apud Deum; non est ergò cur Theologus Christi miles humanarum disciplinarum presidijs egeat, vt fidei aduersarios possit euincere. Id quod exemplo Niceni Concilij facilè demõstratur, vbi Philosopho superando plus valuit simplicis hominis sincera fides, quam omnes omnium Dialecticorum & Philosophorum argutiæ.

Respondetur primò esse falsũ, quod ipsorum quoque Apostolorum doctrina, & exemplis non fuerit in Theologiam inuectus rationum naturalium, scientiarumque humanarum vsus; satis enim constat tàm ex his quæ de D. Paulo statim diximus, quam ex tota historia Euangelica, quomodo hoc medio fuerint etiam ab illis adducti exteri ad fidem, confirmati fratres, inuitati dociles, repulsi repugnantes; Quandò igitur Diuus Paulus sapientiam huius mũdi stultitiam apud Deum appellat; debet intelligi de sapientia humana quo ad ea quæ in illa sunt noxia & falsa, vel quo ad ea, quæ sunt quidem vera, sed vana, quia nullum vsum ad sacræ doctrinæ finem habent, vt supra diximus; vno verbo de sapientia humana, quo ad id quod est humana; in hoc enim solùm quandoque infirmitatem in se habere potest, nam in eo quod continet veritatem ad diuinorum notitiam aliquomodo conducentem, diuina magis est, vnde Glossa interlin. super illum locum 1. Corinth. cap. 6. ait; *Perdam, id est irritam faciam sapientiam sapientum, non vtique meam in eis perdam, sed illam quæ eorum.* Non enim vera sapientia, & vera prudentia perditur à Domino, sed falsi nominis scientia, quam sibi thesaurizat lingua mendacij.

Secundò responderi potest, verum esse quidem, quod Apostoli non ita frequenter vsi fuerint rationibus naturalibus, Philosophorum disciplinis etiam quo ad ea quæ in illis vera continentur; sed nudam tantum sententiam, quæ de fide bonis operibus custoditur, tradiderint; secundum quod dicit Apostolus 2. Corinth. 2. *Sermo meus, & prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus, & virtutis vestræ, vt fides nostra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei.* Non tamẽ inde sequitur disciplinas istas Theologis nullo modo esse vsurpandas: si quidem cum sacri Apostoli prima tunc temporis Ecclesiæ Catholicæ fundamẽta conijcerent, oportuit tunc eos reprobare disciplinas humanas, quæ veluti scrupuli sunt, hoc est leuissimi ac tenuissimi lapides, tanto sane erigendo consolidandoque ædificio prorsus inepti: At cum iam moles Ecclesiæ altissimum, editissimumque subierit gradum; cum iam tot homines propositis rebus fidei assensi fuerint, ac fide suscepta Christiani iam esse cœperint, non est cur ad eam tuendam, illustrandam, persuadendam, & docendam non possint ac debeant scientiæ naturales vtiliter assumi. Quod Origenes in homil. *quomodo Abraham* Cethuram accepit vxorem eleganti allegoria ex hoc petita coniugio declarat. *Sane*, inquit, *præter hoc quod ex lege Dei edocemur, si etiã ex his eruditionibus, quæ extrinsecus videntur esse in sæculo, aliquas contingimus, verbi causa, vt est eruditio litterarum artis Grammaticæ, vt est Geometrica doctrina, vel ratio numerorum, vel etiam dialectica disciplina, & hæc omnia extrinsecus quæsita ad nostra instituta perducimus, tunc videbimur ex alienigenis in matrimonium sumpsisse; vel etiam concubinas, & si de huiusmodi coniugijs disputando, differendo, contradicentes redarguendo, conuertere aliquos poterimus ad fidem, & suis eos rationibus, & artibus superantes ad veram philosophiam Christi, & veram pietatem Dei suscipere suaserimus, tunc ex dialectica, & rethorica videbimur quasi ex alienigena, quadam vel concubina filios genuisse.*

Quinta ratio ducitur ex perfecta luminis naturalis & supernaturalis inter se con-

concordia, vtrumque enim est à Deo, nec gratia tollit naturam, sed perficit, nec natura gratiam repellit, sed suscipit; Igitur ea ratione qua veritates fidei ita sunt supra omnem humanæ naturæ captum, vt tamen non sint contra, sed illius lumini valde conformes; non est cur sacra doctrina omnem humanæ naturæ rationem, philosophicarumque disciplinarum vsum abijciat, quarum veritates eo ipso quod sunt à Deo, quæcumque enim sunt vera in tantum sunt vera, in quantum imitantur primam veritatē, & falsa in quantum ab eius imitatione deficiunt, tales, inquam, veritates quæ Deum etiam habent authorem, à quo nullus error esse potest, non possunt nō esse manuductiuæ ad veritates Theologicas, gradusque ad perfectam illarum notitiam. Vnde rationes quæ videntur ex principijs Philosophicis constructæ, contrariæ veritati fidei & sacræ doctrinæ, non ex veris principijs philosophię, sed solum per errorem humanæ industriæ constructæ dicendæ sunt, secundū quod etiam multa sibimet cōtraria Philosophi in Philosophia senserunt, quia humanis sensibus, & humanis ratiocinationibus ista quæsierunt, vt dicit August. 18. de ciuit. Dei cap.41. Et ideo quia non sunt efformatæ ex principijs Philosophiæ omnes verè dissolubiles sunt: & sicut per errorem naturalis rationis sunt constructæ, vel circa vera Philosophiæ principia, vel illa male extendendo vltra id, quod extendi deberent, sic per directionem naturalis rationis non quidem secundum se, & præcisè sumptæ, sed vt adiutæ, vel excitatæ superiori lumine fidei, quo supernaturalia cognoscuntur, omnes possunt euidenter dissolui, vt infra suo loco dicemus lib.5.

Hanc rationem vno aut altero Diui Augustini testimonio placet illustrare. Epistola 7. ad Marcellinum; *Si ratio*, inquit, *contra diuinarum Scripturarum authoritatem redditur: qualibet acuta sit, fallit verisimilitudine, nam vera esse non potest. Rursum si manifestissimæ certæque rationi velut Scripturarum sacrarum obijcitur authoritas, non intelligit qui hoc facit, & non Scripturarum illarum sensum, ad quem penetrare non potuit, sed suum potius obijcit veritati*. En quomodo non quidem Sophisticę, sed verè Philosophicæ rationes perfectam cum veritatibus diuinæ Sapientiæ concordiam habent ex D. Augustino; vnde idemmet epist. 222. ad Consentinum ait; *Illa ratio quæ persuasit in ea Trinitate, Deum filium non esse Patri coæternum, & alterius esse substantiæ, atque aliqua parte dissimilem, & eo modo inferiorem, Non ideo quia ratio, sed quia falsa ratio, cauenda & detestanda dicenda est. Nam si ratio vera esset, non vtique errasset. Quapropter sicut non ideo debes omnem vitare rationem, quia est, & falsa ratio, hoc & de sapientia dixerim, neque enim propterea sapientia vitanda est, quia est, & falsa sapientia*. Quo certè nihil clarius ad præsens institutum afferri potest, nam hoc dicit Augustinus contra Consentinum quia epist. 221. asserebat; *Quod in eis quæ sunt fidei, & sacræ Scripturæ, non rationi sed authoritati credendum est, quia hæretici non errassent, si Scripturis sacris magis quam suis rationibus accommodare fidem mallent*.

Sextò tandem & vltimò probatur, ex eo quod nihil fit fere cuius in Scriptura sacra non fiat mentio; Et vt omittam, quod sacra doctrina mores naturæ moderationi consentaneos præscribit, vitia rationi contraria refutat; compertum est multa etiam in illa haberi, quæ Philosophiæ, Aritmeticæ, Geometriæ, Geographiæ, Astronomiæque subsidijs indigent, cùm sæpe alias, tùm maximè vbi rerum naturalium, quasi miracula, quæ in disciplinis humanis explicantur, à Salomone, Dauide, Iob, ac cæteris Prophetis, in diuinæ potentiæ, vel sapientiæ cōmendationem afferuntur; ea igitur ratione qua perfecta diuinarū Scripturarum intelligentia ad Theologum pertinet quis neget scientias humanas illi non solum vtiles, sed etiam necessarias esse; quamuis non omnes eodem modo, parique passu, vt satis constabit

infra

infra discurrendo per singulas; nunc pro generali regula tenendum in omni sciẽtia rerum tanto plus illam vnamquamque valere ad vsũ doctrinæ sacræ,quantò plura, & apertiora de Deo, & rebus diuinis tractauerit; & ideo vt vidimus superiori libro sectione 6. D. August.8. de Ciuit. Dei cap.9. in tractandis sacris litteris vtilitatem Philosophiæ Platonicæ cæteris Philosophis anteponit.

En quomodo inter duos etiam alios extremos errores, vnum eorum, qui vsque adeò argumentis à ratione ductis, Philosophorumque dictis, & sententijs addixerunt se, vt siue disputent, siue scribant, Scripturam sacram, Sanctorũque Patrum libros ne legisse quidem videntur; & alterum multo peiorem illorum, qui Philosophicas omnes disciplinas amandandas esse voluerunt à fidei, & Christianæ pietatis consortio; quales fuerunt Lutherus potissimum, & Cornelius Agrippa, quorum primus nõ modo asseruit Philosophiam esse Theologo inutilem & noxiam, verum etiam omnes speculatiuas disciplinas errores esse. Secundus verò vir post hominum memoriam vanissimus,in suo illo libro, qui de vanitate scientiarum inscribitur, non philosophiæ solum, sed omnibus etiam alijs humanis disciplinis, & diuinis bellum indixit; non alia certè ratione nisi, quemadmodum Epicurus Dialecticam reiecit, Mahometes Saracenos procul ab omnibus disciplinis adduxit, quoniam intelligebat disciplinas artesque omnes rationales,doctrinæ peruersæ esse contrarias; ita impijssimi illi duo viri, eorumque Sectatores, nequando à discipulis errores eorũ absurdissimi deprehenderentur, voluerunt eos ab omni cognoscendi ratione seuocare. Quod & olim tentauerat Iulianus, quando Christianis lege interdixit studia bonarum artium,vt referunt Socrates lib.3.Histor. Ecclesiast. cap.12. & 16. & Sozomenus lib.6. Historiæ tripart. cap.37.

Inter hos, inquam duos errores media incedimus via, asserimusque licere viris Catholicis, maximè verò Theologis, omnibus scientijs incumbere,& mirabilia Dei opera scrutari, non solum quia per ipsa elementa mundi tanquàm per publicas paginas, diuinæ voluntatis significationem accepimus,vt S.Leo sermone 6. de ieiunio decimi mensis habet, non solum quia Philosophia est catechismus ad fidem iuxta Cyrillũ lib.1. contra Iulianum, non solùm quia mundus codex est Dei, in quo iugiter legere debemus, inquit Bernardus serm. in hęc verba, *Audiam quid in me loquatur &c.* sed etiam vt omnem impietatem aduersus Deum se se erigentem retundant, & opprimant; vt argutè docet Clemens Alexandrinus 1. Stromatum libro inquiens: *Non per ablationem Philosophiæ permitur veritas,sed ad eam cooperatrix, & adiutrix inuenitur: sicut primus & secundus gradus ei, qui ascendit in canaculum,& Grammatices ei,qui est philosophaturus. Nam & visus & auditus confert ad veritatem, mens autem est,quæ eam appositè,& naturaliter cognoscit. Perspicuitas etiam opem fert ad tradendam veritatem: & dialectica ne prosternamur ab hæresibus. Et est quidem per se perfecta seruatoris doctrina & nullius indiga, cum sit Dei virtus & sapientia. Accedens autem Philosophia non veritatem facit potentiorem, sed debilem aduersus eam efficit sophisticam argumentationem: & propulsãs dolosas aduersus veritatem insidias,vinea est sepes, & vallum.* Hactenus Clemens; & certè cum veritas veritati nunquam aduersetur, consentiat semper & subseruiat, iure ac merito sanctissimi Patres humanas omnes scientias, tanquàm ancillas ad arcem & ministerium veræ ac diuinæ sapientiæ aduocãdas esse voluerunt.

CAPVT II.

Assertur generalis quadam scientiarum diuisio, seu Encyclopedia,in qua breuis totius ferè scibilis idea ichnographicè describitur.

CVm in sequentibus demonstraturi simus quanti referat vnaquæque scien-

ſcientia, vel diſciplina naturalis ad perfectum ſacræ doctrinæ ſtudium, operepretium duxi prius in hoc capite generalem quamdam omnium ſcientiarum diuiſionem adducere in Sermocinales, ſpeculatiuas, morales, & factiuas: Etſi enim per ordinem ad diuerſa multæ aliȩ generales afferri poſſent ſcientiarum diuiſiones, omnium tamen facillima mihi ſemper viſa eſt illa, qua per reſpectū ad hominem, qui omnium ſcientiarum quaſi centrum ac finis cui eſt, ſupradicta quadripartita diuiſione diſtinguntur. Homini enim, pro vt etiam à cæteris animantibus differt, quadruplex indita eſt à natura facultas, intellectus ſcilicet, & voluntas, ſub vnico rationis nomine à Philoſophis ſignificata, & comprehenſa, & vtriuſque interpres ſermocinatrix verbo aut ſcripto, lingua aut calamo, vel etiam nutibus, & miniſtræ manus. Quatuor his ornauit eum præſidijs Deus, quæ cȩteris animantibus denegauit, ratione ad inuentionem, ſermone ad auxilium & conuictum, manibus ad perfectionem; ratio enim manus eſt animæ, rationis oratio, vtriuſque manus quæ iuſſa faciunt, & exequuntur: ratio tandem artium omnium ars eſt & officina, ars antè omnes artes, & ſcientias, manus verò organum ante omnia organa; nam cum nullum ſit eorū, quæ particularia ſunt, omnium tamen eſt capax, & vt de anima pronūtiauit Philoſophus, poteſtate quodammodo eſt omnia. Ideo Anaxagoras quidam Phyſicus animaduertens quanta cum ratione, & quàm ſcitè hoc membrum fabricata eſſet natura, dixit non poſſe ad vllarum rerum effectionem excogitari organum magis affabre, aut accuratius perfectum, nec dubitauit vt refert Plutarchus en tais cherſin tin aitian titheſthai tis anthropinis ſophias, id eſt manibus adſcribere ſapientiæ humanæ ortum, & cauſam. Quod tamen non eſt probandum, non enim ideo ſapientiſſimū eſt animal homo, quia manus habuit, ſed quia eſt ſapientiſſimum animal, idcirco manibus à Deo inſtructus fuit: manus enim hominem artibus non inſtituerunt, ſed ratio, ſuntque manus tantum rationis, ac ſapientiæ executrices & miniſtræ. Ad has igitur quatuor facultates hominis perficiendas, ordinantur quatuor ſupradicta ſcientiarum vel artiū genera, quarum breuem ideam in ſequentibus traditurí ſumus, in ordine ad perfectam ſacræ doctrinæ rerumque in illa contentarum, & ab illa traditarum intelligentiam, tanquam ad finem cuius gratia.

Quod igitur pertinet ad primum genus, Sermocinatrici facultati perficiendæ incumbunt Grammatica, Rethorica, & Logica ſiue Dialectica; *Grammatica* vt rectè, & congruè, *Rethorica* vt ornatè & venuſtè, Logica tandem ſiue Dialectica, vt verè & argutè loquatur homo. Primæ enim ſcilicet Grammaticæ proprium officiū eſt ac munus congruum ab incongruo diſcernere, & cuiuſcumque idiomatis contextum docere, litterarum, ſyllabarum, dictionumque determinationem in hunc finem referendo. *Rethorica* verò venuſtum ab inuenuſto diſtinguit, & perſuaſionem docet, eſt enim perſuaſio, cum quis dicendo, hoc eſt venuſtè & ſecundum Rethoricæ leges orationem habendo inducit aliquem in ſuam ſententiam. Denique *Logica* verum à falſo internoſcit, & omnem argumentationis rationem modumque pȩſcribit, cæteraque omnia, vt terminorum proprietates, diuerſaſque propoſitionum paſsiones ad hunc ſcopum dirigit: Grammaticæ autem & Logicæ cum tanta ſit neceſsitas, vt ſine eis aliæ ſcientiæ non poſsint perfectè haberi, tanta vtilitas vt earum pȩſidio in cȩteras omnes diſciplinas pateat aditus, Grammatica enim vt iam diximus ſermonem docet, quo omnis diſciplina traditur, & alteri communicatur; Logica verò ratiocinandi normam, ac regulas quibus in omni ſcientiarum genere veritas comprobatur, non mirū ſi eiuſmodi ſermocinales artes & ſcientiæ omnibus alijs præmitti debent.

Ad hoc idem ſcientiarum ſermocinalium genus pertinent Poëtica, ſiue oratio

oratio stricta, & Historica: Quamuis enim Poësis ex illa parte, qua certo genere, numero, atque ordine siue harmonia pedum alligata est oratio, rectè vocetur à Philosopho in Poëtica cap. 1. & 2. pars numeri; nemini tamen dubium esse potest quin propriè loquendo sub Grammatica contineatur, aut ad illam reductiuè pertineat tanquàm determinata orationis species, quã strictam, seu numerosam solemus appellare. Vnde illud Senecæ epist. 88. *Grammaticus circa curam sermonis versatur, & si latius euagari vult circa Historias. Iam vt longissimè fines suos proferat circa carmina.*

Secundum genus est scientiarum speculatiuarum, seu intellectualium, hoc est earum, quæ ad intellectum perficiẽdum in ordine ad cognitionem veri specialiter à natura institutæ sunt; & iuxta triplicem à materia abstractionem singulari videlicet, sensibili, & intelligibili solent diuidi in Physicas, Mathematicas, & Metaphysicas, seu Theologicas disciplinas.

Physicæ disciplinæ tractant de rebus motui, sensibilique mutationi subiectis, ideoque solum abstrahunt à materia singulari, & complectuntur sub se quatuor principales scientias; quarum *prima* retẽto sibi nomine generico *Physica* nuncupata, versatur circa corpus naturale, aut ens mobile. *Secunda* dicitur *Magia*, & agit de corpore, pro vt effectus admirandos, & insolitos per occultas causas, & qualitates producit, & etiam significat, vt patet in Physionomia. Quamuis enim hoc Magiæ nomen ob abusum, quo fere cuncta saluberrimis orta initijs degenerarunt, hodie exosum sit; Persico tamen idiomate tantùm exprimit sapientiam, & apicem perfectionis Philosophiæ naturalis. Nam idem erant Magi apud Persas, ac apud Græcos Philosophi, apud Indos, Bracmanes & Gymnosophistæ: apud Gallos, Druidæ, Bardi, & Semnothei: apud Siculos, Galeotæ: apud Aegyptios, Sacerdotes: apud Italos, Hetrusci, Haruspices: apud Latinos, sapientes: apud Cabbalistas, Prophetæ: denique apud Babylonios, & Assyrios, Chaldæi, vt alias iam notauimus.

Tertia est *Alchemia*, quæ versatur circa coagulabile, & dissolubile corpus, sequiturque principaliter ad eam partẽ Physicæ, seu Philosophiæ naturalis, quę agit de mineralibus, propter diuersitatem metallorum, & transmutationem ipsorum ad inuicem in suis mineris, & transmutationem suorum principiorum diuersam factam à natura, in generationibus diuersarum rerum, in quibus ars mirabiliter administrata conatur sequi & imitari naturam in transmutationibus metallorũ; indeque sibi Alchemiæ nomen vendicauit, Chimia enim Græcè, massa dicitur Latinè, quod per hanc scientiam, metallorum principia, causæ, proprietates & passiones radicitus cognoscantur, vt quæ imperfecta, incompleta mixta, & corrupta sunt admodum cuiusdam rudis indigestęque massæ, virtute medicinæ seu Elixiris Philosophici in perfectius metallum transmutentur.

Quarta tandem, & vltima est medicina, quæ respicit corpus sanabile, seu mobile ad sanitatem, non à natura, sed per artem, cuius tamen principium est in natura, quatenus ex aliqua naturali virtute sanitas proficiscitur auxilio artis medicinæ. Quod corpus sanabile, seu mobile ad sanitatem per artem, cum non sit pars subiectiua corporis naturalis, sed illi differentiam tantùm accidentalem addat; Medicina illud considerans, non est propriè pars Physicæ, sed illi subalternatur, non secus ac *Alchemia*, quæ similiter imperfectis metallis, quasi ęgris corporibus sanandis per ministrationem artis incumbit. Vndè relinquitur quod Physica, seu Philosophia naturalis secundum se, & secundùm omnes eius partes ita sit scientia speculatiua, vt tamen aliquæ operatiuæ ei subalternẽtur.

Secundus ordo est Mathematicarũ disciplinarum, quæ si in sua puritate cõsiderentur agunt de quantitate vt abstrahit à motu, siue materia sensibilibus acciden-

cidentibus vestita; vt *Arithmetica* & *Geometria*, quarum prima quantitatem discretam, secunda continuam considerat, non curando vtrùm eiusmodi quantitates sint albæ vel nigræ, frigidæ vel calidæ &c. non tamen abstrahunt à materia intelligibili, quia non considerant quantitatem absque substantia materiali, cui inest, & à qua tam in esse, quam in sui cognitione dependet. Dixi Mathematicas in sua puritate consideratas abstrahere ab omni materia non solùm singulari, sed etiam sensibili, intelligendo per materiam sensibilem, omnes qualitates quæ sensibus percipiuntur, vt color, frigus, sonus, odor & similia; quia si considerentur quod fiunt impuræ per aliquas sciẽtias tàm Arithmeticæ, quàm Geometriæ subalternatas, quæ contemplantur quantitatem aliquo sensibili accidente concretam, vt sunt *Musica*, quæ respicit quantitatem discretam, seu numerum, vt est sonorus, concentibusque iungitur, & Harmoniæ, Perspectiua, Astronomia, Cosmographia, & similes quæ principia Geometrica ad materias sensibiles applicant; sic abstrahunt solùm à materia singulari, sicut ens mobile, quod est obiectum Philosophiæ, ex quo nascitur, vt rectè notauit Diuus Thomas 22. quęst. 9. artic. 2. ad 3. quod si principia considerentur, quæ habent rationem formæ, scientias istas cũ Mathematicis connumerari debere; si verò conclusiones, seu materiam propriam spectemus, magis conuenire cum naturali; & hac de causa scientiæ istæ solent etiam appellari mediæ, quia nimirum participant de vtraque abstractione, si quidẽ in eis principia aliter abstrahunt, & aliter conclusiones.

Sicut autẽ duæ tantùm dantur Mathematicæ extremæ, seu puræ, quarum principia possint ad materias extraneas applicari, sic duæ tantùm dantur huiusmodi scientiæ mediæ, seu Mathematicę impuræ, licet varia nominum significatione distinctæ. Prima est, quæ principia Arithmeticæ applicat ad materias sensibiles; poteſtque pro vt illas omnes comprehendit, appellari Arithmetica naturalis, quæ dùm talia principia applicat ad sonos dicitur *Musica*, dum vero ad alias materias (si quę sint, quibus hęc principia possint applicari) sortietur alia nomina. Altera verò est, quæ principia Geometriæ applicat ad materias sensibiles, potestque communi nomine dici *Geometria naturalis*; quæ dum talia principia applicat ad visum dicitur *Perspectiua*, seu *Optica*: dum ad Cęlos & astra, Astronomia; dum ad mundum & eius partes *Cosmographia*: dum ad terram & eius prouincias *Geographia*: dum ad singularem locum, aut ciuitatem *Topographia*, dum ad aquam & maria, *Hydrographia*; dum ad bellica instrumenta, & alias machinas *Machinatiua*; & sic de alijs nominibus quibus sciẽtia ista potest appellari, secundum quod applicat principia Geometrica ad peculiares aliquas materias sensibiles.

Quæ doctrina non solùm est conformis principijs Philosophicis, iuxta quæ, solùm tot sunt constituendæ species scientiæ, quot sunt principia in ratione luminis diuersa, seu habentia diuersam vim illuminandi conclusiones: vnde cum principia omnia ex quibus procedunt scientiæ mediæ, sint tantùm duo in ratione luminis, vel enim sunt Arithmetica, vel Geometrica, vt supponimus, hinc fit duas dumtaxat scientias medias esse propriè constituendas iuxta duas principiorum species in esse scibilis nempe Arithmeticorum, & Geometricorum. Hęc, inquam, doctrina non solum est consentanea dictis principijs, sed etiam communi Mathematicorum sensui, qui quatuor tantùm Mathematicas admittũt vt patet ex Ptolomeo in Almagesto, & ex illis versibus septẽ artes liberales continentibus.

Lingua, tropus, ratio, numerus, tonus,
Angulus, astra

vel

Gra loquitur, Dia vera docet, Rhe verba colorat,
Mus canit, Ar numerat, Geo ponderat, As colit astra,

Vbi

Vbi quatuor tantùm numerãtur Mathematicæ; duæ extremæ ſcilicet, *Arithmetica*, & *Geometria*, deſignatæ per numerum & angulum; & duæ mediæ nempè *Muſica*, & *Aſtrologia* ſignificatæ per tonum & aſtra. Propter quod etiam Mathematicæ diſciplinæ ab antiquis vocabantur *Quadriuium*; ſicut tres artes ſermocinales in iiſdem verſibus recenſitę, *Triuium*, quaſi tribus vijs in vnum finē, ſcilicet ſermonis notitiam, cōtendentes.

Tertius tandem & vltimus ordo eſt Theologicarum diſciplinarum, quæ abſtrahunt ab omni materia non ſolùm ſenſibili, ſed etiam intelligibili, quod tractent de rebus, quæ ſine materia prima eſſe poſſunt; vel quia nunquam ſunt in materia, vt Deus, & Angeli; vel quia in quibuſdam ſunt in materia, in quibuſdam verò non; & ideo ſecundùm ſe ab illa non dependent, vt ſubſtantia, & qualitas, actus & potentia &c. & huiuſmodi ſunt *Metaphyſica*, & *Sacra Theologia*, ſiue *Doctrina*; cum iſta tamen differentia quod Metaphyſica quaſi via inuentionis, creaturas contemplando, naturalem ſolùm de Deo notitiam acquirit, & per earum pulchritudinem, ac varietatem quaſi per ſcalam ad ſupremum opificem conſcendit, quæ propterea Theologia naturalis, & prima Philoſophia nuncupatur; at ſacra doctrina ex ſuperiori lumine fidei procedit, iamque non amplius factis, ſed dictis Dei, non creaturarum libro, vt aliæ ſcientiæ, ſed Scripturarum diuinarum authoritati innititur; & ideo reſpectu Metaphyſicæ, ita omnes aliæ eiuſdem ordinis ſcientiæ ſe habent vt famulæ, aut ancillæ, vt etiã Metaphyſica Sacræ Theologiæ, ſeu doctrinæ ſubſeruire debeat; adeo verum eſt omnem noſtram quantumuis perfectã, & exactam creaturarum cognitionem eſſe mancam, & vanam, triſtitiæque potius, quam letitiæ gignendę aptam, quæ nos ad Deum, diuinaque non conducit. *Non enim*, vt ait D.Auguſt. de vera relig. cap.29. *fruſtra & inaniter intueri oportet pulchritudinem cæli, & ordinem ſyderum, candorem lucis, dierum ac noctium viciſſitudines, lunæ menſtrua, curricula, anni quadrifariam temperationem, vim ſeminum, ſpecies numeroſque gignentium, & omnia in ſuo genere modum naturamque ſeruantia. In quorum conſideratione non vana, & peritura curioſitas exercenda eſt, ſed gradus ad immortalia, & ſemper permanentia faciendus.*

Tertium genus eſt ſcientiarum moralium, tertia enim facultas hominis propria eſt voluntas, ſeu appetitus rationalis, cui rectificando operam nauant ſcientiæ illæ quæ vocantur morales, ſiue actiuę. Quamuis enim huiuſmodi ſcientię ſubiectiuè ſint in intellectu, tanquam in principio dirigente, terminatiuè tamen, & finaliter ſunt in voluntate. Moralis ſiquidem ſcientia illa eſt, quę mores hominum in vniuerſum conſiderat, præſcribitque finem vltimum, ſeu beatitudinem, Philoſophis naturalem, Chriſtianis ſupernaturalem acquirendã per media proportionata, quæ ſunt fuga vitiorum, & virtutum cultura.

Philoſophię autem moralis quatuor ſunt non tàm ſpecies, quàm partes. Prima eſt propriè *Moralis*, quę exponit generatim honeſtam actionem. Secunda *Monaſtica*, quę moderatur actiones virtutis, quatenus referuntur ad vtilitatem, & bonum eius ſolius, qui honeſtè agit, ſiue quod idem eſt, quę hominem in ſe per virtutes monaſticas, & particulares perficit. Tertia *Oeconomica*, quę contemplatur honeſtas actiones, quatenus referuntur ad familię bonum, docet illius fœlicitatem, illiuſque acquirendę, conſeruandæ, & amplificandę modum; dirigit ſocietatem in familia, coniugalem viri & vxoris, paternam parentum, & liberorum, herilem domini & ſeruorum. Quarta tandem & vltima eſt *Politica*, quę eaſdē actiones honeſtas conſiderat, quatenus ordinantur ad rempublicam, & ciuitatem, inſtruitque hominem vt ſit felix prudentia ciuili, ſeu politica, & ſtatum ſeu formam reipublicæ adminiſtrandæ, gubernandæque bonam præſcribit, quæ aut eſt Monarchica, aut Ariſtocratica, aut Democratica. Rurſus Monarchica diui-

diuiditur in Ecclesiasticam cuiusmodi est Pontificia, & laicalem cuiusmodi est *Imperatoria, Basilica*, & *Ducalis*. His verò subijcitur ars *Bellica*, seu militaris, quæ *Tactica* vocatur, cum acies instruit, & exercitus ordinat, *Stratagematica* si prudentia & arte hostem superet. Ad scientiam moralem pertinet, imo illa continetur tam in iure Canonico, quàm ciuili, ex hoc quod vtrumque mores dirigat, ius canonicum virorum Ecclesiastici ordinis, ius verò ciuile, seu Cæsareum reliquorum ciuium Ecclesiasticæ sorti minimè adscriptorum, cùm in toto, tùm in particulari.

Sub quarto tandem genere continētur omnes artes, quas alias scientias factiuas siue Mechanicas appellamus, nō ea ratione, quod omnes artes sint seruiles, multæ enim illarum viros etiam nobiles decent, sed ex eo quod sint operum effectrices, quæ ingenio simul, animique solertia, & manibus exercentur, Michanaomai enim vndè hæc dictio Mechanica deriuatur, molior, machinor, inuenio, & excogito significat.

Quod spectat ad numerum, vel diuisionem artium, sicut ad diuersa possunt referri, sic etiam plures admittunt diuisiones. Aliqui enim 1. ratione perfectionis, & imperfectionis, diuidunt illas in seruiles, & liberales. 2. Ratione termini in eas, quarum actione transacta manet aliquod opus externum, cuiusmodi sunt Architectura, Sculptura, Pictura, & similis, post quas remanet ædificium, statua, tabella; & in eas quæ sic operantur, vt nihil post se transacta actione relinquant, vt artes cytharizandi, saltandi, equitandi, &c. 3. Ratione finis diuidi possunt artes in necessarias, quales sunt Agricultura, Pastoritia, & similes vitæ inseruientes, in vtiles quales sunt Sutoria & Sartoria; in delectabiles aut eas quę spectant ad ornatū, vt pictura & statuaria, cæteraque ad illas pertinentes; denique in nugatorias, seu ludicras, & recreatiuas, quales sunt Circulatorum, Petauristarum, Funambulorum, Neurobatarum &c. quarum Eutrapelia videtur esse virtus moderatiua; ordinanturque ad refoccillationem fatigationis animalis prouenientis ex viribus sensitiuis; sicuti enim homo indiget corporali quiete ad restaurandas corporis vires, quia non potest continuò laborare, eo quod finitam ac limitatam habeat virtutem: ita etiam opus habet recreatione ad refocillationem animæ, cuius etiam virtus finita est, & ad determinatas circumscripta operationes, vndè si quis vltra modum circa illas tendat, eum defatigari necesse est; eamque ob causam remissione aliqua, & recreatione indiget, ad quam potissimum ordinantur artes omnes nugatoriæ, nec non etiam verba quædam & dicta ridicula, siue ad risum, & animi hilaritatem cum moderatione prouocantia.

Quartò, Hugo Victorinus lib. 2. Didasc. cap. 21. D. Bonauentura opusc. de reductione artium ad Theologiam, septem artium Mechanicarum, seu luminis quod illuminat ad figuras artificiales, species assignant: quæ sunt scilicet, Lanificium, Armatura, Agricultura, Venatio, Nauigatio, Theatrica, Medicina; quarum sufficientiam sic explicat D. Bonauentura. Quoniam omnis ars Mechanica, aut est ad solatium, siue sit ad excludendam tristitiam, siue indigentiam: aut est ad commodum; siue illud prodest, aut delectat, secundum illud Horatij:

Aut prodesse volunt, aut delectare poetæ.

Et iterum

Omne tulit punctum, qui miscuit vtile dulci.

Si est ad solatium & delectationem, sic est Theatrica, quæ est ars ludorum, omnem modum ludendi continens: siue sit in cantibus, siue in organis, siue in figmentis, siue in gesticulationibus corporis. Si verò ordinatur ad commodum siue profectum, secundum exteriorem hominem, hoc potest esse, aut quantum ad operimentum, aut quantum ad alimentum, aut quantum ad vtriusque adminiculum. Si quantum ad operimentum, aut illud est de materia molli & leni,

di, sic est lanificium: aut est de materia dura & forti; & sic est armatura; siue ars fabrilis: quæ continet omnem armaturam fabricatam; siue ex ferro, siue ex quocumque metallo; siue ex lapide; siue ex ligno. Si verò iuuat quantum ad alimentum, hoc potest esse dupliciter: quia cibamur vegetabilibus, & sensibilibus. Si quantum ad vegetabilia sic est Agricultura. Si quantum ad sensibilia sic est venatio. Vel aliter, quia iuuare quantùm ad cibum, potest esse dupliciter, aut quantum ad ciborum genituram, & multiplicationem, & sic est agricultura: aut quantum ad ciborum multiplicatorum præparationem, & sic est venatio: quæ continet omne genus præparandi cibos, & potus, & sapores, quod pertinet ad pistores, cocos, & caupones. Denominatur autem ab vnius parte solùm, propter quamdam eccellentiam, & comparabilitatem. Si autem ad vtriusque adminiculum, hoc est dupliciter, aut defectum supplendo, & sic est nauigatio, sub qua continetur omnis mercatio, siue pertinentium ad operimentum, siue ad alimentum: aut remouendo impedimentum, aut nocumentum, & sic est medicina, siue quæ consistit in confectione electnariorum, siue potionum, siue vnguētorum, siue curatione vulnerum, siue decisione membrorum, sicut Chirurgia. Theatrica autem est vnica. Et sic patet sufficientia.

Quintò relictis pluribus alijs artium diuisionibus, omnium facillima & optima est illa, qua ratione materiæ circa quam versantur, vel secundum ipsa opera artificialia diuersa distinguntur; vt autem ferè omnes materiam operū suorum, & obiectum exercitij sui principale, à Grammaticis & Physicis disciplinis mutuantur, ideo secundum eas commodissimè primùm diuiduntur in *Grammaticas*, & *Physicas*, hoc est, *circa res Grammaticas, & Physicas* versantes.

Facultates, seu artes circa res Grammaticas versantes, sunt circa litteras figuris vel consuetis, seu calamo, seu typo; vel insuetis seu properè & cōpendiosè, seu tectè & occultè exprimendas. Facultas quę versatur circa litteras cōsuetis figuris eleganter calamo exprimēdas vocatur *Calligraphia*, ad quam simul referendæ facultates Scribarum varij generis, *Exceptorum*, *Amanuensium*, & similium tanquam certę quædam eius propagines. Quæ versatur circa easdem ijsdem figuris consuetis typo exprimendas, est *Typographia*; ex qua oritur *Libraria* typis descriptas aut compingens, quod *Bibliopegorum*; aut recondita suis thecis seruans; quod *Bibliothecariorum* munus, & officium.

Circa litteras inconsuetis figuris propriè, & compendiosè exprimendas est *Brachygraphia*, nouos & scriptu faciles characteres, pro litteris, tùm singulis separatim, tum pluribus voces crebro seu terminātibus, seu integrantibus, coniunctim confingens, confictisque vtens. Sic Trithemius in sua Polygraphia non semel testatur Ciceronianis notis seu characteribus psalterium Latinum integrū, & pulchrè descriptum, vidisse, in Bibliotheca maioris Ecclesiæ Argentinensis, falsò tamen à quodam sic inscriptum *Psalterium in Armenica lingua*; cum sic potius fuerit scribendum; Psalterium Latinum conscriptum characteribus Ciceronianis; quorum quilibet vnam dictionem integram repræsentabat. Etenim Marcus Tullius inuenit modum scribendi Sinensium ritui simillimum, pro singulis dictionibus singulos, & particulares characteres excogitans, quibus si necessitas postularet, orationem quantumuis prolixam cū paucissimis signis, celerrimè scriberet. Tanta verò in hac ipsa nouitate vsus est copia, vt rebus penè cunctis in mundo eius sufficere posset inuentio. Nihilominus S. Martyr Cyprianus Carthaginensis Ecclesiæ præsul, ipsa Ciceronianæ institutionis documenta magnoperè ampliauit, & vt Christianorum vsibus deseruiret, quæ nostris defuerant moribus, adiunxit.

Circa easdem litteras ijsdem inconsuetis figuris tectè, & occultè exprimēdas versatur *Hieroglyphica*, & *Cifraria*, seu

ſeu ars Ciphrarum, qua duo pluresve ex compacto clam inter ſe ſcriptis ea communicant, quæ nulli alteri lecta volunt. Quod duobus modis fieri poteſt, primò ratione materiæ, quæ inuiſibilem facit ſcriptionem; ſecundò inuerſo litterarum aut ordine, aut figura, aut poteſtate; vt videre eſt apud Ioannem Baptiſtam Portam, qui quatuor de hac materia libros conſcripſit, quorum primis duobus docet modos aliquid occultè ſignificandi, duobus verò poſtremis occultè ſignificata percipiendi. Ad hanc eamdem artem reduci poteſt, *ars nutuum*, ſiue loquendi per nutus, de qua curioſum opus lingua Italica cõpoſuit Bonifacius quidam inſcriptum, l'Arte de'Cenni.

Omnibus hiſce facultatibus Grammaticis ſubordinantur & inſeruiunt plures aliæ, tam inſtrumentorum, quàm materiæ in qua & ex qua litterarum præparatiuæ. Primum ſcribendi inſtrumentũ fuit ſtylus ferreus, quia primæ Hebræorum litteræ ex Ioſepho lib. 1. Antiq. c. 4. ſaxis & laterculis inciſæ; ſucceſſit ferreo ſtylus oſſeus, iuxta illud Tit. Quintil. Vertamus vomerem in cerã, mucroneque aremus oſſeo. Sed horum omnium ferè vſus exoleuit, poſtquam inuentus eſt calamus, penna, & pennicillus; de quorum origine nihil conſtat certius, quam quod recentior ſit inuentione chartæ & membranæ: neque enim penna, quæ caua eſt; neque calamo, qui pulpoſam medullam habet, ſcitè arari poteſt cera; aut vllo modo cælari poſſunt tabellæ aut ſaxa: deinde pennæ & calami niſi coloribus intincti nõ valeat ad ſcriptionem; vt ait Quintilianus lib. 10. cap. 3. In ceris autem, & ſaxis, & tabellis ſufficiebat inciſio ſine affuſione coloris, quæ neceſſaria tamen ad inſcribendam chartam aut membranam. Præter hæc inſtrumenta, quæ vicem obeunt ſolius ſtyli, ſunt quædam etiam ſubinde vſurpata, quæ faciunt pro ſtylo, & ſimul pro materia ex qua litteræ fiunt. Huiuſmodi ſunt, rubrica, creta, carbo, plumbum; quæ etiam priſcę fuere conſuetudinis.

Materia in qua exceptæ litterę, prout ſucceſſu temporis fuit diuerſa, primùm enim fuere ſaxa & lateres, deinde folia arborum, cortices arborum, tabellæ ligneę nudæ, vel ceratę, plumbeę laminę, vel volumina, membranę, chartæ; iuxta hanc, inquam, variam in qua olim ſcriptum materiam, diuerſæ etiam fuerę artes illius præparatiuæ; quod etiam dicendum reſpectu materiæ ex qua ſcriptio ſiue litterę: Ex quo enim calami, pennę, & pennicili adhibiti ſcriptioni, ex eo etiam litterę diſtinctam habuere ſuam materiam, ex qua, ſeu qua pingerentur. Communis maximèque vulgata eſt atramentum Melantiria, ab atro colore dictum. Inuenta deinde Miltum, Minium, Cinnabaris, & Sinopis, quę omnia rubri ſunt coloris, aliaque huiuſmodi de quibus omnibus vide Hermanũ lib. de origine ſcribendi, Theatrum vitę humanę verbo Scriptura, & ſcriptio; vbi plures alios citat.

Quod pertinet ad alterum diuiſionis membrum, artium, videlicet, ſeu facultatum circa res phyſicas verſantium, eæ ſunt circa vel *Elementa*, Ignem, Aërem, Aquam, Terram; vel *Elementata*; Et vtrinque iterum, vel circa ea ipſa, vel circa eorum qualitates.

Quæ verſatur circa ignem in genere *Pyrotechnia* dici poteſt: in ſpecie circa eum artificiosè eliciendum, fingendum, conſeruandum, alijs commodè proijciendum, communicandum &c. verſantur omnes illæ artes *Bellicæ* Bombardarum, Pulueris tormentarij, Pyrobolidũ, quatenus aliquo horum aliove modo circa ignem occupantur. Item artes luminum artificialium; nec non hypocauſtorum, furnorum, & ſimilium igni conſeruando commodèque communicando inſeruientium.

Quę verſatur circa aerem in genere *Aerotechnia* dici poteſt, cuius etiam diuerſæ ſunt ſpecies, ſecundùm quod circa eum concitandum, placandum, inficiendum, purgandum, & follibus ſpirandum, diuerſimodè verſantur.

Quæ circa aquam in genere non tàm eſt *Hydrographia*, quam *Hydrotechnia*: cuius

cuius similitèr variæ sunt species; secundum enim quod circa eam in suis repagulis per aggeres extructos cõtinendam occupatur, *Aqua receptoria*; ex loco in locum deriuandam, sursum agendam, *Hydrogogia*; innandam, *Natatoria*; ad tẽpus quasi inhabitandam, *Vrinatoria*; nauigandam, *Nauigatoria*, seu *Nautica*.

Facultates quæ versantur circa terram, eæ sunt vel circa illam arandam, vnde *Aratoria*; vel occandam, vnde *Occatoria*; vel fodiendam, vndè *Fossoria*; aut alijs modis præparandam; vnde etiam aliȩ denominationes.

Quæ versantur circa elementorum qualitates, eæ sunt circa qualitates, vel *Primas*, vt calefactoria, frigefactoria, siccatoria, humectatoria; vel *Secundas*, vt Solidatoria, Liquefactoria, Attenuatoria, Condensatoria, Rarefactoria, & similes.

Circa qualitates Elementatorum, eæ sunt vel circa colorem, vel sonum, vel saporem, vel odorem. Circa *colorem* versantur Pictoria, Tinctoria, Fucatoria. Circa *sonum* Musica instrumentalis, quȩ pro instrumentorum diuersitate varia est; nempè Chelicina, Psaltricina, Organicina, Lyricina, Cytharædicina, Panduricina, Nablicina, Tibicina, Tympanicina, Cornicina, Vtricularicina, &c. Circa *saporem* est Culinaria, prȩcipuè verò Cupedinaria, circa *odorem* sunt Suffitoria, & Coronaria, quatenus herbas ad fragrantiam compingit.

Facultates circa elementata versantes sunt vel circa *inanimata*, lapides, metalla, mineralia mediæ naturæ; vel circa *animata*. Circa *lapides*, sunt circa eos vel *pretiosos* Gemmaria, Quadrigaria, Gemmiculatoria; vel *viliores*, eosque tum *naturales* fodiendos, liquefaciendos & instar æris fundendos, dolandos, cælandos, vnde Effoditoria, Liquefactoria & instar æris Fusoria, Dolatoria, & Cȩlatoria; tùm *coctiles*, circa quos Lateraria, Figulina, Calcearia seu Cȩmentaria, & Muraria.

Versantes circa *metalla in genere* sunt Metallariorum in fodinis laborantium, vt Fossoria, Lauatoria, Exploratoria, Discretoria, Excoctoria, Politoria. In *specie* autem sunt, vel circa *aurum* & *argentum*, vt Bractearia, Aurifabrilis, in qua Inauratoria, Cælatoria, Annularia, Monetaria; vel circa *æs*, vt fusoria ęramentorum, Campanarum, Tormentorũ bellicorum, &c. vel circa *ferrum*, vt ferri fabrilis qualiscumque, Claustraria, Machętopolia, Calcarialia, Loricaria, Armamentaria, Cultraria, Falcearia; vel circa *cuprum*, vt Cupraria, vel circa *stannum*, vt stannaria, vel denique circa *plumbum*, vt, Plumbaria.

Facultates circa mineralia mediȩ naturȩ versantes tot distingui possunt, quot sunt huiusmodi mineralium species & differentiȩ; sic circa *salem* excoquendũ prȩparandum est Salaria, circa *Vitrum*, Vitraria; circa *Sulphur*, Sulphuraria; & sic de alijs.

Quæ versantur circa *res animatas*, eȩ sunt vel circa *plantas*, seu res anima tantùm vegetatiua viuentes, vel circa *Bruta* vitam sensitiuam insuper habentia; vel denique circa *homines* vita rationali prȩditos. Circa plantas iterum sunt circa, *herbas*, *fruges*, *vites*, *arbores*.

Circa *herbas* versantur Hortularia, Herbaria, Aromataria, & aliqua ratione facultas coqui & Coronarij. Circa *fruges* primùm seminandas & in spica curandas Agricultura, metendas Messaria, colligandas Colligatoria, triturandas Trituratoria, subigendas Molitoria, Pistoria, Cereuisaria. Circa *vites*, Vinitoria, Putatoria, Pampinatoria, Vindemiatoria, Torculatoria; circa *arbores*, Frondatoria, Insitoria, Pomaria quoad fructus; & omnis generis lignifabrilis, Arcularia, Naupegica, Tornatoria, Vectoria, Statuaria, Arcuaria, Carbonaria, quo ad lignum. Et cum plantis annumerentur etiam Cannabis & Linum, huc etiam pertinent quęvis circa illam hocve occupationes, nimirum Restiaria, Linearia & similes.

Facultates circa *animalia bruta* versantes, sunt vel circa *Aerea*, Aues, vel *Aquatica* Pisces, vel *Terrestria* Pecudes & Fe-

& Feras. Circa *aues* tam capiendas, quã seruandas & condocefaciendas est Aucupiaria varij generis; Circa *pisces* facultas piscandi fundis, sagenis, retibus, gurgustijs, tragulis, nassis, iaculis, sportis, excipulis, hamis alijsque instrumentis, quæ vno nomine dicitur Piscatoria; seruandi item in piscinis aut viuarijs, vnde Piscinaria, & Viuaria.

Quæ versantur circa *pecudes*, sunt circa eas vel pascẽdas, vt Bubolica, Opilionaria, Capraria; vel Saginandas & mactandas, vt Saginaria, Lanionia; vel alijs vsibus applicandas, quà Iumenta; vt Equisonia, Agasonia, Mulionia, Aurigaria, ad quas pertinent etiam artes ipsis subseruientes, vt iumenta vel necessarijs instruant, nimirum Ephippiaria, Scytomiaria, Clitellaria; vel morbida curent, vt Veterinaria, quæ est pars medicinæ de morbis & sanitate plantarum & animalium potissimum pertractans. Tandem circa *feras* canibus, plagis, tendiculis, sepimentis alijsque similibus instrumentis capiendas, inque viuarijs seruandas est ars Venatoria.

Facultates circa hominem versantes, sunt circa corpus eius vel vestiendum; vel ad agilitatem exercendum; vel sanandum, vel purgandum, vel recreandum. Si circa corpus vestiendum, quo ad caput est Pileonaria; quo ad manus Chirotecaria; quo ad pedes, Sutoria, tàm Calcearia, quam Crepidaria, cui Cerdo etiam coria subministrat, vnde Coriaria. Quo ad reliquum corpus sunt Pellionaria, & Sartoria, alięque omnes quæ materias corpori vestiendo & ornando pręparant, vt Sericaria, Globularia, Lanificiaria qualiscumque ad quam pertinet omnis opera nendi, retorquendi, consuendi; quidquid sit instrumento, colo, fuso, acu, pectine, calamistro, girgillo, alabro, subula, in materia Lini, Lanæ, Cannabis, Suberis, & similium.

Circa corpus ad agilitatem exercendum, sunt Luctatoria, Pugilatoria, Cursoria, Pilaria, Saltatoria, &c. circa sanandum sunt Chirurgica, Latomica, Vnguentaria, Pharmaceutica, quæ medicinæ subministrant. Circa purgandum sunt Balneatoria, & Barbitonsoria. Denique ad hominis recreationem pertinet ars Theatrica omnesque eius species. Et hęc breuiter dicta sufficiant pro instituti nostri ratione circa generalẽ tùm scientiarum, tum artium diuisionem, nunc in sequentibus capitibus de singulis agetur, quatenus ad perfectum sacrę doctrinæ studium aliqualiter conducere possunt.

CAPVT III.

Quanti Grammatica referat ad perfectum sacræ doctrinæ studium.

CVm homo sit animal sociale, communicat animi sui conceptus medijs sensibus, auditu nimirum & visu, ita vt auditus obiectũ sint voces colloquentium, visus autem scribentium litteræ tanquam sensibiles quędam notæ insensibilium conceptuũ, quas Græci grammata vocant vnde *Grammatica* dicta, quæ nihil est aliud secundũ Arist. lib. 6. Topicor. quam ars, vel scientia scribendi, & cognoscendi quod profertur, aut secundum alios Grammatica est ars litteraria, quæ in emendatè loquendo, scribendoque consistit, vt litteræ suas custodiant voces, & depositum reddant legentibus, & audientibus. Sic igitur veluti ratione materiæ, totuplicem dari Grammatices artem possumus concipere, quot dantur diuersi modi loquendi, diuersaque in orbe terrarum idiomata; quamuis veluti ratione formæ non sit nisi vnica; quatuorq; pręcipuis partibus componitur, nimirum litteris, syllabis, dictionibus, & oratione; ex litteris autem fiunt syllabæ: ex syllabis dictiones: ex dictionibus oratio: litteras exornat Orthographia, syllabas Prosodia, dictiones Ethimologia, orationem syntaxis.

Quod pertinet ad litteras, quę sunt prima totius artis Grammatices elementa, relictis varijs illarũ diuisionibus vnicuique linguæ proprijs ac singularibus, duæ generales & omnibus linguis communes

munes assignari possunt. Prima est illa, qua partiuntur in vocales, & consonantes, hoc est seorsim non sonantes, sed solùm vocalibus iunctas; impossibile est enim dari aliquam linguam solis consonantibus constantem; vndè quando dicitur singulas linguæ Hebraicæ, Chaldaicæ, Arabicæ & similium litteras esse consonas, non debet intelligi quasi eiusmodi linguæ suis careant vocalibus, aut punctis vim vocalium habentibus, sed ita dicitur ad distinctionem linguæ Latinæ, & Grecæ, aliarumque similium, in quibus vocales ita pinguntur & scribuntur, vt consonantibus semper interiectę vnam & eamdem cum ipsis lineā efficiant; at in lingua Hebraica, suisque similibus, preterquamquod nonnunquā in scribendo vocales omittuntur, solæ etiam consonantes litterę ita scribuntur, vt vocales, seu puncta, quandò adhibentur, non eamdem cum illis lineam efforment; sed habent diuersum ab illis sitū, secūdum quod vnaquęque pro sua qualitate & natura, petit subijci, vel supraponi consonantibus quas mouent, & cū quibus syllabam componunt.

Altera diuisio est illa, qua vniuscuiusque linguæ, seu idiomatis litterę, per ordinem ad quinque principalia quibus pronuntiantur, organa, distinguntur in Gutturales siue Vuales, in Palatinas, in Linguales siue Sibilantes, in Dentales, & in labiales.

Similiter in syllabis cuiuscumque idiomatis, secundum quod syllaba apò tou syllambanein dicta, nihil est aliud, quàm plurium litterarum inter se vnitarum collectio, tria principaliter possunt considerari, toni videlicet, spiritus & tempus; quę tria ab alijs vnico prosodię, siue accentus nomine solent appellari. Toni respiciunt intensionem vocis, qua syllabę sigillatim proferuntur; suntque numero tres, acutus, grauis & circumflexus. Spiritus, quo spiritu proferendę sunt vocales, ostendunt; tenuine, hoc est, naturali, an aspirato, vel denso; dantur enim duo tantùm spiritus tenuis & aspiratus, quamuis inter illos duos medius facile posset efformari. Tēpus denique est spatium, seu interuallū, quo syllaba pronuntiatur, & est triplex, longum, breue & commune.

Sicut syllaba nihil est aliud, quàm plurium litterarum inter se vnitarum collectio, ita & dictio ordinariè loquendo nihil est aliud, quàm plurium syllabarum vnio, dixi ordinariè loquendo propter aliquas dictiones monosyllabas. In qualibet autem grammatica dictione cuiuscumque idiomatis, vel linguę, primùm ac veluti fundamentum cęterorū quę consideranda occurrunt, est significatio: voces enim seu dictiones nō pertinēt ad Grammaticam secundum suam realem entitatem, in quantùm scilicet sunt quidam soni in aere causati, sed secundum quod impositæ sunt ad significandas res, & vt medijs ipsis, lingua vel calamo, verbo vel scripto proprios conceptus sensibiliter exprimimus. Vnde entitas realis vocum se habet vt materia, significatio verò vt forma ratione cuius illę considerantur à Grammatico. Quæ significatio, seu modus significandi in dictionibus est multiplex. Quemadmodum enim gestus dissimiles in homine denotant dissimiles etiam animi motus, ita vt alius sit irati, alius timentis, alius amantis, &c. ita vocabula omnia seu dictiones diuersos quasi gestus in cōpositione & oratione habent, quos modos significandi appellamus, suntque octo in vniuersum Nomen, Pronomen, Verbum, Participium, Aduerbium, Coniunctio, prępositio, & interiectio.

Tandem vt syllabæ ex litteris, ex syllabis dictiones, ita etiam ex dictionibus componitur sermo, vel oratio, cuius sūt tres precipuæ proprietates, & passiones, constructio, congruitas, & perfectio. *Constructio* definitur, quod sit constructibilium vnio ex modis significandi, & intellectu causata, ad exprimendū mentis conceptum compositum finaliter adinuenta. *Congruitas*, quod sit partium orationis debita vnio, ex modorum significandi cōformitate ad aliquam speciem constructionis transitiuam, vel intransi-

transsitiuam requisitorum derelicta; *Perfectio* denique nihil est aliud quam passio sermonis tertia, & vltima ex debita constructibilium vnione derelicta, cum sufficientia exprimendi mentis conceptum compositum secundum, & generandi perfectum sensum in animo auditoris.

His breuiter circa Grammaticam, eiusque partes præmissis, primum dico multum referre ad perfectum sacræ doctrinæ studium, variarum linguarum, Latinæ præsertim, Græcæ, Hebraicæ, Syriacæ & Chaldaicæ notitiam, quam nõnisi artis Grammatices opera comparari posse satis constat. Ea enim ratione, qua Scripturã sacram his omnibus linguis editam habemus, nemini dubium esse potest, quin earum peritia plurimam vtilitatis & adiumenti possit afferre ad completam sacræ Scripturæ intelligentiam. Nec refert quod sola vulgata editio Latina qua Ecclesia vtitur, sit autentica, & integra; nam vt diximus supra Sectione prima huius libri, ita præposita est vulgata cęteris omnibus sacrorum codicum editionibus, vt tamen non fuerint ab Ecclesia exclusi fontes originalium Scripturarum in sua puritatẽ considerati; ob innumeras indè prouenientes commoditates.

Primùm ad tollendas quorumdam nominum & verborum ęquiuocationes. Secundò ad eas dictiones explicandas, quæ magnam tùm apud Hebręos, tum apud Gręcos emphasim & proprietatẽ annuatam habent; Tertiò ad quasdam voces siue Hebręas, siue Chaldęas, siue Gręcas facilius percipiendas, quæ in ipsa editione Latina, vel consilio Spiritus Sancti seruatæ sunt, vt lectores ad perdiscendas linguas allicerent: vel propter sanctiorem antiquitatis authoritatem, vel quod in alienam linguam commodè transferri non poterant, nisi paraphrasticè ex D. August. lib. 3. de doct. Christ. Quartò ad plures sensus ex eadem sententia originali eruendos, prę- sertim cum vox Græca, vel Hebraica ambigua esse soleat, & polysimos. Quintò ad festiuas quasdam vocum allusiones in Scriptura intelligendas, quæ in alienam linguam conuerti non possunt, vel conuersæ nullam habent gratiam, aut venustatem. Sextò ad percipienda, vel significantius, & clarius exprimenda quędam loca, quæ ab interprete reddi poterant, vel breuius, vel apertius, vel magis Latinè & propriè: Pro vt hęc omnia diuinarum Scripturarum expositores innumeris demonstrant exemplis, quorum plurima cùm iam in vnum collecta reperiantur apud Salmeronem tomo 1. Prolegom. 13. Dominicum Grauina lib. 4. de Verbo Dei scripto controuersia 10. artic. 8. libenter supersedeo illis referendis.

Insuper sacra Scriptura in vnaquaque lingua suas habet phrases, suos idiotismos, & sua etiam prouerbia, quę cum nonnisi artis Grãmatices beneficio plenè intelligi possint, satis inde sequitur quantæ sit vtilitatis illius peritia ad perfectam diuinarum Scripturarum intelligentiam, *Habet*, inquit D. Augustinus loquendo de sacra Scriptura tract. 10. in Ioannem propè init. *linguam suam, quicumque hanc linguam nescit, turbatur & dicit, vnde fratres Domino? num enim Maria iterum peperit? absit: indè cœpit dignitas virginum. Illa fœmina mater esse potuit, mulier esse non potuit. Dicta est mulier secundum fœmineum sexum, non secundum corruptionem integritatis; & hoc ex lingua ipsius Scripturæ. Nam Eua statim facta de latere viri sui, nondum contacta à viro suo, nostis quia mulier appellata est, & formauit eam in mulierem. Vnde ergò fratres cognati Mariæ fratres Domini? de quolibet gradu: vndè probamus? Ex ipsa Scriptura frater Abrahæ dictus est Loth, qui filius erat fratris ipsius: lege & inuenies quia Abraham patruus erat Loth, & dicti sunt fratres; vndè nisi quia cognati? Iacob Laban Syrum habebat auunculum: frater enim erat Laban Matris Iacob, id est, Rebeccæ vxoris Isaac. Lege Scripturam & inuenies quia fratres dicuntur auunculus, & sororis filius. Qua regula cognita, inuenies omnes sanguineos Mariæ fra-*

fratres esse Christi. Hactenus Augustinus ad significandum, quam necessaria sit linguarum, & phrasium vniuscuiusque peritia ex arte Grammatices ad sacros Scripturarũ sensus rectè eruendos. Quare Clemens V. in generali Concilio Viennensi statuit, vt in generalibus studijs Romano, Parisiensi, Bononiensi, Salmanticensi, & Oxoniç, in quibus reliquę omnes disciplinę tradebantur, linguarum quoque Hebraicę, Arabicę & Chaldaicę professores constituerentur, qui eas discere volentes edocerent.

Incipiendo igitur à Lingua Hebraica omnium maximè necessaria, quoniã omnes Scripturę tum veteris, tùm noui testamenti authores ferè Hebręi fuerũt, plures sunt in ea Phrases, plures idiotismi, modique loquendi, sine quorum notitia veri ac perfecti Scripturarum sensus haberi non possunt. Primum occurrunt idiotismi circa nomina; etsi enim nomina Hebręa tam masculini, quàm fęminini generis, distinctas & peculiares habeant terminationes, quibus vel pluralem vel singularem numerum denotent: in vtroque tamen numero non inflectuntur per casus, nec varias terminandi formas habent vt in Gręca, & Latina lingua contingit. II. quia Hebręi genere neutro carent, hinc ad illud supplendum vtuntur interdum genere masculino, vel fęminino. III. frequenter ex substantiuo adiectiuum efficere solent: & pręsertim cum duo nomina substantiua coniungunt, quorum primum sit in nominandi; & alterum in gignendi casu; posterius enim illud genitiui casus, vim habet adiectiui & rationem; vt homo pacis, viri diuitiarum &c. IV. quia Hebræi carentes comparatiuis, positiuis pro eis vtuntur. V. cùm superlatiuo careant, solent illud explicare, vel per additionẽ aduerbij valde, nimis &c. vel vt alij volunt per nomẽ Dei, vel domini substantiuo additum: vt Psal. 35. *Iustitia tua sicut montes Dei*, id est montes editissimi; vel etiam bis repetendo adiectiuum. VI. quando idem nomen substantiuum in numero singulari vel plurali ponitur in nominatiuo casu cum genitiuo pluralis numeri, excellentiam quamdam, & singularitatem designat, vt Deus Deorum, Dominus Dominorum, id est, summus Deus, & Dominus. Cęlum Cęlorum, hoc est supremũ &c. VII. geminatio eiusdem nominis in eodem casu distributionem significat, vt Ps. 121. *Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini &c.* id est, quęlibet tribus. VIII. Nomina abstracta, quæ qualitates, vel habitus designant, vel etiam verbalia, ab Hebræis plerumque poni consueuerunt non tantùm pro qualitate illa, vel actione, quam prima facie præ se ferunt, sed etiam pro obiectis circa quæ versantur. IX. familiare est etiam Hebræis abstractum, quod vocant, nomen, ponere pro concreto.

Idiotismi circa pronomina sunt, primò quod redundat sepe in Hebręo relatiuum, siue pronomen, ita vt ab interprete expressum reddat sententiam obscuram. II. relatiua solent interdum pręcedere sua antecedentia. III. Antecedens ipsum pro relatiuo ponitur, maximè si sit nomen proprium, vt eumdem esse, de quo est sermo, dubitari non possit. IV. frequenter singularis numerus ponitur pro plurali, & pluralis pro singulari. V. Genus Masculinum concipit in se fęmininum, ea ratione, qua id quod perfectius est, continet imperfectum. VI. Magna est vis & potestas articulorum Hebręorum, & Gręcorum; qui voci, cui apponuntur, aut rem insignem, & illustrem significari denotant, aut rem illam determinant, & vt certam pręscribunt, ne ita in vniuersum accipiatur.

Post nomina, & pronomina, circa verba & participia Hebręis vsurpata, phrases, vel idiotismi nonnulli traduntur obseruatione dignissimi; quos inter primum tenet locum verbum substantiuum, quod plerumque in Scripturis supprimitur, & necessario supplendum est. II. frequens Hebraismus est pręsens ponere pro futuro, & futurum pro præsenti; pręteritum quoque pro præsenti ponitur. & sic de alijs. Tandem circa parti-

particulas indeclinabiles, quæ in præpositiones, aduerbia, interiectiones, & coniunctiones distribuuntur, cũ multa sint obseruanda, quæ peculiarem requirunt tractationem, tàm de illis, quàm de omnibus alijs præter supracitatos authores consuli possunt, Arias Montanus in idiotismis ad linguam sanctam, Driedo, Sanctes Pagninus, & alij; sufficit enim dicta breuiter attigisse ad ostendendum pro instituti nostri ratione, quanti referat ad perfectum sacræ doctrinæ studiũ artis Grammatices, linguarumque, præsertim Hebrææ notitia; si quidem in ea sacræ litteræ per Hebræos homines pro maiori parte conscriptæ sunt, & ex Hebræo fonte, in Græcum sermonem per LXX. viros Hebræos translatæ, & ex illis postea latino sermone redditæ: inde enim fit, quauis lingua, vel idiomate reperiantur editæ, non posse non habere plures phrases, pluresq; idiotismos Hebræis tritos, & familiares.

Quod de Hebræa, idem proportionaliter tam de Græca, quàm de latina lingua dicendum esse, plura demonstrãt diuinarum Scripturarum vtraque lingua editarum exempla, & loca, ad quæ intelligenda, non solum vtriusque linguæ præcepta ad congruentes noscendas, formandasque orationes, verùm & permissiones licentiasque acceptas à Grammaticis, vel à Grammatica oblatas oportet, vt calleat nouitius, ne dum doctor Theologus sacer Scripturæ interpres. Quare Paulus Papa V. omni quæ potuit adhibita diligentia sategit, vt per orbem Christianum floreret trium hatũ linguarum studium; in Bulla enim de Magistris lata anno 1610. inter alia hæc decernit, ac statuit, quibus placuit hoc caput sigillare. *Omni diligentia procurare debemus vt prædicatores & doctores verbi Dei, & opus Dei operandum, instructi reddantur in dies magis, & partes suas, quantum cum Domino fieri potest, ad gloriam eius, & vtilitatem animarum quotidie melius & melius adimpleant. Cui rei plurimum conducere constat linguarum cognitionem Hebraicæ præsertim, Græcæ & Latinæ.* Statimque de ijsdem linguis subiungit. *Ac si vnquam reliquarum trium linguarum notitia, in Ecclesia Dei vtilis fuit, diebus nostris profecto vtilissima est: hostis enim humani generis, linguarum scientia, singulari dono Dei hominibus tradita, ad ipsius largitoris contumeliam, & fidei suæ Catholicæ detrimentum, nunc vt cum maximè abutitur.*

Quippe cernebat sanctissimus ille Pontifex, qua sedulitate his Sectarij inuigilent studijs ad sacrarum Scripturarũ corruptionem, nec vt par est, alumnos Ecclesiæ his perdiscendis nauare operam, ad eorum pertinaciam retundendam. *Quamobrem*, inquit, *fel. record. Clement. Papæ V. prædecessoris nostri, quãtùm conditio temporis patitur, vestigijs insistentes, motu proprio, & ex certa scientia, maturaque deliberatione nostris, de Apostolica nobis attributæ potestatis plenitudine, hac nostra perpetuò valitura constitutione, sancimus, statuimus, atque ordinamus, vt in cuiuscumque ordinis & instituti regularium, tam mendicantium, quã non mendicantium, etiam quomodolibet exemptorum &c. Studijs omnibus, trium linguarum eiusmodi &c. Doctores, Regulares quidem, & eiusdem ordinis, si in illo harum linguarũ notitiam sufficientem habentes sint; sin minus sæculares, aut alterius ordinis regulares, qui illas actu & diligenter doceant habeantur.* Vide Petrum Garsiam Galarsa lib. 1. institut. Euangelicæ cap. 10. Vbi duodecim refert ex linguarum vsu vtilitates ad Scripturæ intelligentiam.

CAPVT IV.

Quanti referat ad sacræ doctrinæ studium ars Poëtica.

PRiusquã carmineas Scripturæ partes enumeremus, indeque probemus quanti referat ad sacræ doctrinæ studium ars Poetica, non abs re proposita esse duximus, vt superiori capite de Grammatica; ita & in præsenti nonnulla de nomine, natura, origine, præstantia, perfe-

perfectione ac diuisione Poesis referre, quæ est Grammaticæ pars.

Poesis igitur si nominis etymologiã spectemus, à verbo Græco poiein, quod iuxta Eustathij sententiã significat emmetros cantare, vel scribere, & iuxta alios, fingere, deducta, aut vt alij volunt à verbo Chaldaico pijeet, *est ars, quæ suis præceptis perficitur, ars*, inquam *fabularum conficiendarum*, vel, *facultas versibus seu stricta, & numerosa oratione aliquid imitandi*; vel, quod idem est, *Habitus organicus videndi in actionibus & moribus humanis*, *quod appositum est ad repræsentandum, aut ad fabulam conformandam*. Ita vt obiectum artis Poetices, quatenus est pars specialis Grammatices, non sit quicumque sermo, aut oratio congrua, sed oratio congrua ficta, & fabulosa, siue fabulam continens, ordinata secundùm propositionem dictionum, & tempora pedum, ac numerum eorum; vbi tamen fabula non sumitur, pro vt significat fictionem, aut à vero recedit, sed fabula hic appellatur actio, seu actionis imitatio, & figurata ipsa rerum compositio cùm officium Poetæ in eo potissimum situm sit, vt ea quæ verè gesta sunt, in alias species, obliquis figurationibus, cum decore aliquo conuersa transducat. Sic igitur duo sunt de ratione poëscos, versus scilicet, aut metrica oratio, figurataque rei alicuius per illam repręsentatio, vel imitatio. Quæ duo ita inter se comparantur, vt primum se habeat tanquàm ratio formalis, aut obiectum formale, secundum verò vt materiale, seu materia circa quam respectu artis Poeticæ.

Poësis, sicut aliæ scientiæ, vel artes, duplicem habet originem, naturalem vnam, quæ est ipsamet natura, artificiosam alteram, quæ est ipsamet ars poetica. Naturalis iterum est duplex, imitatio, & harmonia: etenim homini naturaliter insita est imitatio, videmusque omnes ex ea delectationem & voluptatem percipere: pnerique ipsi quamprimnm matris, vel nutricis mores, & actiones ab ipsa natura edocti imitari, & repręsentare student. Nec solùm imitatio homini naturalis est, sed etiam harmonia, quæ ad humanæ vitæ labores tolerandos illi à natura concessa est. Sic in omnibus operibus molestis, ac laboriosis, modulatione aliqua etiam rudi labores alleuiari, fatigationem minui, hominemque iucundum, & hilarem reddi, quotidiana docet experientia. Poesis ergo ab ipso mundi primordio, ab his, qui natura apti erant ad imitationem, & harmoniam, orta est; ac deinde pręcepta, obseruatione adhibita, successu tẽporis, tradita sunt, quibus suam paulatim adepta est perfectionem.

Quod spectat ad huius artis dignitatem & præstantiam, multa sunt profectò capita, ex quibus non mediocriter commendari potest. *Primùm*, quod semper in maxima veneratione, maximoque pretio apud Reges & Principes habita fuerit. *Secundò*, quod illam antiqui primariam quamdã philosophiam esse tradiderunt, quę à cunabulis viuendi formulam doceret, quę mores, quę affectiones ostenderet. Quapropter ciuitates Gręcorum eruditissimę liberos in poëticis primùm instruebãt, solùm Poëtam sapientem esse dicentes. *Tertiò* cũ cæterarum rerum studia præcepis constent, atque doctrina. Poetę soli ipsa natura potissimum valent, & mentis viribus excitantur, & quasi diuino quodam spiritu inflammantur. Vnde Plato lib. 3. de legib. scribit Poetarum genus esse diuinum, ipsosque diuino instinctu concitatos sua carmina componere, & canere solere. *Quartò* quoniam in metrica compositione paucis verbis, ac breuissimè plurima complectuntur, quæ alias in prosa longissimam orationem desiderarent. Verborum insuper elegantia, linguæ proprietas, suaues verborum translationes, sententiarumque licentia, quæ orationem quasi stellis quibusdam ornant, à solis Poetis inuenta, suisque locis collocata, ac distincta sunt. *Quintò* quod nullibi maior vis, & energia dicendi reperiatur, quàm in carminibus, quæ artus nostros, atque animos intrinsecè

secè demulcendo mouent, excitant, ac periucundè intentos faciunt, immo planè dociles, atque citissimè flebiles reddunt, vt docent Chrisostom. homil. in Psal.41. & Augustin. lib.9. Confess. *Sextò*, quia oracula, seu vaticinia diuinis apud veteres reputata similia, vt plurimum carminibus pronuntiata fuere; cuiusmodi sunt celeberrima Sibyllarũ vaticinia. *Septimò*, cùm in alijs scientijs & artibus, mediocritas etiam placere soleat, sola Poesis vt placeat eminens esse debet iuxta illud Horatij.

———— hoc tibi dictum
Tolle memor: certis medium & tolerabile rebus
Rectè concedi: consultus iuris & actor
Caussarum mediocris, abest virtute diserti.
Messala, nec scit quantum Cascelius Aulus
Sed tamen in pretio est: Mediocribus esse poetis
Non homines, non Dij, non concessere columnæ.

Octauò carmina sunt maximè accommodata, & aptissima ad laudandum, ad agẽdas gratias, ad recolendum aliquod beneficium, ad alicuius amplitudinem, & maiestatem illustrandam, atque etiam ad deplorandam aliquam calamitatem; magis enim ad viuum hæc omnia versibus, seu stricta, quam soluta oratione exprimuntur, altiusque auribus ac mentibus audientium insiguntur. *Nonò* artis Poeticæ studia, vt scribit Cicero adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, aduersis solatium præstant: oblectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur. *Decimò* carminibus delectatur Deus, vt inquit D. August. in 6. suæ Musicæ, cùm enim carmen numerum, & ordinem pedum contineat, & pedes numerum, & ordinem syllabarum, & rursus syllabæ numerum & ordinem temporum, secundum quod sunt longæ, & breues, maximam certè harmoniam, musicamque proportionem efficit dulcissimam & gratissimam Deo, qui cum omnia fecerit in numero, pondere & mensura, vt habetur Sapient. 2. illa sub quadam harmonia, & musica proportione constituit; de quo vide Iacobum de Valentia Episcopum Christopolitanum in suo prologo in Psalterium. *Vndecimò* tandem, & vltimo, quodque cæteris omnibus antecellit, Spiritus Sanctus sacras ac diuinas Scripturas à Canonicis Scriptoribus poeticè exarari voluit vt suo loco supra diximus; insuper poetarum etiam prophanorum versiculi diuinæ Scritupræ inserti reperiuntur, act. Apostol. cap.17. vbi D. Paulus apud Athenienses in Areopago, hoc est, Martis curia agens illud Arati Poetæ, inducit in ipso enim *viuimus, mouemur, & sumus.* Idem Apostolus in sua epistola ad Titũ c.1. illud Parmenidis Poetæ citat, *Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, & ventres pigri.* Cuius rei fortasse exemplo in decretis quoque Virgilij versus afferuntur, vt in cap. *nunquam* de consecrat. distinct.5. & ibidem in cap. *legimus* Horatius allegatur, nec non Lucanus in cap. *nec mirum §.* magi, 21. quæst.6.

Ex quibus omnibus satis patet non esse de Poesi vt sic, aut de omnibus Poetis accipiendum, quod vulgo fertur, nempè vanos, mendaces, ac lasciuos esse, sed tantùm de illis, qui relicta Poeticæ artis grauitate, ad turpia, obscæna, satyrica, & mordacia transferunt stylum suum, qui præclarissimum hoc, & laudatissimum dicendi ac scribendi genus libidinibus deturpare, & prophanare audent, quos Plato, vt refert D.August. lib.2. de Ciuitate Dei cap.14. à benè instituta ciuitate pellendos esse censuit, & Philippus Imperator, ob eorum laxam licentiam, & garrulam linguam ab albo bonarum artium professorum expunxit, vt habetur in L.*Poeta* Cod. de professor. lib.10. Si quidem hi non veritati, & vtilitati, sed delectationi, sed libidinibus ac superstitionibus, suis versibus inseruiũt. Ideoque non mirum si acriter aduersus huiuscemodi Sotadicos Poetas sæpius insurrexerint recti & honesti amantes viri. Hoc enim dicen di genus nobilissimũ, ac

ac sapientissimum, cælestemque artem supernis rebus explicandis maximè accommodatam, sic venereis, & incestis versibus misere prostituere, vt quid monstruosum, & extraneum ipsius naturæ sit, & nequaquam ei conueniens, quod elegantissimè ostēdit Hieronymus Vida, & noster Ioannes Baptista Mantuanus sic scribens in 1. tomo suorum operum.

Sunt quibus eloquij datur aurea vena Poetæ
Sed cadit in sordes, inficiturque luto.
Nam Cypriæ curas, & olentia gaudia ponunt,
Claraque iam fœdo mergitur vnda lacu.
Hoc decus, hoc animis carmen cælestibus aptum
Rebus in immūdis degenerare nefas.
Dona Dei carmen nitidum, facundia præstans
Mittitur ex astris, à superisque datur
Est tuba Romanæ fidei, legumque Poesis
Quæ canat heroo sacra, Deumq; pede.
Carmina quæ Sanctos Deus ipse parauit ad vsus
Impia mortiferi criminis arma facis.
Quid maculas turpi diuina libidine dona?
Quid teris immundo munera tanta pede?
Non ita Hieremias docuit, non Thracius Orpheus.
Non ita Iessæi regia musa senis.
Sancta prophanari scelus est delebile multo
Verbere, supplicio culpa pianda graui, &c.

Hanc eandem Poeseos miseram sortem non minus piè, & eleganter deplorat Vrbanus Papa VIII. in suis poematibus, poemate 1. cui titulus est, Poesis probis & pijs ornata documentis primæuo decori restituenda.

Proh scelus! hanc turpi diffundunt carmine, priscis
Deterius, fictos qui coluere Deos
Nomine posthabito Christi, rituq; piorū
Dum fœdis modulis flagitiosa canunt,
Cultores addunt Veneri, pubemq; pudicā
Dedecorum satagunt commaculare notis, &c.

Aliquibusque versibus interpositis,

Ah pereat castā quisquis violare Poesim
Audet, & è myrto nectere serta comis.

Quod pertinet ad artis Poeticæ perfectionem; ad illam, sicut & in qualibet alia re, quatuor principia, vel causæ requiruntur, efficiens, materialis, formalis, & finalis. Ad perfectionem Poeseos ex parte causæ efficientis, requiritur in Poetis temperamentum melancolicum, siue que nomine furoris Poetici, & enthusiasmi, quo diuinitus ad compositiones metricas excitari, & afflari dicuntur, iuxta illud Ouidij.

Est Deus in nobis, agitante calescimus illo
& alibi
Est Deus in nobis, sunt & commercia cœli
Sedibus æthereis spiritus ille venit.

Huius, inquam, poetici spiritus nomine nihil aliud intelligunt aliqui, quam temperiem melancolicam, siue quod idem est, humorem melancolicum Poetæ prędominantem. Cum enim verius nullum sit eminentis prę alio ingenij fundamentum & argumentum, quam temperamētum corporeum, & inter omnia huiusmodi temperamenta, si Aristoteli & Galeno credamus, primùm obtineat locum melancolicum, supposito quod Poesis, siue compositio metrica, solius excellentis ingenij partus esse posit, ab humore melancolico originetur necesse est, atque adeò furor ille poeticus sine quo 2. de oratore Cicero ait, bonum esse poetā neminem, erit aliquando idem ac humor melancolicus, non quidem frigidus, densus, aut feculentus, plumbeique coloris, quo prædití aliqui stoliditatem, aliquamque animi perturbationem præ se ferre solent, sed calore decoctus, talique decoctione subtilior effectus, ac redditus.

Ad perfectionem poeseos ex parte materiæ requiritur in primis ficta quædam & elegans ornataque cōpositio, seu actionis propositæ repræsentatio; cùm Poetæ officium sit in eo, vt ea quæ ge-

ſta ſunt verè, in aliquas ſpecies obliquis figurationibus cum decore aliquo conuerſa traducat; verum enim ſub artificioſæ fictionis cortice, vel vmbra prius occultum, ſemel reuelatum magis placere, ac delectare ſolet; Requiritur inſuper ad perfectionem Poeſeos ex parte materiæ, viua quædam & natiua motuũ animi, modorumque agendi vniuſcuiuſque expreſsio. Sicut enim pictores aut ſculptores exteriora principaliter in rebus imitari conantur, ita Poetę interiora, hoc eſt animi motus, & paſsiones, vt amorem, odium, iram, dolorem, lætitiam &c. aliter enim debet fingi, quod loquatur amans, aliter quod loquatur iratus: aliuſque eſt modus agendi ratione ſexus, alius ratione cõditionis, alius ratione profeſsionis, alius ratione ætatis, & ſic de alijs: vnde etiam aliter repræſentari debent actiones virorum, & fœminarum; aliter actiones liberorum & ſeruorum, militum, & litteratorum, iuuenum & ſenum.

Perfectio poeſeos ex parte formæ conſiderata conſiſtit in hoc quod oratio ſit metrica, hoc eſt iuxta diuerſitatem verſuum, quibus conſtat poema, certo quodam genere, numero atque ordine pedum alligata. Pes autem eſt pars verſus certo ſyllabarum numero, atque ordine finita; & ſic ex ſyllabarum tempore, ſeu quantitate diuerſa, pedes diuerſi in vnaquaque lingua cõponuntur. Suntque in vniuerſum numero octo & viginti; ſimplices duodecim; compoſiti ſexdecim; ſimplicium quatuor diſyllabi ſunt, octo triſyllabi; Diſyllabi ſunt *Spondæus* conſtans ex duabus ſyllabis longis, vt poſſunt; *Pyrrichius* ex duabus breuibus, vt Deus: *Choreus*, vel vt alij volunt *Trochæus* ex prima longa, & ſecunda breui, vt arma; *Iambus* ex prima breui, & ſecunda longa, vt parens. Simplices triſyllabi ſunt, *Moloſſus* ex tribus longis, vt pugnabant; *Trybrachus* ex tribus breuibus, vt facere; *Dactylus* ex prima longa, & duabus vltimis breuibus, vt corpora; *Anapæſtus* ex duabus primis breuibus & vltima longa, vt animos; *Bacchius* ex prima breui, & duabus vltimis longis, vt dolores; *Antibacchius* ex duabus primis longis, & vltima breui, vt audiſſe; *Creticus*, ſeu, *Amphimacer* ex prima longa, media breui, finali longa, vt audiunt; *Amphibrachus* ex prima breui, media longa, finali breui, vt poema.

Pedes quatuor ſyllabarum ex ſuperioribus compoſiti ſunt, *Diſpondæus* conſtans ex duobus Spondæis, vt oratores; *Proceleumaticus* ex duobus Pyrrichijs, vt abiere: *Dichoreus*, vel *Ditrochæus* ex duobus Choreis, vt dimicare; *Diyambus* ex duobus Iambis, vt propinquitas: *Choriambus* ex Choreo & Iambo, vt nobilitas; *Antipaſtus*, vel *Antipaſtus* ex Iambo & Choreo, vt recuſare; *Ionicus maior* ex Spondæo, & Pyrrichio, vt cantabimus; *Ionicus minor* ex Pyrrichio, & Spondæo, vt Lacedæmon. *Pæones* quatuor ſunt: omnes ex tribus breuibus, & vna longa conſtantes hac lege, vt primus primam habeat longam, ſecundus ſecundam, tertius tertiam, quartus quartam; ſic *Pæon* I. conſtat ex Choreo & Pyrrichio, vt aſpicite; *Pæon* II. ex Iambo, & Pyrrichio, vt potentia; *Pęon* IV. ex Pyrrichio, & Iambo, vt calamitas. *Epitriti*, ſeu *Hyppy* totidem ſunt, ſed Pæonibus contrarij; primus enim primam habet breuem, ſecundus ſecundam, tertius tertiam, quartus quartam; ſic *Epitritus* I. conſtat ex Iambo & Spondæo, vt repugnarunt; *Epitritus* II. ex Choreo & Spondęo, vt comprobatunt: *Epitritus* III. ex Spondæo, & Iambo, vt diſcordiæ; *Epitritus* IV. ex Spondeo, & Choreo, vt fortunatus. Eſt & alius pes quinque ſyllabarum oratorię compoſitioni maximè appoſitus, quẽ *Dochimium* vocant, cõſtat Iambo & Amphimacro, vt reipublicæ, perhorreſcerent.

Ad eamdem Poeſeos perfectionem ex parte formæ ſpectat 1. *Cæſura*, quæ eſt verſus inciſio, cum poſt aliquem pedem ſupereſt ſyllaba, quæ dictionem finiat. Quadruplex eſt: & cuiuslibet tanta vis, vt breuis interdum licentia quadam producatur, non tamen temere vſurpanda. Prima *Trihemimeris*, cum

poſt

post vnũ pedem syllaba superest dictionem terminans. 2. *Penthemimeris* cum post duos pedes; 3. *Hephthemimeris*, cum post tres pedes. 4. *Ennehemimeris* post quatuor pedes. Secundò *figuræ poeticæ*, seu, carminibus deseruientes, quæ duplices sunt, scilicet, *Prosodicæ* & *Orthographicæ*. *Prosodicæ* dicuntur quæ in dimetiendis versibus vsurpantur. Hæ verò sunt sex *Ecthlipsis*, id est, *elisio* quæ litteram M. in fine dictionis vocali præcedente absumit sequente vocali; *Synalæpha*, id est, eollisio, cum vocalis, aut diphtongus in fine dictionis, à vocali vel diphtongo proximè sequēti absumitur. *Synæresis*, seu Crasis, cum contrahuntur duæ syllabæ in vnam, vt *aluaria*, pro *aluearia*. *Diæresis*, qua vna syllaba dissoluitur in duas, vt *vitai* pro *vitæ*. *Systole*, quæ syllabam natura longam corripit. *Ectasis*, quæ è contrario producit syllabam natura breuem.

Figuræ Orthographicæ sunt, quæ litteram vel syllabam addunt, adimunt, aut immutant, hæ nouē numerantur; *Prosthesis*, cum adijcitur littera, vel syllaba ad principium dictionis; *Epenthesis* cum ad medium, *Paragoge* cum ad finem; *Aphæresis* cum à principio dictionis aliquid aufertur, *Syncopa* cum è medio, *Apocope* cum à fine; *Antithesis* vel potius *Antistœcon*, cum littera pro littera ponitur, *Metathesis* cũ littera transponitur; *Tmesis* cum vna dictio secatur, altera dictione interposita; vt Virg. 3. Georgic.

Talis Hyperboreo septem subiecta Trioni.

Tertiò quidam versuum affectus, quos septem & quadraginta Ioannes Murmelius, Petrus Bendozianus lib. 4. *de re Poetica*, Ioannes Buchlerus *in institutione poetica*, & alij annotarunt.

Vltimò tandem perfectio finalis Poeseos attenditur ex hoc, quod per illam homines ad perfectionem instituantur. Adolescentes enim cantibus, & odis ad virtutem amplexandam, & vitium fugiendum præparantur, heroicorumque hominum mores & egregia facta carminibus exposita, ante oculos illis ponuntur, vt & seipsos, & alios eis in optima disciplina bene instruant; sicut enim picturis iuuenes edocentur ad bonum prosequendum, ita quoque Odis, atque Poematibus, vt ita faciliùs ac felicius ad rectam compositamque vitam perducantur; nullum enim quantum ad hunc finem inter artes & scientias versatur discrimen, sed tantùm earum differentia consistit in hoc, quod diuersis modis, diuersisque vijs hominem ad illum perducant. Philosophia naturalis, V. g. rerũ essentias ac proprietates edocendo, Moralis agenda præscribendo, Rethorica persuadendo, Historica narrando, Poëtica denique fingendo, siue repræsentando appositè ea quę homines bonos & virtuosos, atque adeo felices & beatos efficere possunt; ex. grat. introducendo modo sceleratum aliquem hominem digna suis sceleribus supplicia referentem, modo virtuosum digna suis operibus premia, aut à Deo, aut ab hominibus reportantem. Qui modus, licet alijs videatur forsitan ignobilior, tantò tamen illis efficacior putandus est, quantò magis homines laboris impatientes à scientijs, virtutumque notitijs per illas comparandis sæpius abhorrent, ob nimiam quam præ se ferunt difficultatem; dum tamen absque vlla vel minima fatigationis vmbra, libenter in poëticis operibus repræsentari vident ea, quæ ad rectam morum institutionem pertinent. Prætерquam quod, cum insit hominibus superba, quędam animi libertas, ita à natura comparantur, vt exemplo potius, quod est proprium Poeseos instrumentum, quàm rationum vi, aut verborum persuasione, ad ea quę vel facere, vel fugere teneantur, excitari velint, atque moueri.

Circa Poëseos diuisionem; iuxta multiplicem qua considerari potest rationem, multipliciter etiam diuidi, vel denominari potest; imo vnum idemque Poëma, vel eatmen diuersimodè consideratum ad diuersas etiam diuisiones pertinere potest. Primùm igitur Poesis, aut carmina ab authoribus, seu inuentoribus suis, alia sunt *Alcaica*, ab *Alcæo*, alia

Ana-

Anacreontica, ab *Anacreonte*, *Aristophanica* ab *Aristophane*, *Asclepiadea* ab *Asclepiade*, *Glyconica* à *Glycone*, *Hipponactea* ab *Hipponacte*, *Phalæcia* à *Phalæo*, *Pherecratia* à *Pherecrate*, *Sapphica* à *Sappho* puella &c. Secundò ratione styli seu modi cõponendi, & repręsentandi, diuiditur Poesis in *Drammaticam*, *Exegematicam*, & *Communem*, siue ex vtraque *mixtam*. *Drammatica* est illa in qua tacente Poeta, aliæ solùm personæ inter se colloquentes inducũtur, cuius præcipuæ species sunt Egloga, Comædia, & Tragædia. *Exegematica*, Latinis *Narratiua* dicta est illa in qua Poeta ipse sine interpositione personæ loquitur, *Mixta* verò, aut *Communis*, vbi Poeta ipse loquitur, & introductæ personæ, vt est Virgilij Aeneis.

Tertiò à materia, seu rebus quæ scribuntur, habemus carmen *Heroicum* quo Heroum res gestæ cum laude scribuntur; *Natalitium* quo virorum illustrium natalitia celebrantur, estque triplex primum dicitur *Genethliacum*, quo Poetæ præcinere solent felices puerorum euẽtus, spem ostendendo de futura eorum virtute, ac felicitate, laudando maiorum ac parentum virtutes, quibus simillimũ fore infantem polliceantur, adhibendo præterea, si quæ sunt oracula, temporis ac diei circunstantias, quibus in lucem editus fuerit puer, indèque conijciendo aliqua ad rem suam. Secundum *Geniale* vocatur à Genio inuocato, eo quod putarent Gentiles, vnicuique hominum de nouo nascenti custodes assistere quosdã Deos, quos Genios appellabant à gignẽdo, vel quia vt homines gignerentur curabant, vel quod vna cum illis gigni putarent, vel etiam quia homines semel genitos suscipiebant ac tuebantur. Quorum loco Poetæ Christiano in carmine Geniali tutelaris Angelus esset inuocandus, quẽ Deus Opt. Max. vnicuiq; nostrũ fidelissimum ab vtero custodem dedit, commendando eius curæ, ac sollicitudini totum vitæ decursum illius, de quo tale carmen conscriberetur. Tertium tandem retento sibi nomine generico *Natalitium* dictum, est illud quo præcipuè natalis celebratur dies illustris cuiusdam personæ.

Nuptiale, quod veteres olim decantare solebant in nuptijs pariter illustriũ personarum in honorem Hymenæi, quẽ nuptiarum Deum vel præsidẽ putabant. Quod etiam carminis genus multiplex erat; & primum quidem appellatum est *Scholion*, quod in ipsa nuptiarum solemnitate decantabatur; secundum *Epithalamium*, quod continebat versus illos post solemne conuiuium cani solitos ad thalamum, hoc est commune vtriusque coniugis cubiculum. Tertium illud, quo nuptiarũ ipsarum pompæ, virtutes sponsæ, eius à materna domo digressus, aliaque id genus dulcissimo cantu enarrabantur.

Elegiacum, quod seruiebat olim luctibus, & rebus solum tristibus; vnde patet carmen Elegiacum se habere in plus, siue longè latius patere, quam carmen funebre; cum omne carmen funebre sit elegiacum, non autem è contra; quamuis sæpè pro eodem vsurpari soleant, quatenus pro miserabiliori hominum casu mors haberi potest. Carmen enim funebre in genere est illud quod veteres olim consueuerant mortuis, quæ sibi caræ fuissent, personis, ad rogum concinere, celebrando earum laudes, nec non & iacturam deflendo; deplorantibus V.g. parentibus filiorum, familiaribus amicorum, patria ciuium mortem. Quod carmen si in laudem defuncti corpore nondum humato canebatur *Epicedium* appellabatur, aliter *Nenia*, à Græco νέατον vltimum, erat enim vltimum quod in funere laudandi gratia canebatur ante cadauer sepultum; si iam humato corpore *Epitaphium* sic dictum quod ἐπὶ τῷ τάφῳ hoc est sepulturæ inscriberetur. Pertinent insuper ad Elegiacum, aut lugubre carmen *Monodia* & *Threnus*; *Monodia* enim erat carmen lugubre quod ab aliquo voce subtristi canebatur ad mouendos affectus, & eliciendas lachrymas; *Threnus* verò græcè θρῆνος, latinè luctus, fletus, lamentatio, fuit genus carminis, quo veteres deflebant nõ

tam

tam hominum iacturas, quàm illustrium ciuitatum euersiones, vt in diuinis litteris vatem sanctissimum videmus deflere casum acerbum ciuitatis sanctæ Hierusalem, de quo infra.

Satyricum, ad carpenda hominum vitia inuentum; cuius duo sunt genera, alterum antiquitus tàm à Græcis, quàm à Latinis vsurpatum, & recentius alterū, quod ab antiquiore ortum est, & à Latinis tantùm excultum. Prius illud sola varietate carminum constat, personisque introductis, comędiæ par, sed maiore lasciuit licentia, salibusque & iocis absoluitur. Satyris enim nemorum Nominibus olim existimatis, non Heroibus, aut Regibus, quod tragici faciunt, ludēdi iocandique causa introductis *Satyra*, seu *Satyricum* carmen nomen accepit: quam appellationem recentior etiam Satyra seruauit: & ex licentia illa veteri Satyrorum in apertam hominum reprehensionem, & obiurgationem exiuit, mutato carminis colore & numeris; nam in hexametros assurgit, cùm prior intra iambicos & eius generis versus continetur.

Pastoritium, seu, *Bucolicum* carmen est illud, quod ab antiquo, & otioso viuendi genere pastorum ortum habuit, quoque recubantes ad viridem arboris vmbram, vel sua quique concinebant studia, vel etiam multi inter se concertabant de rebus ad rusticam vitam spectātibus, per ordinem ad quas pastoritium etiam, seu Bucolicum carmen multipliciter diuidi potest.

Epinicium carmen, quod olim in victoris laudem pronuntiabatur, sicque à diuersis ludorum, vel certaminum generibus aliud nuncupabatur Olimpicum, aliud Nemæum, Pithium, Isthmium, Adonicum, &c. quæ sub vnico *Syluæ* nomine ab aliquibus comprehenduntur, sumendo syluam pro tumultuario & extemporaneo scripto, seu poemate in quacumque materia, quod Græci schediasma appellant, quippè qui soliti aliquando sumus carmina quædam componere, quæ subitus quidam mentis calor, & impetus ex tempore suggerat. Sed de hac diuisione satis, cuius innumera possent adduci membra, secūdum quod sunt innumeræ iuxta varietatem humanarum actionum, carminum materiæ.

Quarto ab instrumentis, cum quibus aliqua olim carmina canebantur, iuxta eorum diuersitatem, varias etiam carminum denominationes habemus, vt Lyricū, Psaltericum apud Hebræos, &c. sub quibus Pean, Ode, seu Canticum, Psalmi, & Hymni continentur, quod omnia ista, illisque similia carminum genera accommodatè ad concentus musicos, vel vocum, vel instrumentorum componerentur.

Quintò à crebriore seu prædominanti pede varia sunt adhuc carminum genera, & nomina; vt *Dactylicum*, cuius vsitatiores formæ sunt, Hexametrum Heroicum, Pentametrum Elegiacum, Tetrametrum Alcaicū, primo loco Spondęum, vel Iambum recipiens, secundo solùm Iambū cum syllaba longa redundante, ratione cuius vocatur Mesohypermetrum, id est in medio syllaba redundans; tertiò & quarto dactylū; Trimetrum Pherecratiū, primo loco Spondæum, aliquando Trochæum, Iambum vel Anapæstum recipiens, secundò Dactylum, tertiò iterum Spondæum. Trimetrum Glyconicum, primo loco Spondęum, rarò Trochæum, rariùs Iambū recipiens, secundò & tertiò Dactylum. Dimetrum Adonicum ab Adone ita dictū constat Dactylo, & Spondęo. Ad hoc idem Dactylici carminis genus referuntur multę alię carminum formę, quorū vsus rarior est apud Latinos, vt Heptametrum Dactylotrochaicum, Hexametrum Dactyliambicum, quod alij Saphicum Dactylicum vocant, Iambidactylicum Hypercatalectum, Tetrametrū Dactylicum Catalectum, Tetrametrum Dactylicum Hypercatalectum, Trimetrum Dactylicum Hypercatalectum, Dimetrum Hypercatalectum, de quibus omnibus carminis Dactylici formis, earumque regulis & perfectione consulendi sunt authores, qui de re Poeti-

ca

ca ſcripſere, inferius citandi.

Dactylico ſuccedit carmen Anapęſticum recipiens locis omnibus Anapęſtum, pedem ſcilicet proprium & eius vice Dactylum,& Spondęum: raro proceleumaticum,pedes videlicet ęqualium temporum; hoc carminis genus Tragicis familiare eſt pręſertim Tetrametrum conſtans quatuor pedibus, cui nonnunquam poſt multos verſus Dimetrum inſerunt,in quo Spondeo Dactylus elegãter pręponitur, & ſic non differt à Glyconico. Aliæ carminum formæ quæ ad Anapęſticum pertinent ſunt Trimetrum Anacreonticum, conſtans ex Anapęſto, Iambo, & Bacchio; Trimetrum Hypercatalectum, quod recipit primo loco Anapęſtum, vel Spondęum ſecundo & tertio Anapęſtum, & in fine ſyllabam abundantem; Dimetrum conſtans primo loco Anapęſto, ſecundo Bacchio.

Carmen Iambicum ſic dicitur à crebriore pede Iambo, illius ſicut & Trochaici verſus aliter metiuntur Latini, quàm Gręci; hi enim per dipodiam,hoc eſt, duobus pedibus ſimul iunctis; illi vero per monopodiam, id eſt ſingulos pedes accipiendo. Vnde quos Græci, Monometros, Dimetros, Trimetros, & Tetrametros appellant à numero menſurarum binos pedes comprehendentiũ, Latini vocant Binarios, Quaternarios, Senarios, & Octenarios, à numero pedum, quos tamen etiam per dipodiam metiuntur. Carminis Iambici quatuor fecere formas videlicet I. Monometrũ quod habet vnam menſuram, ſed pedes duos: vt *Virtus beat*. II. Dimetrum, duas menſuras, ſed pedes quatuor: vt, *Virtus beatos efficit*. III. Trimetrum,tres menſuras, pedes verò ſex: vt, *Ad gloriam virtus per alta nititur*. IV. Tetrametrũ quatuor menſuras,at pedes octo: vt, *Parant perennem gloriam virtus, & eruditio*. Cum autem loci verſuum duplices ſint, ſcilicet impares: videlicet primus, tertius,quintus,& ſeptimus. Et pares ſcilicet ſecundus, quartus, ſextus & octauus; Carmen Iambicum recipit omnibus locis Iambum, vt pote pedem proprium,& ex eius reſolutione Tribrachyn, excepto vltimo loco, qui ſolum Iambum recipit. At in locis imparibus admittit etiam Spondęum, Anapæſtum, Dactylum, & aliquandò Proceleumaticum, pedes æqualium temporũ. Notandum eſt tamen carmen Trimetrum duplex eſſe; ſcilicet Rectum, & Claudicans; Rectum eſt quod ſexto loco ſemper Iambum recipit; Claudicans, ſeu Scazon, & Choliambus eſt, quod quinto loco ſemper Iambum habet, ſexto Spondęum. Ex quibus omnibus carminis Iambici formis vſitatiores ſunt Dimetræ in Hymnis Eccleſiaſticis: in Comædijs verò, & Tragædijs, Trimetræ & Tetrametræ. Aliæ carminũ formæ quæ ad Iambicum reducuntur, ſunt Dimetrum Catalectum Anacreõticum, primo loco recipiens Iambum vel Spõdęum, vel Anapęſtum; ſecundo Iambum; Tertio Iambum, vel Spondęum, deinde ſupereſt ſyllaba. Deinde carmen Galliambicum (ita dictum à Gallis Cybeles Sacerdotibus, in prima ſede recipiens Anapęſtum, & interdum Spondęum, Creticum (id eſt Amphimacrũ) vel Proceleumaticum. In ſecunda Iambum, vel Anapęſtum, vel Tribrachyn, vel Dactylum. In tertia haud alium ferè quam Iambum. Quartæ & quintæ ſedi Dactylus debetur,ſed ita vt vix vnquã à quinta ſede dimoueatur,de quarta ſępe cedat Spondęo. Sextus qui vltimus locus eſt, habet Anapęſtum.

Carmen Trochaicum Hymnis, Comædijs, & Tragædijs aptum, vbique Trochęum recipit locis imparibus, id eſt, 1. 3. 5. & 7. neceſſarium, cuius tamen loco admittit vbique Tribrachyn, excepta regione vltima,quæ Trochęum ſolum habere debet. At in locis paribus ſcilicet 2. 4. 6. & 8. eoſdem pedes recipit quos Iambicum in imparibus, pręter Iambum, quem verſus Trochaicus nunquam recipit, ſicut nec Iambicus Trochęum. Sed de hac diuiſione ſatis, qui plura volet carminum genera à crebriore, ſeu pręd0minanti pede deſumpta, authores inferius citandos adeat,pręſertim

tim officinam Poeticam, in fine Parnassi Poetici, vbi reperiet varias quoque versuum compositiones exemplis illustratas.

Sexto à numero Syllabarum habentur versus Hendecasyllabi, qui habent vndecim syllabas, si absint collisio, & elisio. Septimo à compositione,carmen Monocolon, id est, vniforme,seu vnius membri: quod constat vnico genere versus; Dicolon, cum duo genera carminum miscentur; vt Hexametrum cum Pentametro; Sapphicum cum Adonico &c. Tricolon cum tria genera. Octauo à reuersione, Distrophon, cum post secundum versum ad prius genus reuertimur, Tristrophon cum post tertium fit ad primum reditus, Tetrastrophon cum post quartum. Nonò à numero versuũ, Disticon, Tetrasticon, Hexasticon, Ogdoasticon,Decasticon, Dodecasticõ,&c.

Decimò à perfectione, Acatalectũ, cui nihil deest, nec aliquid abundat: id est vltimum pedem, à quo nomen desumit, integrum possidet; videlicet Iambum, si carmen sit Iambicum, Trocheũ si Trochaicum &c. Vndecimò, à defectu, vt Catalectum, cui deest vna syllaba, Brachycatalectum, cui duæ desunt. Duodecimò ab abundantia, vt Hypermetrũ cui superest vna syllaba, sed quæ principio sequentis eliditur; Hypercatalectum, vbi superest syllaba nusquam interempta. Vide Iulium Scaligerum lib.2. Poet. cap.2.

Vltimò tandem à versuum affectibus, quos septem & quadraginta esse superius adnotauimus, tot diuersa carminum,aut versuum genera possent distingui; selectiores tamen sunt illi, I. qui dicuntur *Pangrammatici*, id est omnes litteras Alphabeti continentes; II. *Intercalares*, qui in eodem poëmate sæpius repetuntur. III. παμμερεῖς, qui cõtinent omnes partes orationis. IV. *Aequidici*,quorum dictiones omnes ab vna incipiunt littera. V. *Correlatiui*, seu *Antitheti* sic dicti, quod relationes habent singularum dictionum precedentis versus ad singulas sequentis vt illi de Virgine Deipara

Sceptra, Deum, Venerem: Regina, puerpera, Virgo
Concludit, lactat, terret; dextra, vbere, voto.

VI. *Concordantes*, aut *cohærentes*, in quibus dictiones quędam pluribus versibus communes reperiuntur: vt

Et canis } in syluis { *venatur* } & omnia { *seruat*
Et lupus } { *nutritur* } { *vastat.*

VII. *Ecliptici* sic appellati, quod ad eorum sententiam assequendã, supplendæ sunt præpositiones, *sub*, *super* secũdum dispositionem dictionum superius, aut inferius positarum. VIII. *Echici*,seu Echrici, in quibus vltimæ syllabæ sonus congruit penultimæ, aut in quibus arte elaboratur extremæ vocis repetitio, vel tota, vel fracta, ab inexpectato plerumque responsans: aut materiæ nouæ ansam ministrans,semper tamen præcedẽtis vocis imaginem repręsentans; vnde & *Echo* ipsa ab Horatio lib.1.Od.12.v.4. *iocosa imago* dicitur, quasi *imitago*.

VIII. sunt versus *Reciproci*,vel *Retrogradi* seu *Recurrentes*, qui à fine orsi,ordine retrogrado feruntur: idquę aut eodem carminis genere, aut diuerso. Vocantur Διαυλοι à Scaligero lib. 1. Poet. cap.22. & lib.2.cap.30. sumpto nomine à cursibus reciprocis equi in stadiodromo. Recurrentium autem versuum duo genera facit S. Sidonius Apoll. lib. 9. epist. 14. pro duplici recursus differentia, scilicet litterarum & vocum, vide ibi notas Sirmondi.Palmam cæteris pręripuisse videtur, hoc in operoso labore, Andreas Mestratus Iurisconsultus Auenionensis in libro inscripto Διαυλοι (in quo plurimi sunt huiusmodi versus & sententiæ Græcè, Latinè & Gallicè) Auenione impresso.

IX. Versus *Serpentini* sic ab Hermogene & Hadriano Iunio vocati, quia in se recurrunt initio consentiente fini: vt Iuuenal.

Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit,

Hoc non tantum fit in vno verbo, sed etiam in Hemistichio, id est, versu dimidiato vt Ouidius 1. Eleg. 9.

Militat omnis amans, & habet sua castra cupido

Attice crede mihi, militat omnis amans.

Composuit Turcius Rufus carmen simili arte elaboratum, quod habetur tomo 8. Bibl. SS. PP. Huius etiam generis multa scripsit P. F. Saluator Vitalis Minorita in Apodixi sanctitatis S. Francisci, Florentiæ impressa anno 1630.

X. sunt versus *Decussati*, in quibus prima pars versus refertur ad alterius postremam: & contra prima pars alterius ad prioris vltimam, vt illi Virgiliani 1. Aeneid. vers. 699.

Iamque ibat dicto parens, & dona Cupido

Regia portabat Tyrijs, duce latus Achate.

Ordo enim naturalis est,

Iamque ibat dicto parens, duce latus Achate

Regia portabat Tyrijs, & dona Cupido.

Huc etiam potiori ratione referendi sũt versus illi, qui decussatim, miraque arte disponuntur, quales illi sunt Rabani Mauri, de laudibus Sanctæ Crucis, & aliorum plurium authorum.

XI. sunt versus *Acrostici*, cum primis aliquot versuum litteris nomẽ alicuius, vel alia quęuis dictio, aut oratio exprimitur. Difficiliora poemata sunt illa, quæ non solum initio versuum sed etiã in medio, & fine id exprimunt, eisdemque penitus litteris astringuntur.

XII. est *Anagrammatismus*, quem Guillelmus Blancus Iunior, libello quẽ composuit de ratione Anagrammatismi, definit *esse clausulam, quæ ex artificiosa litterarum omnium, neque plurium alicuius nominis transpositione componitur.*

XIII. sunt versus *Chronologici*, qui per litteras numerales certum quemdã numerum reddunt quo tempus, vel annus significatur. Ex quibus litteris plures non debent esse in versu, aut sententia quam necessariæ sint, ad eum numerum, quem cupis explendum. Solent autẽ distingui litteræ numerales ab alijs diuerso charactere, aut colore.

XIV. sunt versus *Aenigmatici* & *Griphici* sic dicti quia sententiam implexã & obscuram continent. Multi enim Griphum cum Aenigmate confundunt. Distinctionis tamen causa, *Aenigma* dicitur, cum de re sermo fit; cum verò de voce quadam, aut nomine aliquo *Logogriphus*. De quibus omnibus vide authores qui de arte Poetica scripserunt, præsertim P. Fr. Ludouicum Caualli Minoritam Obseru. in libro Ianua musarum reserata inscripto Parisijs anno 1647. impresso, in cuius secunda parte agit de varijs carminum generibus.

His ita circa naturam Poeseos prænotatis, satis patet quanti referat ad sacræ doctrinæ studium, ex eo quod multa in Scripturis sacris poeticè conscripta reperiantur; quæ consequenter nonnisi beneficio artis Poeticę intelligi possunt. Primùm ergò si consideretur secundum quod ratione styli, seu modi componendi & repręsentandi diuiditur in Dramaticam, Exegematicam, & communem, seu ex vtraque mixtam; numquid vt in Psalmis Dauidicis, Exegematicæ, & Cõmunis, ita & in Cantico Canticorum Dramaticæ, id est, Dialogicæ & Interrogatiuæ perfectissima habemus exempla; de quo videri potest Origenes Homilia priori in Cantica.

Iterum si à materia, rebusque scriptis carmina alia sunt Heroica, alia Natalitia, Nuptialia, Elegiaca, vt Epicedium, siue Nænia, Monodia & Threnus; alia Satyrica, Pastoritia, seu Bucolica, & Epinicia; hæc etiam omnia diuinis non desunt Scripturis. Imo puto nullum fortasse Poematis genus esse, cuius Psalmographus solus exemplum non præbuerit Græcis, & Latinis Poetis. Ipse Lyricus, Tragicus, Comicus, Satyricus, Heroicus, Dramaticus, Epithalamicus, atque Elegiacus: iam exultat lyra festiuus, iam tragædiam delapsi Adami, & generis humani miseriam lamentatur. Iam diuersas personas comediæ instar loquen-

loquentes inducit. Iam in prauos & corruptos mores Satyricè inuehitur, iam regnum Christi, & gesta antiquorum Patrum heroicè narrat; iam sponsalitia Christi, atque Ecclesiæ personat, iam Christi mortem deflet.

Insuper ad Natalitium, seu Genethliacum carmen, pertinere potest canticũ illud, quod multitudo exercitus Angelorum cecinisse dicitur Lucæ 2. Ad Nuptiale verò, seu Epithalamium, Canticum Canticorum, vnde Gregorius Nazianzenus Drama sponsale, seu nuptiale appellat. Et Basilius quoque in suis commentarijs super illud Isaiæ 5. *Cantabo dilecto meo canticum dilecti mei*, ait; Canticum Canticorum nuptiale est carmen dramatico opere prætextum: id quod ante istos asseruerat Origenes tàm Homilia 1. ex duabus in Cantica, quam prologo homil. 1. ex quatuor; *Libellus hic*, inquit, seu Epithalamium, id est, nuptiale carmen, vel Canticum in modum mihi videtur Dramatis à Salomone conscriptus, quem cecinit, instar nubentis sponsæ, & erga sponsum suum, qui est verbum Dei Patris, cælesti amore flagrantis: Adamauit enim eum, siue anima, quæ ad imaginem eius facta est, siue Ecclesia.

Perfectissimã insuper Carminis Elegiaci formam habemus tàm in Psalmorum libro, quam in Threnis, seu lamentationibus & fletibus Ieremiæ Prophetæ. Vt enim optimè notauit Eusebius Cæsariensis ad Psalmum 15. & post illum Eusebius Nierembergius Societatis Iesu lib. 3. de Origine sacræ Scripturę cap. 5. & 6. nihil est aliud ille Psalmus, vt ex ipsius Psalmi inscriptione apparet, atque ex toto Psalmo, cuius omnia verba sunt animæ Christi Limbum ingressæ; quàm Epitaphium, seu epigrãma Sepulchrale, quod Dauid erexit Christo Domino præuiso mortuo. Similiter finis & scopus Spiritus Sancti, & Ieremiæ in Threnis conscribendis fuit, primò, parentare Hierosolymæ iam vastatæ, & quasi mortuæ. Celebrat enim ibi funus & exequias eius, vt potè patriæ & matris suæ amantissimæ, eoque simul lenit dolorem suum & ciuium suorum. Ad hoc enim inuentum est carmen funebre. Secundo etiam, hoc carmen est quasi Epitaphium, quod Hierosolymæ memoriam ad posteros transmittat.

Satyrici quoque carminis formam, seu stylum præseferunt tàm prouerbiorum, quàm Ecclesiastis libri, siue consideretur diuersitas rerum in illis contentarum ad morum institutionem, vitiorumque reprehensionem spectantium, Satyra enim, vt festus inquit, cibi genus fuit ex varijs rebus conditum: & lex multis alijs confecta legibus: & genus carminis vbi de multis rebus disputatur; siue etiam consideretur modus dicendi per breues gnomas, easque diuersas, & disparatas, sine vllo connexionis ordinisue studio.

Carmen Bucolicum, siue Egloga Pastoralis ab aliquibus nõ immeritò dicitur Canticum Canticorum: pastorales namque personæ in illo loquuntur: pastorales sunt, quibus vtuntur similitudines, pastoralia & colloquia, vt potè de pascuis, de gregibus, de fontibus, de hortis atque de vineis. Et congruentissimè Pastoris assumpsit personam Salomon dum in Cantico isto personam ipse ageret Christi; dumque purissimos exponeret Dei amores erga Ecclesiam: nam & Christus pastoris nomen tanquã sibi proprium assumpsit, cũ dixit Ioannis 10. *Ego sum pastor bonus*: eoque vocabulo nominari maximè gaudet, quod intelligens Paulus in Epistola ad Hebręos, de illo loquens ait cap. 13. *Deus pacis eduxit de mortuis Pastorem magnum ouium Iesum*: Et ipsa pastoris persona aptissima præ omnibus est ad eximiam amoris vim exprimendam: tùm quia pastores purius amant: tùm quia eorũ vitæ genus est valde aptum ad vacandũ amori. Præter duas autem personas, quæ pręcipuas huius carminis pastoritij partes agunt, ambas pastores, est insuper duplex aliud personarum genus, quæ in illo interloquuntur, sodales nimirum sponsi, pastores & ipsi, atque adolescentulæ

tulæ sociæ ipsius sponsæ, quas illa appellare solet filias Hierusalem.

Tandem quid aliud est Canticum illud Moysis Exodi 15. quam elegantissimum carmen Epinicium de victo Pharaone, populoque Aegyptiaco; ita scribit Philo in lib. 3. de vita Moysi: *Ob tãtam*, inquit, *victoriam Propheta celebrauit auctorem tanti beneficij*; & Origenes in Homil. super hunc locum: *Multa*, inquit, *cantica esse antiquitus facta legimus in sacris: omnium tamen primum est hoc Canticum Moysi, quod Aegyptijs, & Pharaone submersis populus Dei post victoriã cecinit. Moris quippe Sanctorum fuit, vbi hostes cæsi essent, quod scirent non sua virtute, sed Dei gratia partam esse victoriam, hymnum Deo gratulationis offerre.*

Si etiam ab instrumento, cum quo canitur, solent distingui carminum varia & genera & nomina; talia sunt in diuinis Scripturis tàm veteris quam noui testamenti, Psalmi, Cantica, & Hymni accommodatè ad concentus musicos, vel vocum, vel instrumentorum composita, quorum diuersa reperimus genera, nimirum Tubam, Cytharam, Organum, Cymbalum, Psalterium, Tympanum, Chorum, &c. de quibus cõmodius agetur infra vbi de Musica.

Quod pertinet ad alias carminum diuisiones, vel à prędominanti pede, vel ab eorumdem numero, nec non etiam versuum; etsi nunc omnino ignoretur, quibus quotve pedibus omnia S. Scripturæ poemata constent; vt in confesso est apud omnes fere illorũ interpretes, rectèque ostendit Card. Bellarminus in institut. Hebraic. Quod enim R. Dauid Iahaias libello de metris Hebraicis, quẽ Latinum reddidit Gilb. Genebrardus, decem & octo numerat carminum genera, non tàm ex sacra Scriptura fuere deprompta, quàm ex Rabbinorum doctrina, & vsu; etsi, inquam, ita res se habeat, & antiqua poesis Hebræorum nunc sit prorsus ignota, nõ solùm Christianis, sed etiam Rabbinis, quo ad pedum qualitatem, & numerum, illis tamẽ non caruisse apertè demonstrant plura antiquorũ testimonia, Eusebij in Chronico, D. Hieronymi pręfat. in lib. Reg. & in Isaiam, vbi ait, Psalmos, & Lamentationes, esse diuerso metri genere composita, & pręfat. in Iob, & epistola ad Paulam vrbicam ait, extremam partem lib. Prouerb. constare tetrametris Iambicis; Lamentationes Sapphicis, Adonicis, Heroicis. Didymus in Psal. 128. ex alterius dicto refert, *versus apud Hebræos fuisse ad metrum astrictos, & Hexametros, qui in Cantico Deuteronomij sunt, Psalmos vero trimetros, & tetrametros.* Iosephus verò de Dauid locutus lib. 7. antiq. cap. 10. ait: *Carmina in Deum, & hymnos composuit vario metro; alios namque trimetros, alios pentametros fecit.*

Genebrardus in Chron. ann. 1013. affirmat Moysem Spondaicis versibus repræsentasse Iobi historiam; alio vero loco circa annum 3106, scribit, veterũ sacra carmina, vt in Psalmis, Iob, Prouerbijs esse disticha, licet à plerisque Hebræis scandendi ratio ignoretur. Marianus Victorius in annot. ad epistolam 112. D. Hieronymi, ait se inuenisse experimẽto versus libri Iob esse Hexametros ex Spondeo, Dactylo, & alijs pedibus, vt Trocheo, Iambo, & Proceleumatico currentes, non tam syllabarum quam temporum in eis habita ratione; attingit etiam de huiusmodi versuum & mensuræ ratione nonnihil ad epist. 117. & 155. Andreas Masius in commentarijs super 10. capite libri Iosue ait, antiquam quidem Hebręorum poesim nũc esse prorsus ignotam; viguisse tamen eam tempore Hieronymi, se autem curiositate quadam ductum multum temporis, & studij posuisse in ea indaganda; sed nihil certi explorare potuisse; obseruasse tamen illa verba, quæ sunt in decimo capite libri Iosue, quibus narratur prodigium illud, quod Sol, & Luna iussu Iosue in medio cæli steterunt: illa inquit verba esse versus ijsdem numeris ligatos, quibus ligati sunt Iambici versus trimetri acatalectici, parua facta quarumdam litterarum immutatione.

Quod igitur Augustinus Eugubinus in

in præfat. ſua in Pſal. contendit Hebraicam poeſim diſſimilem fuiſſe Græcæ & Latinæ, ſimillimam autem Italicæ: nam in Latina & Græca poeſi obſeruantur certi pedes; præterea certus numerus ſyllabarum, & earum quantitas, & tempus; in Italica verò nulla eſt ratio pedũ, nec quantitatis ſyllabarum: ſed Itali obſeruant certum numerum ſyllabarum, & ſimiles caſus ſyllabarum, & verſus; eodem modo fit in Poeſi Hebræa, in qua tantùm ſeruatur numerus ſyllabarum, & rhithmus. Hoc, inquam, ſatis arguitur falſitatis ex dictis; deceptuſque videtur, vt opinor, prædictus author, propterea quia ex Poeſi, quæ nunc eſt apud Hebræos, fecit iudiciũ de antiqua poeſi; nam quæ nunc eſt in vſu, talis eſt, qualem ipſe deſcribit; antiqua verò talis erat, qualem deſcribunt Euſebius, Hieronymus, & alij ſuperius citati, & inferius citandi.

Sacræ etiam Poeſi, ſicuti non deſũt plures figuræ Poeticæ, varijque verſuũ affectus, ita etiam ad illam perfectè intelligendam non parum conducit, illorum peritia; quis enim non grauaretur ſtatim frequentiſſima illa Pſalmo 135. repetitione vnius & eiuſdẽ verbi; *Quoniam in æternum miſericordia eius*; ſi tantum verborum ſonitum, corticemque ſolutum attenderet? cum tamen ſi metricam cantilenam auſcultet, in illa mirabilem conſonantiam inueniet. Lepidiſſima enim Poetica hic interuenit figura, quæ appellatur *Epiſtrophe*, vel *Epiphora* toties commiſſa, quoties in eadẽ verba plures ſententiæ, & verſus deſinunt: Ex quo facetum illud Martialis lib. 2.

Capto tuam, pudet heu! ſed capto, Maxime, cœnam
Tu captas alias: iam ſumus ergò pares
Mane ſalutatum venio, du diceris iſſe
Ante ſalutatum: iam ſumus ergo pares
Sum comes ipſe tuus, tumidique anteambulo Regis:
Tu comes alterius; iam ſumus ergò pares.

Et illud aliud lib. 7.

Si quid opus fuerit, ſcis me non eſſe rogandum
Bis nobis dicis, Bacchora, terque die
Appellas rigida triſtis me voce ſecundus,
Audis, ſed neſcis, Bacchara quid ſit opus.
Penſio te coram petitur, clareque palamque.
Audis, ſed neſcis, Bacchara quid ſit opus
Eſſe queror gelidaſque mihi, tritaſque lacernas.
Audis, ſed neſcis Bacchara quid ſit opus.
Hoc opus eſt ſubito fias, vt ſi de re mutus,
Dicere non poſſis Bacchara quid ſit opus.

Vt igitur in concentu muſicæ non abſonat, ſed dulciſſimè conſonat, quod muſici omnes repetant, & iterent eamdem concluſionis, vel rationis ſententiã; eſto abſonaret id in eloquio vulgari: ita in prędicto Pſalmo metrica illa iteratio, repetitioque eiuſdem ſermonis concentum potius, quàm diſſonantiam, dulcedinem, quam acrimoniam infert auditui.

Tandẽ quia inter alias metricæ orationis affectiones, non infimum, vt vidimus ſupra, tenet locum, modus ſcriptionis, qui modus aliqua alia ſignificare poteſt, quàm ipſa verba ſimpliciter proferant; non deſunt doctores, qui præter ſimplicem tenorem ſacri textus, aſſerant Scriptores ſacros plura artificioſè ſcripſiſſe. Pro cuius intelligentia notandum eſt arcana Hebręorũ myſteria in ſcribendo ad tria principalia genera reuocari, quibus etiã ſuæ ſubſunt ſpecies. Genera ſunt Notariacon, Gucmatria, & Temoura.

Notariacon eſt myſterium, ſecundũ quod primò ſingulę dumtaxat dictionũ, aut verſuum primæ litteræ ſumuntur, & poſtea

poſtea ex illis voces aliquæ efformantur ad propoſitum ſignificantes. Et hęc ſpecies vocatur *Raſci tibot*, id eſt, *capita dictionum*, Græcis acroſtychon; aut è cōtra vltimæ tantum litteræ ſumuntur modo ſupra dicto, diciturque illa ſpecies *Sophi tibot*, id eſt, *fines dictionum*. Aut etiam tertio ex ſingulis dictionum litteris formantur ſingulæ voces, aut carmina, & hęc ſpecies cum ſit vulgaris, ac nullius ferè artis, nomine generis retento vocatur *Notariacon*.

Primæ ſpeciei exemplū videtur haberi in voce *Maccabæus*, quo nomine Iudam inſignitum legimus in Scriptura, eò quod præfatas litteras quaſi pro teſſera, militari vexillo inſcripſiſſet. Deſumptæ autē ſunt ex illo cap. 15. Exodi מיכמוך באלים יהוה, *quis ſicut tu in fortibus Domine?* Huius etiam ſpeciei inſigne exemplum tradit Galatinus lib. 3. de arcanis fidei cap. 20. ex lib. *galerazaia* R. Iudæ Sancti, in illud vaticinium Geneſeos cap. 49. non auferetur Sceptrum de Iuda &c. donec veniat qui mittendus eſt, ſicut ipſe erit expectatio gentium (יבא שילה ולו) על בי quarum vocum interceptarum virgulis primæ litteræ reddunt ישו *Ieſum* nómen Meſſiæ, à priſcis ſæpe vſurpatum pro ישוע, non contemptus gratia, vt faciunt Iudæaſtri huius æui, derrahentes ע vt negent Saluatorē.

Secundæ ſpeciei exemplum habetur in illo Exodi cap. 3. *Si dixerint* (mihi quod eſt nomen eius quid) dicam eis ואמרו (לימה שמו מה) אמר להם vbi vocum interceptarum vltimæ litteræ reddunt יהוה. Vnde Cabaliſtæ elegāti epicheiremate inſinuant Deum eo ipſo haberi compertum, quo ipſo requiritur.

Tertiæ denique ſpeciei exemplum occurrit circa illud numeror. cap. 11. vbi manna dicitur *Saporis quaſi panis oleati* בטעם (לשר) השמן, quæ vox intercepta redditur *Notarice* לישה שמן רבש, *maſſa oleo melleue conſperſa*. Agitur de ſapore naturali mannæ.

Ad hunc eumdē *Notarice*, ſeu *Acroſtiche* ſcribendi modum pertinere poteſt, quod in quibuſdam Pſalmis, Ieremiæ Threnis, & in Salomonis prouerbijs c. 31 obſeruetur ſeries Alphabeti Hebræi per verſiculos digeſta, etſi enim aliqui putent illud factum partim memoriæ cauſa; partim ornatus gratia. Et quia quemadmodum nos ſententias aliquas numeris notamus, ita Hebræi litteris, quibus etiam pro numeris vtuntur, ſuas notare ſententias conſueuere: Nihilominus tamen plures alij non minus probabiliter putant aliqua myſteria in hiſce alphabeti litteris latere, & ad carmen acroſticū pertinere, de quo vide Cornelium à Lapide prolegom. in Threnos Ieremiæ.

Alterum genus *Gvematria*, vel vt alij volunt *Gemmatria* dictum, eſt æquiualentia ſenſus, ex æquiualentia numerica dictionum; ſiue litterarum vſus, quatenus ſigna Arithmetica ſunt; hoc eſt, non ſolùm quatenus ſigna prolationis oris, ſed etiam numerationis, atque hoc vſu ad ſcribendum & ſignificandum aliquid vſurpātur; qui mos vt apud Latinos olim incognitus, parumq; familiaris, ita apud Hebręos & Græcos hac potiſſimum ratione vſitatus eſt, quod ipſorum litterę ſingulæ numerum aliquem ſignificent; ſecus verò Latinorum, quibus tantùm ſeptem ſunt litteræ numerorum indices; id eſt, C.D.I.L.M.V.X. quarum I, vnitatem ſignificat, V. quinatium numerum, X. denarium: L, quinquageſimum: C, centeſimum: D, quingenteſimum: M, milleſimum. Hoc autem ſcribendi genus fit duobus modis, aut ſimpliciter ex æquiualentia numerica litterarum, aut eaſdem multiplicando, aut addendo ad inuicem, & ex ſumma producta aliquid eliciendo ad propoſitum.

Exemplum primæ ſpeciei, ſiue ſimplicis habemus in citato loco Gen. c. 49. *Veniat qui mittendus eſt*; יבא שילה, quæ voces valent numericè משיח *Chriſtus*; Vnde Onkelos Paraphraſtes, R. Selomo, & Bahal tourim, diſertè ponunt *donec veniat Meſſias* &c. Verum inter alia emicat illud egregium R. Iudę Sancti in lib. Galerazaia quęſt. 6. in quo deducit ex Ieremię cap. 33. Deum ſtatuiſſe legem condendi ac gubernandi mundum in perpetuum,

tuum, ob *pactum*, siue *fœdus* ברית id est propter ישו ומרים *Iesum & Mariam*, vtraque enim ęquiualent Arithmeticè, nempè 612.

At quod plus est, videtur hoc scribendi genus à Sancto Ioanne in Apocalypsi firmatum, dum cap.13. dixit Antichristum facturum: *Ne quis possit emere, aut vendere, nisi qui habet characterem, aut nomen bestiæ, aut numerum nominis eius. Hic sapientia est. Qui habet intellectum, computet numerum bestiæ. Numerus enim hominis est: & numerus eius sexcenti sexaginta sex.* Quamuis nihil inde certi definiri possit de nomine Antichristi, cum enim multa nomina fingi possint, quæ tam Hebraicè, quàm Grecè & Latinè, numerum illum sexcentorum sexaginta sex conficiant, quis vnquam diuinare poterit, quodnam ex tam multis Antichristi nomen futurum sit? donec veniat: de quo inde Blasium Vegam, & alios in c.13. Apocal. comment.2.sect.1. Has etiã obseruantias probauit aliquando S.Augustinus tract. 10. in Ioannem, exponens enim illud ex Euãgelio, *Quadraginta & sex annis ædificatum est templum hoc*, ait, numerum quadraginta sex annorum ædificationis templi, significare ædificationẽ templi corporei, quod sibi Christus ædificauit ex carne Adæ, cuius nomen ΑΔΑΜ apud Græcos conponitur ex litteris numerum quadraginta sex comprehendentibus, si quidem A, vnum significat, Δ, quatuor, A, vnum M, quadraginta; qui numeri simul iuncti faciunt quadraginta sex, tot enim diebus Christi corpus in vtero Mariæ absolutum est. Plurimas alias huiusmodi sententias è Sacra Scriptura deromptas refert Iacobus Marchantius in Horto Pastorum, præsertim in Monili.

Exemplum secundæ speciei videre est in voce אהיה quæ idem valet seu significat, ac יהוה Deus. Itaque אהיה per se multiplicatus, id est 21. per 21. summa producta efficitur אמת *veritas* nempè 441. cui si rursus incorporetur אהיה siue 21. summa efficitur producta רוח אהבה הנפק *Spiritus amoris procedens* nempè 462. sensus est; Deus pater se per se, si dicere liceat, plurificans, id est suum esse, absque multiplicitate filio cõmunicans producit *veritatem*, id est, *verbum*. Quo cum principio conspirans, producit Spiritum Sanctum dictũ amoris, cuius proprietas est, vt sit *procedens*. Porrò de voce אמת veritas, amplius dicq reddere numericè 441. cuius numeri sũmatio est 9. qui numerus (mirabile dictu sed verum) in tantum sui vniformitate gaudet, vt quotieslibet addas, aut multiplices 9. producta summa nihil reddet præter 9. adeo sibi vna veritas, & eadem v.g. bis 9. sunt 18. ecce 9. ter 9. sunt 27. en 9. sexies 9. sunt 54. habes 9. nouies 9. sunt 81. ecce 9. & sic in infinitum.

Tertium genus *Temoura* dictum est Anagramma perfectũ absque detractione, additione, immutatione. Et quidem aliud simplex, vocatum simpliciter *Temoura*, aliud mysticum vulgo *Tsiroph combinatio*, estque anagramma, in quo iuxta ritum 22. Alphabetorum mysticorum Hebręorum, quæ refert Thomas Dufour Ordin. S. Benedicti in fine suæ Grammaticæ Hebraicæ Parisijs 1642. aliæ pro alijs sumuntur litterę, nec solet immutari ordo litterarum, vt fit in anagrammate simplici, sed eodem ordine litterę suppositę pro veris sumuntur. Exemplum primę speciei occurrit in prima voce Geneseos בראשית quam commentans R.Iacob author Halturim, in omnes illam partes, haud infaceta per anagrammata versat. Ipsius verba sunt: *Litteræ Beresith* בית ראש, *caput siue principium domus significant, quasi diceret domus Sanctuarij primi; sicut dicitur solium gloriæ altitudinis à principio, locus sanctificationis nostræ. Alio modo litteræ istæ intelligi possunt (aliter scilicet dispositæ)* אבתשרי *in primo mense Tisri creatus est mundus. Aliter* בראשתי *creauit duas: quia creauit duas leges scriptam & oralem. Aliter* ירא שבת, *coluit Sabbatum, veluti diceret quod propter meritum, & honorem Sabbati creatus est mundus.*

In titulo quoque Psalmi noni Dauidem

dem vſum anagrammatiſmo obſeruant Titelmanus, Ricardus Genomanus, Genebrardus & alij. Et pro *Nabal* dicunt ſcripſiſſe *Laben*, vt ſic occultaret nomen inimici dicens, *pro occultis Laben*; non apertè, & clara appellatione *Nabal*, ſicut Pſalmo ſeptimo diſſimulauir nomē Saulis, vocans illum Chuſi: aliter ab alijs anagramma digeritur, & *Laben* ſcriptum dicunt pro *Nebel*, id eſt, *Nablo*, vt denotaretur inſtrumentum muſicum, ad cuius ſonum hic Pſalmus concineretur: nam in lib. Paralip. 2. dicitur occulta cum nablis decantata: *Maaſias & Banaias in nablis occulta decantabant*.

Exemplum ſecundæ ſpeciei habetur Hieremiæ cap. 25. vbi cum gentium finitimarum exterminium prædixiſſet, quas deleturus erat Rex Aſſiriorum, de eodem Rege; clarè & diſertè adiungit; Et Rex [ששך Selac] *bibet poſt eos*: agit de calice furoris diuini; vbi per ששך clarè intelligit בבל Babel; per Alphabetum 22. ſiue vltimum *Athbash* dictum ex prima & altera eius combinatione; ſic explicat hunc locum D. Hieronymus: *Sicut*, inquit, *apud nos Græcum Alphabetum vſque ad nouiſſimam litteram per ordinem legitur, hoc eſt, α, β, γ &c. vſque ad ω: rurſumque propter memoriam paruulorum, ſolemus lectionis ordinem inuertere, & primis extrema miſcere, vt dicamus α ω, β ψ, ſic apud Hebræos primum eſt א, ב, ג, vſque ad extremam litteram ת, cui penultima eſt ש, legimus itaque אתבש Etbas. Cumque venerimus ad medium, ל litteræ occurit כ. Et vt ſic rectè legatur, legimus Babel: ita ordine commutato legimus Seſach*.

Sed de his ſatis, qui plura tam ad illorum, quàm ſupradictorum omnium intelligentiam volucrit, præter interpretes vniuſcuiuſque libri, vel partis Scripturę metrica oratione compoſitæ conſuli poterunt Pineda in Salomonē, Bartholomæus Valuerdius cōment. 2. in Salomonis Alphabet. Ioānes Fortius Hortenſius lib. de myſtica litter. ſignificatione, Goropius in Hermathena, Euſebius Nierembergius lib. 5. de origine Sacræ Scripturæ, Rutilius Benſonius in Magnificat; Alphonſus Mendoça peculiari quæſtione; an Pſalmi Dauidici ſint vera carmina. Vide etiam quæ diximus ſupra ſect. 1. huius libri cap. de Elementaria Scripturæ expoſitione.

CAPVT V.

Quanti referat ad ſacræ doctrinæ ſtudium, Rethoricæ, eruditæque eloquentiæ peritia, & notitia.

POëticæ ſuccedere deberet Hiſtorica, quam ad Grammaticam reductiuè pertinere ſupra diximus cap. 2. huius ſectionis, verum quia inter decem locos Theologicos ſpecialiter annumeratur ille, qui ab Hiſtoria deſumitur, & ideo in ſectione ſequenti de illa ſeparatim, & diſtinctè acturi ſumus, nunc ad rethoricam tranſeo, breuemq; illius ideā præpono, vt indè clarius pateat, quantum vtilitatis & commodi ad ſacræ doctrinæ ſtudium, diuinarumque Scripturarum intelligenriam conferat.

Igitur *Rethorica*, ſi nominis etymologiam ſpectemus apò tis riſeios, id eſt à dictione dicta, nihil eſt aliud, quàm *ars*, vel, *doctrina benedicendi*; benedicere autem, eſt optimis ſententijs verbiſque lectiſſimis dicere; ſic proprium Rethoricæ *officium* eſt dicere appoſitè ad perſuaſionem: *finis* verò perſuadere dictione. Quæ duo ita inter ſe diſtinguntur, vt in officio quid fieri; in fine quid officio conueniat, ſpectandum ſit. Quemadmodum medici officium eſſe dicimus curare ad ſanandum appoſitè: finem verò curationc, hoc eſt, arte medendi ſanare. Itaque quid facere debemus, officium dicimus; illud autem cuius cauſa facere debemus finem appellamus. *Materia* ſubiecta Rethoricæ, ſiue oratori ad dicendum ſubiecta, eſt quæcumque quæſtio propoſita. Eſt autem quæſtio duplex, infinita, & finita, ſeu definita; *Infinita*, quæ à Græcis dicitur *Theſis*, à Latinis tùm conſultatio, tum propoſitū, eſt illa, quæ rem generaliter proponit, remotis perſonis, temporibus, cæteriſque fini-

similibus, vt expetenda ne sit eloquentia? sit ne militaris ars reipub. salutaris? *Definita*, quę à Gręcis dicitur *Hypothesis*, à Latinis cōtrouersia & causa, est illa, quę singulari aliqua persona, vel loco, vel negotio circumscribitur, vel quæ rem proponit certis personis, temporibus, cęterisque similibus circunscriptam, & definitam, vt sit ne Demosthenes Ciceroni præferendus? Et harum iterū quæstionum tria sunt genera, Demonstratiuum, Deliberatiuum, & Iudiciale; *Demonstratiuum* est illud, in quo aliquis laudatur, vel vituperatur. *Deliberatiuum* illud, in quo aliquid suadetur, vel dissuadetur. *Iudiciale* illud, in quo aliquis defenditur, vel accusatur.

Quod spectat modo ad Rethoricæ diuisionem ex parte formę, & secundum quod est ars, quæ viam & rationem eleganter, & ornatè dicendi tradit; quinque communiter assignantur illius partes, & quasi membra: inuentio, dispositio, elocutio, memoria, pronuntiatio. Oportet enim inuenire quid dicatur, inuenta disponere, deinde ornare verbis, post memoriæ mandare, tum ad extremum agere. *Inuentio* est excogitatio rerum verarum, aut verisimilium, quæ quæstionem probabilem reddant. *Dispositio* est rerum inuentarum in ordinem distributio, *Elocutio* est idoneorum verborum & sententiarum ad inuentionem, intellige ad res inuentas, accommodatio. *Memoria* est firma orationis perceptio. *Pronuntiatio* est ex rerum & verborum dignitate corporis & vocis moderatio. His adiecerunt quidam, vt Fabius lib. 3. c. 3. sextam partem, *Iudicium*, quod inuentioni subiecerunt; quòd non inuenire solùm quid dicat, sed etiam expendere, ac seligere debeat orator. Cicer. 1. de orat. Ita autem ex his partibus, earumque cōcursu perfecta coalescit eloquentia, totiusque operis oratorij vis atque virtus, vt elocutio sit cæteris anteferenda. Hanc enim nemo ausus est oratori eripere; illaque efficitur, vt cum quis ornatè, distinctè, apertèque dixerit, eloquentia præditus meritò esse videatur. Hinc etiam quia difficillima operis pars, ex Quintiliano lib. 8. M. Antonius dicere solitus erat (vt est apud Cicer. lib. 1. de orat.) à se quidem disertos visos esse multos, eloquentem autem neminem: quod idem Antonius disertos putabat dicere, quę oportebat: ornatè autem dicere, propriū esse eloquentissimi. Idem Cicero ex Quintil. ibidem de primis tribus Rethoricæ partibus hanc tulit sententiam: quod inuentio quidem, & dispositio prudentis sunt hominis: eloquētia oratoris. Porrò eloquentia ex supradictis quinque partibus conflata tribus maximè rebus comparatur, Natura, Arte, Exercitatione, ita tamen vt in inuentione, ac dispositione informanda primas obtineat natura, in elocutione excolenda ars; in acuenda memoria, pronuntiationeque limanda exercitatio.

Cum prima Oratoris cura eò collimet, vt inueniat argumenta, quibus auditori persuadeat, sciendum est *argumentum* esse probabile inuentum ad faciendam fidem; vel aliter, esse rationem rei dubiæ facientem fidem. Diuiditur in insitum, & remotum. Illud est, quod inest rei, de qua agitur: hoc quod extrinsecus assumitur. Ad eruenda argumenta proposuit Aristoteles quosdam locos, quos argumentorum sedes Rethores appellant. Sexdecim quidem ad argumenta insita; sex tantùm ad remota. Nam argumenta insita, alia sunt à definitione, alia à partium enumeratione, alia à notatione, alia à coniugatis, alia à genere, alia à forma, alia à similitudine, alia à differentia, alia à contrarijs, alia ab adiunctis, alia ab antecedentibus, alia à consequentibus, alia à repugnantibus, alia à causis, alia ab effectis, alia denique à comparatione maiorum, minorum & parium. Argumenta verò remota, seu extrinsecus assumpta Quintiliano lib. 5. cap. 1. sunt sex, præiudicia, fama, tormenta, Tabulæ, iusiurandum, testes. Quorum omnium exempla videri possunt in authoribus, qui de arte Rethorices commentaria ediderunt.

Dispositio, quæ est secunda Rethorices pars, per quam illa, quę inuenta sunt in ordinem quemdam rediguntur, est duplex: vna, quam ars ipsa & rerum natura affert, vt primo loco sit exordium, inde narratio, quibusdam propositio, tertiò confirmatio, quibusdam contentio, quod est idem, contentio enim continet disceptationem causæ, confirmans nostra, & confutans contraria; tandem peroratio, quam alij epilogum, alij conclusionem, & cumulum vocant. Hæ sunt enim quatuor orationis partes, per quas inuenta distribuimus, quarum duæ valent ad rem docendam, narratio & confirmatio: ad impellendos animos duæ exordium & peroratio. Alia dispositio est, quæ oratoris iudicio relinquitur: incidunt enim nonnunquam causæ, in quibus prætermisso exordio, à narratione, aut firma aliqua argumentatione incipiendum est: vel vbi narratio exordio & confirmationi melius subijcitur.

Elocutio tertia, & præcipua Rethorices pars, tribus potissimum rebus perficitur; Elegantia, Compositione, & Dignitate. *Elegantia* facit vt vnumquodque verbū purè & apertè dici videatur; diuiditurque in Latinitatem, & explanationem. *Latinitas* est, quæ sermonem seruat purum ab omni vitio remotum; *Explanatio* verò quæ reddit apertam & dilucidam orationem. Ea comparatur duabus rebus, scilicet verbis vsitatis & proprijs; vsitata verba ea sunt, quæ versantur in sermone & consuetudine quotidiana: Propria, quæ eius rei, de qua loquimur, verba sunt, aut esse possunt. *Compositio*, quæ est apta verborum, sententiarumq; collocatio, tria pariter ad sui perfectionē requirit, Ordinē, Iuncturam, Numerum. *Ordinis* obseruatio in verbis est singulis, & contextis siue coniunctis, hoc est sententijs. In his cauendū est, ne decrescat oratio, ne fortiori subiungatur aliquid infirmius, vt sacrilego fur, aut latroni petulans. Augeri enim debent sententiæ & insurgere. Est præterea naturalis ordo, vt quæ priora, atque nobiliora sunt, prius ponantur. *Iunctura* est, per quam leuiter fluit, & nusquam claudicat, nusquam offendit oratio: ea in verbis, in incisis, in membris, in periodis consistit. Primo loco ponuntur verba, quia ex verborum cōbinatione fit comma, hoc est, incisum, vel articulus: ex commatibus colon, id est, membrum, & ex colis periodus. *Numerus oratorius*, qui & rythmus dicitur, est certa quædam temporis in syllabis obseruatio, quę in principijs & clausulis periodorum potissimum adhibetur: nam media liberiora sunt, & ferè artem non desiderant. Differt autem hic rythmus à metro seu versu, quod versus & certum habeat ordinem, & finita spatia, à quo oratio abhorret vel maximè. *Dignitas* tandem est, quæ ornatam reddit orationem varietate eam distinguens, diuiditurque in verborum & sententiarum exornationem. Nam est quidam ornatus orationis, qui ex singulis verbis est, alius qui ex continuatis coniunctisque constat. Et ad vtrumque pertinet tàm verborum, quam sententiarum tropi, & schemata, quæ propriè vocantur figuræ; quibus cùm oratio potissimum excolatur, & pingatur, de illis breuiter agemus.

Tropus igitur est verbi, vel sermonis à propria significatione in aliam cum virtute mutatio. Vndecim numerantur; in vno verbo septem, *Metaphora*; *Synecdoche*, *Metonymia*, *Antonomasia*, *Onomatopeia*, *Catachresis*, *Metalepsis*; in oratione verò quatuor, *Allegoria*, *Paraphrasis*, *Hyperbaton*, *Hyperbole*.

Metaphora, est verbi à propria significatione in aliam propter similitudinem mutatio. Eius tota vis quadruplex est. Primò cum res animata, pro alia animata vsurpatur: sic agnus sumitur pro viro mansueto. Secundò cùm res inanimata pro alia inanimata accipitur, sic ponitur auri fomes pro cupiditate. Tertiò cùm res inanimata vice fungitur animatæ, vt cum ponitur fulmen belli pro viro forti. Quartò cùm res animata vicem subit inanimatæ; vt cum ponitur caput amnis pro principio.

Synec-

Synecdoche tropus est, in quo ex parte totum, aut contra, aut ex antecentibus sequentia intelliguntur. Quæ descriptio octo illos modos comprehendit quibus fieri potest Synecdoche. Primò cùm pars ponitur pro toto. Secundò cùm totum ponitur pro parte. Tertiò cum ponitur vnus pro pluribus. Quartò cum ponuntur plures pro vno. Quintò cum ponitur pro genere forma, id est, pars illi subiecta. Sextò cum ponitur genus pro forma. Septimò cum materia ponitur pro re fabrefacta ex materia. Octauò cum ex antecedentibus sequentia intelliguntur.

Metonymia siue denominatio, aliter Hipallage quinque modis fieri solet. Primò cum causæ ponuntur pro effectis. Secundò cum effecta ponuntur pro causis. Tertiò cum id quod continet, ponitur pro eo, quod continetur. Quartò cũ id, quod continetur, ponitur pro eo, quod continet. Quintò cum signum ponitur pro re significata.

Antonomasia, siue pronominatio, est tropus, qui ponit aliquid pro nomine, vt Apostolus pro D.Paulo. *Onomatopeia* siue nominatio, est nominis fictio. *Catachresis* abusio, cùm pro certis & proprijs verbis vtimur similibus & propinquis. Hinc à Metaphora differt, quod abusio est, vbi nomen deficit, translatio vbi etiam aliud in promptu est. *Metalepsis* Latinè *Transumptio*, ex alio in aliud velut viam præstat, vt illud Virgil. in Tytiro:

Post aliquot mea regna videns mirabar aristas.

Gradarim enim ab Aristis ad spicas, à spicis ad segetes, ab his ad æstates, ab æstatibus ad annos acceditur.

Allegoria, latinè inuersio, est oratio quæ aliud verbis, aliud sensu significat. Ab ea duo riuuli emanant, *Aenigma*, & *Ironia*. Aenigma est obscurior Allegoria. *Ironia* est oratio, quæ aliud verbis & contrarium sensu significat. *Periphrasis* est, quando id quod vno, aut paucioribus verbis dici poterat, pluribus explicatur. *Hyperbaton*, id est, transgressio est, quæ verborum perturbat ordinē peruersione, aut transiectione. *Hyperbole* denique est ementiens superiectio, cuius virtus tam in minuendo, quàm in augendo cernitur. Sed in vtroque genere hyperbolis mensura quædam seruanda est: quamuis enim hyperbole semper sit vltra fidem, tamen vltra modum nunquam esse debet. Hęc de tropis breuiter attigisse sufficiat, nunc ad figuras transeamus.

Figura (sicut nomine ipso patet) est conformatio quædam orationis, remota à communi, & primùm se offerente ratione. Differt autem à tropis figura, quia proprijs verbis figura fieri potest, quod in tropos non cadit. Illud tamen notandum coire frequenter in eadem sententia, & tropum & figuram. Tam enim translatis verbis quàm proprijs figuratur oratio, vt, qui spem Catilinæ mollibus sententijs aluerunt, coniurationemque nascentem corroborauerunt. Vbi aluerunt, & corroborauerunt translata sunt, & similiter desinentia, similiterque cadentia. Tandem sicut Tropus in verbis est, & sententijs: ita pariter figura in vtrisque spectatur. Figuræ verborum selectiores sunt sexdecim, & tribus maximè fiunt modis, per adiectionem, per detractionem, per similitudinem; figuræ verò sententiarum duodecim.

Figuræ verborum per adiectionem celebriores sunt, Repetitio, Conuersio, Complexio, Conduplicatio, Traductio, Synonimia, Polysindeton, Gradatio. *Repetitio* Græcè Anaphora & Epanaphora fit, cum ab eodem verbo sæpius ducitur oratio. *Conuersio*, quæ & Anastrophe, Epistrophe, vel Antistrope, & ab alijs Epiphora appellata est, cum in fine orationis idem repetitur verbum. *Complexio*, quæ & symploce, ab alijs Epanalepsis & Cænotes est, per quam idem verbũ tùm in principio, tùm in fine orationis repetitur. *Conduplicatio* siue copulatio, quæ & Ploce, à nonnullis Anadiplosis, ab alijs Epanadiplosis appellatur, est cũ idem verbum geminantur; *Traductio*

Græcè Ploce,Metabole,Epanodus,Tautologia, Polyptoton,est figura qua idem verbum crebrius ponitur,diuerso tamen in casu, aut genere, aut numero, & non modo auditoris animus non offenditur, sed oratio etiam concinnior redditur. *Synonimia* est cùm verba idem significãtia congregantur. *Polysindeton* est schema quod coniunctionibus abundat.*Gradatio* denique ex alio ad aliud viam præstat.

Figuræ verborum quæ fiunt per detractionem sunt Asyndeton, Protozeugma, Synecdoche. *Asyndeton*, quod & Dialyton, Barchilogia, Latinè articulus vel dissolutio, est cum multa verba sine coniunctiore proferuntur. *Protozeugma* latinè adiunctio fit, cum plures sententiæ ad idem verbum referuntur, quarum vnaquæque desideraret illud si sola poneretur. *Synecdoche* fit cum subticetur aliquod verbum ex cæteris intelligendũ, vndè ab alijs defectio, siue Eclipsis appellatur; patetque inde multum differre ab illo tropo, qui etiam Synecdoche vocatur.

Figuræ quæ fiunt per similitudinem, sunt Paranomasia, similiter cadens, similiter desinens,Compar, Antithesis.*Paranomasia* seu Prosonomasia & Paragrãma, Latinè Agnominatio, & Adnominatio fit,cum verba per litteras, per syllabas, per casus, per quantitatem,per significationem paululum immutata ponuntur. *Similiter cadens*, Græcè Homœoptoton, fit, cùm plura verba in eosdem casus incidunt. *Similiter desinens*, Græcè Homoioteleuton, fit cùm plura verba similes exitus habent. *Compar* Græcè Colon, siue Isocolon, id est, par membrum, exornatio est,quæ ex æqualibus ferè membris orationis efflorescit. *Antitheton* seu Antithesis,Latinè contrapositum, vel vt quidam vocant,contentio, contrarium, est cum ex verbis contrarijs conficitur oratio.

Figuræ sententiarum digniores, sunt Interrogatio,Responsio,Subiectio,Apostrophe, Prosopopęia, Hypotyposis, Ethopoia, Aposiopesis, Exclamatio, Emphasis, Epiphonema, Prætermissio. *Interrogatio* figura est, quoties non sciscitandi gratia, sed alias ob causas interrogamus. Nimirum instandi, dolendi, indignandi, admirandi, imperandi, &c. *Responsio* figura est, cum aliud rogatur, aliud respondetur, vel ad rem augendam vel ad minuendam, vel ad penitus negãdam. *Subiectio* Græcè Hypophora, & Antipophora est, cum orator vel interrogat seipsum, & respondet sibi: vel cùm alium rogauerit, non expectat responsum. *Apostrophè* Latinè auersio, siue conuersio fit, cum sermonem conuertimus ad absentem, vel etiam præsentem, vel defunctum, vel ad nosmetipsos, vel ad alia inuocanda. *Hypotyposis* est illustris rerum demonstratio, vel descriptio adeò expressa, vt res potius cerni videãtur, quam audiri. *Ethopœia* est imitatio vitæ,ac morum alienorum, siue cum alicuius natura certis describitur signis. *Prosopopoia*, Latinè confirmatio,fit, cum aut res mutę, aut mortui introducuntur loqui. *Aposiopesis* Latinè præcisio, interruptio, est cum dictis quibusdam, reliquum quod ceptum est dici, relinquitur in audientium iudicio. *Exclamatio*,Grecè Aria, Anaphenesis, & Apostrophe, est, quæ conficit significationem doloris aut indignationis, aut admirationis, aut laudationis, per hominis, aut rei cuiuspiam compellationem. *Emphasis* latinis significatio, est, quæ plus significat quàm dicit. *Epiphonema* est rei narratæ vel probatæ summa acclamatio. *Prætermissio*, quibusdam occupatio, Gręcis paralepsis; tunc fit, cùm dicuntur præteriri ea, quę maximè dicuntur.

Memoria quarta Rethorices pars,est duplex, vna naturalis, altera artificiosa. Naturalis est, quæ nostris animis insita est, & in nobis sine multa cogitatione nata. Artificiosa verò ea est, quam ars, & exercitatio auget & confirmat. Prior à Rethoricę partibus excluditur, cùm cæteris quoque disciplinis cõmunis sit; & de illa agant Physici; Posterior in Rethoricæ partibus continetur, cùm à sola Rethorica excolatur. Quod fit duobus mo-

modis locis videlicet,& imaginibus. Loca vel sunt à natura, vel ab arte siue manu. A natura vt mons, antrum, scopulus, aut conuallis aliqua. A manu, vt Aedes, Theatrum, Forum, Templum. Imagines sunt formæ quædam & notæ & simulacra eius rei, quam meminisse volumus, V. g. Equi, Leones, Asini, Lupi, Canes, Vulpes, Aquilæ &c. Quamquam sine memoria naturali, & assidua ediscendi exercitatione hæc omnia parũ prosunt. Qui ergò ad primam memoriæ laudem euadere conatur, abire diem nullum patiatur, in quo aliquid non ediscat; Longiora ediscenda, per partes diuidat, & ordinet, diuisa enim per partes faciliùs memoriæ inhærescunt; princepsque memoriæ subsidium est, ordo; ita vt qui ordinem negligit, laborem supra modum augeat, ægerrimè ingerat, celerrimè elapsura.

Quinta tandem, & vltima Rethorices pars est *Pronuntiatio* siue *Actio* tantùm cæteris præcellens, vt reliquæ sine illa semper iaceant, vilescant, exsibilentur: illa sine reliquis nonnunquam eloquentiæ gloriam consequatur. Sic Demosthenes interrogatus, quid esset in toto dicendi genere summum, Pronuntiationi palmam dedit. Partes eius (vt vult Martianus Capella) tres colligũtur. Vox, Vultus, Gestus. Cicero autem, & Quintilianus duas tantùm eius partes faciunt vocem atque motum, vt qui motum subdiuidere videantur in vultum & gestum; pronuntiatio nomen accipit à voce, Actio à gestu, quorum alter aures, alter oculos mouet, per quos duos sensus omnis ad animum penetrat affectus. In vocis figura tria requiruntur, Magnitudo, Firmitudo, & Mollitudo. *Magnitudo* vocis est amplitudo canora, quàm natura maximè comparat, cura, auget, & maximè conseruat. *Firmitudo* vocis est perseuerantia quædam decora, quam adauget, & maximè conseruat declamationis exercitatio, quodque orationis principia dicantur voce quàm maximè sedata, ac depressa, nam læduntur arteriȩ, si antequam leui voce permulsæ sint, acri clamore compleantur. Item ad firmitudinem vocis multum conducit, si interuallis longioribus vtamur: recreatur enim vox spiritu, & arteriȩ reticendo acquiescunt. Rursus, si acutas vocis exclamationes euitabimus; vulnerantur enim arteriæ acuta, atque attenuata nimis acclamatione. *Mollitudo* vocis, est volubilitas quædam facilis, quam pro varietate orationis, seu rerum de quibus in oratione agitur, commodè possimus flectere nunc tollendo, nunc deprimendo, nunc æquabili voce pronunciando; diuiditurque ab aliquibus in tres partes, sermonem, contentionem, amplificationem. *Sermo* est oratio remissa, & finitima quotidianæ locutioni, quæ conuenit Procemio, Narrationi, & Diuisioni. *Contentio* est oratio acris & vehemens ad cõfirmandum, & confutandum accommodata; vnde etiam confirmationi, & confutationi potissimum conuenit; diuiditurque in continuationem, & distributionem. *Continuatio* est oratio clamosa, qua nullis ferè interuallis vtimur, sed semper acceleramus. *Distributio* verò est oratio frequẽs cum raris interuallis acri vociferatione pronuncianda. *Amplificatio* est oratio quæ aut ad iracundiam inducit, aut ad misericordiam trahit auditoris animum, & hęc conuenit perorationibus, diuiditurque in cohortationem, & conquestionem. *Cohortatio* est oratio, quæ aliquod peccatum amplificans auditorem ad iracundiam incitat. *Conquestio* est oratio, quæ incommodorum amplificatione, audientium animum ad misericordiam inducit.

Quod pertinet ad corporis motum, siue gestum, quę est altera pronuntiationis, vel actionis pars vocem subsequi debet, sicque cum illius mutatione, rerumque varietate cohærere: vt nihil absonum auribus, nihil inuenustum oculis, nihil impolitum animis offeratur. Status erit erectus, & celsus, rarus incessus, nec ita longus, excursio moderata, eaque rara, molliria ceruicum nulla, nullæ argutiæ digitorum; brachij proiectione in contentionibus, contractione in remissis

missis, pedis supplosione in contentionibus, aut incipiendis, aut finiendis vtendum est. Sed in ore sunt omnia; hæc est enim vna pars corporis, quæ quot animi motus sunt, tot significationes & commutationes possit efficere. Hæc de totius Rethorices partibus, ac præceptis breuiter dicta sufficiãt pro instituti nostri ratione, & vt ostendatur quantùm eius peritia, & notitia referat ad perfectum sacræ doctrinę studium, cui seriam sanamque eloquentiam nō deesse statim demonstrabimus.

Et si igitur futilis & vana longè à sacris litteris absit eloquētia; vt potè quod illa verborum concinitas, lenocinia orationum, sermonum affectata dicacitas, non tantùm est indigna litteris sacris, verum & sanis serijsque orationibus, dicente Seneca epist. 75. *Quis enim accuratè loquitur, nisi qui vult putidè loqui? non delectent verba nostra, sed prosint, nō quærit æger medicum eloquentem, sed sanantem.* Quod idem repetit epistola 115. ad Lucillum: *Nimium anxium te esse circa verba, & compositiones nolo: habeo maiora, quæ cures, quære quid scribas, non quemadmodum. Cuiuscumque orationem videris sollicitam & politam, scito quoque non minus esse pusillis occupatum, magnus ille remissius loquitur, & securius.* Item Cicero in Bruto mediocre genus dicendi effert, vt optimum; & in eo asserit emicuisse Demosthenem, eximiosque Grecorum oratores. Et si, inquam, res ita se habeat, quod verborum exquisitorum elaborata constructio non eloquentiæ sanæ, sed luxuriantis loquentię pars sit, quam proinde diuinarum Scripturarum grauitas minimè patitur; nihilominus si loquamur de vera, solidaque eloquentia, quæ in sententiarum grauitate, vtilitate, sublimitate, amabilitate verborum, similibusque consistit, illa sat, superque nitere, & mirum in modum sacras irradiari Scripturas sequentia demonstrant argumenta.

Nam primò si seria, sanaque eloquētia est veræ sapientiæ pars; dicente Tullio lib. 2. de orat. cap. 4. *Eloquentia nemo vnquam floruit, sine omni sapientia*; quapropter ipse lib. qui dicitur orator num. 9. negat veram illam & absolutam eloquentiam ab aliquo homine consecutam fuisse, vt potè quod nemo hominũ hactenus sapientia claruit. Insuper si cōmuni sententia, contra Stoicorum, Academicorumque placitum, definitur orator apud Quintilianum lib. 1. instit. c. 1. *Vir bonus dicendi peritus, quia*, inquit, *benedicere non potest nisi bonus.* Cum inter omnes Scriptores, sacri maximè eniteant, tam sapientiæ laude, quam probitatis, non potest non ab eorum libris vera eloquentia desumi, & expeti.

Secundò, cum eloquentia definiatur à Cicerone particul. orat. num. 42. *Copiosa loquens sapientia*; vel id, quo humilia subtiliter, magna grauiter, mediocria temperatè dicuntur lib. 3. de orat. sequitur perfectam diuinis Scripturis inesse eloquentiam, de quibus ait D. Paulus 1. Corinth. cap. 1. *Diuites facti estis in omni verbo, & omni sapientia.*

Tertiò oratoris munus, supremaque eloquentiæ laus, & perfectio in eo consistit, vt doceat, delectet, & flectat; quorum trium docere, inquit D. Agustinus lib. 4. de doctr. Christ. cap. 4. est necessitatis: delectare suauitatis: flectere victoriæ. Horum item illud, quod primo loco positum est, in rebus ipsis constitutum est, quas dicimus: reliqua duo in modo docendi ea quæ dicimus. Vnde si quis etiam delectare vult eum, cui dicit, aut flectere, non id quocumque modo dixerit, faciet: sed interest quomodo dicat, vt faciat. Sicut est autem, vt teneatur ad audiendum, delectandus auditor: ita flectendus, vt moueatur ad agendum. Et sicut delectatur, si suauiter loquaris: ita flectitur, si amet quod polliceris, timeat quod minaris, oderit quod arguis, quod commendas amplectatur: quod dolendum exaggeras, doleat: cum quid lætandum prædicas, gaudeat: misereatur eorũ, quos miserandos ab oculos dicendo constituis, fugiat eos, quos cauendos terrendo proponis: & quidquid aliud grandi eloquentia fieri potest

ad

ad commouendos animos auditorum, non quid agendum sit, vt sciant: sed vt agant, quod agendum esse iam sciunt. Docere ergò (inquit) est necessitatis, delectare suauitatis, flectere victoriæ. Ideo autem victoriæ, quia fieri potest, vt doceatur auditor, & delectetur, & tamen non assentiatur. Oportet igitur eloquẽtem non solùm docere, vt instruat, & delectare, vt teneat: verùm etiam flectere, hoc est, mouere, vt vincat, id est, persuadeat.

Sed ex D. Paulo 2. ad Timoth. c. 3. *Omnis Scriptura diuinitùs inspirata vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia: vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.* Secundò dicitur Psal. 118 v. 113. *Quam dulcia faucibus meis, eloquia tua super mel ori meo*. Et rursum ibid. v. 162. *Letabor ego super eloquia tua, sicut qui inuenit spolia multa*. Tertiò prouerb. 30. v. 5. *Omnis sermo Domini ignitus est*. Et Hierem. 25. *Numquid non verba mea sunt quasi ignis? & quasi malleus conterens petram?* Et Isaiæ 55. *Quomodo descendit imber, & nix de cælo, & illuc vltra non reuertitur, sed inebriat terram: & infundit eam, & germinare eam facit, & dat semen serenti, & panem comedenti: sic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum, sed faciet quæcumque volui, & prosperabitur in his ad quæ misi illud.* Tandẽ Hebræor. cap. 4. *Viuus est sermo Dei, & efficax & penetrabilior omni gladio ancipiti*. Igitur si eloquentię summa in eo sita est, vt doceatur is apud quem dicitur, vt delectetur, vt moueatur. Consequens est diuinis litteris maximam inesse eloquentiã, quæ hęc tria perfectissimè præstant. Adeo vt Ioannes Picus Mirandul. epist. ad Hermolaum dicat, *Non mouent, non persuadent sacræ litteræ, sed cogunt, agitant, vim inferunt*.

Quartò tandem, & vltimò tam àd prædictorum veritatem, quàm ad ostendendum etiam, quantum sit viro Theologo Rethorices peritia ad sacræ doctrinæ studium vtilis, & necessaria, faciunt innumeri tùm verborum, tùm sententiarum tropi, & figuræ, quibus tanquam fulgentissimis eloquentiæ luminibus diuinæ resplendent Scripturę, vt vel oscitanter legentibus illas patebit; possuntque de illis consuli D. Augustinus lib. 4. de doctr. Christ. cap. 4. & sequentibus. Venerabilis Beda tomo 1. tractatu singulari de sacrę paginę schematibus sacris; Sanctes Pagninus in Isagoge ad litteras sacras cap. 26. & sequentibus, vbi sigillatim illarum figuras refert, & expendit; Petrus Garsia Galarsa lib. 2. Euangelicę Institut. Syluester Petra Sancta de Sacris Bibliorum Metaphoris, & quę dicentur infra lib. 5. huius operis, sect. 2. cap. 4.

CAPVT VI.

Quanti referat ad sacram doctrinam Dialectica scientia.

QVamuis ex dictis superiori libro satis pateat, quã vtiliter ad Theologiam adiungatur subtiliter disputans Philosophia; nihilominus tam ad pleniorem illorum intelligentiam, quam ne inter cæteras artes, & scientias, quas sacra doctrina tanquam ancillas vocat ad arcem, desideraretur Dialectices compendium, placuit hic illud suo ordine collocare, paulò etiam fusius.

Incipiendo igitur à nomine existentia & origine Logicæ, siue Dialecticæ, sic à verbis Græcis Logos, & Dialegomai nuncupatur, quod Logica artificialis (de naturali enim non agimus in presenti) sit habitus, seu facilitas intellectus dirigens illum, vt res perfectè, & sine errore cognoscat, atque adeò de illis verè & argutè discurrat. Omnes enim secundæ intentiones, de quibus tractat Logica, sunt quidam modi, & instrumẽta sciendi, loquendo largo modo de illis, quibus ita disponuntur res, & obiectiuè applicantur ad intellectum, vt facilè de ipsis veram assequatur scientiam; per quod etiam ens rationis logicum differt ab entibus rationis, quæ conside-

rant

rant Grammatica, & Rethorica.

Dari autem in rerum natura talem habitum facilè demonstratur ex prouidentia naturæ, quæ vt nunquam abundat in superfluis, ita nec deficit in necessarijs, maximè in ijs quæ ad intelligendũ pertinent. Logica autem artificialis est summè necessaria ad rectè intelligendũ, vt scilicet de rebus sine errore iudicemus, & discurramus; si quidem experientia compertum est eos, qui difficile prius, & cum errore discurrebant, postquam certis Logicæ præceptis, ac regulis sunt instructi, facilè & sine errore discurrere; & hoc non semel, aut bis, sed permanenter in omnibus suis actibus; Natura igitur non debuit deficere in prouidendo de tali instrumento nostro intellectui, ita vt esset ab illo naturaliter acquisibile.

Itaque, licet certum sit in primæ mũdi origine, Dialecticam, sicut & reliquas alias disciplinas Adamo fuisse per reuelationem communicatas, à quo postea ad filios, & posteros deriuari transmittique potuerunt; iniuria tamen temporis ferè deleta logica, rursus experimẽto potuit adinueniri, ad eum modum, quo aliæ scientiæ inuentæ sunt, hoc est occasionaliter; quatenus intellectus ex longa obseruatione, & diuturna reflexione supra suos actus, aduertens quod aliquando definiebat, aut diuidebat benè, aliquando malè, & quod in suis discursibus aliquando concludebat, aliquando non; motus est ad inuestigandam illius causam, qua cognita virtute Logicæ naturalis, potuit postea constituere præcepta aliqua benè definiendi, diuidendi, & argumentandi, sicque paulatim Logicã artificialem inuenire.

Huic habitui Logicę artificialis iniuriosè denegant aliqui rationem scientiæ, solo artis nomine contenti; sed quàm immeritò, patet ex diuisione illa, tàm ab antiquis Philosophis, quàm à Sanctis Patribus communiter admissa, qua diuiditur Philosophia in naturalem, moralem & rationalem. Dicendum est igitur quod Logica sit verè & propriè scientia, & ars simul, liberalis tamen. Ex illa enim parte qua habet actus demonstratiuos, reducendo conclusiones ad prima principia indemonstrabilia, V.g. cum probat contradictoria non posse esse simul vera ex illo principio, *quodlibet est, vel non est*; ostendit syllogismum in *Barbara*, & in *Darij* rectè concludere, quia perfectè saluatur in illo *dici de omni*; & sic de alijs; ex illa, inquam, parte Logica necessariò est habitus scientificus, non solùm ea ratione generali qua quęcumque cognitio solet appellari scientia, sed etiam rigorosè loquendo de scientia prout solet definiri habitus per demonstrationem acquisitus. Quando ergò vocatur à Philosopho Logica modus, & instrumentũ sciendi, debet intelligi quasi obiectiuè, non formaliter; agit enim tanquam de obiecto, de modo sciendi, & de instrumentis necessarijs ad alias scientias acquirendas, vt sunt syllogismi, propositiones cæteræque intentiones logicales, & ex parte huius obiecti differt ab alijs scientijs, quia aliæ agunt de rebus, ista de modo sciendi; ob quam etiam rationem dixit S.Thomas non contineri logicam principaliter sub Philosophia, quia non agit de rebus sicut illa, sed de modo cognoscendi res, quod videtur esse aliquid minus principale.

Ex alia vero parte qua Logica tradit certa & determinata præcepta construẽdi definitiones, diuisiones, & argumentationes, manifestè constat illam habere omnia essentialiter requisita ad rationẽ artis, litteralis tamen; nam sub regulatione artis, quæ solet definiri *recta ratio operum faciendorum*, non solùm cadunt opera externa, quæ vocantur factibilia, circa quæ occupantur plerumque artes seruiles dictæ, eo quod opera externa sunt magis seruilia & despotica, hoc est imperio & directioni artis subiecta; sed etiam opera interna, quæ sunt magis libera, & minus seruilia, & ideo artes, quę illa diriguut, sicut Logica, vocantur artes liberales. Nec in hoc vlla est contradictio, quod vnus, & idem habitus sit simpliciter scientia simul, & ars libera-

lis:

lis: quamuis enim artes etiam liberales dicantur esse de singularibus, & contingentibus ex parte applicationis ad opus, & ob hanc rationem sint ex D. Thoma 12. quæst. 57. artic. 4. ad 2. in parte animę opinatiua; non tamen ex parte regularum, quibus dirigunt; illę enim sunt certæ, & determinatę, & in vniuersali, vnde & ars numeratur inter virtutes intellectuales ab eodem D. Thoma loco statim citato quæst. 57. Quare non repugnat ex hoc capite, quod vnus & idem habitus sit ars liberalis & scientia. Similiter non repugnat ex alio capite, quo posset dici artem procedere modo compositiuo & practico, scientiam verò modo resolutiuo, & speculatiuo. Non enim est de ratione artis vt sic, quod procedat modo compositiuo & practico; sed quando eius opus est speculatio, vt contingit in Logica, dirigit non componendo, sed resoluendo, vt amplius declarabitur explicando quomodo Logica sit scientia simpliciter speculatiua, & nõ practica. Igitur quando D. Thomas 1. Metaph. lect. 1. diuidit artem contra rationem speculatiuam non loquitur de arte liberali, & de illa maximè quæ versatur circa opus internum rationis, sed de illa quæ ita est ars, vt non sit scientia.

Cum in quolibet habitu scientifico duplex obiectum distingui soleat, materiale scilicet, & formale, materiale dicitur illud, quod non per se, sed ratione obiecti formalis attingitur, seu consideratur à scientia, vel potentia; at nomine obiecti formalis intelligitur illa formalitas, seu ratio vel determinatio, mediante qua aliquid habet attingi ab habitu. quę si sit vltima, ita vt cętera ab ea determinentur, solet vocari obiectum *formale quo*, seu *ratio sub qua* scientiæ, quia sub illa reliquę formalitates in tali scientia consideratę continentur. Declarandũ est breuiter quodnam sit obiectum tàm formale, quàm materiale habitus logici. Quidam ergò attendentes ad solas operationes intellectus, quas primò, & per se dirigit Logica, simpliciter dicũt obiectum formale quo illius esse aliquid reale; quod tamen nõn eodẽ modo omnes explicant, quidã enim asserunt operationes intellectus, prout dispositę sunt in forma definitionis, diuisionis, & argumentationis, esse obiectum formale Logicæ: ita vt non solùm operationes ipsę, sed talis etiam dispositio sit quid reale: alij verò videntes fortasse dispositionem illam in ipsis actibus non esse quid reale, asserunt obiectum formale Logicę integrè intelligi ante talem dispositionem, esseque ipsas operationes intellectus, vt dirigibiles solùm media ipsa dispositione modi sciendi.

Probabilius tamen est, quod dicunt communiter discipuli D. Thomę, materiam quidem dirigibilem à Logica tanquam operationem esse aliquid reale; materiã denominabilem ab artificio logico, tanquam obiectum, seu rem cognitam, esse quodcumque cognoscibile per illas operationes intellectus, siue sit reale, siue rationis: formam verò tam respectu operationis dirigibilis, quam respectu rei cognitę, sub qua pertinent ad Logicam, esse aliquid rationis, non purè fictum, sed habens fundamentum in rebus. Loquendo igitur de obiecto formali, & immediato Logicę, est ens rationis, non quidem in tota sua latitudine, nam de chimęra, & alijs eiusmodi entibus rationis purè fictis nihil agit, sicut nec de multis alijs relationibus rationis, quę fiunt cum aliquo fundamento in re, vt sunt relationes quibus Deus refertur ad creaturas & similes; sed est ens rationis per antonomasiam dictum Logicum, siue secunda intentio, quæ est veritatis ostensiua, vel modus sciendi latè sumptus, provt comprehendit omnes secundas intentiones logicales, etiã eas quæ fundantur in vocibus, vt sunt significatio, suppositio, appellatio, & similes, si quidem summoperè iuuant, vt de qualibet re recta, & sine errorę notitia comparetur, & per se conducunt ad dirigendas operationes intellectus qui est finis Logicę; quod sufficit vt dicantur contineri sub obiecto adęquato eius; quia tamen definitio, diuisio, & argu-

mentatio, & inter argumentationes demonstratio ex parte materię proximius attingunt finem Logicę, quàm alię intentiones minoris notę, ideo inter obiecta de quibus agit Logica rectè dicuntur obiecta principalitatis. At loquendo de obiecto materiali Logicę sunt res omnes, & voces secundum suum esse reale, non verò actus intellectus: illud enim dicitur obiectum materiale alicuius potentię, vel habitus, quod propriè loquendo suscipit denominationem obiecti formalis talis habitus: res autem sunt, quæ propriè denominantur genus, species, subiectum, definitum, &c. non autem actus intellectus, nisi quatenus induunt rationem rerum; & sic Logica agit tantum de actibus intellectus propter secundas intentiones, quatenus scilicet sunt principia, & causæ illarum, in quo sensu vocari possunt obiectum Logicæ causaliter.

Quod totum colligitur ex Philosopho 4. Metaph. cap. 2. vbi æquiparat Dialecticam cùm prima Philosophia, scilicet, Metaphysica, quod Dialecticæ, sicut & Metaphysicæ sit considerare de omnibus. Cum igitur omnes res non conueniant nisi in ente, manifestum est, quod Dialecticæ materia, siue obiectū materiale sit ens, & ea quæ sunt entis, de quibus etiam agit Metaphysicus. Si igitur obiectū materiale Logicæ est omne ens, proculdubio obiectum formale ipsius debet esse tale quid, quod possit inueniri in omni ente; sicut propter eādem rationem obiectum formale Metaphysicæ debet esse quid inuentum in omni ente. Duo autem solum genera predicatorum inueniuntur in omnibus entibus: alia sunt quæ conueniunt illis à parte rei secluso intellectu, & hęc tantùm sunt ratio entis, passionesque illius, & hæc sunt obiectū formale Metaphysicæ. Alia verò sunt prædicata, quæ cōueniunt omnibus entibus per operationem intellectus, vt esse subiectum, prædicatum, definitum, diuisum, genus speciem &c. quæ proindè dicuntur secundæ intentiones, & hæ necessario debent esse obiectum formale Logicæ. Sic ergò rectè quis illam definierit dicendo, quod sit *scientia secundarum intentionū, quæ sunt veritatis ostensiuæ*, vel, *modi sciēdi latè sumpti*. Obiectum etiam Logicæ quod est ens rationis habet abstractionem similem abstractioni Metaphysicæ, id est, ab omni materia, non per depurationem actualitatis ab illa, sed per negationem omnis materię.

Quia scientiarum aliæ sunt speculatiuæ, aliæ practicæ, quarum primæ respiciunt veritatem vt sciatur, secundæ verò, vt fiat, & executioni mandetur in opere; videndum est breuiter, sub quo horum membrorum diuidentium habitus scientifici contineatur Logica. Pro quo dico Logicam essentialiter & ex vi suorum principiorum simpliciter & absolutè esse scientiam speculatiuam: licet secundum quid & per quamdam analogiam possit denominari practica; vt habetur ex D. Th. 1. 2. quęst. 57. artic. 3. ad 3. & 22. quæst. 47. Ratio autem essentialis huius dicti sumitur tùm ex parte principiorum, ex quibus Logica procedit, tùm ex parte finis circa quem versatur. Ex parte quidem principiorū, quia principia quibus vtitur Logica in construendis syllogismis, v.g. *Quæcumque sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*; *Dici de omni, dici de nullo*, sunt principia omnino speculatiua, sicut & illa, quibus procedit circa naturam generis, & vniuersalium, circa rationem oppositionis, circa modum definitionis & diuisionis, vnde etiam aliæ scientiæ speculatiuæ vtuntur illis, sicut notauit S. Thomas 1. Poster. lect. 20.; ergò ipsa Logica est etiam sciētia simpliciter speculatiua. Ex parte autem finis circa quem versatur Logica, idem proportionaliter probatur; quia finis Logicæ sunt actus intellectus vt dirigibiles in ordine ad cognoscendum verū, atque adeò ipsum scire propter seipsum, ad hoc enim inuenta est Logica, vt ratio non procedat ignoranter, neque erroneè; ergo Logica non est scientia practica, sed simpliciter speculatiua; si quidem practicū, & spe-

& speculatiuum in hoc essentialiter distinguntur, quod speculatiuum, non solùm ex parte intelligentis, & operantis actualiter, sed ex fine intento ex vi ipsorum principiorum, & regularum quibus vtitur, sit propter ipsum scire, seu ad cognoscendam veritatem; non vt faciat, sed vt sciat, & ignorantiam effugiat; ita vt ad scientiam speculatiuã requiratur, quod vel materia eius, operabilis non sit, sicut quæ considerat Deum & Angelum, aut Cælum, & cætera huiusmodi; vel si sit operabile obiectum, quod non vt operabile, sed vt scibile, & tanquàm verum quoddam attingatur. At practicum per oppositum respicit solùm veritatem vt fiat, & constituatur in esse; ita vt ad scientiam practicã necesse sit, quod obiectum, seu materia ipsius sit operabilis, & modo operabili attingatur. Et propterea principia speculatiua dicuntur resolutiua, quia solum respiciunt veritatem, vt in sua principia resoluitur; principia autem practica vocantur compositiua, quia respiciunt veritatem, vt ponendam in esse: de quo vide S. Thomam 2. Metaph. lect. 2.

Ex quibus colligitur, non repugnare, quod actus intellectus sint praxis, ex eo quod actus intellectus sint quomodocumque, sed ex eo quod speculatio sint, & tendant ad veritatem, ibique sistant, quod enim sistit in veritate, contemplatiuum est; & speculatiuum; vndè sola exterior actio, id est extra cognitionem vt præcisè sistit in veritate, spectat ad intellectum practicum; sicque actus intellectus, vt induunt moralitatem, & liberæ voluntatis motioni subiacent, possunt practicis prudentiæ regulis dirigi, vocarique praxis, sicut actus aliarum virtutum, quia sic quodammodo dici possunt actus exteriores respectu cognitionis veritatis.

Illa diuisio qua Logica distinguitur in docentem, & vtentem, seu à rebus auulsam, & rebus concretam, non est diuisio, quasi duo sint habitus realiter & essentialiter distincti, cùm procedant ex ijsdem principijs secundarum intentionum, nec requirat actus vsus distinctum dictamen, addendo super doctrinã specialem difficultatem vincendam; quia tota difficultas directionis Logicæ consistit in cognoscendis ipsis secundis intentionibus pro vt fundantur in primis, hoc enim cognito, vsus, seu applicatio ipsa non habet specialem difficultatem, si quidem talis applicatio fit ad res cognitas per actus naturali repræsentatione, & tendentia respicientes obiecta; vnde nulla est difficultas in dirigendis actibus, vt eliciantur, sed in cognoscendis obiectis, quibus secundæ intentiones applicantur. Similiter etiam ex parte ipsorum obiectorum, cognitis semel regulis, ac præceptis Logicæ, quæ demonstratiuè traduntur à parte docente, nulla superest difficultas vincenda in illis applicandis ad talem, vel talem materiam, sed solùm indiget appositione materiæ, ad quam ipsæ regulæ sine noua difficultate superãda ex parte sui applicantur, & extenduntur. Sicut qui habet artem musicæ, vel cytharizandi, ex eisdẽ principijs artis potest digitos applicare ad quodcumque instrumentum, quod si digitos ita expedite mouere nõ potest, ad hanc difficultatem vincendã non indiget noua arte, sed exercitatione corporali, aut aliquo alio quo tollatur prædictum inpedimentum, & sic qui expeditius mouet digitos non generat nouam artem, sed impedimentum eius aufert. Sic intellectus quandò exercitatur in syllogizando, tàm circa materiam propriam, quàm circa alienam aliarum scientiarum, discurrendo probabiliter in illis ex aliquibus principijs secundarum intentionum, non acquirit nouam artẽ, seu habitum ab ipsa doctrina Logicæ; sed expeditiorem vsum dumtaxat: Igitur Logica est vnus & idem tàm numero, quàm specie indiuisibilis habitus, qui pro vt præscribit regulas, & docet conficere syllogismum, & alia, dicitur *docẽs*, & pro vt regulis præscriptis vtitur, & talem syllogismum conficit, dicitur *vtens*.

Ex quo apparet quanta sit disparitas inter prudentiam, & habitum Logicæ, quod

quod prudentia non solùm indiget vna virtute ad benè, & rectè iudicandum, quæ dicitur *Synesis*: sed etiam alia ad imperandum, & exequendum, quæ est ipsa prudentia, Logica verò non. Cuius ratio desumitur ex D. Thoma 22. q. 47. artic. 8. Vbi docet quod perfectio artis consistit in iudicando, non in præcipiẽdo; perfectio verò prudentiæ è conuerso; vnde reputatur melior artifex qui volens peccat in arte, quasi habens rectũ iudicium, quam qui peccat nolens &c. imprudentior vero, qui volens peccat, quasi deficiens in principali actu prudentiæ, qui est precipere, quam qui peccat nolens. Quod præcipuè verum est in arte Logicæ, cuius finis sunt ipsi actus rationis dirigendi: tota enim difficultas intellectus est in iudicando, seu ordinando de aliqua veritate; quicquid verò superest, vt alij actus dirigantur ex ista veritate sic cognita, non habet specialem difficultatẽ, quia intellectus naturaliter tendit ad obiecta semel proposita. In moralibus autem post iudicatũ, & cognitum bonum restat precipua difficultas in applicanda voluntate propter eius libertatem, vel resistentiam ad bonum regulatum: vndè requirit distinctũ habitum, qui est ipsa prudentia.

Sic igitur frequens repetitio actuum Logicæ vtentis generat quidem facilitatem quamdã per modum dispositionis, & expeditionis in applicatione materię, seu in exercitio artis, non tamen per modum nouæ artis, seu habitus, quia non indiget nouo motiuo, sed noua applicatione tantùm; actus enim non generant nouum habitum, nisi nouam rationem formalem aut motiuam importent, si autem sunt secundarij, respiciantque solùm applicationẽ materiæ, non oportet quod generent nouum habitum, & distinctam speciem scientiæ, sed aliquid imperfectum in genere habitus, quod vt diximus, est quasi dispositio, seu expeditio quędam in ipso exercitio artis.

Maior difficultas est, an sicut Logica docens non solum reperitur in parte demonstratiua sed etiam in parte Topica, & Sophistica, eo quod scientifico modo docet conficere tàm demonstrationem, quàm syllogismum probabilem, & apparentem; ita etiam dicenda sit vtens non solum respectu partis Topicæ, & Sophisticæ, sed etiam demonstratiuæ? Affirmatiuam partem tenent multi existimantes Logicam vtentem, sicut & docentem, per omnes Logicæ partes diuagari; quod tamen alij negant de Logica vtente respectu partis demõstratiuę. Sed hoc pertinet potius ad questionem de nomine, quàm de re, secundum quod vnusquisque pro suo beneplacito diuersimodè vsurpat illud nomen *vsus*, & *vtens*. Nam si sumatur vsus, aut vtens veluti passiuè, sic certum est Logicam docentem posse dici vtentem; si quidem ea vtuntur aliæ scientiæ. Iterum si sumatur vsus veluti actiuè, quatenus idem significat precisè, ac precepta semel tradita alicui materiæ indifferenter applicare, sic Logica respectu partis demonstratiuæ in materia propria dici potest vtens, tum quia multa demonstrat de suo obiecto vtendo principijs secundarum intentionum; sicut enim ex Diuo Thoma 4. Metaphysicę lect. 4. vsus partis demonstratiuæ Logicæ in materia aliena consistit in vtendo principijs rerum, quæ ad scientias reales pertinent, non vtendo intentionibus Logicis, quæ sunt aliquid extrinsecum rebus; ita per oppositũ vsus partis demonstratiuæ Logicæ in materia propria, debet consistere in vtendo principijs secundarum intentionum, quæ tali materiæ vt potè enti rationis sunt aliquid intrinsecum. Tùm etiam quia Logica in parte demõstratiua non tradit regulas & præcepta nudè, vt ita dicam, & simpliciter; sed artificiosè, & scientifico modo ea per suas causas ostendendo, atque adeo in ipsa doctrina tradenda, exequendo eadem præcepta. Igitur si sumatur vsus actiuè præcisè pro eo quod est præcepta, ac regulas traditas alicui materiæ applicare, nemini dubium esse potest, quin etiã Logica dicatur vtens in parte demõstratiua respectu materiæ proprię.

At

At si sumatur Logica vtens, quatenus præbet vsum in alijs scientijs, seu materijs probabiliter disputãdi sine hoc quod procedatur demonstratiuè, & resolutiuè vsque ad prima principia vt docet D. Thomas 4. Metaph. lect. 4. & opusculo 70. quest. 6. artic. 1. sic euidens est vsum non pertinere ad partem Demonstratiuam, sed Topicam, quia talis vsus non est demonstratio, si quidem non est resolutio cum plena certitudine in principia certa, & euidentia, sed tantùm inquisitiuè, & disputatiuè procedit ad vtrumlibet, ex probabilibus parando viã ad necessarias conclusiones. Et si hoc faciat procedendo solùm ex quibusdam principijs communibus, & probabilibus aliarum scientiarum, non admixtis aliquibus terminis secundarum intentionum, tunc talis vsus pertinet ad Logicã solùm directiuè: at si hoc faciat præbendo propria principia tali discursui, & disputationi, cuiusmodi sunt loci topici à definitione, à diuisione, à coniugatis, & alijs, tunc talis discursus non solùm directiuè, sed etiam elicitiuè erit à Logica vtente; quia nõ solùm præbet modum disputandi, sed etiam materiam, seu principia. Pertinet autem ad aliquem habitum elicitiuè, quicquid ex proprijs principijs deducit, siuè resolutiuè, siue tantùm disputatiuè, & tentatiuè id fiat. Ita tamen vt talis discursus sit tantùm actus secundarius, & imperfectus Logicæ; & ideò sic Logica docens, & vtens sunt vnus & idem habitus scientificus, vt secundùm quod est vtẽs in parte Topica, & Sophistica degeneret, & recedat à modo scientiæ: vsus enim in illis partibus est constructio syllogismi probabilis, & apparentis; in quibus licet forma, & illatio sint necessaria, materia tamen est contingens, & incerta.

Habitum Logicæ artificialis necessarium esse ad alias scientias maximè speculatiuas acquirendas, in confesso est apud omnes Philosophos, solùmque est difficultas circa modum necessitatis, quibusdam existimantibus Logicam solùm esse vtilem, non simpliciter necessariam; alijs vero esse necessariam simpliciter, sicut causa vniuersalis requiritur simpliciter ad omnes actiones, causæ particularis. Quæ duæ sententiæ facilè possunt ad concordiã reuocari dicendo, ad scientias speculatiuas comparandas artificialem Logicam esse simpliciter necessariam, quantum ad statum perfectũ scientiæ, & quo ad eius conseruationem, & quasi nutritionem, non quo ad imperfectum esse, & quasi primam generationem scientiæ, ad hoc enim sufficit Logica naturalis: Quamuis enim Logica sit causa vniuersalis influens in omnes scientias modum artificiosum procedẽdi, non tamen est causa vniuersalis per se primò, sed tanquam instrumentum coadiuuans agens principale, quod est intellectus, quod de omni arte docet S. Thomas 1. p. q. 117. artic. 1. causa autem vniuersalis instrumentalis non est ita simpliciter necessaria, quod sine ipsa, nullus effectus artis fieri possit, præsertim quando tale instrumentum virtualiter continetur in ipsa causa principali, & ex eius principijs deducitur, vt contingit in præsenti, tunc enim loco illius causa principalis potest supplere defectum artis, & facere effectum artis sine arte. Sicut dicit Philosophus 9. Metaphys. textu 7. quod *addiscens artẽ operatur actionem artis sine arte*. quod explicat ibi D. Thom. lect. 7. in fine, *quia potest homo aliqualiter exire in scientiæ, & virtutis actum, antequam habeat habitum scientiæ, & virtutis, quo adepto perfectè operatur*.

Ex omnibus huc vsquè dictis facilè colligitur quinam sit dicendus finis Logicæ artificialis, loquendo enim de fine proximo, erit cognitio sui obiecti, nempe secundarum intentionum, loquendo verò de fine remoto, comprehendit fines omnium aliarum scientiarum. Cum enim Logica Artificialis, sit ministra quædam, non huius, aut illius scientiæ in particulari, sed generalis omnium, vnde ars artium appellatur, non intendit pro fine remoto, peculiarem aliquẽ huius, vel illius scientiæ finem, sed generale

nerale aliquid, & commune in quo omnes conueniant. Quare cũ omnes scientiæ huc tendant, vt perficiant intellectũ, & dirigant ad rectè operandum circa suum obiectum quod est verum, hinc sequitur, vt finis remotus Logicę sit perficere, & dirigere intellectũ in suis operationibus, vt in quacumque materia, rectè & sine errore fiant. Et hæc breuiter dicta sufficiant circa naturam habitus Logicę, quã vt iam notaui, sic quidditatiuè possumus definire; *Logica est scientia secundarum intentionum, quæ sunt veritatis ostensiuæ*, vel, *Logica est scientia modi sciendi latè sumpti*. Nunc ad illius partitionem accedamus.

Cum finis remotus, ac meta Logicæ artificialis sint mentis operationes vt dirigibiles, non aliunde melius ipsius diuisio, ac partitio desumi potest, quam ex ipsamet operationum intellectualium multiplicitate, ac varietate; vnde cum iuxta omnium Philosophorum consensũ tres sint intellectus operationes, simplex nimirum apprehensio, iudicium, & ratiocinatio, siue discursus; tres etiam sunt Logicæ artificialis partes; ad primã spectant Porphyrij Isagoge de quinque vniuersalibus, & Aristotelis Cathegoriæ, seu prædicamenta. Vniuersale enim, prædicabile, genus, species, Indiuiduum, Vniuocum, Analogũ, & similia de quibus agitur in supradictis tractatibus sunt termini secundæ intentionis, quorum notitia perficit, & dirigit primam operationem intellectus, in proprio modo operandi, hoc est in ordine ad cognoscendas res simplices, cuiusmodi sunt decem Aristotelis prædicamenta, quæ ad considerationem Logicam pertinent solum materialiter, & secundum quod sunt fundamenta secundarum intentionum iam dictarum: Sicut etiam & voces, si considerentur præcisè secundum suum esse reale, in quantum scilicet sunt quidam soni in aere causati.

Secunda pars Logicæ sunt duo libri Perihermenias, id est de interpretatione: in his enim agit Aristoteles de oratione, & propositione principaliter; deinde de earũ proprietatibus quales sunt oppositio, Aequipollentia, contingentia, possibilitas, & aliæ similes secundæ intentiones, quarum notitia perficit & dirigit secundam mentis operationem in proprio modo operandi.

Tertia tandem Logicæ pars, sunt duo libri de priori Analysi, duo de Posteriori, octo Topicorum, & duo Elenchorũ, qui omnes tertiæ mẽtis operationi perficiendæ, ac dirigendæ incumbunt. Pręmissa enim, maior, medium, syllogismus, figura, demonstratio, fallacia, & his similia sunt secundæ intentiones, quarum notitia dirigitur, & perficitur immediatè homo in discurrendo. Ad intelligentiam autem istius inscriptionis de priori, & posteriori Analysi, scias tales libros sic vocari, quia agunt de Analysi; quod est idem ac latinè resolutio. Analysis autem, seu resolutio ex eodem Philosopho 3. physic. cap. 8. est regressus in ea principia à quibus res pendet, vel reuocatio alicuius rei ad suas partes; vndè secundum quod partium aliæ sunt Physicæ, aliæ logicales, sic etiã Analysis est duplex, vna physica, & realis, vt quando compositum naturale resoluitur in materiam, & formam; alia logicalis & intentionalis, vt quando cõpositum rationis dissoluitur in suas partes. Et hęc Analysis Logicalis iterum est duplex. Sicut enim triangulus ligneus ex parte figuræ resoluitur in tres lineas, & linea in partes, & puncta quæ sunt principia eius; & ex parte ligni in elementa, quæ continet in potentia, suntque eius principia; ita similiter argumentatio, seu syllogismus, dupliciter quantum facit ad artem syllogisticam potest resolui in sua principia; Primò ex parte formæ, seu consequentiæ, quãdo scilicet consequentia ad sua principia reducitur, examinando & probando quænam sint principia bonæ consequẽtiæ, quæ pręmissæ rectè dispositæ secundum formam, ad inferendam conclusionem, & quibus debeat regulari legitima forma? Secundo modo potest syllogismus resolui in sua principia ex parte

parte materiæ, seu consequentis, quando nimirum reuocatur consequens ad sua principia, quæ sunt præmissæ continentes conclusionem. Ad vtriusque ergo resolutionis notitiam ordinantur omnes supracitati Aristotelis libri. Cum autem resolutio ex parte formę prior sit resolutione ex parte materię, sicut forma dignitate prior est materia, hinc duo primi libri in quibus agitur de resolutione syllogismorum ex parte formæ, inscribuntur priorum Analyticorum, seu de priori resolutione. Alij verò libri, qui supersunt pertinent ad posteriorem resolutionem, si quidem in eis differitur de syllogismis ex parte materiæ; vnde omnes inscribendi essent de posteriori resolutione. Verum quia materia necessaria, ex qua constat demonstratio, potior est, quam probabilis, & apparens, ex quibus constant syllogismus topicus, & sophisticus, ideo duo libri sequentes, in quibus agitur de demonstratione, titulum posteriorum Analyticorum, seu de posteriori resolutione sibi vindicarunt.

S V M M A

Eorum quæ in Isagoge Porphyriana continentur, siue prima pars Logicæ.

De secundis intentionibus earumque subiectis, quibus dirigitur prima operatio intellectus.

Isagoge seu introductio Porphyrij, cui pro obiecto solet assignari vniuersale in communi sumptum pro secũda intentione, diuiditur in tres partes. Prima continet proœmium, ostenditque necessitatem huius tractatus ad perfectã prędicamentorum notitiam acquirendã. Cum enim Prędicamentum, ex communi Logicorum sensu, nihil sit aliud, quã series, seu coordinatio prædicabilium, secundam debitam subiectionem, vel prædicationem; necesse est prædicabilia esse partes prædicamentorũ, atque adeo illorũ notitiam valde conducere ad horum cognitionem.

Secunda de singulis quinque vniuersalibus per quinque capita disserit.

Tertia omnia simul comparat, & in quibus cõueniant, in quibusue differant, sexto, & vltimo capite ostendit.

DE VNIVERSALIBVS in communi.

Vniuersale formaliter, si definiatur in concreto, est natura vna relata, seu apta ad essendum in pluribus. vniuersalitas enim in abstracto est relatio, seu aptitudo rationis ad essendum in pluribus naturæ vnius.

Quamuis à parte rei dentur aliquæ naturæ, quæ denominari possint vniuersales, non datur tamen à parte rei vniuersale formaliter, seu vniuersalitas; sed natura fit formaliter vniuersalis per comparationem simplicem intellectus possibilis: est enim hæc differentia inter vniuersale Metaphysicum, & Logicum, quod licet vtrumque respiciat, seu connotet inferiora; Metaphysicum tamen respicit illa, vt terminum à quo relictũ, Logicum verò, vt terminum ad quem comparatur, non quidem per modum compositionis, vel iudicij, sed per modum simplicis apprehensionis, qua cognoscitur natura cum ordine & respectu ad inferiora, quia autem respectus ille triplex esse potest, primus aptitudinis ad essendum in inferioribus, secundus aptitudinis ad prædicandum, seu prædicabilitas ipsa positiuè, & relatiuè accepta; tertius est relatio ipsius prædicationis actualis, qua prædicatum est, & non solùm prædicabile, vniuersale logicum, fiue pro secunda intentione sumptũ essentialiter consistit in solo primo respectu.

Tres sunt proprietates præcipuæ vniuersalis, esse ingenerabile, & incorruptibile, esse æternum, esse prędicabile. Ita tamen vt duæ primę conueniant vniuersali ratione materię, seu naturæ denominatæ, ipsæ enim naturæ vniuersales dicuntur, & sunt ingenerabiles, & incorruptibiles, & æternę; Ingenerabiles & incorruptibiles, quia naturæ vniuersales,

pro

pro vt sunt in statu vniuersalitatis non existunt actu, & realiter, sed tantum obiectiuè, quod autem non existit actu & realiter, propriè loquendo neque generatur, neque corrumpitur; Aeternæ, seu perpetuę, quia naturis quę vniuersales sunt, secundum se conueniunt quędã prędicata ita necessariò & immutabiliter vt nunquam sine illis esse, aut concipi possint,& propterea solę naturæ vniuersales possunt esse obiectum scientię,quia scientia dicitur esse certa, non potest autem esse certa, nisi sit de obiecto immutabili & necessario,atque adeo perpetuo & æterno,quod debet intelligi negatiuè, vniuersalia enim non sunt perpetua secundum essentiam positiuè, ita scilicet, quod ab ęterno fuerint in aliquo gradu entis extra Deum. At tertia proprietas seu passio competit vniuersali ratione formę, ipsa enim secunda intentio vniuersalis, est prima radix, & ratio cur naturę reales prædicentur de inferioribus.

Celebri Logicorum consensu vniuersale est quintuplex, siue diuiditur in quinque prædicabilia,scilicet genus,speciem, differentiam, proprium, & accidens, ita vt diuisum huius diuisionis sit vniuersale vniuocè prædicabile,tam Logicum sumptum pro relatione vniuersalis, quam Metaphysicum sumptum pro fundamẽto istius relationis,neque enim diuiditur relatio, nisi etiam proportionali modo diuidatur suum fundamentũ; imo relatio per fundamenta diuiditur. Quare si modus prędicandi est diuersus, requiritur etiam quod detur diuersus modus identificationis cum illis, de quibus fit prædicatio, vndè necessarium est,quod iste diuersus modus non solùm accipiatur penes ipsam comparationem, & relationem ad inferiora,vt ad terminũ ad quem, sed etiam penes aptitudinem ad essendum in inferioribus, atque adeò penes abstractionem; quæ istam aptitudinem fundat in vnitate sic abstracta, & tali vel tali modo cum inferioribus idẽtificatur.

Supradictam autem diuisionem vniuersalis esse exactam, & adæquatam colligitur ex ipsamet vniuersalis, seu vniuersalitatis natura, cuius proprium, & adæquatum subiectum est identitas, & connexio vnius extremi cum alio,vnde illa erit adęquata diuisio vniuersalitatis, & prædicabilitatis, quæ est adæquata diuisio identitatis, & connexionis extremorum. Omnis autem identitas, seu extremorum connexio, vel est essentialis, vel accidentalis, intrinseca, vel extrinseca, necessaria vel contingens. Si essentialis vel explicat totam & integrã essentiam rei, id est omnia quæ ad definitionem essentialem spectãt, vel solum partem. Si integram rationem essentię, seu quidditatis, est *Species*. Si partem: vel partem potentialem, & per aliam perfectibilem,vel actualem & perficientem. Si potentialem, & perfectibilem, est *Genus*, & dicitur in quid incompletè. Si partem actualem est differentia, quia est prædicatum, quasi actus determinans & qualificans. Si verò non conuenit essentialiter, sed accidentaliter, id est tanquam quid extra constitutiua essentiæ, vel est prædicatum proueniens ex proprijs principijs, & necessariam habens connexionem cum illis, & sic est *Proprium*; vel conuenit ex communibus & extraneis, & sic est *Accidens*. Hinc apparet numerum vniuersalium seu prædicabilium, non desumi per ordinem ad prædicamenta absolutè;modi enim prędicabilium non sequuntur modum essendi absolutè, & secundum participationem entis, sed comparatiuum, quo connectuntur inferiora cum Superioribus. Et sic prædicamenta distinguntur in accidentia penes diuersum modum participandi, seu connotandi substantiã; ipsa autem substantia per hoc quod habet esse per se. Prædicabilia verò penes diuersum ordinem vniuersalis ad inferiora, qui solùm potest esse quintuplex ex dictis.

Quamuis aliqui existiment hanc diuisionem nõ esse generis in species; probabilior tamen est opposita sententia asserens vniuersale pro formali, seu secundo intentionaliter, esse verum & proprium

prium genus ad has quinque species, dixi vniuersale pro formali, seu secundò intentionaliter, nam vniuersale sumptũ materialiter, & pro substrato, non est vniuocum ad omnia prædicabilia, imo nec respectu vnius tantùm, nam genus, V. g. potest habere pro materiali, quod denominat, & ens reale, & ens rationis, substantiam & accidens. Fundamentum sententiæ communis est, quia ista quinque prædicabilia, quantumcumque accidentaliter prædicentur, vt proprium, & accidens, verè & vniuocè prædicantur de multis, ex D.Thom. 1. contra Gentes cap. 33. vniuocè ergo sunt vniuersalia. Quidquid enim vniuocè prędicatur, vnũ simpliciter est, & de pluribus dicitur, atque adeo debet vniuocè habere, & participare vniuersalitatem. Vndè valdè notandum est, aliud esse, quod prædicatio aliqua sit secundum quid quantum ad entitatem, quam prædicat, aliud, quod sit secundum quid quantum ad vniuersalitatem, secundùm quam prædicatur. Ad primum enim sufficit identitas accidentalis inter prædicatum & subiectum, ad secundum verò requiritur quod id, quod prædicatur simpliciter non sit vnũ in multis, vel ex hoc quod non habeat vnitatem simpliciter, vel ex hoc, quod ea de quibus dicitur, non sint plura simpliciter. Licet ergò duo vltima prædicabilia dicantur accidentaliter, quod est dici secundũ quid, ex parte rei quæ prædicatur, non tamen dicuntur secundum quid, quantum ad modum vniuersalitatis, quia in hoc retinent rationem vnitatis, quæ dicitur de multis.

Quod autem vniuersale in communi sit genus ad quinque prædicabilia, quorum vnum etiam est genus, non coincidit propterea diuisum cum membro diuidente. In istis enim intentionibus aliud est esse formaliter vniuersale, vel genus, vel species, aliud denominatiuè. Et potest fieri, quod aliqua intentio sit formaliter genus, & denominatiuè species, & formalitèr vniuersale, & denominatiuè genus. Neque hoc est idem esse essentialiter, & accidentaliter tale sub eadem ratione, sed secundùm diuersa; quod oritur ex fęcunditate intellectus, qui reflectendo supra suos actus, ac denominationes potest intentionem intentioni superaddere; cum enim resultet aliqua intentio ex abstractione alicuius naturæ, rursus supra istam intentionem reflectit intellectus, & intentionem sic de nouo cognitam, tanquam rem quamdam, vel naturam, noua illa abstractione, & intentione afficit, ac denominat, & sic in infinitum. Quod non consistit in alio, quam in hoc quod est vnam intentionẽ, quæ denominat naturam, in qua fundatur, posse iterum cognosci tanquã rem, & naturam quamdam, atque adeo de nouo fundare aliam intentionem, quæ denominet ipsam. Et sic respectu naturæ, in qua fundatur, est forma denominans, quod est formaliter esse vniuersalitatem, ipsa verò conceptà vt natura, est fundans, & denominata ab alia secunda intentione inde resultante. Vniuersale ergò in communi quod in quinque prædicabilia essentialiter diuiditur, non coincidit cum membro diuidente, quod est genus formaliter, & vt quo, sed denominatiuè, & vt quod, id est vniuersale in communi non est forma, qua aliquid est genus, sed qua est vniuersale; illa tamen forma concepta, vt res quædam, suscipit in se denominationem generis respectu quinque prædicabiliũ, & sic denominatur à suo membro diuidente, vniuersalitasque, quæ erat superior ad genereitatem, & specieitatem, per illam intentionem generis constituitur in esse talis generis, & per consequẽs collocatur sub genereitate, fitque indiuiduum eius. Et eadem ratione vnum membrum diuidens potest à suo opposito denominari, sicut genus potest dici species, id est intentio generis denominatur esse quædam species vniuersalis, & indiuiduum est species, id est intentio indiuidui, quædam species est intentionis.

Si autem inquirat aliquis num diuisio ista in quinque prædicabilia sit immediata, vel mediata? Respondent ali-

qui esse mediatam; ita vt vniuersale immediatè diuidatur in vniuersale essentiale, & accidentale, non quidem sumendo essentiale, & accidentale absolutè, sed pro vt inuenitur in ratione vniuersalis, quatenus scilicet vnum existens respicit multa modo essentiali, vel modo accidentali. Deinde modus respiciendi plura essentialiter, alius est in quid per modum generis, vel in quid per modum speciei, vel in quale per modum differentiæ. Et similiter modus respiciendi plura accidentaliter, alius est accidentaliter propriè, alius accidentaliter communiter. Dicunt alij vniuersale immediatè diuidi in illas quinque species, eũ essentiale, & accidentale vt sic non sint per se, & propriæ differentiæ vniuersalis, si quidem extra prædicationem vniuersalem inueniuntur, sed solùm essentiale & accidentale quatenus constituunt, vel imbibuntur in ipsa ratione generis, vel speciei, vel proprij, &c.

DE GENERE.

Relicta acceptione generis, quod à Grammaticis diuiditur in masculinum, fœmininum, & neutrum, à Rhetoribus in demonstratiuum, deliberatiuum, & iudiciale; tres sunt aliæ magis propriæ acceptiones generis ad intentũ logicale. Genus primo modo dicitur aliquorum hominum aggregatio, qui quidem ad vnum quidpiam & inter se habent respectum, vt plures fratres respectu eiusdem patris; Plures conterranei ad communem patriam relati. Genus secundo modo sumitur pro principio generationis, quod quis à patre, vel à patria trahit, quo sensu Orestes à Tantalo, qui fuit eius atauus, & Pindarus à Thebis, quæ fuit eius patria, genus duxisse dicuntur.

Tertiò sumitur genus pro eo, cui supponũtur species, quod appellat Porphyrius genus Philosophorum, id est, Logicum, definitque esse *id quod prędicatur de pluribus specie differentibus in eo quod quid*; quæ definitio est bona, nõ tamen essentialis, sed descriptiua, cum tradatur per prædicabilitatem, quæ est passio vniuersalis; potest tamen reduci ad essentialem dicendo, *Genus est vniuersale respiciens* (vel aptum respicere si fundamentaliter tradatur) *plura specie distincta in quid*. Vbi traditur definitio per prædicatum superius, seu genericum quod est *ly vniuersale*, & per differentiã intrinsecam, scilicet tali modo respicere, id est, *in quid*, & talem terminum habere, scilicet plura specie distincta.

Definitum autem formale, & quidditatiuum in hac definitione generis, idem dic de omnibus alijs vniuersalibus, nec est aggregatum, seu conflatum ex natura, & secunda intentione; nec natura ipsa, vt subijcitur secundæ intentioni; sed est secunda intentio in concreto significata, seu vt connotat naturam; ita quod intentio ipsa sit res definita, natura verò cõnotetur ex modo significandi; quia autem ex modo significandi cõnotatur tanquã id, in quo exerceetur definitio, ideo ipsi entitati secũdæ intentionis secundum se non conuenit definitio, vt *quod*; sed tantùm vt quo, ex modo tamen quo significatur in concreto, supponit pro natura, cui vt quod conuenit definitio; quæque ponitur loco generis, vel differentiæ, secundum quod genus, aliçque intentiones prædicabiliũ definiuntur in abstracto, vel in concreto; cum enim iuxta communem Metaphysicorũ doctrinam in definitionibus accidentiũ tam realium, quam rationis in concreto sumptorum subiectum ponatur loco generis; loco verò differentiæ, si definiantur in abstracto; sintque genus, species & alia prædicabilia vera rationis accidentia; si definiantur in concreto, debet in eorum definitionibus subiectum poni loco generis, si autem in abstracto loco differentiæ; subiectum autem horum accidentium est natura denominata, ponẽda est ergò loco generis, vel differentiæ, iuxta diuersum modum definiendi iam assignatum; dicendo V. g. genus est natura perfectibilis vniuersalis; genereitas est vniuersalitas naturæ perfectibilis, seu con-

contrahibilis. Species est natura perfecta vniuersalis: speciei tas est vniuersalitas naturæ perfectæ. Differentia est natura perfectiua vniuersalis: differentialitas est vniuersalitas naturæ perfectiuæ. Proprium est natura profluens ab essentia vniuersalis: Proprietateitas est vniuersalitas naturæ profluentis ab essẽtia. Accidens est natura extrinseca, seu contingens vniuersalis: Accidentalitas est vniuersalitas naturæ extrinsecæ, seu contingentis.

Plures dantur conditiones, & proprietates generis: *Prima* quod se habeat vt totum respectu inferiorum, intellige ex parte modi significandi, non autem ex parte rei significatæ, seu conceptæ, cum non explicet totam quidditatem, sed partem solùm per aliam contrahibilem, illius rei de qua prædicatur. Quando ergò prædicatur animal de homine, id quod explicatur nomine animalis est ratio formæ sensitiuę; modus autem quo prædicatur, est absolutè dicendo totum quod est in homine, quia ita dicit formã sensitiuam explicando solam rationem sensitiui, vt non excludat omne aliud quod tali formæ sensitiuæ coniungi potest, & sic dicit quamcumque formam quæ sensitiua est, siue solùm sit sensitiua, siue aliquid amplius habeat. Et hoc quod est nõ excludere omne aliud, quod tali formæ sensitiuæ coniungi potest, est illud implicitè continere. Si tamen forma illa animalis, vel generica significaretur cum tali præcisione, vt excluderet quodcumque aliud quod non est forma sensitiua, sicut quando significatur nomine abstracto animalitatis; tunc non posset prædicari de inferioribus in concreto.

Secunda, quod dicat partem naturæ magis potentialem, ratione cuius dicitur genus totum potentiale, non vt potentiale distinguitur à toto essentiali, quomodo dici solet quod totum potentiale diuiditur in partes potestatiuas de quibus non prædicatur: totum autem essentiale diuiditur in partes subiectiuas de quibus dicitur; sed vt potentiale opponitur toti actuali, quia non explicat totum actualiter constitutum, sed partem illius vlterius actuabilem, & contrahibilem, atque adeo potentialiter se habentem. Sic genus potentialiter se habet respectu differentiæ contrahentis vltimæ, sicut materia respectu formæ, & respectu totius constituti, tanquam incompletum respectu completi. Rursus secundum diuersas considerationes, dicitur, & totum potentiale, & pars potentialis. Ex parte quidditatis quam explicat comparatiuè ad differentiã, pars potentialis est, respectu autem speciei inferioris, totum potentiale est, id est, totum quod est in specie non totaliter designatum, & explicatũ, sed indeterminatè acceptum. Cum enim gradus Metaphysici solùm differant penes designationem magis vel minus determinatam, eiusdẽ rei, vt docet D. Thom. cap. 3. de ente & essentia, non possunt propriè importare partes, quæ realiter sint inter se distinctæ, vt contingit in compositione physica, sed idem totum magis, vel minus designatum, & magis vel minus determinatum, vnde eadem res, seu idem totum, vt exprimens, seu designans rationem animalis, quæ est minus determinata, & idem totum vt designans, & exprimens rationale, quæ est ratio magis determinata, componere dicuntur hominem, qui exprimit integram rationem quidditatis humanæ, Quo sensu intelligendus est D. Thom. in 1. distinct. 25. q. 1. artic. 1. ad 2. vbi dicit, quod homo non est ex animali & rationali, sed animal rationale, quia scilicet non est ex illis, vt ex partibus distinctis, benè tamen vt ex gradibus diuersimodè eamdem rem designantibus, & exprimentibus.

Tertia conditio, & proprietas generis est, quod desumatur à materia, ita tamen quod per materiam non intelligatur materia prima nuda quæ est pars physica, sed materia vt habens esse imperfectum à forma. Ratio autem huius est, quia genus dicit naturam aliquam determinatam, licet nondum perfectã omni perfectione; materia autem secundũ se

se sumpta nullum determinatum gradũ dicit, nullamque determinatam actualitatem, non potest igitur genus à materia nuda desumi, sed à materia informata secundum rationem, & gradum imperfectiorem ad ipsam, vt perfectiori gradu & ratione informabilẽ; quia tamen primum in vnoquoque genere est mensura cęterorum, & materia prima est primum in genere potentialitatis, rectè potentialitas generis ad materiam, vt ad radicem deuoluitur; licet proximè desumatur nõ à materia nuda, sed ab eo quod materiale est, respectu eius quod formalius atque perfectius.

Cum omnes illæ naturæ, quæ directè possunt esse in prædicamento, siue reali, siue rationis, siue sint accidens, siue modi, vel substantiæ, sint capaces secundæ intentionis generis; hinc fit multipliciter diuidi posse ratione eiusmodi naturarum pro vniuscuiusque placito; Omnium tamen celeberrima diuisio est illa qua genus diuiditur in Generalissimum, & Subalternum. Generalissimũ est illud, supra quod nullum aliud omnino genus transcendit, siue quod ita est genus, vt non possit esse species; & hoc modo sunt decẽ suprema genera realia, hoc est in entibus realibus fundata, substantia, quantitas, qualitas, relatio, actio, Passio, vbi, quando, situs, & habitus. Genus autem subalternũ est illud quod ita est genus respectu vnius, vt possit esse species respectu alterius, vt animal respectu viuentis, & hominis.

Quamuis aliqui existiment genus, vt genus solùm & adęquatè referri ad speciem, ad indiuidua verò non referri per modum generis; melius tamen alij censent, immediatum quidem ac formale correlatiuum generis esse speciem, sed non omnimodè, nec adęquatè, nam etiã indiuiduum ei subijcitur. Cum enim sub specie contineantur indiuidua, & quidquid prædicatur *vniuersaliter* de aliquo prædicatur de omni contento sub illo per principium dici de omni, consequenter genus prædicatur etiam de pluribus numero differentibus non tamen sicut species infima, quæ immediatè de illis prædicatur, sed solũ mediatè, quod etiam verum est in prædicatione generis de indiuiduis genericis, vt quandò prædicatur animal de hoc animali. Licet enim non repugnet talia indiuidua generica ad diuersas species pertinere ratione inclusionis earum, semper tamen de illis, quatenus indiuidua sunt, gradus genericus non nisi mediatè prædicatur, quia mediatè contrahitur, & conuenit indiuiduis mediante gradu specifico, etsi aliquãdo solus gradus genericus exprimatur omisso specifico.

DE SPECIE.

Omissis varijs speciei acceptionibus secundum quas aliter apud Rhetores, aliter apud Grammaticos, & aliter apud Iurisperitos sumitur: Species Logica definitur à Porphyrio *esse id, quod subijcitur generi: & de quo genus hoc ipso quid est, seu in eo quod quid prædicatur*. & iterum, *species est id, quod de pluribus differentibus numero, hoc ipso quid est prædicatur*. Cum enim species duplicem includat respectum, vnum subijcibilitatis ad genus, alterum superioritatis ad indiuidua, ideo ad explicandam exactè huius secundi prædicabilis naturam, duplici etiam definitione vsus est Porphyrius. Et vtramque bonam esse, communis est Logicorum sensus. Tota ergò difficultas est in duobus. *Primum*, quænam ex istis intentionibus cõstituat formaliter secundum prædicabile? *Secundum*, quomodo vna se habeat erga aliam? Circa primum existimant aliqui speciem in ratione speciei constitui formaliter per subijcibilitatem ad genus, ad quam sequitur prædicabilitas, & vniuersalitas eius. Longè tamen probabilior est opposita sententia asserens, quod constitutiuum intrinsecum, & essentiale speciei, vt est secundum prædicabile condistinctum ab alijs prædicabilibus, sit vniuersalitas talis, quæ dicit respectum, & prædicabilitatem ad plura solo numero differentia. Ratio est. Quia spe-

species in tantum est vnum de quinque prædicabilibus in quantum participat rationem vniuersalis, si quidē ista quinque prędicabilia, vt supponitur, sunt species quędam vniuersalis, ergò constitutiuum eius debet esse intrà latitudinem, & rationem vniuersalis, atque adeo non per subijcibilitatem, sed per superioritatem debet formaliter constitui. Circa secundū variant similiter authores. Quibusdā affirmantibus, relationes istas non habere inter se ordinem passionis, & essentiæ, nec vnam oriri ex alia, sed esse omnino diuersas; eo quod adueniant naturæ beneficio intellectus comparantis illam ad diuersos terminos, absque eo quod vna harum comparationum depēdeat, vel deriuetur ex alia: Non minus tamen probabiliter asserunt alij, subijcibilitatem in specie dimanare ab vniuersalitate non quidem pręcisè accepta, sed quia vniuersalitas limitata est, & coarctata, alteri subordinata. Ex vniuersalitate enim, in linea & respectu vniuersalitatis respicientis inferiora solum sequi potest id quod superioritatis, non quod inferioritatis, & subiectionis est, vndè in specie ex vi vniuersalitatis præcisè non sequitur intentio subijcibilitatis, sed quia vniuersalitas limitata est, & coarctata, nam ratione illius vt limitatæ, subijcibilitas sequi potest: sicut in creatura, aliæ passiones sequuntur, ex eo quod ens creatum est, vel quia tale ens est, v.g. substantia, aliæ ex eo quod est ex nihilo, v.g. quod sit defectibilis, peccabilis &c.

Sic iuxta hunc secundum dicendi modum istæ duæ intentiones subijcibilitas, & prædicabilitas in vna forma vniuersalitatis concurrunt, vt subijcibilitas ad vniuersalitatem limitatam, & subordinatam, ex parte subordinationis, & limitationis consequatur; ex parte verò vniuersalitatis prædicabilitas, & ita subijcibilitas in specie ad genus non conducit ad prædicabilitatem de indiuiduis absolutè consideratam; bene tamen ad prædicabilitatem vt limitatam, & dependentem, & inquantum infima prædicabilitas est, hæc enim esse non potest sine tali subijcibilitate.

Quamuis, supposita sententia Diui Thomæ de impossibilitate plurium indiuiduorum intra eamdem speciem Angelicam, probabile sit talem speciem esse subijcibilem solum, & non prædicabilem, cum videatur esse contra omnem rationem, quod aliquid sit prædicabile de multis, cui repugnat actualis ipsa prędicatio de multis. Non minus tamen probabilis est opposita sententia asserēs naturas Angélicas, hoc ipso quod datur in illis fundamentum, vt concipiantur pręcisæ ab illa vnica indiuiduatione, & cum indifferentia, & potentialitate ad ipsam, subire posse intentiones vniuersalis, & prædicabilis, & sic natura composita triplici titulo est vniuersalis, scilicet ex modo concipiendi abstrahendo à singularibus, & ex indifferentia naturæ secundum se, & ex pluralitate indiuiduorum ad quæ potest terminari respectus vniuersalis. At natura Angelica duplici solum titulo, scilicet ex modo concipiendi, & ex ipsa indifferentia naturæ secundum se consideratæ, licet ex defectu multorum indiuiduorum exerceri non possit ista communicabilitas ad plura, & ita est vniuersalitas sine exercitio.

Loquendo tam de natura generica, quā specifica physicè, & quasi materialiter, id est, secundum realem entitatem quam dicunt, certum est genus posse in vnica specie conseruari, & speciem in vnico indiuiduo: nam solo Petro existēte, verè etiam existit entitas, & perfectio realis, quam actu dicunt homo, animal, viuens &c. cum omnia sint à parte rei in Petro vnica, & eadem entitas realis. At si considerentur natura generica, & specifica Metaphysicè, & quasi formaliter, vt scilicet sunt cōceptus quidam præcisi, & gradus inter se diuersi; ex quibus alter, nempè genericus, est totum quoddam potentiale, & informe materiæ valdè simile; atque adeò vltra perfectibile, & diuisibile per differentias formaliter diuersas; alter verò, videlicet,

cet, ſpecificus eſt totũ quoddam actuale, & perfectum, vltimoque in eſſentia conſtitutum; atque adeò ſolum diuiſibile per differentias materiales, ſeu numericas. Sic ſe habent, vt ad conſeruãdum genus in ratione totius potentialis requirantur plures ſpecies, ad ſaluandã verò ſpeciem non requiruntur plura indiuidua, ſed vnicum ſufficit. Ratio eſt quia materiam, atque adeò genus quod ob ſui potentialitatem materiæ aſſimilatur, poſſe communicari pluribus, nihil aliud eſt quam poſſe recipere, & perfici à pluribus. Ergo potentialitas materiæ, & generis ad plura, ex ipſa pluralitate formarum, quæ poſſunt ipſam perficere oritur. At verò forma ex ipſa ratione formæ, quæ eſt actus, & perfectio, eſt communicabilis pluribus quantum eſt de ſe, quia bonum vt bonum eſt ſui cõmunicatiuum, vnde nõ ex pluralitate recipientium dependet, quod de ſe ſit cõmunicabilis, ſed id habet ex ratione formæ & actus, vt docet D. Th. 1. Metaphyſ. lect. 5. Cum ergo ſpecies ſumatur à forma, & dicat eſſentiam formaliter completam, ex ipſo modo concipiendi illam non repugnat concipi, vt communicabilem pluribus, licet ex defectu materiæ recipientis, & materialiter diuidẽtis non ſemper poſſit in exercitio communicari, vt ſtatim diximus de ſpeciebus Angelicis. De ſe ergò quælibet ſpecies etiam quantum ad communicabilitatem ad plura non dependet à pluribus indiuiduis, genus autẽ dependet à pluribus ſpeciebus.

Species diuiditur in ſpeciem infimã, ſeu ſpecialiſſimam, & ſubalternam. Species ſpecialiſſima eſt illa, quæ ſpecies eſt, & non genus, ſeu quæ alias in ſpecies nequit diuidi, prædicaturque de pluribus ſolo numero differentibus, vt homo. Subalterna verò eſt illa quæ tam genus quam ſpecies poteſt eſſe, non reſpectu tamen eiuſdem, ſed diuerſorum, vt animal.

DE DIFFERENTIA.

Differentia in communi ſumpta, nihil aliud eſſe videtur quam forma faciens differre, ſeu quatenus habet officium & munus faciendi differre. Pro quo nota aliud eſſe differre, aliud diuerſum eſſe, & aliud eſſe diuerſitatem, aliud differentiam. Ea enim dicuntur diuerſa, quæ non per aliud ſuperadditum, ſed ſeipſis differunt, ſicut ea quæ ſunt primo diuerſa. Ea autem dicuntur differre, quæ per aliquid ſuperadditum differunt ab alio, & ita non ſe totis differunt, ſed conueniunt in aliquo, & differunt in alio. Vndè in quacumque forma faciẽte differre naſcitur duplex reſpectus, ſeu ordo, ſcilicet, ad ſubiectum, ſeu rem quam facit differre, & ad terminum, ſeu extrema à quibus facit differre. Et neceſſario debet intelligi in ipſa ratione differentiæ relatio aliqua, ſicut in ratione conuenientiæ, quæ eſt eius oppoſitum intelligitur relatio aliqua reſpectu terminorum conuenientium, & ſimiliũ.

Differentia ſic in communi ſumpta, ſolet diuidi in communem, propriam, & propriiſſimam. Quæ diuiſio, cum tradatur per membra exhaurientia, & adęquantia totum diuiſum, ferè apud omnes conſtat eſſe adęquatam. Nam omnis forma faciens differre, vel eſt eſſentialis, & intrinſeca rei, vel accidentalis: ſi eſſentialis eſt maximè propria: ſi accidentalis; vel illud accidens eſt ſeparabile, vel inſeparabile: ſi inſeparabile, dicitur proprium, & facit differre propriè. Si ſeparabile, eſt commune etiam alijs; & facit differre cõmuniter. In hac enim diuiſione non dicitur differentia communis, quia actu inueniatur in vtroque extremo, ſcilicet in re quam diſtinguit, & in re à qua diſtinguit: hoc enim manifeſta eſt implicatio, ſi quidem ſeſſio v. g. non diſtinguit ſedentem ab alio, vel à ſeipſo ſedente, ſed ab alio, vel à ſeipſo non ſedente. Sed dicitur differentia communis, quia, non ita eſt affixa vni, & propria eius, quin poſſit in alio inue-

inueniri. Dicitur autem differentia propria accidentis inseparabilis, intelligendo per illam non solum proprietatem, quæ dimanat à principijs intrinsecis & quidditatiuis, atque adeò virtualiter, seu illatiuè facit differre proprijssime: Sed etiam de accidente immobiliter inhærente, licet non dimanet à principijs essentiæ.

Circà diuisum huius diuisionis, certum est non esse differentiam, quæ est tertium prædicabile; hęc enim est vnum ex membris diuidentibus, scilicet differentią maximè propria, quæ sola prædicatur in quale essentialiter. Difficultas ergò est, An diuisum huius diuisionis sit aliquid reale, vel rationis? pro quo dico quod in formis realibus, & quæ realiter faciunt differre, hæc formalitas, seu munus faciendi differre non sit sola intentio seu relatio rationis, sed vera & realis formalitas, quæ diuiditur in modum faciendi differre essentialiter, & accidentaliter; & rursus accidentalis differentia, in modum differendi separabiliter, quæ est differentia communis, & inseparabiliter quæ est propria, vbi etiã differentia penes propriam passionem includitur, quæ est differentia accidentalis, licet inferat, vel præsupponat essentialem à qua originatur. Et includitur etiam differentia indiuidualis, quia impossibile est, quin differentia indiuidualis sit essentialis, vel accidentalis, cũ ista membra sint immediatè opposita. Et licet quidam eam reducant ad essentialem, quia substantialis est, alij ad accidentalem, quia materialis, & dependens ab accidentibus signantibus materiam; tamen certum est sub aliquo istorum membrorũ comprehendi, sicut certum est esse differentiam essentialem, vel non essentialem.

An ista diuisio sit Analoga, vel Vniuoca duplex est opinio. Solidiori tamen fundamento videtur inniti illa quæ asserit diuisionem istam esse Analogam. Diuisum enim huius diuisionis vel est ipsa differentia primo intẽtionaliter, seu physicè accepta, quę facit differre, vel est ipsa differẽtia secundò intentionaliter, seu logicè accepta. Si primum, constat formam essentialiter, vel accidentaliter cõstituentem aut differre facientem non posse vniuocari; cum munus faciendi differre non eodem modo reperiatur in vtraque, sed in essentiali simpliciter, secundum quid verò in accidentali; si quidem essentialis differentia tollit identitatem, quod est oppositum differentiæ simpliciter: accidentalis autem secundum quid, si consideretur præcisè vt accidentalis est. Si autem consideremus differentiam logicè, seu secundo intentionaliter, multo magis constat non posse vniuocè conuenire differentiæ essentiali, & accidentali, nam essentialis sola constituit tertiũ prædicabile, quod prædicatur in quale essentialiter. Reliquæ non constituunt illud, quia prædicantur in quale accidentaliter. In ratione ergò constituendi tertium prædicabile, non possunt vniuocè conuenire.

Differentiæ Logicæ, quæ tertium prædicabile constituit, quod solum conuenit differentiæ proprijssimæ quæ essentialis est; quinque definitiones tradidit Porphyrius. Prima, Differentia est id, quo species genus excedit, vt rationale respectu hominis, sensitiuum respectu animalis. Secunda, differentia est id, quod de pluribus, & differentibus specie hoc ipso quale quid prędicatur. Tertia, differentia est, quæ suapte natura ea quæ sunt sub eodem genere separat. Quarta, differentia est id, quo singula differunt, scilicet secundum quidditatem. Quinta, differentia est, quæ non solum separat ea, quæ sub eodem genere collocantur, sed ad substantiam rationemque confert, & pars eius est cuius differentia dicitur esse. Circa quas definitiones vnica difficultas est inter Logicos an nimirum secunda definitio Porphyrij conueniat etiam differentijs infimis; negantibus enim id pluribus, affirmatiuam partem subtiliter defendũt alij ponderantes non dixisse Porphyriũ, differentiam prædicari de pluribus specie differentibus, sed de pluribus, & specie differentibus in quale quid. Vt quid enim interposuit illam particulam & ?

nisi

nisi vt distingueret inter prædicari de pluribus absolutè, & prædicari de specie differentibus. & sic in illa particula *de pluribus*, omnes differentias prædicabiles inclusit siue athomas, siue subalternas, in illa verò additione, *& specie differentibus*, specialiter subalternas indicauit, quasi diceret differentia est,quę de pluribus prædicatur in quale, etiam si illa plura sint specie differentia, & ita particula *&* æquiualet particulæ *etiam*.

Quia autem ex supradictis definitionibus, triplicem habemus respectum ad Logicalem differentiam constituendam concurrere, scilicet respectum ad genus quod contrahit differētia,& super quod aliquid addit. Secundum, ad speciem quam constituit contrahendo genus, & segregando speciem à reliquis. Tertium ad inferiora de quibus prædicatur in quale quid, quæ sunt ipsamet inferiora speciei. Difficultas esse potest per quem ex his respectibus constituatur differentia in ratione vniuersalis, seu, tertij prędicabilis. Pro quo dico differentiam non habere rationem vniuersalis Logici formaliter per respectum ad speciem, sed ad inferiora,licet concomitanter habeat ordinem ad speciem tanquam ad vniuersale cum quo conuertitur. Vnde prædicatio illa, homo est rationalis, est tertij prædicabilis quasi materialiter, & metaphysicè, non formaliter & logicè, prædicatur enim de homine illa res,quę est tertium prędicabile, non tamen sub formalitate, & relatione tertij prædicabilis, seu tertij vniuersalis, & sic est magis tertium prædicatum, quam tertium prædicabile. Illa autem inferiora tertij prædicabilis, siue per ordinem ad quæ constituitur tertium prædicabile, non sunt hęc, & illa differentia, v.g. respectu rationalis, hoc,& illud rationale,sed inferiora contenta sub specie, quam cōstituit, v.g. Petrus, & Paulus. Prædicabilitas enim tertij prędicabilis est in quale quid, vndè solum illa sunt constituenda vt eius inferiora, respectu quorum differentia se habet in quale,& prędicari potest in quale. Sed respectu huius, & illius differentiæ non se habet in quale, bene autem respectu indiuiduorum speciei, cum prędicetur de illis vt ratio qualificans naturam eorum, ergo illa sunt inferiora differentiæ,vt tertium prędicabile est.

Differentiæ Logicæ aliæ sunt superiores, & Genericæ, seu subalternæ,aliæ infimæ & vltimæ,seu athomæ,quæ cum speciebus conuertuntur. Quamuis loquendo in sensu materiali, & identico differentia infima includat subalternas, & ipsa genera cum quibus realiter identificatur; tamen si consideretur differentia infima, secundum perfectionem illam,seu gradum quem formaliter significat, nō includit subalternas,atque adeo neque genera, sed est cōceptus simplex, per exclusionem compositionis *ex his*, seu passiuæ, cum sit irresolubilis in plures conceptus, non autem per exclusionem compositionis *huic*,seu actiuæ,quia est pars, seu per modum partis se habet, pars autem non est simplex, sicut actus purus simplicitate perfectionis; sed simplicitate negationis, quia scilicet non est plenè perfecta. Sic prędicata superiora conueniunt differentijs infimis non in formali, & directa linea,sed reductiuè, & secundum quamdam habitudinem, seu connotationem. V. g. dicitur rationale substantia, vel viuens, non quia in se sit substantia vel viuens, sed quia forma à qua sumitur, est principium substantiæ, vel viuentis,vel alterius gradus. Hinc sequitur genus propriè loquendo nō diuidi in differentias; si quidem differentiæ nō includunt genus: sed per differentias diuidi in species. Vt autem id rectè fiat oportet sumere differentias, quæ per se diuidant illud,nam si sint differentiæ per accidēs diuisio non erit generis in quantum genus; & consequenter neque essentialis.

Quęlibet differentia comparatiuè ad genus est perfectior illo, admodum quo actus est perfectior potentia; ac proinde nulla datur differentia, quæ non addat generi aliquam perfectionem; quæ perfectio consistit in indiuisibili, seu nō susci-

suscipit magis, & minus; illud enim secundum quod aliquid sortitur speciem, seu à quo accipit specificationem, oportet esse fixum, & ratum, & quasi indiuisibile, vt ita res specificata, habeat determinatam, & certam essentiam: cum ergò differentiæ essentiales sint constitutiuæ rerum in propria essentia, & gradu certo entis, planum fit, consistere in indiuisibili illarum perfectionē, ac proindè non suscipere magis, & minus.

DE PROPRIO.

PRoprium hic sumitur, non pro vt opponitur improprio, sed pro vt opponitur cōmuni; sicque est quadruplex, primum conuenit soli, non omni, vt esse Phylosophum respectu hominis. Secundum omni non soli, vt omni homini esse bipedem. Tertium soli & omni non semper, vt canescere toto capite. Quartum omni, soli, & semper vt esse risibile. Cuius diuisionis diuisum non est proprium quartum prędicabile, sed ratio proprij communiter dicti, quæ cōsistit in relatione conuenientiæ ad vnū, cum exclusione consortij, seu communicationis alterius, quod enim mihi est proprium, ita est peculiare, quod non est alterius, nec illi commune. Sicque proceditur in hac diuisione, sicut in diuisione differentiæ in communem, propriam, & proprijssimam; vndè sicut ratio differentiæ, quæ ita diuiditur, non est differentia sub conceptu prædicabilis, sed sub conceptu facientis differre, qui simpliciter reperitur in differentia proprijssima, secundum quid verò, & analogicè in alijs; ita ratio proprij quæ hic diuiditur, non est proprium sub conceptu prędicabilis, sed accidens pro vt potest inducere, & fundare conditiones proprij, & relationem conuenientiæ ad aliquid sub formalitate proprietatis. Et quia formalitas illa proprij, & conditiones ad illam requisitæ, non ex æquo inueniuntur in omni proprio, sed simpliciter in quarto, & secundū quid in alijs, ideo diuisio ista fit etiam Analogicè.

Proprium ergò quarto modo, quod est principale membrum diuidens, respectu proprij vt sic, seu communiter dicti, quod est proprium quasi physicè, seu metaphysicè consideratum, pro vt opponitur ei, quod est commune, primò intentionaliter, & secundum suum esse reale, seu vt est quartum prędicatum, potest definiri, esse accidens quod à natura cui conuenit, necessario, immediatè, & adęquatè fluit ratione differentiæ constitutiuæ. Et ex singulis hisce particulis manifestè colligitur, quomodò proprium distinguatur ab alijs accidentibus, nam proprietas necessario oritur, accidens contingenter, proprietas sequitur immediatè naturam, accidens consequitur indiuiduū; proprietas fluit à natura tanquam à causa adęquata, & sola; at accidentia fluunt à causa aliqua externa. Denique ratione differentiæ constitutiuæ, quia proprietas oritur à natura, seu essentia, iam determinata, & constituta per propriam differentiam, v.g. risibilitas ab homine constituto, per rationale, potentia sentiendi, ab animali constituto per sensitiuum.

Solum proprium quarto modo acceptum, statimque explicatū, vel quod ad illud reducitur, potest esse substratū intentionis quarti prędicabilis, seu quod idem est, ratio quarti prędicabilis conuenit solum proprio quarto modo. Quia autem proprium sic acceptum duplicem habet ordinem vnum ad speciem cum qua conuertitur, alterum ad indiuidua sub tali specie contenta, potest esse difficultas respectu cuius conueniat ei vniuersalitas quarti prædicabilis. Pro quo respondeo iuxta superius dicta de differentia, quod proprium non induit rationem quarti prędicabilis, nisi respectu indiuiduorum ipsius speciei, cum qua conuertitur. Itaque quantum ad Metaphysicam rationem propriæ passionis, scilicet rationem necessariæ connexionis, & conuertibilitatem cum eo cuius est proprium, totum hoc habet respectu speciei, cum qua dicitur ad conuertentiam, & est potius quartum prædicatū, quam

quam quartum prædicabile. Quantum verò ad rationem quarti vniuersalis logici sic necessariò debet respicere inferiora ipsius speciei cum qua cōuertitur; dixi inferiora ipsius speciei, ad denotandum quod inferiora proprij nō debeant esse ipsamet propria singularizata. V. g. respectu risibilis, hoc & illud risibile, sicut in simili diximus de differentia.

Sic proprium quarto modo secundo intentionaliter sumptum, seu secundum suum esse intentionale, est vniuersale, quod mediante proprio, & immediato subiecto, potest inesse multis specie, vel numero differentibus, tanquam accidens necessario fluens ab essentia, vel, est vniuersale quod potest prædicari de multis specie, vel numero differentibus in quale sed necessario. Dicitur esse vniuersale, quod potest inesse, vel prædicari de multis, quia constituitur vniuersale per respectum ad multa. Dicitur de multis specie, vel numero differentibus, quia non tantum dantur propria, quæ reciprocentur cum specie infima, sed dantur etiam quæ reciprocentur cum specie subalterna; prima dicuntur posse inesse multis, vel prædicari de multis numero tantùm differentibus; secunda verò posse inesse multis, vel prædicari de multis specie differentibus. Dicitur inesse, vel prędicari in quale necessariò, quia proprietas concipitur ad modum qualitatis necessariò, & inseparabiliter adiacentis.

DE ACCIDENTE.

Nota quod accidens, primò sumitur physicè, secundo logicè. Accidens physicum est, quod distinguitur contra substantiā, & diuiditur in nouem genera, scilicet quantitatem, qualitatem, &c. propter quod appellatur accidens prædicamentale. Accidens verò logicum diuiditur contra essentiam, & comprehendit quidquid non est, nec pertinet ad essentiā rei, sed se habet omnino accidētaliter, seu contingenter; siue entitatiuè sit substantia, siue accidens; siue ens reale, siue rationis. Et in hac secunda acceptione agitur in præsenti de accidenti, vocaturque accidens prædicabile, estque vltimum ex quinque vniuersalibus.

Accidens ergò sic sumptum primò intentionaliter definitur à Porphyrio, quod adest & abest sine subiecti corruptione: vel quod eidem inesse, & non inesse potest. Qua in definitione verba illa, adest, & abest sine subiecti corruptione, nihil aliud significant, quam contingentiam accidentis, quòd prædicatur, & indemnitatem subiecti in sua quidditate, ex conuenientia, vel disconuenientia talis accidentis. Vnde quintum prædicabile neque consistit in hoc quod est adesse vel abesse, per realem præsentiā, vel affirmari, & negari per prædicationē intellectus præcisè, sed in tali fundamēto negationis, vel affirmationis, quod sine dissolutione quidditatis subiecti, & naturæ eius in prædicatis essentialibus possit aliquod accidens conuenire, vel disconuenire subiecto. Quod enim accidens sit separabile, vel inseparabile, non respectu speciei, & naturæ subiecti sumitur, sed respectu indiuiduorum, in quibus aliquando habet causam permanentem, aliquando transeuntem. Et ita potest accidens conuenire; vel abesse à subiecto cum corruptione indiuidui; non tamen cum corruptione speciei, sed cum indemnitate illius. In quo distinguitur à proprio, quod si abest, id est, si non conuenit, neque connectitur cum specie, dissoluitur species in qua radicatur. Quod tamen nō tollit quin de facto possit Deus propriam passionem separare à subiecto non quantum ad conuenientiā, sed quantum ad existentiam. Et ex hoc constat quod indiuiduum dependere potest in sui conseruatione & existentia, imo in ipsa indiuiduatione ab accidentibus, species autem & quidditas à nullo accidente dependet. Et ita quæcumque affirmatio vel negatio, conuenientia vel disconuenientia accidentis ad subiectum semper est sine corruptione, seu cum indemnitate quidditatis, licet non sine corruptione ex parte indiuiduationis, vel

exi-

existentiæ, quæ indiuiduationem sequitur.

Solet hic inquiri, an omne accidens sit propria passio respectu alicuius subiecti ad quod sequatur? aliqui affirmatiuè respondent. Sed quicquid sit de hoc, aut illo accidenti in particulari, verius est non omnia accidentia esse proprias passiones, nec sequi ex principijs formalibus naturæ, sed quædam sequi ad principia materialia, & indiuiduantia. Et talia accidentia prius conueniunt indiuiduis quam speciei; è contrario autem propriæ passiones prius conueniunt speciei, quam indiuiduis, licet quantum ad inhærentiam, prius sustententur ab indiuiduis, quæ sunt prima substantia.

Sic breuiter explicata natura accidentis communis primò intentionaliter sumpti, superest agere de illo secundo intentionaliter, seu pro vt induit rationem quinti prædicabilis. Et est difficultas respectu quorum inferiorum dicatur quintum prædicabile, an respectu suorū singularium, vt album respectu huius, & illius albi; an respectu subiectorum? pro quo dico inferiora quinti prædicabilis esse ipsa subiecta de quibus dicitur denominatiuè, & accidentaliter, non ipsa constituta ex accidente & subiecto de quibus dicitur per se, & quidditatiuè, V. g. album de hoc & illo albo. Et ratio est, quia quintum prædicabile prædicatur in quale accidentaliter, seu contingenter, ergò oportet quod inferiora eius sint illa, ad quæ talem habeat ordinem; solùm autem respectu subiectorum sic se habet, non autem respectu inferiorū, siquidem album respectu huius, & illius albi prædicatur essentialiter, quia dicit totam eorum quidditatem. Quare cum album dicat albedinem in concreto, vel potest respicere inferiora ipsius albedinis, quæ sunt inferiora ex parte formæ, vel inferiora ex parte subiecti, quod ab albo connotatur; si respiciat inferiora formę dicitur essentialiter de illis, quia sicut hæc, & illa albedo essentialiter participat albedinem, ita hoc & illud album essentialiter participat album ex parte formæ. Si autem considerentur inferiora ex parte subiecti, sic accidentaliter participant rationem albi, atque adeo respectu illorum prædicatur in quale accidentaliter; abstrahitque ab illis non vt forma physica à subiecto, & vt abstractum à concreto, sic enim esset abstractio formalis, nec tunc abstraheretur album, sed albedo; sed vt denominatiuum à denominatis in concreto, quod se habet per modum abstractionis totalis ad vniuersale requisitæ.

In istis autem prædicationibus accidentalibus quinti prædicabilis, V. g. Petrus est albus, non ipsum nomen, sed res significata per nomen prædicatur denominatiuè tamen; ad hoc enim vt accidēs sic dicatur de subiecto, sufficit quod sit idem cum illo, identitate denominatiua & concretiua, vt docet D. Thom. 1. part. q. 13. artic. 12. & in 3. distinct. 5. in expositione litteræ, non verò est necessaria omnimoda, & essentialis. Sicque debet intelligi Philosophus cap. 5. in antepræedic. quando dicit, quod eorum quæ in subiecto sunt nomen prædicari de subiecto nihil prohibet, rationem verò impossibile est prædicari; noluit enim excludere à subiecto prædicationem accidentis secundum rem, sed solum quod non dicatur de illo quidditatiuè, quia ibi *ly ratio* significat essentiam.

Inquiret aliquis an solùm prædicetur quintum prędicabile respectu subiectorum existentium, vel etiam respectu possibilium? qua in re supponunt omnes tanquam certum, prędicata accidentalia, vt actu exerceant prædicationem affirmatiuam, requirere tanquam conditionē existentiam subiecti. Ratio est quia in prædicationibus accidentalibus verbum substantiuum est, non absoluitur à tempore, verificatur ergo dependenter ab existentia extremorum, pro vt fuerit prædicatio, præterita pro præteritis, præsenti pro præsentibus, futura pro futuris. Difficultas ergò est: an non solùm exercitium prædicationis accidentalis, sed etiam ipsa vniuersalitas, quæ est aptitudo ad prædicandum accidentali-

tèr, solùm respiciat inferiora existentia? & aliqui affirmant; oppositum tamen verius videtur, scilicet, non destrui vniuersalitatem quinti prædicabilis ex sola destructione subiectorum existentium, quia vniuersalitas consistit in aptitudine quantum est ex parte naturæ, vt prædicetur de multis. Quod verò illa multa de facto non existant, non est impedimentum intrinsecum illius aptitudinis, nec illi opponitur, sed solùm opponitur ipsi exercitio prædicationis. Quod autem opponitur actui, seu exercitio non destruit aptitudinem, & potentiam. Itaque accidens in communi remota existentia subiectorum, habet aptitudinem vt prædicetur de illis contingenter, non quantum ad possibilitatem prædicandò ipsam, sed quantum ad formam quæ cõtingenter potest conuenire, quando subiecta extiterint. Possibilitas enim, vt prædicata facit propositionem essentialem: possibilitas verò ex parte subiectorum de quibus potest prædicari forma accidentalis, non facit prędicationem essentialem, sed relinquit illam cum sua aptitudine, & potentia, vt possit contingenter prædicari, licet exercitium eius sine existentia subiectorum fieri non possit.

Sic ergò quintum prædicabile, siue accidens commune secundo intentionaliter sumptum, est accidens in concreto, quod potest esse in multis specie vel numero differentibus, vt quid contingens, & separabile secundum se, vel est vniuersale quod potest prędicari de multis specie, vel numero differentibus in quale contingenter. Intentio enim quinti prædicabilis per se est intentio vniuersalis, & per se postulat inferiora; sed non inferiora, quæ habeanr perseitatem in natura, & forma, quæ prædicatur, sed contingentiam. Et ita ei quod prædicatur accidentaliter de multis, conuenit per se, & essentialiter vniuersalitas, seu respectus ad multa, sicut opinioni per se conuenit versari circa propositiones cõtingentes, & libertati per se conuenit contingenter operari.

DE INDIVIDVO.

Ndiuiduum, seu singulare, quod cõmuniter in omnibus generibus inuenitur potest considerari, vel primo intentionaliter, vel secundo intentionaliter, sicut & natura specifica quæ in illo reperitur; hinc fit, quod sicut natura specifica potest significari dupliciter, videlicet nominibus primæ intentionis, vt sunt *Homo, Leo, Equus*, &c. & nominibus secundæ intentionis, qualia sunt, *species, vniuersale, subijcibile*, &c. ita etiam natura particularis, & indiuidua potest dupliciter significari, nẽpè nominibus primæ intentionis, vt sunt, *persona, hypostasis, prima substantia, Petrus, hic homo*, &c. & nominibus secuudæ intentionis, vt sunt hæc *Indiuiduum, singulare, particulare, & suppositum*.

Iuxta hunc ergò duplicem modum, quo natura singularis, seu indiuiduum considerari & significari potest, dupliciter etiam definitur, vel primo intentionaliter, vel secundo intentionaliter. Indiuiduum quantũ ad primam intentionem, seu pro vt dicit ipsam singularitatem à parte rei inuentam, solet definiri esse id, quod ex proprietatibus constat, quarum idem aggregatum nunquam in alio fiet. Quæ sint autem istæ proprietates induiduantes continentur his versibus.

Forma, figura, locus, tempus cum nomine, sanguis
Patria, sunt septem quæ non habet, vnus & alter.

Aliter tradit D. Thomas definitiones indiuidui primò intentionaliter accepti, nam in 1. part. quæst. 29. artic. 4. inquit: quod indiuiduum est, indistinctum in se; & distinctum ab alijs, vel melius in 10. Metaphys. lect. 11. Indiuiduum est, quod non diuiditur vlterius, nec formali, nec materiali differentia. Quæ definitiones non solùm conueniunt indiuiduis substantialibus, sed etiam accidentalibus. In prima autem definitione solùm definitur indiuiduum substantiale

com-

completum, & subsistens, cui soli conuenit habere collectionem istarum proprietatum.

Indiuidui secundo intentionaliter sumpti duas definitiones tradit Porphyrius, primam ex parte prædicabilitatis dicens, quod *Indiuiduum est illud quod de vno solo prædicatur*. Secundam ex parte subijcibilitatis dicens, quod, *Indiuiduum continetur sub specie, species autem sub genere*. Ex his autem duabus relationibus rationis, subijcibilitas quæ est relatio indiuidui vt inferioris ad sua superiora, principaliter ab indiuiduo importatur, cùm principalis ratio indiuidui sit ratio inferioritatis ad vniuersale, opponitur enim indiuiduum vniuersali, sicut inferius superiori.

Indiuiduum generatim sumptum est quadruplex, determinatum ex nomine, determinatum ex demonstratione; indiuiduum ex hypothesi, & indiuiduum vagum. Indiuiduum determinatum ex nomine est nomen proprium alicuius rei, vt Ioannes, Petrus. Indiuiduum determinatum ex demonstratione est quod constat nomine communi, & pronomine demonstratiuo, vt hic homo, ille canis. Indiuiduum ex hypothesi est quod absolutè quidem dici potest de multis, facta tamen certa suppositione, de vno tantùm potest affirmari, vt *Filius Sophronisci*, pro Socrate, supposito quod Sophroniscus vnicum habeat filium scilicet Socratem. Tandem indiuiduum vagum est quod constat nomine cōmuni, & signo particulari, vt aliquis homo.

Relictis tribus primis acceptionibus quæ nullam habent specialem difficultatem, circa Indiuiduum vagum, seu in communi sumptum sunt aliqua breuiter explicanda. Dico igitur indiuiduum sic conceptum, importare aliquam rationē communem indiuiduis, non solùm rationis. V.g. secundam intentionem subijcibilitatis ad superiora, sed etiam realem; ipse enim modus singularitatis inuenitur in re, & est aliquid positiuum, quod potest significari in communi, sicut etiā ipsa subsistentia, & personalitas, licet nō inueniantur nisi in singularibus determinatè, & signatè, ergò non repugnant dari conceptum communem realem ipsius indiuidui, non solùm ex parte naturæ, sed etiam ex parte indiuiduationis. An autem hæc ratio communis, sit vniuoca vel analoga? cum distinctione loquendum est, si enim abstrahamus conceptū indiuiduationis ab ipsis differentijs indiuidualibus, talis conceptus incompletus differentiæ indiuidualis in communi ad omnes differentias indiuiduales non est vniuocus sed analogus, cum sit transcēdens & imbibitus in ipsis differentijs: neque enim per alias differentias contrahitur, alioquin daretur processus in infinitum; & cum illæ differentiæ indiuiduales sint primò diuersæ non sunt resolubiles in duos conceptus, quorum vnus abstrahat ab alio, & includatur in ipso. Si autem sumatur indiuiduatio pro secunda intentione indiuidui, scilicet pro relatione rationis est simpliciter vniuoca ad omnes relationes indiuiduationis. Relatio enim indiuiduationis est quædā species relationis rationis, scilicet subijcibilitas infima, quæ diuidi potest vniuocè in hanc, & illam relationem, quæ inuenitur in hoc, vel illo indiuiduo per modum subijcibilitatis concepto. Vnde habet distinctum fundamentum à reliquis relationibus, & distinctam speciē, quæ diuiditur in sua indiuidua, sicut aliæ relationes rationis.

Ex dictis facilè colligitur cur indiuiduum vagum excludatur à ratione prædicabilis simpliciter. Si enim sumatur tanquam aliquid complexum in vi duorum conceptuū, quorum vnus significat naturam scilicet ly *homo*, alter significat modum indiuiduationis scilicet ly *aliquis*; sic non potest dici simpliciter vniuersale, cum vniuersalia seu prædicabilia sint quid simplex. Si verò sumatur Indiuiduum vagum in vi termini incomplexi, cum non sit quid vniuocum, sed analogum, ideo non continetur in prædicabilibus, in quibus tantùm prædicata vniuoca continentur. Vel certè solùm in eis continentur ea quæ sunt vniuersalia

lia

lia in prædicando, si quidem vniuersale est id quod diuiditur in quinque prædicabilia. Indiuiduum autem, & si in cōmuni possit concipi, non tamen vniuersale redditur, quia indiuiduum est, vniuersale enim ab omni indiuiduatione abstrahit. Reducitur tamen ista prædicatio indiuidui ad prædicationem speciei, non quia prædicetur in quid sicut ipsa species, sed quia prædicat modum naturæ specificæ, qui est indiuiduatio; modus autem reducitur ad rem cuius est modus, sicut subsistentia ad substantiam.

Summa eorum quæ ad considerationem Logicam spectant in Cathegoriis Aristotelis.

QVamuis prima mentis operatio, quia simplex, per se non videatur regulatione aliqua indigere, sicut nec simplex visio exterioris potentiæ, tamen ex parte sui obiecti, seu propositionis sui obiecti magna eget ordinatione, eò quod res à sensibus ad intellectum valdè confusè & inuolutè perueniant, nam V. g. per oculos proponitur coloratum cum figura, quantitate, motu, substantia, aliisque rebus; vt ergo intellectus ad quidditatinam rerum cognitionem perueniret, sciretque formare definitiones, & ex definitionibus proprietates demonstratiuè elicere, necessè fuit segregare res istas, & in sua genera quasi in classes distribuere, quas Philosophus vocauit prædicaměta Græcè cathegorias, id est, series seu coordinationes prædicatorum superiorum, & inferiorum in vnoquoque genere, vt inde vnicuique rei sua prædicata essentialia, & proprietates cō signaremus.

De his igitur generibus, seu prædicamentis quibus omnes res creatę distribuuntur, & continentur, acturus Aristoteles, non eorum naturas considerando, quod ad Metaphysicum spectat, sed solùm coordinationem prædicatorum superiorum, & inferiorum, quod instituti logici est; totum librum in tres pręcipuas partes distinxit. Prima vocatur antepręDicamentalis, eo quod quatuor capitibus contineat quędam quasi præambula, & prærequisita ad cordinationem prædicamentorum constituendam, & discernendam. Talia autem pręrequisita sunt quatuor distinctiones, seu conditiones quas hic præmittit Aristoteles. Primum distinctio, seu primum antepræd icamentum, est diuisio vniuocorum, æquiuocorum, & denominatiuorum. Secundum est distinctio complexorum, & incomplexorum. Tertium est distinctio eorū, quæ sunt in subiecto, & eorum, quæ dicuntur de subiecto. Quartum est distinctio eorum quæ ad rectam lineam prædicamentorum spectant, & eorum quæ ad latus, siue indirectè se habent.

Secunda pars appellatur prædicamentalis quasi ipsum corpus libri, vbi per quinque capita, explicantur decem genera, seu prædicamenta.

Tertia tandem pars quasi totius libri clausula post prædicamentalis dicitur eo quod in illa agatur per quinque capita, de quibusdam modis, qui vel ad omnia, vel ad plura genera consequuntur, & velut generales quædam passiones sunt, sicut antepræd icamenta sunt quædam prærequisita, & præambula, ad fundanda prædicamenta, seu coordinationem eorum:

De primò Antepradicamento.

RAtio primi antepræd icaměti, quod continet definitiones æquiuocorum, vniuocorum & denominatiuorum, est, quia ad intelligendam prædicamentorum coordinationem, triplex est ordo, seu respectus in illis considerandus. Primus est ad ea prædicata, quæ sunt supra omnia prædicamenta. Secundus est ad ea, quæ in eodem prædicamento coordinantur. Tertius est eorum quæ sunt in vno prædicamento, ad ea quæ sunt in alio. Respectus ergò prędicamentorum ad ea, quæ sunt supra prædicamenta, est respectus analogorum, vel æquiuocorū, quia non conueniunt prædicamenta in aliquo superiori vniuoco. Respectus ad ea,

eâ, quæ in eodem prædicamento ordinantur est vniuocorum, quia est secundum eamdem rationem, & non solùm secundùm idem nomen. Respectus verò vnius prædicaměti ad aliud est secundum denominationem, quatenus vnum accidentaliter se habet ad aliud, nam essentialiter non potest comparari vnum prædicamentum ad aliud. Ad hunc ergo triplicem respectum explicandum, sine quo prædicamentalis coordinatio, & adunatio nullatenus intelligi potest, opere pretium fuit primò agere de ęquiuocis, vniuocis, & denominatiuis.

Aequiuoca dicuntur, quorum nomen solum commune est, ratio verò substantiæ, id est essentiæ tali nomini accommodata diuersa, vt canis latrabilis, cęlestis, & marinus in nomine canis sunt æquiuoca, non tamen in nomine substantiæ quod illis eodem sensu conuenit. Vbi nota quod nomen ipsum ęquiuocũ (& idem proportionabiliter est de vniuocis, ac denominatiuis) dicitur æquiuocum æquiuocans, res verò per tale nomen significatæ æquiuoca æquiuocata. Vnde constat, res ipsas secundùm se non dici æquiuocas, aut vniuocas, sed pro vt nominibus significantur. Hæ enim intentiones sunt de genere earum, quæ immediatè fundantur in nominibus, propter quod eas definiens Aristoteles non dixit æquiuoca sunt, vniuoca sunt, &c. sed æquiuoca dicuntur, vniuoca dicuntur.

Porrò ęquiuocum est duplex, vnum æquiuocum purè, alterum Analogum, sub æquiuocis enim comprehendit Aristoteles Analoga. Aequiuocum purè, quod etiam solet appellari æquiuocum à casu, & ita appellauit Aristot. 1. Ethic. lect. 7. apud D. Thom. dicitur illud quod sub vno nomine habet definitionem aliquo modo eamdem, & aliquo modo diuersam.

Quia autem habere rationem aliquo modo eamdem, & aliquo modo diuersã siue partim eamdem, & partim diuersã, tripliciter excogitari potest, quod mediet inter rationem omnino eamdem, & rationem omnino diuersam. *Primò* si æqualiter participet de vtroque extremo, ita vt simul sit simpliciter eadem & simpliciter diuersa. Secundò si magis declinet ad omnimodam identitatem, ita vt sit simpliciter eadem, & secundum quid diuersa. Tertiò si magis propendat in omnimodam diuersitatem, ita vt sit simpliciter diuersa, & secundum quid eadem. Hoc tertio modo analogum mediat inter vniuocum, & æquiuocum, ideoque exactè definieris analoga logica in communi, dicendo: Analoga sunt, quorum nomen est commune, ratio verò substantiæ secundum illud nomen, simpliciter est diuersa, & secundum quid eadem.

Hęc analoga Logica diuiduntur in analoga proportionis, & analoga proportionalitatis; Analoga proportionis, quæ etiam dicuntur analoga attributionis, analoga ab vno vel ad vnum, analoga secundum intentionem, & non secundum esse, sunt illa quorum nomen est commune, ratio verò substantiæ secundum illud nomen est eadem secundum terminum, & diuersa secundum habitudines ad illum. Vt sanum commune nomen est Medicinæ, vrinæ & animali; ratio verò omnium in quantũ sana sunt, est eadem secundum terminum: quia eademmet sanitas est, quam respicit animal, in quo est; & Medicina à qua causatur; & vrina, quæ illam indicat. est verò diuersa secundum diuersas habitudines ad sanitatẽ; quia si quis assignet, quid est animal in quantum sanum, subiectum dicet sanitatis; Medicinam verò in quantum sanam, causam sanitatis, vbi terminus quidem idem est, nempe sanitas; sed habitudines diuersæ sunt nempè subiecti, causæ, & signi.

Analoga proportionalitatis, quę etiã vocantur Analoga secundum intentionem, & esse sunt illa quorum nomen est commune, ratio verò substantiæ secundum illud nomen est similis secundum proportionem. Diuiduntur que in analoga proportionalitatis propriæ, & proportionalitatis impropriæ, seu metaphoricę.

ricæ. Quæ in hoc præcipuè differunt, quod in primis, ratio significata per nomen Analogum intrinsecè inuenitur in omnibus analogatis, vt patet in ente respectu substantiæ & accidentis. In secundis verò ratio significata intrinsecè est in vno, & extrinsecè in alio. Quomodo risus est analogum ad risum hominis, & viriditatem prati.

Præcipuæ conditiones & proprietates analogiæ proportionis sunt primò, quod fiat secundum denominationem extrinsecam tantum; ita vt ratio significata per nomen analogum tantum sit intrinsecè & formaliter in primo analogato; in alijs verò per extrinsecam denominationem. Secundò quod ratio significata per nomen analogum attributionis sit vna, non solum ratione, sed etiam numerò saltem negatiue. Id est quod non multiplicetur realiter in analogatis sicut multiplicatur ratio significata per nomen vniuocum. Quia distinctio denominationis intrinsecæ; & extrinsecæ non sumitur ex parte formæ, sed ex parte subiectorum: & ita vnica numero forma realis causat in vno subiecto denominationem intrinsecam; in alio verò extrinsecam. Tertiò quod in ea primum Analogatum ponatur in definitione cęterorum nam cętera, non suscipiunt denominationem nisi per ordinem ad illud. Quæ omnes conditiones habent etiam locum in analogia proportionalitatis Metaphoricæ ferè coincidētis cum analogia proportionis. Ex quo fit commune illud Dialecticorum axioma, videlicet Analogum per se sumptum stat pro famosiori significato, de his duabus Analogijs proportionis scilicet, & proportionalitatis metaphoricæ intelligendum esse.

Conditiones autem Analogiæ proportionalitatis propriæ per oppositum sunt, quod necessario fiat secundum denominationem intrinsecam vtriusque analogati: atque adeò quod vnum non definiatur per alterū; sed definitio vnius proportionabiliter sit definitio alterius, & quod ibi analogum sit quid superius analogatis; & vt tale diuidatur, & prędicetur de illis: sitque medium demonstrationis.

Conueniunt tamen in hoc vtraque analogia, quod ab analogis non possit abstrahi aliqua ratio, quæ simpliciter sit communis, & pręcisa ab eis. Sed de hoc redibit sermo in Metaphysica cum de conceptu communi entis agemus.

Vniuoca dicuntur quorum, & nomē commune est, & essentiæ ratio sub illo nomine in multis eadem. Vt animal est vniuocum ad hominem & brutum.

Porro vniuoca duplicia sunt, essentialia si prędicentur essentialiter, vt animal de homine, & bruto, & accidentaria, seu denominatiua, seu connotatiua si prędicentur accidentario.

Denominatiua dicuntur illa, quæ cū solum differunt casu, id est cadentia nominis, ab aliquo alio, scilicet à forma denominante; ab illo tamen habent nominis appellationem: quia forma denominans est prima radix totius denominationis.

Ex hac definitione colligitur triplex denominatiuorum conditio. Prima vt ab alio trahant nomen & significationē, vt grammaticus est denominatiuum a Grammatica; non autem homo ab humanitate; ratio est quia materiale significatum grammatici nempe homo est aliud, seu habet aliam essentiam à grāmatica, at materiale significatum hominis non habet diuersam essentiam ab humanitate, & hinc colligitur denominatiua esse prędicata accidentaria. Secunda, quod denominatiuum differat à forma denominante casu, id est cadentia nominis, seu secundum terminationem. hoc autem intelligendum est per se loquendo: per accidens enim contingere potest vtrumque nomen non differre casu, seu cadentia, vt patet in musica sumpta pro muliere, & pro arte. Quod tamen non tollit quin in priori significatione verè sit denominatiuum; cum hęc sit prędicatio quinti prędicabilis, Maria est musica. Tertia tandem conditio est, vt denominatiuum, & forma deno-

denominans non differant in re significata, sed sola cadentia, aut terminatione nominis. Vnde studiosus pro virtute prædito, non est denominatiuum à studio. Pro quo nota communiter assignari tres modos denominatiuorum; alia re, & non voce, vt studiosus à virtute; alia voce, & non re, vt studiosus à studio; alia re, & voce, vt albus ab albedine. Ex quibus hęc vltima propriè, & simpliciter sunt denominatiua.

Quamuis autem intentiones istæ denominatiuorum, & vniuocorum coincidant aliquando in eadem re, denominatiua tamen formaliter quatenus talia, non sunt vniuoca, neque è contra. Et ratio est manifesta, quia album habet esse denominatiuum in ordine ad formam denominantem, à qua nominis appellationem recipit; esse verò vniuocum, in ordine ad subiecta inferiora, in quibus ęqualiter inuenitur. Quos respectus, & rationes esse inter se essentialiter diuersas, satis ex se constat, conuinciturque planè èx eò, quod ratio formalis denominatiuorum æque benè saluatur, tam in terminis vniuocis, quam analogis, tā communibus, quam particularibus. E contra etiam ratio formalis vniuocorum æque benè reperitur tam in terminis denominatiuis, quam non denominatiuis. Quod euidens est argumentum, intentiones constitutiuas denominatiuorum, & vniuocorum esse inter se essentialiter diuersas, & disparatas, materialiterque solum concurrere in vna & eadem re; ac proinde exigere diuersas definitiones iam allatas.

De secundo, & tertio antepradicamento, duplici nimirum diuisione.

Rerum, quæ per voces significantur, aliæ sunt complexæ, quę scilicet pluribus cōceptibus intelliguntur, correspōdentibus pluribus vocibus, per quas significantur, vt homo iustus; & aliæ incomplexæ, quæ scilicet vnico cōceptu intelliguntur, correspondenti vni voci, per quam significantur, vt homo, & iustus, si separentur, quæ pro vt sic simpliciter dicuntur vnæ, aliæ verò tantum secundum quid. Et ita diuisio est analoga.

Ens incomplexum, seu simplex est quadruplex, scilicet substantia secunda, seu vniuersalis, substantia prima, seu singularis, accidens vniuersale, accidens singulare. Quæ Aristoteles alijs verbis exprimit, primo quędam entia, inquit, dicuntur de subiecto, & non sunt in subiecto, id est dicuntur de inferioribus tanquam de subiectis prædicationis, nō tamen inhęrent in subiecto scilicet inhęsionis, vt sunt vniuersales substantiæ animal, homo, &c. secundo quędam nec dicuntur de subiecto scilicet prędicationis, nec sunt in subiecto scilicet inhęsionis, vt singulares substantiæ, Petrus, hic Leo &c. Tertio alia dicuntur de subiecto, scilicet prędicationis, & in subiecto sunt, scilicet inhęsionis, vt vniuersalia accidentia. Quarto quędam non dicuntur de subiecto, scilicet prędicationis, & in subiecto sunt, vt singularia accidentia v. g. hęc albedo. Quæ omnia faciunt hunc sensum: quęcumque res in prędicamento collocantur, vel sunt substantiæ vniuersales, vel substantiæ particulares, vel accidentia vniuersalia, vel accidentia particularia. Vnde hæc propriè non tam est vna diuisio, quam quędam entiū enumeratio, in qua plures diuisiones inuoluuntur. Continentur enim ibi diuisio entis in substantiā, & accidens; diuisio substantiæ in vniuersalem, & particularem; & similiter diuisio accidentis in vniuersale, & particulare, quæ duæ sunt diuisiones subiecti in accidentia quędam rationis. Et tādem continentur diuisio vniuersalis in substantiam, & accidens; & diuisio particularis in substantiā, & accidens: quæ sunt diuisiones accidētis in sua subiecta.

Pręponuntur autem hę diuisiones ab Aristotele vt dignoscantur quędam entia, & quo ordine ponantur in Cathegoria, sola enim incomplexa ponuntur, & prius quæ vniuersalia, posterius quę singularia.

De quarto antepraedicamento, seu duplici regula.

PRima est: quando aliquid prędicatur de aliquo vt de subiecto quidditatiuè, quidquid prędicatur quidditatiuè de prędicato, prędicatur etiã quidditatiuè de subiecto. Vt si de Petro prędicatur homo, & de homine prędicatur animal, viuens &c. etiam prędicabuntur de Petro. Ex hac regula elicitur modus arguendi, quem Cicero acerualem, Gręci soritem, nostri verò vocant de primo ad vltimum; Quia si homo est animal; & animal viuens; & viuens substantia, de primo ad vltimum homo est substantia.

Secunda verò regula est; diuersa genera & non subalternata, id est quorum vnum non est sub altero, vel quia sunt in diuersis prędicamentis, vt substantia, & quantitas, vel quia inter se condistinguuntur, & opponuntur sub aliquo tertio, vt animal & planta; necesse est vt habeant differentias essentiales, tam diuisiuas, quam constitutiuas formaliter diuersas. Quare si quando in diuersis prędicamentis eadem nomina pro differentijs ponuntur, id fit, vel quia sunt differentiæ quędam accidentales, aut transcendentales pluribus communes, vel quia ignoramus proprias differẽtias, & loco earum substituimus alias, vel tãdem quia talia nomina in rei veritate sunt ęquiuoca, & consequenter non significant vnam rationem, sed plures. Quod notauit expresse Aristoteles 1. Topicor. c. 13. adducens pro exemplo ly acutum, quod inuenitur in quantitatibus, & qualitatibus; dicimus enim angulum acutum, & vocem acutam.

Diuersa genera subalternata, quorũ vnum est sub alio, possunt quodammodo habere easdem differentias, tam diuisiuas, quam constitutiuas: quia differentia constitutiua superioris v.g. viuentis, est etiam inadequatè, & remotè cõstitutiua inferioris, v.g. animalis; & differentiæ diuisiuæ inferioris animalis, sunt etiam inadęquatè, & remotè diuisiuæ superioris viuentis; per hoc tamen non excluditur, quod ista genera habeãt proprias differentias, per quas proximè & adæquatè constituantur; & diuidantur.

Ratio autem harum regularum præmittendarum Aristoteli fuit, quia in coordinatione prædicamentorũ necesse est cognoscere tam connexionem eorũ quæ in recta linea ponuntur, vt sunt genera, & species, quam connexionem, vel separationem eorum quæ ponuntur ad latus, vt sunt differentiæ. Prima autem regula deseruit ad coordinationem directæ lineæ prædicamentalis intelligendã, quæ ex prædicatis superioribus, & vniuersalibus, & inferioribus sub illis contentis coalescit; secunda verò ad ea dignoscenda, quæ ponuntur ad latus, & indirectè.

DE PRAEDICAMENTIS.

EXplicatis ijs, quæ ad prędicamentorum notitiam erant necessario præmittenda, & propterea antepraedicamenta meritò nuncupantur; iam in hac secunda parte libri breuiter agemus de prędicamentis, quantum Logicum institutum ferre potest, relinquendo considerationi Metaphysicæ illa omnia quæ hic non necessariò, imò & intempestiuè solent ab aliquibus admisceri, de natura, & essentia prædicamentorum.

Prædicamentum ergò, quod ad Logicam spectat, nihil est aliud quam vnius supremi generis, & eorum quæ sub ipso sunt naturalis dispositio, & quasi scala quædam in cuius media, & recta linea ponuntur genera, & species, ad latus verò & extra lineam rectam differentiæ, pro fundamento autem cui cętera innituntur indiuiduum. Sicut cernitur in figura vbique obuia, quæ sumpta denominatione ab arboribus, arbor prędicamentalis solet appellari.

Prędicata communia omnibus Cathegorijs, vel multis dicuntur transcendentia, vt ens, res, verum, bonum, aliquid

quid, vnum, accidens, quæ omnia sunt aliquid analogum. Suprema Cathegoriarum genera non habent propriè genus, scilicet vniuocum, & consequenter nec propriè differentiam, cum differentia sit illa quæ ponitur in definitione cũ aliquo genere vniuoco. Vnde fit vt suprema genera, quia nihil habent commune vniuocum, dicantur distingui se totis, esseque primò diuersa, quia si definiantur, non definiuntur per aliquid cõmune vniuocum, sed sunt ipsęmet rationes differendi, & seipsis differunt sine aliquo superiori vniuoco in quo conueniant, siue cui se habeant ex superadditione, vt explicabimus in Metaph.

In Cathegoria, seu in recta linea Cathegoriæ ponuntur omnia entia realia, entia per se, seu non per accidens, incomplexa, vniuoca, finita, & completa, vt genera, & species: differentiæ verò ponuntur indirectè & ad latus, quæ sunt necessariæ ad definienda, & diuidenda genera, quomodo enim intelliges animal, nisi sit sensitiuum, quæ est differentia ipsius constitutiua, & nisi noueris animal aliud esse rationale aliud irrationale; reductiuè verò, & implicitè ponuntur partes physicæ vt materia, & forma, & partes integrantes, vt pes, caput; iterum modi essentiales qui necessarij sunt, vt essentia sit completa entitatiuè, vt subsistẽtia quæ est modus substantiæ, vnio substantialis inter materiam, & formam, supposito quod detur, &c.

Dixi primò in Cathegoria poni entia realia, quia Cathegoria est ordinatio vnius supremi generis, & eorum quæ sub ipso sunt, quæ materialiter sunt entia realia. Dixi secundo entia per se, incomplexa, & vniuoca, quia Cathegoria est ordinatio generum, & specierum, & indiuiduorum, genera autem, & species cum sint vniuersalia, sunt quid vnum per se, incomplexum & vniuocum, indiuidua etiam sunt aliquid vnum per se, & incomplexum, loquendo de incomplexo logico, imo etiam vniuocum, non quidem actiuè, quomodo genera & species, quæ vniuocè participantur à pluribus, sed passiuè quia indiuidua vniuocè cum alijs participant suum genus. Dixi finita, quia Cathegoria est ordinatio generis, & eorum quę sub genere sunt, de quibus genus, qua genus, id est vniuocè prędicatur, at nihil potest prędicari qua genus, seu vniuocè, de ente finito, & infinito, quare neque Deus, neque Christus, qua Deus ponitur in Cathegoria, licet qua homo possit poni. Dixi completa, seu tota, non autem incompleta, seu partes, ens autem completum est illud quod si sit singulare, non venit in compositionem entis per se, si verò est commune prędicatur in quid de ente completo singulari; Incõpletum verò est quod si sit singulare venit in compositionem entis per se, vel si sit vniuersale non prędicatur de singulari in quid est, sed in quale, vnde concipitur per modum formæ adiacentis, adiacere autem componendo, est proprium partis, cuiusmodi sunt differentiæ etiam essentiales quæ propterea excluduntur à recta linea prędicamenti; prętorquam quod, cum superiora non prędicentur de ipsis, si quidem genus non prędicatur de differentijs, nec differentiæ sunt resolubiles in duos conceptus generis, & alterius differentiæ, alias esset processus in infinitum; discontinuant rectam lineam, & seriem gradnum superiorum, & inferiorum, & sic ad latus ponuntur.

Quomodo autem res collocentur in prędicamentis; an scilicet, in concreto, vel in abstracto significatæ; distinguendum est, nam in prędicamento substantiæ propriè, & per se collocantur concreta; abstracta verò non nisi per reductionem; & è contra in prędicamentis accidentium.

Vera, & communis sententia decem constituit prędicamenta. Quamuis autem sufficientia huius diuisionis non possit omnino conuinci; ac proindè non sit quęrenda ratio, cui repugnari non possit; satis verosimiliter tamen ostendi potest numerum istum congruenter es-

se constitutum. Prędicamentum enim est series prędicabilium; vndè tot erunt prędicamenta, quot fuerint coordinationes, seu series prędicabilium. Sed hę sunt tantum decem; vt probat D. Thom. 5. Metaph. lect. 9. & 3. physic. sect. 5. ex diuerso modo prędicandi rerum, qui consequenter arguit diuersum modum essendi; vtiturque hoc discursu. Nam quidquid prędicari potest de subiecto, seu de prima substantia, solum tripliciter prędicari potest, vno modo tanquam pertinens ad substantiam, aut essentiam eius, alio modo, vt ad essentiam non pertinens, sed subiecto inhęrens, vel tertio modo, vt prędicatum desumptum ab aliquo extrinseco, vnde sumit denominationem. Si primo modo, constituitur prędicamentum substantiæ. Si secundo modo, vel illud prędicatum inhęrens est absolutum, vel respectiuum, & ordinans ad alium terminum. Si est forma absoluta & inhęrens, vel consequitur ad materiam, vel ad formam, vt forma est, siue sit spiritualis, siue corporea. Si consequitur materiam est quantitas, quia hęc partes materiales ordinat, & extendit. Si consequitur formam, est qualitas, quæ in qualificando, & determinando modum formæ habet. Si verò est forma respectiua est relatio.

Si verò tertio modo fiat prędicatio, sumendo nimirum denominationem ab aliquo extrinseco à quo dependet, pertinet ad sex vltima prędicamenta, quæ sic colliguntur. Ea enim quæ denominando dependent ab aliquo extrinseco, vel illud extrinsecum, est causa, vel mensura, vel nudè, & extrinsecè applicatum sine mensuratione, vel causalitate. Si hoc vltimo modo fiat, est prędicamentum habitus, quo quis dicitur vestitus. Si verò fiat denominatio ab aliquo extrinseco, quod sit causa, illa non potest esse materialis, vel formalis, quia hæ intrinsecè constituunt, vel denominant, secūdum intrinsecam vnionem. Vndè causalitates earum non constituunt speciale prędicamentum, quia magis ordinantur ad perficiendum, & complendum ipsam materiam, & formam, quæ per informationem & receptionem perficiuntur in se, quam ad perficiendum, & immutandum alia, sicut causalitas efficientis. Finalis autem causa solum habet causalitatem metaphoricam, & in eo, in quo est realis, coincidit cum causalitate efficientis. Restat ergò quod sola causa efficiens extrinsecum denominans sit, & tunc vel denominat subiectū, quod immutatur, & est passio, vel causam à qua dimanat effectus, & est actio. Si verò denominatio fiat ab extrinseco mensurante, vel illa mensura extrinseca, est locus, vel tempus. Si locus, vel mensurat secundum absolutam rationem essendi in loco penes diuersam distantiam, & sic est vbi, vel ratione ordinis partium in loco, & sic est situs. Si vero est tempus constituit prędicamentum quando. Nec sunt plures mensuræ extrinsecæ.

Multa alia possent hic de natura prędicamentorum tam in genere quam in specie breuiter explicari, sed quia vt iam monui Metaphysici potius, quā Logici instituti est, libenter illis supersedeo, breuē solum vniuscuiusque prędicamenti coordinationē ob oculos ponendo.

Coordinatio Prædicamenti substantię.

SVpremum genus est substantia, diuiditur in spiritualem, & corporalem. Spiritualis in varias Angelorum species. Corpus in corruptibile, seu alterabile, & incorruptibile, seu inalterabile. Incorruptibile in varias species cælorum, & planetarum. Corruptibile in elementale, & mixtum. Quorum primum varias etiam habet species. Mixtū diuiditur in animatum, seu viuens, & inanimatum, seu non viuens. Viuens in sensibile, & insensibile, vt planta, sub qua variæ species arborum, & herbarum continentur. Animal tandem in rationale, & irrationale. Irrationale in varias brutorum species. Rationale in indiuidua, vt Petrus, & Paulus.

Ex quibus facilè colligitur diuisionem

nem substantiæ vt sic, in primã & secundam, non esse diuisionem substantię essentialem, sed tantummodo subiecti in accidentia; nam id quod prima substantia addit supra substantiam, vt sic, est modus quidam realis particulariter subsistendi: & id quod addit secunda substantia, est modus vniuersaliter subsistẽdi in intellectu: sed isti habent rationem accidentium respectu substantiæ vt sic: quando ergò substantia diuiditur in illos diuiditur subiectum in accidentia, quorum vnum est reale, & alterum rationis.

Coordinatio Prędicamenti quantitatis.

QVantitas, quæ est summum genus Cathegoriæ quantitatis, definitur accidens, cuius effectus formalis est extendere partes substantiæ in ordine ad se. Id est, ordinare partes in seipsis, alias extra alias constituendo, ita vt vna vni immediatè, alijs mediatè vniatur. Diuiditur in duas species, scilicet continuam, & discretam. Discreta diuiditur in numerum, & orationem vocalem. Oratio in varias species, & combinationes metri, & harmoniæ secundum longitudinem, & breuitatem prolationis diuiditur, quæ secundum aliquos magis sunt artificiosæ quantitates, quam naturales. Numerus diuiditur per omnes species numerorum, quęlibet enim vnitas addita facit diuersam speciem numeri, vt binarius, ternarius &c.

Quantitas continua diuiditur in eã, quam consequitur figura, & situs; & possumus appellare figurabilem, seu situabilem; & in eam cui repugnat figura, aut situs; poteſtque appellari infigurabilis, & insituabilis: sic enim circumloquimur differentias essentiales harum specierum. Infigurabile, seu insituabile constituit tempus, quod diuiditur in dies, menses, annos, olimpiadas, lustra &c. Quantitas verò figurabilis, seu situabilis diuiditur in lineam, superficiem, & corpus tanquam in species infimas, & in locum secundum aliquos, quia licet nõ habeat distinctam extensionem à superficie; est tamen diuerso modo mensura, sicque diuidi potest in diuersas distantias, & modos mensurandi, vt leucam, stadium, milliare, &c. in mensuras etiam quæ continendo, & quasi locando mensurant, vt modius, amphora, dolium, &c.

Sunt qui alio modo ordinent quantitatem continuam, ita vt diuidatur in continuam mensurantem intrinsecè, & mensurantem extrinsecè. Intrinsecè mẽsurans, sunt linea, superficies & corpus, quę positionem habent in continuo. Extrinsecè mensurans diuiditur in permanentem vt locus, & successiuam, vt tempus.

Coordinatio prædicamenti qualitatis.

QValitas, quę est summũ genus Cathegorię qualitatis, definitur accidens dispositiuum rei in seipsa, vel accidens imponens modum, seu determinationem substantiæ. Diuiditur in quinque genera immediatè, quæ sunt habitus, & dispositio, potentia, & impotentia, passio & passibilis qualitas, forma, & figura; & vnumquodque istorum generum diuiditur in varias species, quas priusquam assignemus, aduertendum est, quod in duobus vltimis generibus tantùm ponuntur corporales qualitates, quia tertia species, ex alteratione causatur, vel causat primò, & per se. Forma autem & figura ex terminatione quantitatis. In alijs verò primis generibus, & corporalis, & spiritualis qualitas potest inueniri.

Habitus ergò, qui definitur qualitas secundum quam res benè, vel malè se habet, difficilè mobilis, potest diuidi in operatiuũ & non operatiuum, vt gratia sanctificans, quæ supposito quod realiter à charitate distinguatur connumeranda est potius habitibus propriè dictis quam dispositioni. Operatiuus diuiditur in acquisitum, seu naturalem, & in infusum, seu supernaturalem. Sub infuso continentur fides, spes, charitas, lumen gloriæ, aliaque permanentia Spiritus

rus Sancti dona, & virtutes, si quæ sunt aliæ, per se infusæ. Habitus acquisitus, seu naturalis diuiditur in intellectualem, & moralem; seu in habitum intellectus, & voluntatis: hic diuiditur in bonum, & malum. Malus, si verè est habitus, per omnia genera vitiorum, bonus per omnia genera virtutum moralium. Habitus, seu virtus intellectualis primo diuiditur in habitum, qui immediatè versatur circa singularia (qui necessariò erit practicus; nam singularia possunt quidē dircctè, & propriè operari, non autem cognosci) & in eum qui immediatè versatur circa vniuersalia. Sub primo genere continentur prudentia, & ars, quarum prima diuiditur in Monasticam, Oeconomicam, & Politicam; secunda verò in septem artes mechanicas: (nam liberales secundum quid tantùm dicuntur artes) secundùm rursus diuiditur in habitum circa principia, seu propositiones immediatas, qui dicitur habitus principiorum, & in habitum circa conclusiones, seu propositiones mediatas, & appellatur scientia. Habitus principiorum diuiditur in intellectum, seu intelligentiam, qui est habitus principiorum speculatiuorum, & in synderesim, quæ est habitus principiorum practicorum. Deinde scientia diuiditur in eam, quæ procedit lumine diuinæ reuelationis, scilicet, Theologiam; & in eam quæ procedit ex principijs lumine naturali cognitis. Quæ rursus partitur in practicā, & speculatiuam. Sub practica continentur Philosophia moralis, & Medicina. Speculatiua verò diuiditur in tria genera iuxta triplicem abstractionem, à materia singulari, vt abstrahunt physicæ disciplinæ, à materia sensibili, vt abstrahunt Mathematicæ, à materia intelligibili, vt abstrahit Metaphysica. Sunt tamen pro hac habitus coordinatione duo breuiter obseruāda, primùm à nobis poni sub habitu acquisito habitum primorum principiorum, quia saltem est ita nobis à natura inditus atque cōgenitus, vt tamen non resultet ad præsentiam specierum intelligibiliū virtute intellectus agentis in intellectu possibili, nisi posita terminorum notitia extrinsecus acquisita mediantibus sensibus. Secundò, practicum & speculatiuum posita esse, vt differentias diuisiuas generum non subalternatim positorum: non quia possint talia genera eisdem differenrijs diuidi, sed defectu nominum; sunt enim in rei veritate differentiæ omnino diuersæ; nam ratio practici, quæ cōuenit prudentiæ, & arti, ex natura sua postulat immediatè versari circa singularia, quæ verò conuenit synderesi, essentialiter respicit principia; quæ autem inuenitur in scientia, petit versari circa propositiones vniuersales mediatas, quæ rationes valdè diuersæ sunt, quamuis eodem nomine significentur.

Sub dispositione, quæ pro vt ab habitu condistinguitur, definitur qualitas secundum quam res benè, vel malè se habet, facilè mobilis, continentur omnes dispositiones corporales, quia istæ simpliciter non sunt difficile mobiles, & huiusmodi sunt sanitas & ægritudo; pulchritudo & deformitas, & si qui sunt quasi habitus in membris corporis, vt facilitas acquisita saltandi, equitandi, pulsandi cytharam, aut alia opera corporalia exercendi. Ad hanc etiam speciē reducunt aliqui, ex spiritualibus illam qualitatem, quæ per primum, aut secundum actum virtutis relinquitur in voluntate, sed melius fortasse reductiuè ponitur in prima specie.

Potentia est qualitàs productiua: seu qualitas quæ simpliciter est principium actionis: intelligendo per actionem, seu productionem, non solùm eas, quæ propriè sunt actiones, aut productiones alicuius effectus, sed etiam eas quæ habent modum actionis, licet nullum producant effectum, vt magna, vel parua resistentia ad diuisionem; quatum sunt principia durum & molle. Quarè primò diuiditur potentia in actiuam, & passiuam, seu melius resistitiuam. Potentia actiua est illa, quæ est principium actionis, quę verè est productio alicuius effectus. Potentia resistitiua est, quæ

est

est principium alicuius habentis modū actionis, cum tamen non sit vera actio. Et ad hoc genus pertinent durum, & molle; salubre, & valetudinarium, non pro vt significant, sanitatem & infirmitatem, quæ pertinent ad secundam speciem, sed robur, vel debilitatem corporis in sua constitutione, ratione quorum difficile, vel facilè cedit infirmitatibus. Forte etiam ad idē genus pertinent grauitas, & leuitas, illa enim est principiū resistendi motui sursum; ista verò motui deorsum. Potentia actiua diuiditur in corpoream, & incorpoream, sub corporea vitales, & non vitales: sub vitalibus sensitiuæ, vegetatiuæ &c. vegetatiuæ vt nutritiua, generatiua, & augmentatiua, (quæ solent appellari à Medicis potentiæ principales, eisque annectunt alias ministras vt dicetur in libris de anima) sub sensitiuis sensus interiores, & exteriores, & appetitus sensitiuus. Sub incorporea voluntas, & intellectus.

Sunt qui alio modo coordinent potentiam actiuam, ità vt primò diuidatur in immanentem, & transeuntem. Sub hac continetur ex potentijs spiritualibus intellectus agens, ex corporalibus potentiæ generatiua, nutritiua, & augmentatiua cæteræque illis annexæ, & generaliter omnes potentiæ, seu virtutes naturales creaturarum, quæ ad producendum aliquem effectum in extranea materia à natura destinatæ sunt. Sub immanenti continetur potentia cognoscitiua, & appetitiua, illa diuiditur in sensitiuam, & intellectiuam; hæc verò in appetitum sensitiuum, & rationalem, de quibus omnibus, & de vniuscuiusque speciebus agendum erit loco citato de anima. Aliqui etiam reducunt ad hoc genus species impressas, quia complent potentiam cognoscitiuam; quamuis existiment alij verius spectare debere ad habitus, quando dantur permanenter; species verò expressas ad dispositionem; si quidem ex natura sua sunt facilè mobiles.

Ad has duas species subalternas potentiæ pertinent quædam qualitates supernaturales, quibus homines deputantur ad cultum Dei, secundum ritum christianæ religionis, quæ characteres appellantur. Nam character baptismalis pertinet ad potentiam passiuam, quia non ordinatur ad aliquam actionem; sed potius ad receptionem Sacramentorum. Character verò confirmationis, & ordinis pertinent ad potentiam actiuam, quia ordinantur ad actiones hierarchicas.

Passio, seu passibilis qualitas, differunt enim accidentaliter solùm, & penes causas extrinsecas durationis, nam specificè eiusdem rationis sunt rubor causatus ex verecundia, qui cito transit, & causatus ex bono temperamento, qui diu durat, solet explicari quod sit qualitas sensibilis, seu obiectiua, id est constituēs obiectum alicuius sensus. Sub qua comprehenduntur lux, color, sonus, odor, sapor, & qualitates tangibiles, scilicet, calor, & frigus; humiditas, & siccitas, & si quæ sunt aliæ qualitates, quæ sint obiecta sensuum. Ex quibus lux, & quatuor primæ qualitates sunt species infimæ, aliæ verò subalternæ; nam color diuiditur in albedinem, & nigredinem, & alios colores medios, sonus in acutum & grauem, & alios medios, & sic de cæteris, de quibus redibit sermo in libris de anima. Asperum autem, & lene, rarum, & densum, licet videantur qualitates; propriè tamen pertinent ad prædicamentum situs.

Vltima tandem qualitatis species dicitur forma, & figura, non sumendo figuram pro signo, seu imagine alicuius, sed pro modo resultāte ex terminatione quantitatis, nec formam, pro forma substantiali, aut quocumque alio actu informante, sed pro illa conuenienti dispositione, quam habent partes quantitatis in ordine ad se, à qua deriuatur denominatio formosi vel deformis, de qua dicitur, Psalm. 44. *Speciosus forma præ filijs hominum, &c.* sicque accidentaliter solùm differunt figura, & forma: vel per hoc, quod forma significat istam speciē physicè & naturaliter, id est iunctam

cum

cum alijs accidentibus sensibilibus, figura verò significat eamdem speciem mathematicè, id est abstractam ab accidentibus sensibilibus. Vel per hoc, quod forma significat istam qualitatem, pro vt reperitur, & dat esse artificiatis, quo sensu dicitur forma turris, domus &c. figura verò significat eamdem qualitatē, simpliciter vel in rebus naturalibus.

Sic sub forma continentur qualitates constitutiuæ artefactorum, vt turris, nauis, domus, & similes. Sub figura verò, præter figuras animalium, & aliarum rerum naturalium, continentur omnes de quibus agit Geometra, quas commodius ordinabimus infra agendo de Geometria.

Coordinatio Prædicamenti Relationis.

SVpremum huius cathegoriæ genus est relatio realis secundum esse, cuius natura & definitio ita explicari potest, est accidens, cuius totum suum esse est ad aliud se habere. Diuiditur in quatuor genera immediata. Primum quod fundatur in quantitate, extendendo etiam hoc fundamentum ad alia prędicamenta, in quantum induunt modū quantitatis, seu secundum quod in eis attenditur vnitas, vel multitudo; ad quod sufficit vnitas transcendentalis eorum. Secundum in actione. Tertium in passione. Quartum in mensurabilitate.

Primùm ergo relationis genus diuiditur in eam quæ fundatur supra vnitatem; & in eam quæ fundatur supra numerum. Sub primo membro continentur relationes omnes identitatis, & diuersitatis; æqualitatis, & inæqualitatis; similitudinis, & dissimilitudinis; præsentiæ, & absentiæ; propinquitatis & distantiæ, & si quæ sunt aliæ huius generis. Ita tamen vt identitas, æqualitas, similitudo, præsentia, & propinquitas fundentur in vnitate absolutè sumpta, & non formaliter vt est principiū numeri: quia in huiusmodi relatiuis attenditur ordo secundum id, in quo extrema conueniūt. Vnde ibi, formaliter loquendo, non attenditur numerus, vt patet in Petro, & Paulo, qui fundant relationem identitatis in natura humana, formaliter secundum quod sunt vnum, seu vt habent principium conueniendi; non verò secundum quod causant numerum, seu vt sunt principia differendi. At aliæ relationes, scilicet, diuersitas, inæqualitas, dissimilitudo, absentia, distantia, & similes fundantur in vnitate, non absolutè sumpta, sed vt est principium numeri, quia in huiusmodi relatiuis potius attēditur id, in quo differunt & sunt plura; propter quod dici posset huiusmodi relationes fundari in numero, qui est secunda pars huius primi fundamenti. Sed melius dicitur fundari in vnitate: vt est principium numeri: quia in his relationibus non inuenitur numerus ex parte alicuius extremi, tanquam ratio fundandi, sicut cernitur in proportionibus numerorum. Relatio fundata in numero nomine incomplexo appellatur proportio, diuiditurque in proportionē æqualitatis, & inæqualitatis. Quæ rursus est duplex, alia appellatur inæquale excedens, quia est à maiori ad minus; & alia dicitur inæquale excessum, quia est à minori ad maius; quarum species, ne eadem repetamus, commodius afferemus agendo de Arithmetica, ad quam pertinet exacta numeri consideratio.

Duo alia genera relationum, quæ scilicet fundantur in actione, & passione, diuiduntur in relationes causæ, & effectus, actionis, & motus, seu mutationis, propinquitatis & recessus, secundum quod ista ex motu pendent; & vnaquæque potest diuidi in varias species secundum varias rationes causæ, & effectus, sicut alia est relatio causæ efficientis, vel materialis, vel formalis, &c. & alia est relatio fundata in motu generationis, vel alterationis, &c. vno verbo duo hæc genera diuiduntur in varias species iuxta diuisiones ipsius actionis, & passionis, quas statim adducemus.

Quartum genus diuiditur in relationem ad mensuram, quæ est obiectum, vel quæ est exemplar, seu prototypus,

Re-

Relatio ad obiectum, in relationem potentiæ, vel habitus, aut actus. Et vnaquæque in varias species, secundũ quod est potentia actiua, vel passiua, cognoscitiua, vel appetitiua, & illa in varias species cognoscitiui. Et similiter exemplaria diuersas relationes specie fundare possunt, pro vt diuerso modo exemplare & ideare dicuntur.

Coordinatio prædicamenti Actionis & passionis.

Actio naturalis, passio, & motus ita inter se formaliter secluso intellectu iuxta probabiliorem sententiam distinguuntur, vt tamen in vna entitate saltem modali identificentur, quæ quatenus est actus agentis dicitur actio, quatenus verò est actus patientis, & receptio termini producti dicitur passio, quatenus est via ad terminũ dicitur motus. Actio qua actio dicit formaliter respectũ ad agens, qua passio ad patiens, seu ad subiectum, qua motus dicit tantum viam, & fluxum ipsius termini.

Actio igitur benè definitur causalitas agentis, actus secundus potentiæ operatiuæ, vel melius accidens, à quo res cõstituitur actu producens.

Passio verò actualis receptio termini, actus secundus potentiæ passiuæ, siue accidens à quo res constituitur actu recipiens.

Motus verò definitur transitus, & fluxus ipsius termini, vel via ad terminũ.

Actio ergo genus generalissimum primò diuiditur in transeuntem, & immanentem, iuxta opinionem probabilẽ quod actio immanens non sit de prædicamento qualitatis. Immanens in cognoscitiuam, & volitiuam seu appetitiuam, & vtraque in corporalem, & spiritualem. Corporalis cognoscitiua in actiones sensuum internorum & externorum. Spiritualis cognoscitiua in intellectualem, qualis est in Angelo, discursiuam qualis est in nobis, supernaturalem vt visio beata. Et quælibet istarum in diuersas species iuxta diuersa obiecta. Appetitiua corporea in varias passiones. Appetitiua spiritualis in varias species actunm naturalium & supernaturalium, & quilibet illorum iuxta diuersa obiecta in varias alias species. Actio transiens videtur primò diuidenda in artificialem, & naturalem. Artificialis per infinitas species artis, vt ædificare, pingere &c. Naturalis in substantialem, & accidentalem: substantialis est generatiua, quæ per diuersos terminos suæ productionis variatur. Accidentalis in augmentationem, alterationem, & motum localem, & vnaqueque in varias species athomas, vt motus localis in circularem, & directum &c. seu iuxta diuisionem vbi, quod est terminus eius. Alteratio in intensionem, remissionem, &c. seu iuxta diuisionem primæ & tertiæ speciei qualitatis: hæ enim solæ producuntur per veram actionem, cæteræ autem per emanationem.

In prędicamento passionis eædem species ponendæ sunt, quæ in actione productiua ex subiecto. & sic si in generatione substãtiali inuenitur vera passio prędicamentalis, sicut inuenitur in alteratione, & alijs motibus, iam passio prima diuisione diuidetur in substantialem, & accidentalem, seu in generationem passiuam, & motum. Illa diuiditur iuxta diuisionem generabilium in arbore substantiæ adductam; hęc verò iuxta diuisionem motus in augmentationem, & alterationem, & lationem passiuam. Augmentatio passiua est species infima; quia quantitas, quæ est terminus eius, nempè corpus, est species athoma. Alteratio vero passiua diuiditur iuxta diuisionem primæ, & tertiæ speciei qualitatis. Denique latio passiua, seu passio, quæ inuenitur in motu locali, diuiditur iuxta diuisionem vbi, quod est terminus eius. Vniuersaliter notandum est circa prædicamentum passionis, ad ipsum solum pertinere illas, quæ ex natura sua pręsupponunt, & sequuntur actionem prędicamentalem, seu quæ habet pro principio operandi potentiam operatiuam de genere qualitatis. Vndè non

non datur vera passio huius prędicamēti, quando proprietates recipiuntur in essentia, neque quando alia accidentia per accidēs producta recipiuntur in subiecto. Qua etiam de causa creatio passiua creaturarum non est passio huius prædicamenti; quia creatio actiua Dei, quam per se pręsupponit non est vera actio prędicamentalis. Dictum fuit illas solas passiones pertinere ad hoc prædicamentum, quæ ex natura sua pręsupponunt actionem prędicamentalē, quia si Deus per seipsum calefaceret, aut moueret localiter lignum, verè in hoc esset passio prædicamentalis, media qua reciperet calorem, aut vbi; quamuis actio diuina, quam tunc pręsupponeret, non esset prædicamentalis; quia hoc esset per accidens, quippè cum talis passio ex natura sua petat actionem causæ creatę.

Coordinatio Prædicamenti Vbi.

GEnus supremum, quod est vbi, definiturque accidens resultans in corpore ex circumscriptione loci, vel latius, accidens quo res est in loco, diuiditur ab aliquibus in tres species scilicet circumscriptiuum, definitiuum, & supernaturale, seu sacramentale. Definitiuum vbi est præsentia spirituum creatorū in loco, ratione cuius sunt toti in toto, & toti in qualibet parte, cum sint substantiæ indiuisibiles, quæ pręsentia secundū diuersos modos operandi in loco poterit variari. Sed iuxta probabiliorem sententiam vbi Angelicum non pertinet ad hoc prędicamentum: est enim pręsentia virtutis, non præsentia locati, & vbicati. Si quæ tamen diuisio illi conuenit, potest esse in vbi actiuum, quo est in loco operando, & passiuum, quo est in loco per alligationem. Similiter vbi sacramentale, seu modus existendi in loco, quem habet corpus Christi Domini in Eucharistia non pertinet directè, & per se ad hoc prædicamentum; si quidem Christus in Eucharistia est per modum, quo substantia comparatur, aut continetur à dimensionibus, non verò per modum, quo dimensiones compatantur, aut continentur à loco. Et ideo Christus per præsentiam sacramentalem, formaliter loquendo, solum fit præsens speciebus sacramentalibus nō autem loco, aut spatio ipsarum: sed hoc habet per accidens, per ipsum vbi circumscriptiuum specierum. Et ita Christus in Eucharistia per accidens est in loco, & per accidens mouetur in illo: ac proindè per motum localem specierum non acquiritur, & deperditur vbi sacramentale, sed tantum vbi circumscriptiuum earum.

Sic ergò probabilius est, vbi circumscriptiuum esse genus supremum huius prędicamenti, cuius sex species cōstituit Arist. 3. physic. textu 45. Sursum, videlicet, & deorsum; antè, & retrò; dextrorsum, & sinistrorsum; quamuis alij tot species loci ponant quot sunt distātiæ.

Coordinatio Prædicamenti Situs.

SVpremum huius prædicamenti genus est situs in communi, qui definitur accidens disponens partes in loco, cuius duas species subalternas assignat Albertus Magnus; scilicet poni rectè, vel inflexè, seu æquè, & non æquè situatum esse. Sub positione inflexa continentur infinitæ species, vt sessionis, cubationis, genuflexionis &c. ponitur etiā asperum, & lene; rarum, & densum; secundum quod dicunt æqualitatem, vel inęqualitatem partium. Nam asperum est id, cuius partes sunt aliæ alijs eminentiores; lene verò cuius partes quasi in recto positæ sunt. Rarum similiter est, cuius partes distant; densum verò cuius partes prope sunt. Quæ omnia satis patent ad dispositionem partium in loco pertinere.

Sunt qui alio modo hoc prædicamentum coordinent, ita vt prima diuisione diuidatur in situm naturalem, & præternaturalem, seu ex appetitu & inclinatione animalis acquisitum. Constat enim

enim vnicuique corpori determinatum conuenire aliquem situm à natura, seu à natiuitate, vt homini, quod caput sit superiori loco; aliæ verò partes in loco magis, vel minus infimo. Quod non inuenitur in alijs corporibus. Nam planta habet caput, scilicet, radicem in loco inferiori; ramos vero in superiori. Animalia verò bruta quasi medio modo se habent. Et hinc sumi possunt diuersæ species situs naturalis. Præternaturalis etiam, seu ex appetitu animalis acquisitus, qualis est in homine, sedere, iacere, & similes, suas habet species. Nã sessio diuerso modo disponit partes in ordine ad locum, ac iacentia, non solum in diuersis corporibus, sed etiam in vno, & eodem.

Coordinatio Prædicamenti Quando.

QVando est id, quod ex adiacentia temporis relinquitur, siuè, quandò est accidens quo res est in tempore. Sicut enim ex circumscriptione extrinseca loci resultat in re locata Vbi, per quod formaliter dicitur esse in loco: sic ex insidentia extrinseca temporis mensurantis res temporales resultat in eis, quandò, per quod formaliter dicuntur esse in tempore.

Qui existimant hoc prædicamentũ esse durationem creatam, seu modum quemdam, aut accidens, quod facit rem durare, diuidunt illud in tempus, æuum, modum æui, & modum æternitatis. Tẽpus diuiditur in continuum, & discretũ, secundum motum continuum, vel secundum operationes diuersas. Aeuum conuenit rebus incorruptibilibus. Modus Aeui rebus instantaneis. Modus æternitatis visioni beatificæ, quæ immutabilis est ex natura sua. Qui verò existimant, & probabilius, quandò solum esse adiacentiam temporis, etiam si sit vnum, ex diuerso tamen ordine, quem res mensuratæ habent ad diuersas partes ipsius, diuersas etiam species huius prædicamenti assignant; ita vt primò diuidatur in quando, ratione cuius res dicuntur fuisse in tempore; & in quandò, ratione cuius res dicuntur esse; & in quando ratione cuius res dicuntur futuras esse. Secunda species dicitur, *hodie*, & est species infima, quia in tempore præsenti non sunt diuersæ partes vnde possint sumi diuersa quando. Aliæ duæ sunt quasi subalrernæ; & sub prima continentur, heri, nudiustertius, superiori anno &c. sub secunda vero cras, postridie, sequenti anno &c. sicut enim quælibet vnitas variat speciem numeri, ita quælibet differentia temporis variat species quando, quod est numerus successiuus. Quæ diuisiones dantur solum in re fundamentaliter, cum diuisio, & numeratio temporis actualiter fiat solum per intellectum.

Coordinatio Prædicamenti Habitus.

HAbitus, qui est supremum genus definitur, corporum, & eorum, quæ circa corpus sunt adiacentia, ita vt habitus dicatur mediare inter corpus, & ea, quæ circa corpus sunt per modum cuiusdam actionis & passionis, in quantum, medio illo, corpus ornatur, & ea, quæ circa corpus sunt, ornant; ac proindè hæc debent esse omnino extrinseca corpori; sicut locus est extrinsecus rei locatæ, & tempus rebus quæ ab eo mẽsurantur. Quam ob causam, vngulæ, cornua, pili, lana, cæteraque huiusmodi arma, & indumenta proportionata, quæ à natura acceperunt animalia irrationalia, non pertinent ad hoc prædicamentum, cum talia arma, & indumenta sint veræ partes animalium, & non aliquid extrinsecum.

Potest primò diuidi in habitum, qui resultat ex adiacentia armorum, ratione cuius dicimus res esse armatas, loricatas, galeatas, & in eum qui resultat ex adiacentia vestium, seu in arma, & vestimẽta. Arma in offensiua, & defensiua, quorũ vnumquodque varias habet species. Vestimenta, in vestimenta hominum & bestiarum, quatenus in ordine ad humanos vsus aliquibus extrinsecis vesti-

bus indui solent. Sicut equi ornantur ephipio, fræno, armis &c. Vestimenta in varios modos induendi secundum diuersam adiacentiam, tam toti corpori, quam singulis ipsius partibus, vt tunica, calceamentũ, pileus, toga &c. Quæ species non sumuntur penes materiam, vel artem qua fiunt vestes, sed ex diuerso modo quo vestiunt, & amictant. Reducuntur etiam ad hoc prædicamentum ornamenta parietum, quæ propriè non sunt vestes.

De Postprædicamentis.

HAec est tertia pars huius libri, in qua per quinque capita disserit Aristoteles, de quibusdam modis, qui vel ad omnia, vel ad plura genera consequuntur, & velut quędam generales passiones sunt, sicut anteprædicamenta sunt quędam prærequisita, & præambula ad fundanda prædicamenta, seu coordinationem eorum. Sunt autem isti modi quinque; scilicet *Oppositio*, *prius*, *simul*, *motus*, *habere*. Quorum ratio est, quia cum decem genera distinguantur, ad ea discernenda, & coordinanda necessario sequitur oppositio, super quam distinctio fundatur. Item coordinationem sequitur prius, & posterius, nec non etiam simultas saltem in tempore, sicut datur prius & posterius in ordine, causalitate & natura. Et hæc tria scilicet *oppositio*, *prius*, *& simul* omnia genera consequuntur. Motus autem, seu mutatio ad quatuor genera per se sequitur, scilicet ad substantiam quæ mutatur generatione, quantitatem, quæ augmentatione, qualitatem, quæ alteratione, Vbi, quod motu localis. Per accidens autem ad istorum mutationem omnia alia genera mouentur. Denique omnia genera, quæ accidentia sunt, aut habent aliquid, id est, proprietates & accidentalia prædicata, aut habentur à substantia, quæ illa recipit, & sic habere ad omnia genera sequitur, vel actiuè, vel passiuè.

De oppositione.

OPpositio dupliciter accipi potest, primo latè, pro vt idem est, ac repugnantia aliquorum ad simul conueniendum alicui, comprehendirque disparata, quorum vnum non determinat sibi aliud cui repugnet, sed indifferenter repugnat omnibus à quibus in essentia distinguitur. Secundò sumitur oppositio propriè, vt condistinguitur à disparatis, & definitur determinata aliquorũ repugnantia, ita vt propria ratio oppositionis addat supra repugnantiam vt sic, determinationem alterius extremi, seu termini cui repugnet.

Sic propriè sumpta oppositio diuiditur in oppositionem priuatiuam, contrariam, contradictoriam & relatiuam: quia, vel repugnantia, quam importat oppositio, est inter ens, & non ens, vel inter ens, & ens? Si primum, vel inter ens, & non ens simpliciter? & sic est oppositio contradictoria; vel inter ens, & non ens in determinato subiecto? & sic est oppositio priuatiua. Si secundum vel ens, & ens mutuò se expellunt? & sic est oppositio contraria, vel se respiciunt? & sic est oppositio relatiua.

De modis prioris.

DAntur quinque modi quibus aliquid dicitur esse prius alio. Primus est, quandò aliquid est prius alio prioritate temporis. Secundus, quandò aliquid dicitur prius prioritate consequentiæ: quia scilicet, ab eo ad aliud non valet consequentia, vt animal respectu hominis. Tertius, quandò aliquid est prius prioritate ordinis; nempè quãdo habet habitudinem principij vel partis respectu alterius, vt litteræ respectu syllabæ, exordium respectu narrationis. Quartus est quo aliquid dicitur prius prioritate dignitatis, seu honoris. Quintus tandem modus est, quo aliquid dicitur prius alio prioritate naturæ, quando, nimirum, licet inter se conuertantur, tamen

men vnum est causa alterius.

Sunt qui præter hos modos ponant prioritatem originis in processione personarum diuinarum, in qua sine antecedentia durationis, vel causalitatis datur processio. Sed quia in diuinis, vt fides docet, nihil est prius, aut posterius, conuenientius vocatur ordo originis, quam prioritatis. Et ita absolutè dixit S.Thom. 1. p. q.42. artic.3. *Quod in diuinis oportet esse ordinem originis, absque prioritate.* Per quod etiã patet, quibus modis possit aliquid dici posterius alio. Nam priori formaliter opponitur posterius; non vero simultas vt statim dicemus.

De modis simul.

Tripliciter potest dici, aliquid esse simul cum alio. Primo simultate temporis, vt duo eodem tempore nati. Secundò simultate naturæ, quando scilicet, vnum cum alio conuertitur, & neutrum est causa alterius, vt duo relata opposita formaliter considerata. Tertiò tandem modo dicuntur esse simul differentiæ diuisiuæ eiusdẽ generis, præcisè secundùm quod cõparantur ad genus.

Notandum est, simultatem non opponi præcisè prioritati, nam priori formaliter opponitur posterius; simultas ergò directè solum opponitur successioni inter prius, & posterius, ideoque modi simul sunt tres tantum, quorum primus opponitur primo modo prioritatis: secundus opponitur secundo, & quinto, qui sunt prioritates naturæ. Tertius, scilicet simultas ordinis, seu diuisione generis opponitur tertio modo prioritatis. Sed quarto modo prioritatis, scilicet dignitati non opponitur simultas, quia ibi non est successio, & tamen par dignitas potest in hoc modo dici simultas in dignitate.

De motu.

Enumerantur sex species motus, (non quia propriè sint species alicuius veri generis, cum sint viæ quædam, & entia incompleta, sed eo sensu, quo quælibet membra diuidentia cuiuscumque diuisi solent largo modo appellari species.) Duæ primæ sunt mutationes substantiales, scilicet generatio, & corruptio. Duæ sequentes sunt motus quantitatis scilicet augmentatio, & diminutio. Quinta est secundum qualitatem, scilicet alteratio. Sexta secundum locum, scilicet motus localis.

De modis habere.

Habere sumitur in præsenti communiter, pro vt idem valet, ac possidere quocumque modo, siue per inhærentiam, siue per relationem; habere enim, seu habitus in hac acceptione solum consequitur prædicamenta, estque post prædicamentum; si quidem habere, seu habitus sumptus, vt est quoddam medium per modum actionis, & passionis inter habentem, & rem habitam, ratione cuius dicimur vestitos, aut armatos esse, constituit speciale prædicamentum habitus. Similiter habitus sumptus, pro vt significat id, quo res se habet benè, vel malè, vel in seipsa, vel in ordine ad aliquid aliud. Quo sensu solemus inquirere: *quomodo te habes*; pertinet ad prædicamentum qualitatis, estque prima species eius.

Habere igitur primo modo sumptũ solet ordinariè per octo modos diuidi. Primò habere qualitates, vt virtutes, & vitia. Secundò habere quantitatem, vt tricubitam vel bicubitam. Tertiò habere circumdantia nos, vt vestes. Quartò aliquid in membro, vt annulum in digito. Quintò habere membrum ipsum, vt manum, aut pedem. Sextò habere aliquid in vase, vt vinum, vel triticum. Septimò habere possidendo vt agrum, domum. Octauò cohabitando, vt habere vxorem.

Summa

Summa intentionum Logicalium quæ in vocibus simplicibus fundantur; spectantque ad directionem primæ operationis intellectus.

CVm obiectum formale Logicæ nō solum sint secundæ intentiones quæ fundantur in rebus, sed etiam illæ quæ fundantur in vocibus, si quidem summopere iuuant, vt de qualibet re, recta & sine errore notitia comparetur; postquam in superioribus breuiter egimus de secundis intentionibus principaliter fundatis in rebus: nam res sunt quæ propriè denominantur genus, species &c. Superest adhuc agere de secundis intentionibus fundatis in vocibus simplicibus, scilicet de terminis & eorum proprietatibus ad primam intellectus operationem spectantibus. Quia autem significatio est id, ratione cuius voces, aut scripturæ dicuntur termini, sub qua proindè consideratione pertinent ad institutum Logicum: opere pretium est, antequā de ipsis terminis agamus, breuiter explicare quid sit significare, seu esse signum, & quot modis cōtingat.

De natura Signi in communi.

SIgnum in communi abstrahendo à signo formali, & instrumentali, definitur esse id quod repræsentat aliquid aliud à se potentiæ cognoscenti, nam vulgaris illa definitio, quæ ex D. Augustino circumferri solet; signū est, quod præter species, quas ingerit sensui facit aliquid aliud in cognitione venire, solum instrumentali signo competit.

In definitione ergò allata signi in communi duo concurrunt. Primum est ratio manifestatiui, seu repræsentatiui. Secundum ordo ad alterum, scilicet ad rem quæ repræsentatur, quæ debet esse diuersa à signo, & ad potentiam cui manifestat, ac repræsentat rem à se distinctam. Et quamuis manifestatiuum vt sic non dicat relationem, tum quia potest saluari in ordine ad se, & sine respectu ad alterum, vt quando aliquod obiectum videtur per se ipsum, tum etiam quia potest aliquid manifestare alterum sine dependentia ab ipso, imo potius per dependentiam alterius à se; sicut manifestant principia cōclusiones, Deus clarè visus, creaturas; quia tamen manifestatiuum signi inuenitur, & cum ordine ad alterum, quia nihil seipsum significat, licet se repræsentare possit; & cum dependentia, quia signū semper est minus significato, & ab ipso vt à mensura dependet; potest esse difficultas an formalis ista ratio signi consistat in relatione secundum esse primò & per se, sumēdo pro modo relationem secundum esse, pro ea quæ purè relatio est, siue realis, siue rationis, & non aliquid absolutum; an verò in relatione secundū dici, seu in aliquo absoluto, quod fundet talem relationem.

Qua in re diuisi sunt authores; existimantibus aliquibus rationem signi in communi non consistere in respectu secundum esse ad rem significatam, & ad potentiam, sed in respectu secundum dici, seu in aliquo absoluto fundante illam relationem; & assignant pro ratione signi, hoc quod est esse ductiuum cognitionis ad aliud. Verum alij probabilius putant rationem signi formaliter loquendo non consistere in relatione secundum dici, sed secundum esse. Dicitur formaliter loquendo, quia materialiter, & præsuppositiuè dicit rationem manifestatiui, seu repræsētatiui alterius, quod sine dubio non importat solam relationem secundum esse. Formaliter autem ratio signi non consistit tantum in hoc quod est repræsentare, seu manifestare aliud à se, sed in tali modo repræsentandi, quod est repræsentare aliud tanquam quid inferius ad illud, vt minus principale ad magis principale, vt substitutum, & vices gerens, ad id pro quo substituitur, & cuius gerit vices, vt mensuratum ad suam mensuram, tantò enim melius signum significat quantò propinquius se habet ad signatum in se:

sed

sed relatio mensurati ad mensuram est relatio secundum esse pertinens ad tertium genus, ergò & relatio signi ad signatum.

Hinc apparet discrimen inter rationem manifestatiui, seu repræsentatiui, & significatiui, quod manifestatiuũ, seu repręsentatiuũ principaliter respicit potentiam, vt terminum ad quem tendit, vel quem mouet, quod sine aliqua relatione dari potest, quæ sit relatio secundum esse, ipsi enim obiecto per se, & directè conuenit repręsentare, & tamen obiectum non consistit in relatione secundum esse ad potentiam: imo per se loquendo non respicit potentiam, aut ab ea dependet, sed potentia ab ipso tanquam à suo specificatiuo. At verò significare, seu significatiuum esse directè sumitur per ordinem ad signatum pro quo substituitur, & cuius vices gerit, tanquam medium, quo signatum ducitur & defertur ad potentiam, in hoc enim ministrat, & deseruit signum ipsi signato, quod defert illud, & præsentat potentię, tanquam deficiens repręsentatiuum, suum principale repræsentabile; Quemadmodum etiam in ministro, aut substituto alterius, duo sunt consideranda, subiectio scilicet, ad alterum cuius vices gerit, vt ad principale, & effectus pro quo ministrat, & cuius vices gerit. Sic ergò signum, quamuis in repræsentando respiciat potentiam, vt ei signatũ manifestet, quia ad hunc effectum destinatur, & in hac præcisa consideratione ad potentiam, non petat consistere in relatione secundum esse, tamen in subordinatione ad signatum, quatenus respicit ipsum, vt principale, & vt mẽsuram sui, necessariò debet in relatione ad ipsum formaliter consistere.

Hæc autem relatio signi ad signatum, in qua essentialiter consistit ratio signi, in signis naturalibus realis est, & non rationis, quantum est ex se, & ex vi sui fundamenti, supponendo existentiam termini, cæterasque conditiones, quas ad relationem realem pręedicamentalem requiri dicemus in Metaphysica. At in signis ad placitum, in quibus etiã ratio signi per relationem ad signatum explicanda est, talis relatio est rationis; nec consistit tale signum in extrinseca denominatione, qua redditur impositũ, seu destinatum à republica ad significandum, vt volunt aliqui, eo quod sine illa fictione intellectus per solam ipsam impositionem denominatur signum. Verùm hæc impositio requiritur solùm tanquam fundamentum relationis, & rationis signi, quia per illam habilitatur, & destinatur aliquid vt sit signum, sicut per hoc quod proportionatur, & connectitur aliquod signum naturale cũ tali signato fundat relationem signi ad ipsum. Itaque ex denominatione illa extrinseca destinationis & impositionis consurgit veluti duplex relatio rationis. Prima communis omni extrinsecæ denominationi, quatenus concipitur per intellectum ad modum formæ, & relationis denominantis, vt esse visum ad videntem. Alia est relatio particularis, qua vna denominatio distinguitur ab alia; destinatio enim, & impositio reipublicæ ad varia munera esse potest, quæ nonnisi relatione distinguuntur ad ea, ad quæ exercenda deputantur, sicut deputatur, & instituitur aliquis, vt sit præses, doctor, iudex, & aliqua vt sint signa, vel insignia horum munerum, & similiter voces destinantur, vt humanæ conuersationi deseruiant. Hæc munera ex destinatione, & impositione reipublicæ oriuntur, quę denominatio extrinseca est. Cęterum distinguntur, quia pręses ordinatur ad tales subditos regẽdum, doctor ad instruendum, iudex ad iudicandum, quę distinctiones per relationes explicantur, & non aliter. Idem dic de alijs signis ad placitum quamuis in denominatione extrinseca impositionis fundentur. Atque adeo cessante relatione dicuntur talia signa manere solùm fundamentaliter, quatenus illa destinatio & impositio authoritate publica facta moraliter dicitur manere, aut virtualiter.

Dictum fuit statim relationem signi ad

ad ſignatum in ſignis naturalibus eſſe realem, quod intelligendum eſt ex ea parte præcisè qua reſpicit ſignatum, geritque vices obiecti, ex illa enim parte qua ſignum etiam præſuppoſitiuè reſpicit potentiam tanquam obiectũ, & quid prius ab illa cognitum, vt per illud tendat potentia ad ſignatum, quod contingit in ſignis inſtrumentalibus, reſpicit illam ſolùm relatione rationis. Per quod facilè ſoluitur illa difficultas, vtrum in ſignis externis, & quæ prius cognoſcuntur, quam ducant ad ſignatum, ſit eadẽ relatio ſigni ad ſignatum, & potentiam. Si enim potentia, & ſignatum conſiderentur, vt termini directè attacti per relationem, neceſſariò exigunt duplicem relationem in ſigno iam explicatam. At ſi conſideretur potentia, vt terminus ſolùm in obliquo attactus, ſic vnica relatione ſigni attingitur ſignatum, & potentia, & hæc eſt propria, & formalis ratio ſigni. Quomodo autem eadem relatio poſſit attingere in recto ſignatum, & potentiam in obliquo; relictis varijs doctorum explicationibus, illa videtur adæquatior, quod ſignum reſpicit potentiam in obliquo, quatenus in ipſo ſignato includitur eſſe manifeſtabile potentiæ, & ita cum ſignatum nõ reſpiciatur, vt eſt aliquid abſolutè in ſe, vel ſecundum alium ordinem, ſed vt manifeſtabile potentiæ, neceſſariò ipſa potentia tangitur in obliquo ab illa relatione, quæ attingit ſignatum, non ſub alia cõſideratione quam vt manifeſtabile potentiæ. Sicut eſt in amicitia ordo ad bonum quod volumus amico; nec enim terminatur ordo ille ad bonum volitum abſolutè, ſed vt eſt referibile amico, & amicus vt terminus illius boni in obliquo eamdem relationem terminat; licet non vt obiectum directum, ſed vt incluſum in obiecto directo, eo quod reſpicitur illud vt ad iſtud, & non abſolutè.

Verum quidem eſt, quod vt ſignum reſpiciat ſignatum hoc modo, id eſt, vt manifeſtabile potentiæ, prærequiritur eſſentialiter, quod ipſum ſignum alia relatione reſpiciat potentiam, vel tanquam obiectum apprehenſibile, vel tanquam forma conſtituens ipſam apprehenſionem, ſi ſit ſignum formale, & ſic deſeruiat ad deueniendum in notitiam alterius, vt ſignum inſtrumentale, vel formale. Cæterum iſta relatio ſigni ad potentiam, non eſt ſigni, vt ſignum formaliter, ſed vt obiecti vel formæ; præſuppoſitiuè autem ad ſignum requiritur, quia etiam eſt obiectum mouens potentiam, & niſi moueat vt obiectum non manifeſtabit vt ſignum, ſicque ita formaliter vna relatio diſtinguitur ab alia, vt tamen relatio ipſa ſigni formaliſſimè loquendo, vt ſignum eſt, vna & eadem exiſtens, reſpiciat potentiam in obliquo, ſignatum verò in recto; quod eſt ſimpliciter habere vnum terminum.

Duo ſolùm circa naturam ſigni in communi, ſeu ſecundum ſe, ſuperſunt breuiter explicanda. Primùm vtrum ſignificare ſit formaliter cauſare aliquid in genere cauſæ efficientis? ſecundum vtrum in brutis, & ſenſibus externis vera ratio ſigni reperiatur? circa primum certum eſt non eſſe difficultatem de ſigno, & ſignificatione pro ipſa relatione, in qua formaliter ſignum conſiſtit, cum relatio nullo modo ſit effectiua, ſed purè reſpectiua ad terminum, reſpicere autem non eſt efficere. Tota ergò difficultas eſt de fundamento ſigni, & ſignificationis, quatenus repræſentat potentiæ cognoſcitiuæ aliquid pro quo ſubſtituitur, & vices gerit in repræſẽtando ipſum potentiæ. An nimirum iſta deductio, & exhibitio ſui ſignificati ad potentiam ſit aliqua effectio? cui difficultati reſpondent communiter Diſcipuli D.Thomæ, ſignificare, ſeu repræſentare nullo modo eſſe à ſigno effectiuè, nec ſignificare loquendo formaliter eſſe efficere. Itaque hæc propoſitio ſignum efficit nunquam eſt formalis, & in quarto modo per ſe. Nam quod Sacramenta V.g. dicantur efficere in quantum ſignificant; aut quod in voce, ex doctrina D.Thom. 3.p. qu.64. artic. 4. ad 1. ſit virtus quædam ad excitandum animum alterius proueniens in voce, in

quan-

quantum procedit ex conceptione loquentis; non est, quia in Sacramentis significatio sit formaliter effectio, sed quia significationi adiungitur, & alligatur efficientia, vel modo morali, quatenus practica sunt, & ab imperio Dei, & voluntate practica ministri procedũt non præcisè enuntiando, sed ad opus dirigendo, vel etiam modo physico, ex Dei imperio accipiendo virtutẽ ad producendam gratiam. Similiter illa virtus excitatiua in voce, cui S. Doctor loco citato comparat virtuosum illum motũ quo Deus mouet, & vtitur Sacramentis ad producendam gratiam, eo quod Sacramenta sunt sicut quædam signa, & voces Dei excitantis nos ad gratiam, ipsamque producentis; hæc inquam, virtus excitatiua in voce, non est ipsa significatio actualis seu significare vocis, cum potius ad hoc aliquis excitetur, vt ad vocis significationem attendat, sed est vsus ipse intellectus loquentis, & manifestantis per vocem suum conceptum, qui vsus est aliquid præter significationem, cum vocem ipsam significantem applicet vt alter attendat, & sic à proferente vocem, & vtente illa procedit effectiuè talis excitatio, & excitatiua vis quasi energia quædam latens, à voce autem significante repræsentatiuè, & obiectiuè mouente. Nec disputatur modo, an illa vis, & vsus vocis sit aliquid physicę virtutis superadditum voci, vel quid morale, sufficit enim ad propositum, quod illa excitatio, vt effectiuè se habet siue moralitèr siue physicè, non est ipsum significare, nec à signo, vt signum est, procedit effectiuè, nisi quis fortè significationem ipsam, moraliter, seu metaphoricè, aut potius grammaticaliter velit actionem, & efficientiam appellare.

Si ergò inquirat aliquis? quid sit manifestare, & significare, si neque est excitare, neque emittere species, neque producere cognitionem effectiuè? respondendum est, quod est vice obiecti, seu signati reddere obiectum præsens potentiæ. Præsentia autem obiecti in actu primo, vel secundo in potentia pendet à multis causis, à producente species, vel applicante obiectum effectiuè: à potentia generante notitiam, etiam effectiuè, ab obiecto se præsentante formaliter extrinsecè, seu specificatiuè, à signo vt substituto vice illius in eodem genere causæ formalis extrinsecæ, non effectiuè. Quod signum dicitur propterea instrumentale obiectiuè non effectiuè, id est vice obiecti significati, quod in quantum exercet causalitatem obiectiuam respectu potentiæ, & repræsentat se, non facit id effectiuè, sed solum se habet, vt forma extrinseca, quæ ab alio efficiente, applicatur & pręsens redditur per speciem ipsi potentiæ; sicut in naturalibus forma præsentiam sui exhibet in materia, sed pro vt à forma non est illa præsentia effectiuè, sed formaliter, effectiuè autem fit ab applicante, & vniente formam.

Circa secundam difficultatem vtrũ in brutis, & sensibus externis sit vera ratio signi? certum est etiam, bruta & sensus externos non vti signis per comparationem & collationem, quæ discursum exigit; controuersia ergò potest esse, an sine discursu detur propriè vsus signorum ad cognoscendum res significatas. Pro quo dico cum D. Thoma q.24. de verit. artic.2. ad 7. quęst.9. art.4. ad 10. 1. Metaph. lect.1. Bruta animantia propriè vti signis, tam naturalibus, quam ex consuetudine non solum quãtum ad sensus internos, sed etiam externos, loquendo de signo instrumentali, nam de signo formali pendet ex dicendis sequenti paragrafo, an species, vel actus cognoscendi sint signa formalia. Itaque ad rationem signi nihil aliud requiritur, nisi vt repræsentet aliud à se, & sit medium ducẽs ad aliud, siue quod ex vno cognito ad aliud cognitum deueniatur, quod verò fiat per discursum ex vna cognitione deueniendo ad aliã, aut comparando, & cognoscendo habitudinem vnius ad aliud non petit. Vndè in brutis, & in nobis reperitur ratio signi vniuoca, quia ratio signi non pen-

det ex modo quo potentia vtitur illo discurrendo, vel comparando aut simplici modo attingendo, sed ex modo quo signum repræsentat, id est reddit præsens aliud à se obiectiuè, quod eodem modo præstat, siue potētia simplici modo cognoscat, siue discursiuo.

Ex dictis facilè colligitur, quæ conditiones desiderentur ad hoc, vt aliquid sit signum, essentialiter enim consistit in ordine ad signatum vt ad rem distinctã, potentiæ manifestabilẽm, & ita signatum, & potentia non sunt ex conditionibus requisitis, sed ex essentiali ratione. Requiritur similiter ratio repræsentatiui, sed ex parte fundamenti, ideoque repræsentatiuum vt sic non est relatio prædicamentalis, etiam si alterius repręsentatiuum sit, sed transcendentalis, & in signo fundat relationem mensurati ad signatum, quæ prędicamentalis est. Tandem consequuntur ad hęc tres pręcipuæ conditiones in signo. Prima, quod sit notius signato, non secundum naturam, sed quo ad nos. Secunda quod sit inferius, seu imperfectius signato. Tertia quod sit dissimile ipsi. Vnde vna imago non dicitur signum alterius imaginis, & vniuersaliter, quæcumque eiusdem speciei in quantum talia, non se habet vnũ vt signum alterius, quia vtrumque est æque principale, & vnum simile dicitur repræsentare, seu manifestare aliud simile, vt correlatiuum, non vt repræsentatiuum, id est, ea generali ratione qua vnum relatiuum dicit ordinem ad correlatiuum illudque includit, quia simul natura & cognitione sunt correlatiua, non ea speciali ratione, qua vnum repræsentatiuè se habet ad aliud, & munus exercet repræsentandi alia obiecta potentiæ.

Denique constat ex dictis quomodo signum & imago differant inter se. Nam in primis, nec omnis imago est signum, nec omne signum imago; siquidem potest imago esse eiusdem naturæ cum eo cuius est imago, vt filius cum patre in diuinis; & tamen non est illius signum; multa etiã signa non sunt imagines, vt fumus ignis. Ratio ergò imaginis consistit in hoc quod procedat ab alio, vt à principio, & in similitudinem eius, potestque esse ita perfectè similis suo principio, vt sit eiusdem penitus naturæ cum ipso. De ratione verò signi non est, quod procedat ab alio in similitudinem, sed quod sit medium ductiuũ illius ad potentiam, & substituatur pro illo in repræsentando, vt aliquid eo imperfectius & dissimilius. quod tamen non debet intelligi quasi signum deficienter se habeat ad signatum, aut quasi deficienter & imperfectè repræsentet; deficiens enim repræsentatio & imperfecta non est de ratione signi vt sic, sed accidit illi; sufficit solum quod ex se sit subseruiens signato, & vices gerens obiecti repræsentati, substituaturque loco illius, si quidem in quantum tale est semper quid inferius, & imperfectius eo, pro quo substituit. & sic debet intelligi secunda conditio signi statim allata.

De diuisione signi.

SIgnum cuius naturam in communi superiori capite breuiter explicuimus, primò diuiditur in signum formale, & instrumentale. Signum formale est illud, quod seipso, & absque pręuia sui cognitione aliquid repręsentat; instrumentale verò, quod præsupposita cognitione sui, aliquid aliud repræsentat. Hanc diuisionem esse adęquatam concors est Philosophorum sententia, cum illius membra diuidentia reducantur ad contradictoria, sicque exhauriant totum diuisum; nam cum omne signum sit medium ductiuum ad aliud, vel tale medium est prius cognitum, ad hoc vt aliud cognoscatur, vel non; si est prius cognitum denominatiuè seu obiectiuè, est signum instrumentale; si verò non est prius cognitum obiectiuè, & tamen repræsentat aliud, quia est ratio qua illud redditur cognitum intra potentiam, non extra, vt obiectum cognitum, est signum formale.

Maior ergò difficultas est an prædicta

cta diuisio sit analoga, vel vniuoca; quidam enim existimant deesse signo formali conditiones essentialiter requisitas ad signum, quatenus non habet rationē medij, sed termini, vt patet in verbo mētali, quod est terminus intellectionis; nec facit cognitionem mediatā, sed immediatam; nec ponit in numero cum obiecto, vt reddatur cognitum. Atque adeo colligunt signum formale non esse verè, & propriè tale, sed impropriè solum, & per quamdam analogiam. Nihilominus sententia opposita, tribuens signo formali veram rationem signi, probabilior esse videtur, & conformior mēti D. Thomæ, quodlib. 4. artic. 17. vbi inquit, *quod vox est signum, & non signatum; conceptus autem est signum, & signatum, sicut & res*; quæst. 4. de verit. art. 1. ad 7. & quęst. 9. artic. 4. ad 4. Et si enim loquendo de signo respectu nostri, seu pro vt deseruit nostræ cognitioni, quatenus indiget manuductione externa obiecti, deinde formatione per conceptus & formas intelligibiles, ratio signi proprius & principalius inueniatur in signo sensibili & instrumentali, quam formali vt docet S. Thomas in 4. dist. 1. q. 1. art. 1. quęstiunc. 2. & 3. parte q. 60. art. 4. ad 1. loquendo tamen de ratione signi, secundum communem rationem ipsius, propriam quidem secundum se, sed non ita propriam pro nostro modo acquirendi cognitionem; reperiuntur in signo formali conditiones omnes ad rationem signi essentialiter requisitæ, verè enim est repræsentatiuum alterius à se, & ex natura sua ordinatur ad hāc reprę-sentationem, tanquam substituens loco rei seu obiecti, quod reddit præsens intellectui, vt in conceptibus creatis patet, qui etiam sunt notiores obiectis nō quidem obiectiuè, & denominatiuè, sed formaliter, quatenus reddunt obiectum notum & cognitum, quod sine conceptu latens erat, & non præsentatum intellectui, qua ratione similiter dicuntur prius cogniti formaliter, id est, habere se, vt ratio, qua obiectum redditur cognitum. Deinde signum formale, quod est conceptus, seu verbum mentale est ita terminus cognitionis, vt tamen sit medium respectu obiecti attacti, & cogniti quod est extra, facitque cognitionem mediatam non quidem mediatione obiecti cogniti, quod solùm requiritur ad signum instrumentale, sed mediatione formæ informantis, & præsens reddentis obiectum, sicque verificatur quod signum formale sit manuductium ad suum signatum formaliter, id est, vt forma repræsentans, & vniens obiectum potentiæ, non instrumētaliter, seu vt res prius cognita; tandem licet conceptus non videatur ponere in numero cum obiecto repræsentato, seu cum ipsa re signata, vt reddatur cognita, quasi sint duæ res cognitæ, & repræsentatæ; ponunt tamen in numero quasi vnum repræsentans & alterum repræsentatum; nec enim conceptus in nobis, seu species expressa, quantumuis perfecta ad identitatem cū obiecto repræsentato peruenire potest, sed semper se habet vt vicarium quid & substituens respectu ipsius, vndè semper remanet sufficiens distinctio inter rem significatam & ipsum significans. Aliud est in diuinis, vbi verbum, quia est summa repræsentatio in actu puro, ex vi talis repræsentationis peruenit ad identitatem cum essentia diuina repræsentata, & ita amittit rationem signi.

Sic igitur ratio signi in communi, quæ essentialiter consistit in repræsentatione signati, quatenus obiectum redditur præsens potentiæ, & illi coniungitur, diuiditur in hoc essentialiter, quod est seipso formaliter reddere alterum præsens potentiæ, & in hoc quod est reddere præsens vt prius cognitum & obiectum potentiæ; diuersa enim est præsentia, diuersaque repræsentatio essentialiter, per formam immediatè repræsentantem, & per obiectum prius cognitum, atque adeo constituunt diuersa signa essentialiter, quorum primum dicitur formale, secundum verò instrumentale. Ita tamen vt vnum, & idem possit esse signum formale, & instrumētale respectu diuersorum, & diuersi modi

di repræsentandi non respectu eiusdem; v.g. phantasma fumi est signum formale respectu phantasiæ, & per illam repræsentationem formaliter cognoscit fumũ immediatè, & ignem mediatè vt contẽtum in fumo repræsentato. Si vero intellectus reflectat supra illud phantasma fumi tanquam super rem cognitam, intelliget in phantasmate tanquam in signo instrumentali fumum externum, & ignem quem significat.

Priusquam ad aliam signi instrumẽtalis diuisionẽ accedamus, inquiret aliquis, an species impressa, actus cognoscendi, & species expressa, sint signa formalia. Pro quo dico primò speciem impressam non esse signum formale, & si enim species impressa sit repræsentatiua similitudo sui obiecti, sub illo tamen conceptu quo est species impressa, id non habet per modum medij manifestatiui, seu medij in quo, quia non repræsentat ipsi cognitioni, sed per modum formæ, & principij determinantis, & actuantis potentiam vt possit cognoscere; ad rationem autem signi formaliter loquendo requiritur indispẽsabiliter repræsentatio manifestatiua, & per modũ termini, & non sufficit solum actuatiua potentiæ ad cognitionem eliciendam. Sic quandò D. Thomas vocat speciem impressam medium cognitionis, dicit esse medium *quo*, non in quo, medium autem quo est principium cognoscendi, non actu manifestatiuum obiecti, seu rei cognitæ. Ex eodem enim S. Doctore in 4. distinct. 49. artic. 2. ad 1. & quodlib. 7. artic. 1. datur triplex medium in cognitione: medium *sub quo*, vt lumen sub cuius illustratione res aliqua videtur; medium *quo*, scilicet species qua res videtur; & medium in quo, scilicet in quo alia res videtur; quod medium iterum duplex esse potest, vnum veluti materiale, & extra potentiam, nimirum illud in quo est similitudo seu imago alterius, vt in speculo imago hominis; aliud verò formale & intrinsecum, sicut species expressa, seu verbum mentis in quo res intellecta cognoscitur. Nota tamen signanter me dixisse, speciem impressam, sub illa ratione præcisè qua fungitur munere speciei impressæ fæcũdando intellectum in ordine ad cognoscendum, non habere rationem medij manifestatiui, atque adeo nec signi formalis aut instrumentalis; quia si consideretur veluti in actu signato quatenus est similitudo repræsentatiua alicuius obiecti, imo idem cum illo in esse repræsentatiuo, tunc potest habere rationem signi instrumentalis, quatenus intellectus ex illa, tanquam ex re prius cognita, potest manuduci ad cognitionem obiecti ipsius in esse rei.

Similiter actus intelligendi pro vt distincti à specie impressa, & expressa, non sunt signa formalia in quacumque operatione intellectus sumantur; signũ enim essentialiter est repræsentatiuum, actus autem intelligendi, non sunt repræsentationes, sed operationes, seu tẽdentiæ ad obiectum in actu secundo, sicut habitus & potentiæ, quibus actus debent esse similes, non sunt repræsentationes, sed rationes tendendi in obiecta in actu primo. Idem dic de omnibus alijs actibus sensuum, etiam externorum; qui sunt notitiæ formales solum per modum cognitionis, quæ est tendentia potentiæ ad obiectum, non per modum repræsentationis, quæ est forma loco obiecti substituens in potentia.

Tandem dico conceptum, seu speciem expressam ab intellectu proprijssimè esse signum formale; directè enim repræsentat aliud à se potentiæ, v.g. hominem, quia est naturalis illius similitudo, & per sui informationem reddit intellectum cognoscentem in actu cognitione terminata, & non ex præexistente cognitione sui, seu, quod idem est, reddit intellectum formaliter intelligentem formaliter terminatiuè, non formaliter operatiuè: & hac ratione constituitur verbum per intelligi, & non per intelligere actiuè, quia non pertinet ad ipsum in quantum est signum formale, esse formalem notitiam operatiuè, & actiuè, sed termi-

terminatiuè, & secundum intelligi intrinsecum, quo res ipsa redditur intellecta, & repræsentata intrinsecè; pertinet autem ad rationem signi repræsentatio, non operatio, & esse formalem notitiã repræsentatiuam, non operatiuam.

Signum instrumentale rursus diuiditur in naturale, & voluntarium, seu ad placitum. Signum naturale est illud, quod ex sua intrinseca ratione, seclusa hominum voluntate, aliquid aliud repræsentat, quomodo fumus est signum ignis, & omnis effectus suæ causæ. At signum ad placitum est, quod ex diuina, vel humana institutione aliud repręsentat, quomodo sacramenta dicuntur esse signa ad placitum gratiæ sanctificantis sonitus cymbali signum lectionis, & omnes voces, rerum quas significant. Nam quod hęc vox, homo, significaret naturam humanam ex voluntaria hominum impositione processit. Talis autem impositio fieri debet authoritate publica; & est duplex, alia propria, cum scilicet vox sumitur iuxta propriam significationem, quomodo vox homo, significat hominem: Alia impropria, cum scilicet vox aliquid metaphoricè, & translatitiè significat, v. g. *agnus*, significat Christum.

Circa bonitatẽ huius diuisionis quãtum ad adęquationẽ nulla est inter Philosophos controuersia, exhaurit enim per ista membra totum diuisum, & ad illa facilè reducitur signum quod appellatur ex consuetudine. Si enim consuetudo fundetur in natura, est signum naturale, si verò fundetur in voluntate humana, est signum ad placitum; siue vt alij dicunt si consuetudo respiciat aliquod signum destinando illud, & proponendo pro signo, tale signum fundatum in consuetudine erit ad placitum; si verò consuetudo non proponat aliquid, vel instituat pro signo, sed dicat simplicem vsum alicuius rei, & ratione illius assumatur aliquid vt signum, tale signũ reducitur ad naturale, dummodo tamen illud quod sic assumitur habeat ea quæ concurrunt ad rationem signi, scilicet esse ordinatum ad aliquid, quod ipsa consuetudine reddatur notius, non quia præcisè effectus est, sed quia frequentatus. Si enim vel non assumatur vt medium ad aliquid aliud, vt mappæ ad prandium, vel ipsa frequentatione non reddatur notius, vt quod aliquis sit dominus canis, frequentatione sequendi ipsum, non erit signum ex consuetudine, licet consuetudo sit.

Tota ergò difficultas est, circa huius diuisionis qualitatem an nimirũ sit vniuoca, vel analoga? pro quo breuiter dico, si hęc diuisio signi in naturale, & ad placitum materialiter, & entitatiuè consideretur, analoga est, cum enim signum constituatur in genere relationis formaliter loquendo, & relationi reali, & rationis nihil sit commune vniuocum entitatiuè loquendo; signo naturali quod essentialiter constituitur in ratione talis per relationem realem, & signo ad placitum quod constituitur in ratione talis per solam relationem rationis proculdubio nihil commune vniuocum attribui potest entitatiuè loquendo. At si prædicta diuisio consideretur in genere repræsentatiui, seu cognoscibilis vniuoca est, ita vt signum ad placitum sit verè signum in officio, mouendo & ducendo potentiam ad signatum simpliciter. Etsi enim in ratione entis non conueniant vniuocè id quod est reale, & rationis, tamen bene stat quod in ratione obiecti, & cognoscibilis ita conueniant, quando pertinent ad eamdem specificam potentiam, vel ad scientias vniuocè conuenientes v.g. ad Logicam quæ agit de ente rationis, & Physicam quæ agit de ente reali. Aliæ namque sunt differentiæ rerum vt res, aliæ vt obiectum, & in esse obiecti, & quæ specie, vel plusquam specie differunt in vna linea possunt in alia non differre, vel ita non differre. Et sic cum ratio signi pertineat ad rationem cognoscibilis, cùm sit vice obiectum, stabit benè quod in ratione obiecti, signum naturale reale, & ad placitum rationis, sint signa vniuoca: Nec obstat quod vox, seu nomen non significet nisi me-

mediante conceptu qui est signum naturale, talis enim dependentia est Phisica non Logica, id est vt Physicè ponatur in exercitio vna species vel aliqua eius operatio, potest dependere ab alia, sicut dependet superficies, à linea, mixtum ab elemento &c. non tamen est dependentia Logica, id est in participando rationem communem, & hęc dependentia causat analogiam, non autem prima. Quæ breuiter dicta sufficiant, de natura, & diuisionibus signorum.

Solummodò superest explicandũ, an voces significatiuæ, idẽ dic de Scriptura, eadem significatione significent cõceptus, & res? & quidnam significent principalius, res, an conceptus. Circa primum existimant aliqui voces significare res, & conceptus duplici significatione; verum alij probabilius tenent voces vnica significatione significare res & conceptus, cum vtrumque significent eadem impositione, atque adeò eadem significatione; nec significent vtrũque æque immediatè, & vnum seorsum ab alio, sed vnum mediante alio, & vt subordinatum alteri, vt constat ex Diuo Thoma 1. parte q. 13. art. 1. & quęst. 9. de potentia artic. 5. vbi dicit quod voces immediatè significant conceptiones mentis, & illis mediantibus res. Quia autem significare vnum mediante alio potest intelligi tripliciter. vno modo mediante alio tanquam ratione formali, non tamen tanquam re repræsentata, sicut vox dicitur significare ex conceptu imponentis vt à quo suscipit significationem. Secundò, mediante alio, vt re repræsentata, tanquam primario, & immediato significato, sicut homo dicitur immediatè significare hominem in communi, & mediate Paulum qui est homo in singulari. Tertio mediante alio, non vt re significata, sed vt principali significante, cuius est substitutum, & quasi instrumentum; hoc modo voces dicuntur significare res mediantibus conceptibus, significareq; ipsos conceptus, quia nimirum, vice eorum subrogantur, vt suppleant id ad quod non possunt pertingere conceptus, vt scilicet tam sibi, quam alijs manifestent exterius: & ita voces habent veluti duplex officium, videlicet, substituere pro rebus, quas manifestant, & secundò substituere, pro conceptibus, qui ipsas res occultè, & interius significant, quod totum nihilominus fit vnica significatione, & impositione, qua eiusmodi signa sensibilia instituuntur ad manifestandũ illud signum interius, in ordine ad res cogitatas; eo ferè modo quo minister regis eodem ministerio & officio substituitur regi, vt principali, in ordine ad res aliquas gubernandas, vt ad finem.

Circa secundum, quid voces principalius significent res, an conceptus? respondetur principalius significare res. Siquidem conceptus ordinantur vltimatè, & principaliter ad repræsentandas ipsas res, quarum sunt similitudines intentionales, ergò etiam voces quæ tantummodo sunt instrumenta conceptuum, vt eos sensibiles reddant, principalius ad easdem res repræsentandas, ordinabuntur: Etsi enim instrumentum principalius videatur respicere suum principale, à quo mouetur, quam effectum, quem facit, hoc tantum debet intelligi in ratione operandi, & agendi; non autem in ratione repræsentãdi, si id quod principale est, etiam est repræsentatiuum rerum, & ad ipsam repræsentationem extendendam, & manifestandam alijs substituit sibi aliquod instrumentum, tunc enim præcipuum vtriusque significatũ sunt res ipsæ, vt docet D. Thom. q. 9. de potent. artic. 4.

Aduertendum est tamen quod ipse conceptus potest significari dupliciter. Primò vt in se res est quædam in actu signato, & vt reflexe cognoscibilis alio conceptu; & hoc modo speciali nomine *conceptus* ad hoc imposito principaliter, sicut, & aliæ res, significatur. Alio modo significatur conceptus, tanquam interius quoddam signum, seu medium concipiendi res, à quo alia exteriora signa deriuantur, quibus interiora manifestentur, & hoc modo significantur conce-

conceptus à vocibus, vt exercentes hoc munus, atque adeo minus principaliter quam res.

De varijs terminorum Definitionibus.

TErmini Logicales secundum quod multipliciter considerari possunt, primò quidem absolutè, prout significant simplices intellectus, pertinentque ad materiam, seu partem posterioristicā Logicę; eo quod prædicamenta, ad quę secundum illam cōsiderationem spectare dicuntur, sint series prædicatorum, seu graduum superiorum & inferiorum, generum & specierum &c. quod totum se tenet ex parte ipsarum rerum, ex quarum connexione, tanquam ex materia conficitur demonstratio, vel opinio. Secundò veluti respectiuè, pro vt nimirū sunt partes enuntiationis, & syllogismi, atque adeò pertinent ad partem prioristicam, respiciendo fabricam, & constructionem enuntiationis & syllogismi. Iuxta hanc, inquam, multiplicem considerationem, diuersimodè etiam definiri possunt Termini.

Terminus enim primo modo consideratus, quem terminum prædicamētalem, aut posterioristicum possumus appellare, definiri potest quod sit vox, seu dictio significatiua ad placitum rerum, vt coordinantur ad inuicem ab intellectu, secundum gradus superiores, & inferiores. Dicitur *vox significatiua*, vt excludantur non significatiuæ, sicut illas exclusit Aristoteles in nomine, & verbo. Dicitur *ad placitum*, ad excludendas voces significatiuas naturaliter vt gemitus. Reliquę tandem particulæ ponuntur ad excludendos terminos enuntiatiuos & syllogisticos, secundum quod ingrediuntur compositionem propositionis, aut syllogismi, pertinentque ad formam logicalem & prioristicam resolutionem; qua ratione sumuntur solùm pro signis, quibus tanquam instrumentis suarum compositionum vtitur intellectus, & Logica.

Terminus secundum officium, seu respectum conficiendi enunciationem consideratus, quem terminum enunciatiuum possumus appellare, solet definiri ab aliquibus quod sit extremum propositionis. Verum, cum hęc definitio non comprehendat generaliter omnem terminum, sed solum principaliores partes, & adhuc non omnes, sed tantum quæ se habent vt subiectum, & prędicatum, potius conuenit termino syllogistico, quam enuntiatiuo, & ideo Philosophus tradidit illam definitionem de termino syllogistico, vt statim dicemus: Loquendo ergò de termino enuntiatiuo & vt præcisè respicit enuntiationem, & ideo magis in communi accipitur, rectè definiri potest, *quod sit vox significatiua ad placitum, ex qua simplex conficitur oratio vel propositio*, & vt comprehendit terminum mentalem & scriptum, *quod sit signum ex quo simplex conficitur propositio*; ad distinctionem ipsius propositionis seu orationis, quæ non est primum elementum componens logicè, nec pars primo, & per se, sed quoddam totum compositum ex partibus; & sic aliquādo componit, non simplicem, sed hypotheticam propositionem, vel syllogismum componit. Sic de ratione termini enuntiatiui est, quod dicat ordinē ad propositionem, non solum vt extremum propositionis tanquam prædicatum & subiectum, sed etiam secundum rationem magis communem, quæ comprehendat verbum, & alias partes; ita vt eius vltima formalitas sit esse partem enuntiationis, cum in hac sola ratione conueniant nomen & verbum, secundū quod habitudinem dicunt ad enuntiationem, vnde hæc sola constituere debet rationem communem nominis & verbi, quæ ratio communis vocatur terminus, seu dictio. Vt ex Aristotele colligit D. Thom. lib. 1. periherm. lect. 1. & 28. §. excludit.

Denique terminus per ordinem ad syllogismū consideratus, quem propterea terminum syllogisticum vocamus definitur essentialiter per hoc quod sit extre-

extremum propositionis; dixit enim Philosophus in lib. 1. Priorum, terminũ voco, in quem resoluitur propositio tãquam in subiectum, & prædicatum; qua in definitione non includit omnes partes enuntiationis; neque enim includit verbum, nec syncathegoremata, aut negationes, & tamen, lib. 1. periher. vt notat D. Th. ibid. lect. 1. inter partes principaliores enuntiationis annumerat verbum; igitur loco citato lib. 1. Priorum definiẽdo terminum per hoc, quod sit id ex quo componitur, aut in quod resoluitur tanquam in subiectum, aut prædicatum propositio, non definiuit generaliter omnem terminum ex quo potest constare propositio, vt enuntiatio est, sed vt prçcisè deseruit ad construendum ordinem syllogisticum. Ratio autem essentialis huius diuersitatis est, quia terminus enuntiatiuus, solum ordinatur ad construendam veritatem in enuntiatione, Syllogisticus autem ad inferendam; veritas autem non solum cõponitur ex extremis, sed etiam ex verbo copulante, aduerbijs, negationibus, alijsque syncathegorematibus, à quibus sępè dependet veritas alicuius propositionis; & ideo omnia illa considerari debent in terminis, vt præcisè constituentibus propositionem; at verò syllogistica illatio, non vt vera, sed vt inferens, solùm requirit tres terminos, duos qui se habeant, vt extremitates in conclusione inferenda, & tertiũ qui se habeat vt medium probans, & inferens, & inferendo coniungens; vnde solùm extrema propositionum sunt termini syllogistici, atque adeò rectè definiũtur per hoc quod sunt extrema propositionum. Nec refert quod isti termini concurrere non possunt sine verbo copulante ad inferendam conclusionem; non inquam hoc refert ad hoc, vt verbum est, vt copulans dicatur terminus syllogisticus, tale enim verbum non requiritur ad coniungendum extremitates per modum illationis, & probationis, sed per modum enuntiationis, & quia enuntiatio prerequiritur ad syllogismum, ideo etiam requiritur verbum, sed non requiritur formaliter ad syllogismum, sed præsuppositiuè ratione enuntiationis, non ratione illationis. Secus est si non se habeat solùm vt copulans, sed vt extremum, vt si dicatur, Petrus est, id est existit.

Inquiret hic aliquis primò cur potius expressit Philosophus resolutionem in definitione termini syllogistici, quam compositionem, cum tamen eiusmodi terminus non solum habeat quidditatẽ & essentiam suam in terminando resolutionem syllogismi & propositionis, sed etiam in componendo; quia nihil resoluitur nisi in ea ex quibus constat, & construitur.

Respondetur Philosophum id ita præstitisse, tum quia hoc magis conducebat ad explicandam simplicitatẽ termini; melius enim, & distinctius simplicitas partis dignoscitur per id, quod remanet soluto composito, tum quia hoc expediebat ad cognoscendum modum procedendi analyticum, & resolutorium ex parte formæ, quem ibi tradebat.

Secundò inquiret aliquis, num voces significatiuæ extra propositionẽ, aut syllogismum sint dicendi termini. In quo partem negatiuam defendunt aliqui contendentes quascumque voces significatiuas extra propositionem, aut syllogismum, propriè loquendo, non esse terminos, sed solum quando actu terminant vtriusque resolutionem, aut compositionem mediante actu intellectus resoluente, aut componente. Verum alij nõ minus probabiliter asserunt, quod voces significatiuæ, etiam extra propositionem habeant actu essentiam termini, id est, partis propositionis, licet non habeant actu exercitium terminandi, vel componendi illam, nec sint prædicatum, vel subiectum, sed prædicabile, vel subijcibile. Ratio est, quia essentia actualis termini, est esse partẽ propositionis, ratio autem, & essentia partis consistit in hoc, quod sit compositiua, & constitutiua totius, non verò quod actu cõponat; vnde aliud est actu habe-

habere essentiam partis, & actu habitudinem partis, aut exercitium respiciendi totum, aliud habere actu exercitium componendi, vt patet in exemplo animæ rationalis, quæ in statu separationis est pars, licet actu non componat; Ergo sicut anima rationalis existit realiter per se extra totum respiciendo illud actualiter per modum partis, non tamen quantum ad actuale exercitium compositionis, si quidem illud primum est intrinsecum & inseparabile à parte, quæ hoc ipso quod est pars respicit actu totum, non vt construens actu, sed vt constructiuum, sicut potentia respicit actu obiectum vt potens facere, non vt faciēs ita similiter voces significatiuæ simplices, possunt cognosci separatim à suo toto, & quia ens rationis nō habet aliud esse quam cognosci, ideo possunt existere per rationem extra totum, retinendo actu ipsam rationem partis, ac termini, quamuis actu non componant. Actu enim componere dependet ab applicatione, & existentia in toto; actu verò esse partem est habere entitatem & proportionem, ex qua fieri potest totum, quam entitatem & proportionem habent voces significatiuæ extra propositionem. Et sic verificatur commune dictum, quod verba in definitione posita non dicunt actum, sed aptitudinem.

De quibusdam supradictorum terminorum diuisionibus.

TErmini superiori capite à nobis explicati prima diuisione possunt diuidi in mentales, vocales, & scriptos. Terminus mentalis est notitia, seu conceptus ex quo simplex conficitur propositio. Vocalis superiori capite est definitus. Scriptus, est Scriptura ad placitum significans, ex qua simplex conficitur propositio, quacumque in materia formetur, siue charta, siue ligno, siue ære, siue lapide, & quocumque instrumento, quæ diuisio est accidentis in subiecta, facit enim hunc sensum, ratio termini, vel potest reperiri in actibus intellectus, vel in vocibus, vel in Scripturis; quæ omnia habent rationem subiecti respectu formalitatis termini, quæ est quoddam accidens rationis.

Pulchro autem hæc tria cohærent ordine, mens, vox, Scriptura, mentem enim primum, deinde vocem natura instituit, quia cum homo natura ciuilis sic ac socialis, neque possit alter alterius intueri animum, datæ sunt ei à natura voces velut signa quædam, & instrumenta quibus exprimeret animi conceptus. At quia ad absentes, & eos qui futuris seculis nos secuturi sunt, vocibus vti non licet, quippe quę ad eos pertingere non possunt, inuentæ sunt litteræ, quibus mentis cogitata ad posteros, vel absentes transmitterentur.

Rursus notitia quæ est simplex apprehensio, seu terminus mentalis diuiditur in notitiam intuitiuam, & abstractiuam. Notitia intuitiua est notitia rei præsentis; dicitur præsentis, non præsentatæ ipsi potentię, esse enim præsens pertinet ad rem in seipsa, vt est extra potentiam, esse verò præsentatam conuenit rei, vt obiectæ ipsi potentiæ, quod omni notitiæ commune est. Notitia abstractiua est notitia rei absentis, quæ opposito modo intelligitur ad intuitiuam. Secundò terminus mentalis ex parte conceptus diuiditur in vltimū, & non vltimum, siue vltimatum, & non vltimatum. Prior est qui habetur de re per vocem significata, & dicitur vltimus quia ibi sistit intellectus. Posterior verò est, qui habetur de ipsa voce vt significante, & dicitur non vltimus, quia ibi non sistit intellectus, sed ad ipsam rem significatam transit. Tertiò diuiditur terminus mentalis, seu conceptus in directum, & reflexum. Conceptus directus est qui habetur de re, vel de voce: reflexus verò est cognitio præcedentis cognitionis; ad quod requiritur vtramque cognitionem esse in eadem potentia; si enim Paulus cognoscat Petrum cognouisse, cognitio Pauli non est reflexa, sed directa.

Terminus vocalis de quo præcipuè agi-

agitur in Logica, quia ipso rectè intellecto, scriptum ac mentalem illi correspondentem intelligere nullius est negotij, prima diuisione diuiditur in Cathegorematicum, Syncathegorematicũ, & Mixtum. Terminus Cathegorematicus est qui aliquid per se significat; vbi ly *per se* coniungendum est, cum ly *aliquid*, id est significat aliquid, quod repræsentatur vt aliquid per se, sicut cum dicitur homo, atque adeò quod potest esse in propositione integrum subiectũ, aut prædicatum. Terminus Syncathegorematicus, est qui aliqualiter significat, vt aduerbium velociter, faciliter, signum omnis, nullus, vterque &c. & dicitur aliqualiter significare, non quia verè & propriè non significet, sed quia significatum eius non repræsentatur vt res per se, sed vt modus rei, id est exercendo modificationem alterius rei, scilicet subiecti, vel prædicati, quia per se non potest esse subiectum, aut prædicatum, sed tantum illa modificare. Terminus mixtus est, qui ex Categoremate, & Syncathegoremate constatur, vt nemo, id est nullus homo.

Deinde terminus Cathegorematicus diuiditur in incomplexum, & complexum. Incomplexus est cuius nulla pars separata significat, vt Homo, Leo, & omnes voces simplices. Complexus verò est cuius partes separatæ significant iuxta significationem totius, vt homo albus, atque adeo coincidit cum oratione imperfecta, diciturque secundum quid tantùm terminus, quatenus eiusmodi oratio potest habere rationẽ prædicati, aut subiecti in propositionibus.

Rursus terminus incomplexus est triplex. Alius vniuocus, qui sua significata eodem conceptu significat, vt homo. Alius æquiuocus, qui sua significata non eodem, sed pluribus conceptibus significat, id est, non vt conueniunt aliquo modo etiam proportionaliter, sed vt differunt simpliciter, sicut canis significat animal & sydus; & ideo non datur æquiuocatio in conceptu vltimo mẽtis, quia conceptus est naturalis similitudo, & si est vnus, repræsentatum eius est vnum; si autem plura attingit, est vt conueniunt in aliqua ratione vna, quod est proprium vniuocorum. Quare præsens diuisio propriè tangit terminum vocalem, in quo inuenitur æquiuocatio, id est vnitas vocis cum pluralitatè significationis, quia significatio ad placitum est, non naturalis. Alius tandem est analogus qui significat sua significata, vt sunt vnum secundum quamdam proportionem, & non simpliciter, vt sanum respectu animalis, vrinæ, & medicinæ.

Iterum terminus Cathegorematicus diuiditur in varias subdiuisiones, quarũ aliquæ non subordinãtur ad inuicem; sed quasi ex æquo conueniunt termino. Prima est: terminus Cathegorematicus alius communis, alius singularis. Terminus communis est qui significat plura diuisim, id est communicabiliter ad plura, vt vox homo; ad distinctionem termini collectiui; V.g. populus, ciuitas, gens; qui non significat quemlibet hominem seorsim, & diuisim, sed omnes simul, qua ratione est terminus collectiuus; quia si populus consideretur, vt abstrahit ab hoc vel illo populo, verè est terminus communis, significando diuisim hunc vel illum populum. Potest autem subdiuidi terminus communis in transcendentem, & non transcendentẽ: iste est qui rem significat prædicamenti cuiuspiam ambitu coërcitam, constrictamue, vt homo, animal; ille verò, qui decem prima rerum genera, vsque ad vltimas earum differentias sua significatione ita transcendit, vt verè de quolibet re mundi dicatur. Sub quo sex cõmuniter enumerantur, scilicet ens, res, verum, bonum, aliquid vnum.

Terminus singularis est, qui tantum significat vnum, vt Petrus, aut plura coniuncta, vt Roma. Et est quadruplex: scilicet determinatus, qui vnum determinatè significat quodcumque sit illud, siue homo, siue equus, siue mons, fluuius, oppidũ, regio, siue quoduis aliud, vt Petrus, Bucephalus, Atlas, Tyberis, Roma, Italia. Demonstratiuus, qui si-

gno

gno demonstratiuo afficitur, vt hic homo, hoc animal, nam & ex genere, & ex specie, singularis vox pronominis demonstratiui primitiuæ speciei accessione ex æquo confici potest. Dicitur pronominis demõstratiui primitiuę speciei, quia deriuatiua communibus vocabulis adiuncta, non singulares voces efficiunt, sed communes relinquunt: vt liber meus, quemlibet è meis libris significat, vt quolibet ostenso, verè dixerim hic est meus liber. Ex suppositione qui nimirum, quamuis posset plura significare, suppositione tamen facta, vnũ tantùm significat. Quo modo, filius Mariæ Virginis, Christum Dominum significat. Et vagus qui scilicet significat vnum, sed non determinando, an sit hoc, vel illud, vt quidam homo.

Secunda subdiuisio; terminus Cathegorematicus, alius absolutus, alius connotatiuus. Absolutus idem est, quod apud Grammaticos, nomen substantiuum, & est ille qui significat per modũ per se stantis, id est ad modum substantiæ. Connotatiuus idem valet, ac nomen adiectiuum; & est ille qui significat aliquid per modum alteri adiacentis.

Tertia Subdiuisio: Terminus Cathegorematicus, alius Concretus, alius abstractus. Concretus est qui significat formam concernendo subiectum, vt album, quod significat albedinem in subiecto, & homo, qui significat humanitatem in supposito. Cauendum est tamen, ne quis confundar terminum concretum, & adiectiuum; nam concretum solum opponitur abstracto, & potest inueniri in termino absoluto, vt homo est concretum & absolutum. Quare, concretum definitur ab aliquibus, quod sit id, quod significat aliquid tanquam constitutum vt quod; abstractum verò quod significat aliquid, vt quo cõstituitur, seu formam tantum, vt albedo & humanitas. Istud quoque hic obiter adnotandum est duplicẽ esse apud Dialecticos vsitatam abstractorum distinctionem. Quædam enim vocantur abstracta non vltima abstractione, vbi videlicet superest, quod iterum mentis cõsideratione abstrahatur: vt cum dicitur, albedo, abstractio facta est à solis subiectis. Quædam abstracta vocantur vltima abstractione, vbi videlicet non relinquitur abstrahendi locus, sed purè exprimitur rei cuiuspiam natura; vt dum ficto à Dialecticis vocabulo, explicandæ naturæ albedinis gratia dicitur, Albedineitas.

Quarta subdiuisio est: Terminus Cathegorematicus, alius primæ, alius secundæ intentionis. Terminus primæ intentionis est vocabulum ex prima instituentium intentione destinatũ ad rem aliquam significandã secundum id quod habet à parte rei, vel in suo proprio statu, siue ea substantia sit, siue accidens. Cuiusmodi sunt vocabula omnia ijs rebus tributa, quibus in familiari conuersatione vulgus hominum passim vtitur, ad exponenda sibi mutuò mentis cogitata, vt homo, arbor, lapis, percutio, amo, &c. quæ aliàs nomina rerum appellantur. Terminus verò secundæ intentionis est qui significat rem secundũ id quod habet ex consideratione intellectus, & in statu intellectus; præcipuèque deseruit ad disciplinæ alicuius tractationem, vt nomen, pronomen, verbũ, declinatio, coniugatio: item vniuersale, genus, species, indiuiduum, syllogismus, & similia quæ alias, vel vocabula artiũ, vel nomina nominum solent appellari.

Secundò potest diuidi Terminus vocalis in tota sua latitudine in finitum & infinitum. Terminus finitus, est dictio significatiua, non composita ex negatione vt homo. Infinitus verò est dictio composita ex voce significante, & vnica negatione, vt non homo. Istud enim aggregatum, non homo, indefinitæ est significationis, & verè dicitur de omnibus rebus in infinitum excepto homine; sic lapis est non homo, lignum est non homo, &c. ita vt disiunctum ex nomine finito, & infinito, dicatur de omni re mundi; nam omnis res est homo, vel non homo, lapis, vel non lapis. Pro quo no-

tandum est duplicem esse negationem; aliam quæ tantum afficit terminum; & dicitur infinitans; quia vt vidimus reddit terminum infinitum, vt non homo: & aliam, quæ afficit copulam, vt lapis non est homo: & dicitur negatio negans, semperque reddit propositionem negatiuam; quia iuxta commune proloquiũ, negatio hæc est malignantis naturæ, & quidquid post se inuenit destruit, ac eius oppositum reddit.

Tertiò comparando terminos inter se, diuiduntur in impertinentes, & pertinentes. Impertinentes sunt, quorum vnus, neque infert alterum, neque repugnat illi, vt album, & dulce, doctus, & iustus. Pertinentes verò sunt, quorum vnus vel infert alterum, vt homo, & animal, vel repugnat illi, vt homo, & leo. Primo modo vocantur pertinentes sequela, secundo verò, pertinentes repugnantia.

Rursus pertinentes sequela alij sunt conuertibiles, quorum scilicet vnus infert alium, & infertur ab illo, vt homo, & rationale, vel risibile. Alij sunt non conuertibiles, quorum scilicet vnus infert alium, non tamen infertur ab illo, vt homo, & animal, & generaliter nomen magis commune, & minus commune.

Pertinentes repugnantia, alij sunt, qui quamuis sint omninò diuersi, tamen non sunt propriè oppositi, vt homo & equus: & hi vulgo appellantur disparati: alij verò sunt propriè oppositi, & iuxta quadruplicem oppositionem iam in postprędicamentis breuiter explicatam, sunt in quadruplici differentia. Alij opponuntur contrariè; vt calor, & frigus, alij contradictoriè vt homo, & non homo. Alij priuatiuè, vt visus & cæcitas. Et alij relatiuè, vt Pater, & Filius.

De alijs terminorum diuisionibus.

Notandum est omnes supradictas diuisiones posse proportionaliter attribui Termino in tota sua latitudine, & vt cõmuniter se habere potest secundum nostrum modum concipiendi ad illam triplicem considerationem, quam superiori capite explicuimus. Loquendo modo in particulari de termino enũtiatiuo vt tali essentialiter, diuidi potest, in nomen & verbum, de quibus agit Aristoteles 1. Periherm. & vt notat S. Thomas ibidem lect. 1. sola ista dua considerantur à Logico, vt partes orationis, prætermissis alijs, quia solùm istæ scilicet nomen & verbum de necessitate requiruntur ad enuntiationem, eo quod sine illis, nec simplex enuntiatio stare potest; vel etiam quia sola nomina, & verba sunt principales orationis partes, sub nominibus enim comprehendẽtur pronomina; sub verbo verò participia; alia autem quæ secundum Grammaticos dicuntur partes, sunt magis colligationes partium orationis, significantes habitudinem vnius ad aliam, quam orationis partes, sicut claui, & alia huiusmodi, non tam sunt partes nauis, quam partiũ eius coniunctiones. Quamuis ergo generali acceptione Terminus enuntiatiuus, seu dictio comprehendere posset omne genus partium propositionis, eo modo quo partes sunt, etiam aduerbia, & pronomina quæ sunt Syncathegoremata; speciali tamen, & stricta acceptione cõprehendit solùm partes principales, id est nomen & verbum, & hoc non solum quando verbum habet rationem extremi, vt cum dicitur Petrus currit, vbi ly *currit* est prædicatum; sed etiam quando solùm est copula, quia copula principaliter constituit compositionem, & significat affirmationem, per quam significatur veritas, & constituitur enuntiatio. Quare nomen & verbum sunt partes diuerso modo componentes in ratione partis, quia nomen componit enuntiationem vt extremum, verbum tanquam vniens, & medium copulans.

Nomen autem definitur, quod sit vox significatiua ad placitum sine tempore, cuius nulla pars separata significat, finita, & recta. Dicitur vox significatiua, vt excludantur non significatiuæ:

næ: ad placitum, vt excludantur signa naturalia: sine tempore, vt excludatur verbum quod significat cum tempore, vt statim dicetur, & ideo ly sine tempore in nomine non excludit tempus, vt rem significatam, sed significationem cum tempore tanquam modum significandi, quia nomen significat rem, vt extremũ stans, verbũ vt fluens, seu vniens & agens; omnis autem actio motu, & tempore decurrit. Dicitur cuius nulla pars significat separata, vt excludatur oratio; quamuis aliqui Aristotelem deserant in hac parte, & dicant quod aliqua nomina verè sunt nomina, & tamen habent partes separatim significatiuas, vt hoc nomen signifer, respublica, proconsul, & alia composita figuræ in quibus partes verè, & propriè significant seorsum & separatæ. Nihilominus in contrarium stat authoritas Philosophi; vndè dicendum est, quod partes huiusmodi nominum compositæ figuræ significant separatæ, quasi materialiter & per accidens, non quasi formaliter, id est, in ordine ad componendam illam vocẽ, cui imponenda est noua significatio cõceptus simplicis cui subordinatur, sub hac enim formalitate non componunt vt significatiuæ, id est vt impositæ ad significandum, sed vt de nouo imponibiles, licet alias sint impositæ; ita quod licet signum deponeretur à sua significatione in seipso, adhuc ly signifer idem penitus significaret. Finita ponitur ad excludendum nomina infinita, vt non homo, non quia non possint esse pars propositionis vt prædicatum & subiectum, sed quia non habent modum nominis, qui est notare, & determinatum aliquid significare, non quidem ex parte rei significatæ, sed ex modo significandi, quia determinatus est, id est designatiuus eius quod significat, vnde nomen dicitur quasi notamen. Nomina autem infinita non significant aliquid determinatum hoc secundo modo, nec enim notant, nec designant aliquid, sed solum significant quid non sit, non verò quid sit. Sunt qui hanc particulam tanquam superfluam expungant à definitione nominis; sed immeritò, cum enim in definitione nominis positum esset, quod sit vox significatiua, & nomen postulet significare non quomodocumque, sed per modum notaminis, & designationis, vt explicaretur hoc munus, necesse fuit addere illam particulam *finita*. Nec etiam sufficienter manebat exclusum nomen infinitum per illam particulam incomplexa, quia nomẽ infinitum non est complexum, sed incomplexum cum non habeat duplex significatũ si formaliter accipiatur, nempe positiuum quod de se significat, & negationem adiunctam: Etsi enim in nominibus infinitis, sicut & in alijs cõpositæ figuræ, si attendamus ad deriuationem, plerumque ex significatione vnius deriuetur significatio alterius, sicut in nominum etymologijs, solet vnũ nomen originari ex significatione, vel significationibus aliorum; tamen respectu compositionis nominis infiniti materialiter se habet illa vox non, & nomẽ adiunctum; illaque infinitatio, qua impeditur, & mutatur in oppositum significatio positiua nominis, fit solùm à significatione illius vocis negatiuæ, quasi deriuatiuè, & efficienter, non quasi cõpositiuè, quia infinitatio non est quomodocumque negatio, sed negatio mutans, & impediens significationem nominis, & significatio illa, quæ resultat ex tali impedimento, & infinitatione cadit super vtramque vocem, tanquam super vnum terminum compositæ figuræ, vnde illa vox *non* infinitando nomẽ, per accidens suam significationem destruit. Ponitur tandem in definitione nominis particula recta ad excludendos casus obliquos, etsi enim eiusmodi casus eamdem cũ nominatiuo rem significent, non exercent tamen significationem eodem modo, sed declinant & cadunt à proprio nominis modo quod est significare per modum quid & per se stantis, obliqui autem significant, vt alterius, & respectiuè ad alterum.

Similiter verbum definitur ab Aristote-

stotele quod sit vox significatiua ad placitum cum tempore, cuius nulla pars separata significat, finita, & recta, & est semper eorum, quæ de altero dicuntur nota. Vbi particula *cum tempore* principaliter ponitur ad differentiam nominis; pro cuius intelligentia obseruandum est non esse idem, significare tempus, connotare tempus, & significare cum tempore. Illud enim dicitur significare tempus, quod est impositum ad significandum tempus, vel aliquam eius partem, vt tempus, annus, mensis, dies &c. Illud verò dicitur connotare tempus, vel significare habitudinē temporis, quod significat respectum vnius temporis ad aliud, vel rem aliquā inferentem, & concernentē aliquod tempus; v.g. heri, hodie, cras significant differentias tēporis præteriti, præsentis, & futuri, & similiter prandium & cœna, aliaque similia connotant determinatam aliquā temporis partem, in qua illæ actiones ex communi vsu solent fieri. Illud autem dicitur significare cum tempore, quod significat aliquid pro vt subijcitur tempori, & quia res aliqua tempori subijci, aut à tempore mensurari non potest, nisi pro vt subest motui, aut mutationi, quæ primò & per se mensurantur tempore, hinc aliqua vox dicitur significare cum tempore, quæ significat per modum actionis, motus aut fluxus. Primum, & secundum conueniunt nomini: tertium verò soli verbo, & participio; & ita per illam particulam cum tempore differt essentialiter verbum à nomine; vndè significare cum tempore est ita intrinsecum & essentiale verbo, vt nunquam ab eo possit absolui, diciturque tantum in aliquibus propositionibus, cuiusmodi sūt propositiones æternæ veritatis, absolui à tempore, sed non à significatione cum tempore, quia ita vnit extrema independenter à tempore, vt tamen hoc ipsum significet per modum temporis. Cum enim ea quæ sunt æterna, & à tempore independentia, etiam per modum temporis intelligantur à nobis, ideo etiam, quandò vnio, seu copulatio verbi absoluitur à tempore ex parte extremorum super quæ cadit, quia necessariam habent ad inuicem connexionem, adhuc intelligitur à nobis ad modum temporis, & ideo significat cū tempore, ex parte modi significandi, licet absoluatur à tempore, quantum ad vnionem, & habitudinem extremorum, seu quod idem est ex parte vnionis consecutæ in extremis, & ex parte ipsius rei vnitæ. Quare verbum absolui à tempore in aliqua propositione, nihil aliud est, quam vnionem verbi, seu veritatem ipsam absolui à tempore, non autem significationem verbi; veritas enim significatur per verbum in quantum vnit extrema in propositione, vnde si veritas est independens à tempore, etiam vnio extremorum à tempore non dependet, & consequenter verbum in quantum vnit, non dependet à tempore, quod est absolui ab illo quo ad exercitium vniendi & copulandi extrema quæ necessariā inter se connexionem habent, non contingentem & temporalem quæ à tempore dependeat. At verò significare cum tempore cōuenit verbo extra propositionem ex vi suæ propriæ significationis, sicut nomini significare sine tēpore.

Per vltimam particulam, & est eorum, quæ de altero dicuntur nota differt verbum à participio, quod ita significat cum tempore, vt possit poni in propositione tam ex parte subiecti, quam prædicati, nunquam tamen vt copula propositionis, seu vnio, & nota extremorum quæ in illa coniunguntur sicut verbum, quod formaliter sumptum vel sēper significat ipsum prædicatū (si enim aliquando ponitur ex parte subiecti, vt verbum infinitiui modi, est quia tunc verbum accipitur in vi nominis, non per modum verbi) vel requiritur ad coniūgendum prædicatum cum subiecto, & ideò est nota, id est signum eorum quæ dicuntur, id est quæ prædicantur.

Cæteræ particulæ ex dictis in definitione nominis notæ sūt, ponitur enim finita vt excludantur verba infinita, vt

non

non currit eadem ratione qua & nomina infinita exclusa sunt à ratione nominis, eo quod determinatam significationem non habeant. Ponitur recta, vt excludantur alia tempora, & modi, præter præsens indicatiui, vel quia solum potest enuntiare veritatem independenter ab alio, cętera verò tempora dependenter solum ab illo; inde enim hæc propositio de præterito *homo cucurrit*, est vera, quia aliquando de præsenti fuit vera; & idem est de futuro; vel quia sicut in nomine illud dicitur obliquum quod à proprio nominis modo declinat, quod est significare per modum quid & per se stantis, atque adeò excluditur à nomine; sic in verbo obliquum, cuiusmodi sunt tempora alia & modi præter præsens indicatiui, dicitur quod cadit à modo proprio verbi, quod est significare cum motu, & actione, quando scilicet significat actionem de præterito, aut futuro &c. quia hæc simpliciter non est actio; sed tantum illa quæ est præsens, atque adeò per illam particulam rectè excluduntur à definitione verbi, verba obliqua.

Vltimo tandem terminus Syllogisticus in quantum talis diuidi potest primò per terminationem resolutionis posterioristicæ, vel prioristicæ; terminus posterioristicus est ille qui in compositione, vel resolutione syllogismi fundat connexionem necessariam respectu propriarum passionum, vel prædicatorum essentialium si sit demonstratiuus, vel connexionem contingentium prædicatorũ si sit topicus; Terminus verò prioristicus est ille qui in compositione, vel resolutione syllogismi, respicit vniuersalitatem, aut particularitatem, affirmationem vel negationem in ipso inuentã. Secundò terminus syllogisticus potest diuidi in maius, & minus extremum, & medium terminum, de quibus infra suo loco.

De varijs Terminorum proprietatibus.

EO modo quo termini superius explicati, & diuisi suam habent essentiam, suis etiam gaudent proprietatibus; quæ sunt numero sex, scilicet Suppositio, Ampliatio, Restrictio, Alienatio, Diminutio, & Appellatio.

Suppositio igitur, est positio, seu vsus termini loco alicuius, diuiditurque prima diuisione in materialem, & formalem. Materialis est positio termini loco sui ipsius, vt cum dicitur homo est nomen, ly homo supponit pro ipsa voce significatiua, non verò pro re significata. Formalis vero est positio termini loco rei significatæ, vt cum dicitur homo est animal. Porro suppositio formalis, alia est propria, alia impropria seu metaphorica. Deindè propria est duplex, alia simplex, & alia realis, seu personalis. Suppositio simplex est positio termini pro suo immediato significato tantum, quod contingit quandò subiectum est terminus primæ intentionis, prædicatum verò secundæ, vt homo est species, ly enim homo non supponit pro Petro & Paulo, sed tantum pro natura humana in communi. Suppositio realis, seu personalis est positio termini, nõ solum pro primo, & immediato, sed etiã pro secundo, & remoto significato, vt in his propositionibus, homo est animal, homo est risibilis; vbi ly homo, non tantum supponit pro natura humana, sed etiam pro indiuiduis eius. Qui modus suppositionis non solum contingit in terminis communibus, vt patet in exemplis positis, & tunc vocatur suppositio realis communis, sed etiam in terminis singularibus, vt cum dicitur Petrus studet, ly Petrus non solum supponit pro immediato, sed etiam pro remoto significato, scilicet natura humana, valetque consequentia, ergo homo studet. Quæ suppositio realis discreta vocatur.

Præterea suppositio realis est duplex, alia accidentalis, & alia naturalis. Acci-

accidentalis est positio termini pro re existente secundum tempus per copulā importatā, fitque talis suppositio quando propositio est in materia contingenti, vt cum dicitur, *homo currit*; Suppositio naturalis est positio termini pro omnibus suis significatis tam existentibus quā non existentibus;& contingit quando propositio est in materia necessaria; vt homo est animal, vnde tales propositiones dicuntur absolui à tempore.

Rursus suppositio cōmunis est quadruplex, distributiua, copulatiua, determinata,& confusa. Distributiua est quādo terminus accipitur pro omnibus suis significatis seorsim, & copulatiuè sumptis, ita vt prædicatum de omnibus illis in propositione copulatiua verificetur. V.g. in hac enuntiatione homo est rationalis, ly homo dicitur supponere distributiuè, quia supponit pro hoc & illo homine seorsim,& copulatiuè,vnde valet dicere hic homo est rationalis,& hic homo est rationalis &c. Suppositio copulatiua est acceptio termini pro omnibus suis significatis, non seorsum,sed simul,& collectiuè sumptis,vt in hac propositione Omnes Apostoli Dei sūt duodecim,vbi ly Apostoli non supponit pro his, vel illis Apostolis seorsim sumptis, sed pro omnibus collectiuè. Suppositio determinata contingit, quando terminus accipitur pro omnibus suis significatis seorsim, & disiunctiuè,vt aliquis homo est albus; non enim valet consequentia, in propositione copulatiua; ergo hic homo est albus,& hic homo est albus; sed tantum in propositione disiunctiua; ergo hic homo,vel hic homo est albus. Tandem suppositio confusa, est acceptio termini pro omnibus significatis simul,& disiunctim: id est quandò ita terminus sub disiunctione sumitur, pro hoc vel illo significato, vt non determinatè supponat pro aliquo: v. g. in hac propositione, oculus requiritur ad videndum, ly, oculus, non supponit ita determinatè pro vno oculo, sicuti si diceretur aliquis oculus; nec similiter supponit distributiuè, non enim valet ergo iste oculus requiritur ad videndū: sed supponit cum quadam confusione pro omnibus simul,sub disiunctione tamen, & sic bene valet, ergo iste, vel ille oculus requiritur ad videndum.

Denique suppositio distributiua est duplex, alia completa, seu pro singulis generum,& est acceptio termini non solum pro omnibus speciebus, sed etiam pro omnibus indiuiduis earū, vt in hac propositione omne animal est viuens; alia dicitur incompleta, seu pro generibus singulorum, & est acceptio termini pro omnibus speciebus, non tamen pro omnibus indiuiduis earū, vt in hac propositione, omne animal fuit in Arca Noe, reddit enim hunc sensum, quod ex omnibus speciebus animalis aliquod animal fuit in arca Noe.

Ampliatio est extensio termini à minori ad maiorem suppositionem; vt in hac propositione Petrus studebit,ly Petrus, non solum supponit pro tempore futuro, sed etiam ampliatur ad præsens, quia reddit hunc sensum, qui est, vel erit, studebit. Duplex autem est ampliatio alia temporū, quæ conuenit terminis singularibus, quandò nimirum suppositio termini extenditur ad varias temporis differentias, vt in hac propositione, auarus expetit pecunias, pecuniæ ampliantur ad omnes differentias temporis, quæ apud Logicos sunt quinque præteritum, præsens, futurum, possibile,& imaginarium. Alia est ampliatio temporum, & suppositorum, quæ conuenit terminis communibus; quando scilicet suppositio termini extenditur non solum ad differentias tempotis, sed etiam ad plura subiecta; vt in hac propositione, iusti in perpetuum viuent, ly iusti non solum ampliatur ad tempus præsens ratione illius verbi de futuro, sed etiam ad homines præsentes, præteritos, & futuros.

Restrictio, quæ ampliationi veluti opponitur, est coarctatio, seu limitatio termini à maiori ad minorem suppositionem. Quod quatuor modis fieri potest. Primò per copulam implicationis, vt

vt homo qui est iustus, diligit Deum; ly enim homo restringitur ad solos iustos. Secundò per applicationem substantiui inferioris, vt animal homo studet. Tertiò per positionem adiectiui, ex parte eiusdem extremi, vt homo albus disgregat visum. Quartò per additiõnem casus obliqui, vt doctrina Diui Thomæ præstantior est alijs.

Alienatio est translatio termini à propria, ad impropriam significationẽ; vt in hac propositione, vicit Leo de tribu Iuda, vbi Leo transfertur à propria significatione, ad significandum Christum Dominum.

Diminutio est detractio partis suppositionis; vt si dicatur Aetiops est albus secundum dentes, ly albus non supponit pro toto homine,sed pro quadam eius parte, scilicet dentibus, & hoc solet appellari, dictum secundum quid.

Appellatio tandem est applicatio significati formalis vnius termini ad significatum siue materiale, siue formale alterius, cum in terminis concretis duplex significatum reperiatur, alterum formale, & est ipsa forma, quam concretum significat; vt humanitas est significatum formale hominis; alterum verò materiale & est subiectum,seu suppositum quod concernit nomen concretum, vt persona est significatum materiale hominis. Propterea terminus qui applicatur dicitur appellans, debetque semper esse connotatiuus; ille autem cui applicatur dicitur appellatus, & non est necessario connotatiuus, sed sufficit quod sit Cathegorematicus.

Huiusmodi autem appellatio est duplex, alia materialis, nempe quandò applicatur significatum formale vnius termini supra significatum materiale alterius vt in hac propositione Petrus Philosophus est magnus,vbi magnitudo applicatur Petro non ratione Philosophiæ, sed ratione molis corporeæ; & alia formalis, quando scilicet applicatur significatũ formale vnius supra significatum formale alterius; vt in hac propositione, Petrus est Philosophus magnus: ibi enim magnitudo non appellat supra Petrum ratione corporis, sed ratione Philosophiæ.

De quibusdam regulis, terminorum suppositionibus, & appellationibus dignoscendis.

CVm terminorũ suppositio,ex quorumdam signorum, quæ vim terminorum Syncathegorematicorum habent,admixtione non mediocriter varietur, huiusmodi varietati dignoscendæ nonnullæ solent assignari regulæ; pro quarum intelligentia notandum est prędicta signa esse in triplici differentia. Quędam purè vniuersalia,vt omnis nullus. Quædam purè particularia, vt aliquis, quidam. Et alia mixta ex particulari, & vniuersali, vt vterque, id est, aliquorum duorum omnis;neuter,id est, aliquorum duorum nullus; alter, id est, omnium duorum aliquis; atque etiam termini numerales,bis,ter &c. quæ omnia sunt signa mixta ex vniuersali, & particulari; sicut semper, aliquando, nunquam & similia miscentur ex cathegoremate, & syncathegoremate.

Sit ergò prima regula; quandò terminus nullo afficitur signo, & propositio est in materia contingenti, supponit determinatè; quia propositio indefinita in materia contingenti æquiualet particulari; si autem propositio fuerit in materia naturali, aut remota supponit distributiuè, quia propositio indefinita in materia naturali, & remota æquiualet vniuersali.

Secunda regula; si terminus afficiatur signo vniuersali, vel est affirmatiuũ, vel negatiuum; si affirmatiuum distribuit terminos proximos, & confundit remotos, hoc est facit supponere subiectum distributiuè,prædicatum verò cõfusè, vt in hac propositione, omnis homo est animal; excipiturque solum ab hac regula suppositio copulata,quæ ratione signi vniuersalis non variatur, vt omnes Apostoli sunt duodecim,ly Apostoli non supponit distributiuè, sed copula-

pulatè. Si verò signum fuerit vniuersale negatiuum, distribuit terminos tam proximos, quam remotos, scilicet prædicatum, & subiectum, vt in hac, nullus homo est lapis, vbi homo, & lapis supponunt distributiuè.

Tertia regula; si terminus afficiatur signo particulari; similiter, vel est affirmatiuum, vel negatiuum; si affirmatiuũ, facit terminum proximum supponere determinatè, remotum verò intactum relinquit, ac si nullum esset signum; vt aliquis homo est animal; si verò signum fuerit particulare negatiuum, terminum quidem proximum determinat, remotum verò ratione negationis distribuit, vt aliquis homo non est albus.

Quarta regula; si terminus afficiatur signis mixtis ex vniuersali, & particulari, eiusmodi signa partim distribuũt, & partim determinant terminos immediatos; magis tamen, & minus; secundum quod aliqua magis accedũt ad purè vniuersalia vt vterque, & neuter; alia verò ad pure particularia, vt alter: vndè v.g. alter binarium distribuit, & disiungit, si enim dicatur alter oculus est dexter, sensus est omnium duorum iste, vel iste est dexter. Similiter vterque binarium quasi determinat, & copulatiuè distribuit pro hoc, & illo; si enim dicatur, vterque pes est claudus; sensus est aliquorum duorum pedum iste, & iste est claudus.

Quinta regula est pro mixtis ex termino cathegorematico, & syncathegorematico, de quibus eodem modo iudicandum est, ac si cathegorema, & syncathegorema forent disiuncta: vnde si signum in termino mixto inclusum sit vniuersale affirmatiuũ vt *semper*, id est omni tempore, distribuit terminum cathegorematicum cui coniungitur, scilicet tempus; alios verò confundit: si verò signum sit vniuersale negatiuum, vt nunquam, distribuit tam cathegorema cui coniungitur quam alios terminos.

Sexta regula est, quod quilibet terminus, cui applicatur actio verbi, confunditur, vt cum quis dicit, bis recitaui officium, ibi officium confunditur: quia cõfusus remanet sensus, an recitarit duo officia, vel bis recitarit idem. Vnde hæc signa solent appellari specialis confusionis.

Septima regula, si plura signa eumdem terminum afficiant, tunc debet attendi signum æquipollens, & eo modo quo istud fecerit terminum supponere, eodem penitus efficient alia duo.

Octaua regula, si quodlibet signum afficit suum terminum, in eo proprium exercet officium, & consequenter impedit alium, vt in hac propositione nullus homo est aliquis lapis, ly homo supponit distributiuè, & lapis determinatè.

Quæ omnes regulæ sunt notatu dignissimæ, valentque non solum respectu terminorum qui ponuntur in recto, sed etiam in obliquo, vnde in hac propositione, omnis equus hominis currit, non solum equus, sed etiam ly hominis, qui est in regimine equi supponit distributiuè.

Quemadmodum terminorum suppositio ex signorum admixtione variatur, ita & appellatio, secundum quod termini alij sunt concreti absoluti, & cõcreti connotatiui, vnde etiam pro appellationibus cognoscendis sequẽtes regulæ solent à Summulistis assignari.

Prima; quando subiectum est terminus concretus, prædicatum verò connotatiuus; connotatiuus applicat suum significatum formale, supra materiale absoluti; qua de causa ista propositio est falsa Christus est factus; hæc autem vera, Christus est æternus.

Secunda regula, quando in propositionibus ex parte subiecti sunt nomen absolutum, & connotatiuum; & ex parte prædicati est aliud connotatiuũ; istud appellat supra absolutum, seu substantiuum, quod est à parte subiecti: vt in hac propositione Petrus Philosophus est magnus. Si verò à parte subiecti sit tantum substantiuum, & à parte prædicati duo connotatiua, seu adiectiua, tunc vnũ adiectiuum appellat supra aliud, estque appellatio formalis, vt in hac proposi-

tio-

tione, Petrus est Philosophus magnus.

Tertia regula: verba aliquem actum siue internum, siue externum significantia, applicant illum supra significatum formale termini, cui iunguntur, & non supra materiale; vt cum dicis, vidi regem, sensus est te vidisse regem, dum erat rex.

Quarta regula, nomina numeralia primitiua, vt duo, tres, quatuor terminis substantiuis applicata, non solum appellant supra significatum materiale, sed etiam supra formale termini, cui iungũtur: & ideo vtrumque multiplicant; vt si dicas, video tres homines, sensus est, video tria supposita habentia tres humanitates. Si verò talia nomina applicentur terminis adiectiuis, solum appellant supra significatum materiale eorũ, & illum tantùm multiplicant; non vero significatum formale: vt cum dicis, vidi duo alba, sensus est vidisse duo subiecta habentia albedinem: esset que propositio vera, etiam si per impossibile vna, & eadem indiuisibilis albedo esset in vtroque subiecto.

Propter hanc regulam, istæ propositiones sunt veræ, in diuinis sunt tres æterni, tres omnipotentes &c. Si hæc nomina sumãtur adiectiuè; faciunt enim sensum quod in diuinis sunt tria supposita habentia æternitatem, omnipotentiam &c. non verò si sumantur substantiuè, vt docent Theologi 1. p. q.39. artic.3.

Ob eamdem pariter regulam docẽt Theologi 3. parte q.3. artic.6.& 7. quod si vna persona diuina plures assumeret humanitates, non dicerentur plures homines; sicut neque è contra si plures personæ assumerent vnam & eamdem humanitatem, quamuis tunc possent dici plures humani; si quidem ad multiplicationem termini substantiui, requiritur multiplicatio tam significati materialis quam formalis, secus verò ad multiplicationem termini adiectiui, vbi sola suppositorum multiplicatio sufficit.

Et hæc breuiter dicta sufficiant de terminis, nec non & de alijs secundis intentionibus ad directionem primæ mentis operationis pertinentibus, circa quas iuxta diuisionem superius à nobis traditam versatur Prima pars dialecticæ.

SECVNDA PARS LOGICAE

De secundis intentionibus quibus dirigitur secunda mentis operatio.

SVMMA

Eorum quæ ad hunc finem continentur in duobus libris Perihermenias, seu de interpretatione.

Breuiter explicatis secundis intentionibus simplicibus, tam in rebus, quam in vocibus fundatis, quæ ad primam operationem intellectus dirigendam pertinent; transeundum est ad propositiones quæ ex illis componuntur, & secundæ operationi deseruiunt, quarum explicatio spectat ad hanc secundã partem Dialecticæ, quã complectitur Aristoteles duobus libris Perihermenias sic inscriptis, quod omnia tractentur in ipsis per modum interpretationis, & significationis, commune si quidem Logicæ instrumentum est signum, quo omnia eius instrumenta constant; & ideo de signis ac significatione aliqua superiori parte præmisimus.

De Oratione.

Cvm oratio sit quid superius ad propositionem, antequam ad ipsam accedamus, aliqua circa naturam orationis sunt prius breuiter explicanda. Oratio ergò definitur communiter quod sit vox significatiua ad placitum, cuius partium aliqua separata significat, vt dictio, non vt affirmatio, & negatio, vt homò albus &c. Primæ tres particulæ patent ex dictis de nomine, & verbo, cum quibus per illas conuenit oratio, differt verò per alias subsequentes, cuius aliqua pars separata significat; sumendo

hic, *significare* in rigore, scilicet vt conuenit termino cathegorematico, & distinguitur à cõsignificare, quod est proprium syncathegorematici: cum ad rationẽ orationis sufficiat vnam eius partem esse terminum cathegorematicum, ac proinde hæ sunt veræ orationes, omnis homo, nullus homo; iuxta quod debet intelligi, quod dicunt aliqui, scilicet, orationem esse plures voces diuersa significantes, vel vocem significatiuam cuius partes separatæ significant: non enim est sensus quamlibet debere propriè significare, sed sufficit si vna significet, & alia consignificet. Vltima tandem particula, *vt dictio*, non vt affirmatio, & negatio, ponitur ad designandum quod partes orationis ad minus debent esse significatiuæ, vt dictio, id est, vt terminus, & non requiritur, quod sint affirmatio, & negatio, nam etiam si oratio sit hypothetica, habeatque aliquando partes ex affirmatione, & negatione constantes, tamen quia etiam affirmatio, & negatio est oratio, & debet resolui in partes significatiuas, quæ solùm significent vt simplex terminus, & non vt affirmatio, aut negatio, ideò in definitione orationis in communi, ponitur id quod omni orationi commune est, scilicet habere partes, quæ sint simplices termini, seu dictiones.

Forma autem essentialis orationis non est ipsa vnio, seu nexus partium Grammaticalis, quo partes vniuntur, loquendo de oratione vt est secunda intentio logicalis. Et si enim vnio sit quidem forma, & actus vnibilium, vt vnibilia sunt; non tamen est ipsa forma essentialiter constitutiua totius, sed applicatiua & copulatiua formæ essẽtialis ad suam materiam, seu subiectum. Forma igitur essentialis, sed partialis in oratione est prędicatum, vel aliquid loco prędicati respectu subiecti, quia vt docet D. Thom. 1. periherm. lect. 8. oportet quod vna pars in oratione aliam determinet, & illa quæ determinat est forma. Forma verò totalis est ipsa significatio composita, & complexa, vt induit intentionem, & respectum totius, sicque quasi relatiuè opponitur ipsi termino, qui est pars; quia sicut terminus dicit significationem, per modum partis artificialis, & hæc est eius essentialis ratio, ita oratio dicit significationem complexam per modum totius, & hæc est eius forma essentialis totalis.

Diuiditur autem oratio sic definita prima sui diuisione in perfectam, & imperfectam. Perfecta est, quæ gignit perfectum sensum in animo audientis; quatenus non reddit suspensum intellectũ, & quasi expectãtem totum sensum orationis, sed perfectè complet, & exprimit integram sententiam; sicut cum dicitur homo est animal. Imperfecta verò est illa quæ non gignit sensum perfectum in animo audientis, quatenus nõ integrum sensum explicat, sed quasi suspendit intellectum, vt cum dicitur Petrus disputans, homo albus; Quæ oratio sicut imperfectè participat compositionem, & diuisionem, ad secundam mentis operationem spectantem, ita etiam imperfectè, & quasi inchoatiuè cõpetit ipsi ratio secundæ operationis; quatenus vltra puram apprehensionem incipit transire ad compositionem totius, & in eo suspendit & non consummat sensum.

Deinde oratio perfecta, diuiditur in enuntiatiuam & non enuntiatiuam. Perfecta enuntiatiua est illa, quæ aliquid affirmat, vel negat; nomineque incomplexo solet appellari propositio, seu enuntiatio; vt homo est rationalis. Perfecta non enuntiatiua est illa quæ nihil affirmat, vel negat, quam diuisit S.Thomas 1. Perih. lect. 7. in quatuor species scilicet orationem deprecatiuam, vocatiuam, optatiuam, & interrogatiuam.

Sunt tamen qui prima diuisione orationem distinguant, in enuntiatiuam, & non enuntiatiuam; ita vt sub non enuntiatiua contineantur omnes orationes in quibus non reperitur veritas, vel falsitas, siue illæ sint imperfectæ, siue perfectæ, cuiusmodi sunt tres modi sciendi, scilicet definitio, diuisio, & argumentatio

tatio

tatio, de quibus aliqua breuiter attingemus, antequam ad propositionem explicandam transeamus; cum enim modus sciendi in genere non determinetur ad orationem perfectam, vel imperfectã sed in vtraque possit inueniri, antequam agamus de perfecta oratione determinatè, cuiusmodi est maximè propositio, opportuna se se offert occasio tractandi de modo sciendi.

De Modo sciendi.

Modus ergò sciendi in communi definiri solet, oratio ignoti manifestatiua. Vbi notandum est, aliud esse manifestare, aliud significare: & si enim videatur signum rem suam significatam potentiæ manifestare; tamen aliud est manifestare, de quo agitur in præsenti, aliud significare: manifestum enim dupliciter sumitur, vno modo, vt opponitur obscuro, alio modo vt opponitur incognito, & non applicato potentię cognoscenti. Primo modo manifestatio fit per aliquid notius, & magis clarum, quo tollitur obscuritas illa, & sic manifestare ignotum in intellectu nostro pertinet ad modum sciendi, dummodo id præstetur per orationem, manifestatio enim, quæ fit per rationem formalem simplici modo manifestantem, sicut authoritas dicentis manifestat credibilia, non est modus sciendi; quia non est oratio, seu explicatio complexa, id est ad scientiam ordinata, quæ modũ illatiui habet. Secundo modo manifestatio fit per aliquod medium applicans nobis obiectum non applicatum, & sic manifestare pertinet ad signum, seu ad repræsentatiuum cõmuniter loquendo.

Quando igitur res aliqua ignota, seu obscura, & in tenebris latens in palam adducitur, & explicatur per aliquam orationem, talis oratio dicitur modus sciendi, quia omnis talis manifestatio, scientia dicitur, aut ad scientiam ordinatur.

Cum autem modus sciendi non sit determinatè oratio perfecta, neque imperfecta, siquidem in vtraque potest inueniri modus sciendi, argumentatio est oratio perfecta, definitio verò & diuisio imperfecta; inquiret aliquis quomodo oratio in definitione modi sciendi posita se habeat. Respondeo propriè loquendo non se habere per modũ generis, sed materiæ ex qua formatur modus sciẽdi, quia formalis ratio ipsius est, esse artefactum quoddam logicum per modum instrumenti ordinatum ad manifestandum ignotum, quod fit ex oratione, tanquam ex materia, sicut syllogismus ex propositione. Si enim oratio respectu modi sciendi se haberet per modum generis formaliter, deberet determinatè poni sub aliqua eius specie, vt per se patet.

Modus sciendi sic explicatus est triplex scilicet definitio, diuisio, & argumentatio, cuius partitionis sufficientia desumitur, ex ipsa diuisione ignoti per orationem intellectui manifestabilis; vel enim est aliquid incomplexum, vel aliqua veritas complexa. Id quod est incomplexum, vt homo, animal, &c. explicatur definitione quantum ad obscuritatem suæ quidditatis, aut diuisione quantum ad confusionem partium, aut multitudinis, quę in aliqua re continetur. Veritas autem complexa si sit obscura, aut dubia manifestatur per probationem, probatio autem fit per discursum, & consequentiam, & sic est argumentatio; Vnde modus sciendi adæquatè diuiditur in definitionem, diuisionem & argumentationem, ex parte rerum manifestabilium. Qua ratione S. Thomas in 1. distinct. 19. q. 5. artic. 1. ad 7. dicit definitionem, & est idem de diuisione, pertinere ad primam mentis operationem, seu simplicem apprehensionem, scilicet ratione sui obiecti quod manifestant, quod est aliquod incomplexum; quamuis si attendatur modus manifestandi, cum fiat per orationem saltem imperfectam, coniungendo complexè, & si imperfectè, & cum suspensione partes explicantes naturam definiti, aut diuisi, tam definitio quam diuisio inchoa-

inchoatiuè pertineant ad secundam mẽtis operationem; sicut & oratio imperfecta; vnde etiam idem S. Doctor. 1. par. q. 17. artic. 3. docet, per accidens etiam in operatione intellectus, qua cognoscit quod quid est, posse esse falsitatem aut veritatem.

Nota me dixisse modum sciendi solùm esse triplicem, sumendo modum sciendi in significatione quadam minus ampla; quia si modus sciendi accipiatur secundum omnem extensionem quam potest habere; & idem sonat, ac modus rectè, & sine errore intelligendi; seu norma, & via quæ ducit, & iuuat, vt rectè & facilè acquiratur scientia; sic omnes secundæ intentiones, de quibus tractat Logica, possunt rectè appellari modus sciendi, si quidem omnes illæ sunt aliquo modo veritatis ostensiuæ, iuuantque & conducunt vt de rebus acquiratur scientia: quod proprium est intentionum logicalium, & per quod ens rationis Logicum differt ab entibus rationis à Grammatica, & Rethorica consideratis. At loquendo de modo sciendi magis strictè, rectè diuiditur in definitionem, diuisionem, & argumenrarionem, quia sunt generalia quædã instrumenta sciendi, illisque speciali, & perfectiori modo cõuenit esse veritatis ostensiuas, scilicet manifestando ignotum, quod non habent aliæ intentiones logicales. Imo si modus sciendi strictissimè sumatur pro illa vltima dispositione & applicatione rerum in tali forma, ad quã sequitur immediatè cognitio scientifica. Sic sola demonstratio potest appellari modus sciendi, pro vt illam appellauit Arist. 1. Poster. cap. 3.

De Definitione.

Relicta definitione quid nominis, quæ propriè loquendo non est definitio, sed sola significationis nominis explicatio, vel per aliud nomen clarius, vel per ethymologiam eius, aut alio consimili modo; definitio quid rei definitur quod sit oratio explicans naturam rei. Qua in definitione nomine orationis debet intellgi oratio imperfecta, quæ materialiter coincidit cum termino complexo, si quidem definitio potest esse prædicatum in aliqua propositione cathegorica, officium autem prædicati in cathegorica solùm cõuenit termino, aut orationi imperfectæ materialiter cum termino complexo coincidente: Potestque inueniri definitio extra propositionem, vt docet D. Tho. 2. Poster. lect. 2. §. quæ talis est &c. & lect. 5. cuius ratio est, quia vel definitio debet esse in propositione, ad hoc vt copulentur partes definitionis inter se, vel vt ipsæ partes applicentur subiecto definito, ita vt hęc applicatio requiratur ad rationem, & constitutionem essentialem definitionis; primùm dici non potest, quia si partes definitionis coniungerentur inter se per copulam enunciatiuam, cum illæ partes sint genus & differentia propositio illa definitionis redderetur falsa, vt si in definitione hominis diceretur, animal est rationale; secundum etiam dici non potest, cum applicatio definitionis ad definitum non faciat, sed supponat definitionem, si quidem per illud complexum, quod applicatur definito, adæquatè explicatur natura ipsius eo quod contineat suum genus, & suam differentiam; talis ergò applicatio non potest pertinere ad constitutionem definitionis, sed solummodo ad actuale exercitium prędicationis eius.

Cum definitum sit res, quæ per definitionẽ explicatur, definitio verò quasi lux indicans esse rei, cuique correspõdet definitum tanquam obiectum eius, quod cum ipsa conuertitur; breuiter explicandum est, quæ conditiones requirantur vt aliqua definitio sit bona, & vt aliquid sit definitum.

Pro bona igitur definitione quatuor solent assignari conditiones aut regulæ. Prima quod sit clarior suo definito, alias non esset oratio ignoti manifestatiua; quam tamen conditionem aliqui intelligunt de tota definitione, quod sit notior suo definito, non enim requiritur, quod

quod ſingulæ partes ſint notiores, vt patet in definitione relatiuorum; quæ definiuntur per correlatiuum, ſi quidem correlatiuum non eſt notius relatiuo, quia ſunt ſimul natura, & cognitione, quod autem eſt notius; eſt prius cognitione. Niſi quis velit dicere correlatiuum non eſſe quidem prius cognitione, & notius poſitiuè, quam ſuum relatiuū, eſſe tamen ſaltem negatiuè, quatenus ſine ipſo manet obſcurum, & ignotum ipſum relatiuum. Ex qua conditione infertur non debere definitum, vt definitum intrare definitionem, quia ſic non redderetur clarior, ſed magis perplexa definitio.

Secunda regula eſt, quod nec ſit ſuperflua, nec diminuta; ſi enim aliquid habet, pluſquam definitum, vel minus, hoc ipſo naturam eius non explicat, attribuit enim illi aliquid quod non habet, vel ab eo tollit quod non habet: Et ita definitio non poteſt alteri à definito cōuenire, conuertunturque ad inuicem, quæ eſt tertia bonæ definitionis regula, & conditio.

Vltima tandem eſt, quod definitio debet conſtare genere, & differentia, intelligendo nomine generis aliquid cōmune, in quo definitum cum alijs conueniat, nomine verò differentię aliquod diſtinctiuum particulare; ſi enim ſumātur genus, & differentia propriè, ſic ſola ſpecies, aut illud quod eſt vnum vnitate ſpecifica, ſiue ſubalterna, ſiue infima, poteſt habere definitionem, vt ſtatim dicetur.

Ob has regulas optimus eſt locus arguendi à definitione, ad definitum, & è contra tam affirmatiuè quam negatiuè & quidquid prędicatur realiter de vno, prædicatur etiam de alio; dixi realiter, quia loquendo de prędicatis intentionalibus, non valet definitio, eſt modus ſciendi, ergo definitum eſt modus ſciendi; nec ſimiliter animal rationale eſt oratio: ergo homo eſt oratio.

Circa ſecundum tres etiam conditiones requiruntur, vt aliquid definiri poſſit. Prima quod ſit vnum, per ſe, id eſt vnam habeat eſſentiam, ſi enim plures eſſentias explicat non eſt vnum definitum, ſed plura. Secunda, vt definitum ſit vniuerſale cum ſola quidditas, & natura definiri poſſit; vnde ſingularitas in tantum definitur in quantum per modum cuiuſdam cōmunis apprehenſa, accipitur vt quidditas, & natura quædam. Tertia conditio eſt, vt omne definitum, ſi rigoroſa & propria definitione definiatur, ſit ſpecies aliqua contenta ſub aliquo genere, eo quod omnis definitio propria conſtat genere, & differentia, atque adeo debet tradi de aliquo, quod verè & propriè contineatur ſub genere. Vnde ſuprema genera, differentiæ, & alia quæcumque per modum partis, aut ſimplicis conceptus cōſiderata, propriè non definiuntur, ſed modo ſimplici explicantur, vel deſcribuntur.

Definitio ſic explicata multiplex eſt, ſecundum quod eſſentia rei multipliciter etiam poteſt explicari; definitio igitur quid rei, alia eſt eſſentialis, ſcilicet quę explicat naturam rei per partes eſſentiales: quæ ſi fuerint metaphyſicæ, nempè genus, & differentia, definitio dicitur Metaphyſica, ſi verò fuerint Phyſicę, nempè materia, & forma, definitio dicitur phyſica, vel etiam cauſalis intrinſeca; quia datur per cauſas intrinſecas, materialem ſcilicet, & formalem. Alia eſt Deſcriptiua, quæ ſcilicet explicat eſſentiam per proprias paſsiones; ad quam etiam pertinet definitio cauſalis extrinſeca, quæ ſunt duæ, ſcilicet efficiens, & finalis, vt ſi definiatur homo quod ſit creatus à Deo ad beatitudinem conſequendam; ad cuius definitionis bonitatem debet ſemper aſsignari propria cauſa definiti. Alia tandem eſt accidentalis, in qua differentia ſumitur ex aliquibus accidentibus communibus, quæ licet ſeparatim ſumpta conueniant alijs, tamen ſimul iuncta, & vnita ſoli definito conueniunt, vt ſi dicatur, homo eſt animal pulchrum, bipes, implume, habens caput erectum: Quamuis aliqui hanc definitionem ad deſcriptiuam reducant,

ducant, eo quod omnia illa accidentia communia, simul iuncta, & collectiuè sumpta sunt propria definiri; quod ad quæstionem de nomine solùm spectat. Quæ omnes definitiones non differunt ex parte rei definitæ, sed ex parte partium definientium, seu illorum per quæ traditur definitio.

Circa modum autem loquendi notandum est quod inquirenti quæ sit ista definitio, responderi debet, est essentialis, vel descriptiua &c. inquirenti verò qualis, responderi bona, vel mala, bona quidem si leges assignatas seruet, mala verò si illas transgrediatur. Nunquam verò definitio propriè loquendo dicenda est vera, vel falsa cum ex dictis non sit propositio, cuius est verum, vel falsum significare.

De Diuisione.

Diuisio, est oratio explicans multiplicitatem rei, seu totum in suas partes distribuens; quæ definitio est essentialis, & quidditatiua, eo modo quo definitio definitionis, & modi sciendi, traditur enim per id quod est proprium, & quidditatiuum diuisionis, nam loco generis, siue pro materia ponitur oratio, cęteræ particulæ explicant propriã ipsius differentiam, quia distribuendo, & distinguendo partes, manifestat confusionem alicuius totius: et si enim tam definitio, quam diuisio manifestent aliquid per partes, definitio tamen manifestat partes constitutiuas, vnde explicat definitum per partes non distribuendo, sed quasi constituendo; at diuisio manifestat partes quasi quantitatiuas, vnde tollit confusionem diuisi, seu explicat diuisum non constituendo, sed distribuendo partes quantitatis, seu totalitatis quantæ quam respicit, sicut definitio respicit totalitatem quidditatis rei.

Cum diuisio ordinetur ad manifestandum per distributionem confusionem diuisi, aliquæ etiam regulę pro bona diuisione solent assignari. Prima quod membra diuidentia seorsum sumpta sint inferiora diuiso, illudque coniuncta ita adæquent, vt non excedant: quia diuisum est totum, & membra diuidentia partes, totum autem licet excedat vnam partem, non tamen excedit omnes, neque exceditur ab eis, cum in toto non sit aliud, quam omnes suę partes simul.

Secunda regula est quod membra diuidentia habeant inter se oppositionẽ aliquam saltem formalem: alias non essent partes de quarum ratione est, se inuicem excludere sub illo cõceptu quo sunt partes: vnde sequitur in qualibet diuisione ad minus debere esse duo mẽbra diuidentia, quæ membra diuidentia possunt tradi per terminos negatiuos, siue contradictorios, ita vt vnum membrum diuidens negatiuè, se habeat aliud verò positiuè, vt in hac animal aliud rationale, & aliud irrationale, notandũ est tamen in huiusmodi diuisionibus membrum negatiuum; V. g. *irrationale*, non esse intelligendum purè negatiuè: sic enim non solum conuenit brutis, sed etiam plantis elementis, & alijs quæ nõ continentur sub animali; sed priuatiuè pro vt solùm significat carentiam rationalitatis intra genus animalis; vt sic iuxta primam regulam assignatam membra diuidentia non excedant diuisum. Quãuis negent aliqui diuisionem posse tradi per terminos negatiuos, siue contradictorios, sed irrationabiliter, & contra communem vsum.

Species, seu modi diuidendi sunt plures, cum enim proprium sit diuisionis distribuere totum per suas partes, iuxta diuersos modos totius, diuersæ etiam erunt diuisiones: quare sicut totum est quadruplex, scilicet essentiale, integrale, vniuersale, potentiale, ita etiam quadruplex erit diuisio, alia essentialis, alia integralis, alia vniuersalis, alia potentialis. Verùm compendiosius diceretur duas esse diuisionum lineas, seu ordines: vnum diuisionum per se, alium diuisionum per accidens, seu accidentalem. In diuisione per se, qua-

tuor

tuor includuntur ſpecies. Res enim quæ eſt totum comparari poteſt, aut ad partes quibus integratur, aut ad partes quibus eſſentialiter conſtituitur, aut ad partes ſibi ſubiectas. Si primo modo, eſt diuiſio integralis, vt hominis alia pars caput, alia manus &c. ſi ſecundo modo eſt diuiſio eſſentialis Phyſica, vel Metaphyſica in ſua conſtituentia, vt hominis alia pars anima, alia corpus; vel hominis aliud extremum animal, aliud rationale. Si tertio modo, aut fit in partes ſibi ſubiectas ſecundum prædicationem, aut ſecundum poteſtatem, ſi ſecundum prædicationem eſt diuiſio vniuerſalis, vniuoca, vel analoga, ſeu generis in ſpecies, vel analogi in analogata: ſi fiat diuiſio in partes ſubiectas, quæ ſe habent vt potentiæ, eſt diuiſio totius potentialis vel poteſtatiui, vt ſi dicatur, animæ rationalis, aliud intellectiuum, aliud appetituum. In linea autem diuiſionum per accidens, & ſi multiplicari poſſint infinitæ diuiſiones, quia de his quæ ſunt per accidens certæ regulæ nõ dantur; frequentiores tamen ſunt duæ: Prima eſt diuiſio ſubiecti in accidentia, vt animalium aliud album, aliud nigrũ; ſecunda verò accidentis in ſubiecta, vt album, aliud nix, aliud lac.

Circa diuiſionem eſſentialem notãdum eſt, quod etſi, quando aliquid diuiditur penes illud, quo vltimò & indiuiſibiliter conſtituitur in ſua eſſentia, nõ admittat niſi vnicam diuiſionem eſſentialem; ſi tamen plures formalitates cõcurrant, quarum quælibet ſit diuerſo modo participabilis non repugnat aliquam rem eſſentialiter diuidi immediatè pluribus diuiſionibus eſſẽtialibus inadæquatis, quæ eſt doctrina S. Thomæ 1.2. q.95. artic.4. & q.72. ar.2.& 4.

Quamuis ex parte materiæ diuiſæ ſolùm per ſe ſpectet ad Logicum conſideratio diuiſionis totius Logici, ſeu prędicabilis in partes ſubiectiuas, tamen loquendo de artificio, & modo diuidendi, quæ eſt ſecunda intentio diuiſionis. ad Logicum pertinet de omni diuiſione agere, ſiue Phyſica, ſiue Metaphyſica, quia etiam quando aliquid ſic diuiditur talis diuiſio, eſt modus ſciendi, ſicque artificioſo modo, vnde pertinere debet ad Logicum; idem dic proportionaliter de definitione, & argumentatione.

Circa modum loquendi in diuiſione, idem eſt obſeruandum, ac in definitione, nam interroganti, quæ ſit hæc diuiſio, reſponderi debet, per ſe, vel per accidens &c. interroganti verò qualis ſit reſponderi bona, vel mala, non tamen vera, vel falſa, cum diuiſio ſit oratio imperfecta, nec in propoſitione neceſſariò reperiatur.

Supereſſet aliquid agere de modo arguendi in diuiſione, ſed commodius id pręſtabitur in tertia huius operis parte agendo de locis topicis: vbi etiam de argumentatione, quę eſt modus ſciendi, oratioque perfecta tertiam mentis operationem dirigens. Nunc ergò tranſeamus ad propoſitionem, quæ eſt oratio perfecta, principaliterque deſtinata, vt intellectus aptè, & ſine errore procedat in diuidendo, & componendo.

De Propoſitione, ſiue Enuntiatione.

Licet S.Thomas 1. Poſter. lect.5.& opuſc.48. cap.1. officium propoſitionis diſtinguere videatur à ſimplici officio enuntiationis, quod propoſitio addit ſupra enuntiationem, quod proponatur ad inferendum aliquid in argumentatione; communis tamen vſus inualuit, vt pro vno, & eodem ſumantur. Propoſitio igitur, ſeu enuntiatio definiri ſolet, quod ſit oratio verum, vel falſum ſignificans; verùm hæc definitio ſolum eſt deſcriptiua, cum veritas, & falſitas ſint ad ſummum propoſitionis paſſiones. Et ideò eſſentialis definitio propoſitionis, eſt quod ſit *oratio enuntiatiua*, ſiue oratio perfecta exprimens obiectum complexum, circa quod poteſt ferri iudicium, ex quo conſequitur, quod ſignificat verum, vel falſum. Per hoc enim quod ſit oratio perfecta, diſtinguitur ab imperfecta, quæ ſuſpensũ ſenſum generat, per hoc quod exprimat

obiectum complexum &c. distinguitur ab alijs orationibus perfectis, quæ obiectum Iudicij exprimere non possunt, vt sunt vocatiuæ, interrogatiuæ &c. quia autem in obiecto complexo super quod iudicium cadere potest, veritas vel falsitas reperitur, ideo dicitur enuntiatio, oratio significatiua veri, vel falsi; veritas enim est in enunciatione sicut in signo intellectus veri, vel falsi; in mente, id est, in iudicio mentis, tanquam in subiecto, nam veritas non est in ipsa potentia immediatè, sed in actu potentiæ, neque in alio actu quã Iudicij; in obiecto autẽ sicut in causa, quia ab eo quod res est, vel non est, oratio vera, vel falsa est.

In qua definitione, vt possit esse cõmunis tàm cathegoricæ, quam hypotheticæ propositionis, nomine obiecti complexi intelligi debet tam complexũ per copulam verbalem, quæ vnit prædicatum, & subiectum, quam copulam hypotheticam, quæ vnit propositiones cathegoricas.

Quamuis enuntiatio ratione verbi ex quo constat, & habeat vim copulandi extrema & habeat vim exprimendi iudicium assertiuum, atque adeò non repugnet aliquandò & iudicium, & enuntiationem quasi vnico actu formari, vt cum dicitur, homo est animal exprimẽdo per ly *est* tam copulationem quam assertionem: Enuntiatio tamen non cõsistit in iudicio seu assensu, sed distinguẽda est propositio iudicatiua ab enũtiatiua, & de se iudicium potest esse posterius, & consequi ad enuntiationem. Iudicium enim est assensus intellectus circa aliquid, quod est capax talis assensus, & Iudicij, vt per se patet; solum autem est capax talis assensus aliqua veritas complexa per enuntiationẽ significata, si quidem iudicium est id, quo determinatur intellectus, assentiendo quod ita est, vel non est, non potest autẽ pronuntiare quod ita est, vel non est, nisi circa aliquid complexum quod connectitur per verbum, & hoc est enuntiatio; ergò actus iudicandi distinguitur à formatione enuntiationis, priusque formatur, & apprehenditur enuntiatio, deinde iudicatur.

Vnde etiam significare, aut repræsentare verum vel falsum aliter inuenitur in iudicio, aliter in enuntiatione: in iudicio quidem assertiuè, in enuntiatione verò tantum complexiuè, seu per modum copulæ, & vnionis extremorum super quæ potest cadere iudicium; imo etiam aliquandò separatur significatio assertionis à significatione copulationis extremorum, vt quando prolata enuntiatione suspenditur iudicium, vel apprehenditur à nobis aliqua enuntiatio de rebus dubijs sine vllo iudicio.

Quare significare verum vel falsum in definitione propositionis enuntiatiuę non debet intelligi assertiuè, sed quasi copulatiuè, nec etiam præcisiuè, id est, quod in qualibet propositione præcisè debet inueniri illud disiunctum veri, vel falsi, sed accommodatiuè, quod ex vi obiecti complexi, quod significat, & per ordinem ad quod enuntiatio semper est determinatæ significationis, cõsequi potest aliquando verum, aliquandò falsũ, siuè determinatè, & immutabiliter, siue non, pro vt fuerit materia propositionis. Neque hoc est definire propositionem per suam diuisionem, sed per suũ obiectum quod est capax veri, vel falsi, siue vtriusque, siue alterius tantum, & sic non est incõueniens definire aliquid per opposita, non quasi simul eidem conueniant aut ipsum constituant, sed quia susceptiuum est eorum successiuè, ipso inuariato manente: sicut oratio enuntiatiua eadem permanens potest mutari de vera in falsam, vt cum dicitur Petrus currit, ipso currente est vera, ipso non currente est falsa, & tamen propositio semper est eadẽm, significatque idem.

De diuisionibus Propositionis.

Omnes diuisiones propositionis, agendo solum de propositione quatenus enuntiatiua est, ad sex principales reducuntur. Prima diuisio est in pro-

propositionem Cathegoricam, seu simplicem, & hypotheticam seu compositam. Propositio cathegorica est illa quæ habet subiectum, copulam verbi, & prædicatum tanquam partes principales; Hypothetica verò quæ cõstat ex propositionibus cathegoricis tanquam partibus principalibus aliqua vnione vnitis, vt Magister docet, & discipulus audit. Sicque differunt Cathegorica, & Hypothetica penes copulas, & penes extrema vnita, quia hypothetica non vnit verbo sed particula &, vel, si, & similibus, nec immediatè vnit terminos, sed propositiones. Quæ diuisio secundum aliquos est tantum analogi in analogata, non verò generis in species, cum enuntiare in quo sitam esse arbitrantur essentiam propositionis, secundum quid tantum conueniat hypotheticæ, non enim vnam propositionem de alia prædicat, sed illas tantum vnit inter se. Verum alij non minus probabiliter asserũt hanc diuisionem substantialiter esse generis in species, habereque solùm quẽdam modum analogæ diuisionis. Propositio enim hypothetica in quantum talis habet omnia requisita ad essentialem rationem enuntiationis, si quidem est oratio perfecta, & non sub specie optatiuæ, vel interrogatiuæ aut aliarum, ergò enuntiatiuæ; deindè significat veritatem, aut falsitatem distinctam à Cathegorica, quia non solum fertur iudicium de qualibet Cathegorica; sed etiã de ipsa coniunctione hypothetica, non quantum ad dispositionem illationis, vt in consequentia, sed quantum ad ita esse, vel non esse, vt patet in hac propositione, si homo haberet alas, volaret, nam de singulis cathegoricis formatur iudicium falsum, de tota autem hypothetica, verum; & similiter est in copulatiua, & disiunctiua, quamuis non requiratur quod semper importent ipsam veritatem nisi quando procedunt asserendo, & exprimendo aliquem assensum iudicij, sicut etiam oratio simplex nisi sit assertiua, & enuntiatiua non habet veritatem formaliter. Quia tamen in esse qualitatis, seu in esse entitatiuo, & physico cathegorica, & hypothetica se habent tanquam vnum & multa, quæ secundum quid & vnitate ordinis sunt vnum, & vna per prius, & alia posterius talis diuisio dicitur habere modum analogiæ. Cæterum artificialiter, & Logicè in ratione enuntiandi veritatem vniuocè conuenire probabile est, sicque in ratione artefacti enuntiabilis simpliciter est quid vnum & per se propositio hypothetica.

Secundò diuiditur propositio in affirmatiuam, & negatiuam; affirmatiua propositio est, in qua prædicatum affirmatur de subiecto, & respondet iudicio intellectus, pro vt appellatur compositio; negatiua verò est quæ prædicatum à subiecto remouet, & correspondet iudicio pro vt appellatur diuisio. Quæ diuisio etiam verè est generis in species, cum tam affirmatiua, quam negatiua participent æqualiter essentialem rationem enuntiationis, significare scilicet obiectum super quod potest cadere iudicium verum, vel falsum, contrahantq; illam per differentias essentiales copulationis negatiuæ, & affirmatiuæ.

Tertiò ratione materię diuiditur propositio in necessariam, contingentem, & impossibilem. Quartò ratione quantitatis in vniuersalem, particularem, indefinitam, & singularem. Vniuersalis est cuius subiectum est terminus communis signo vniuersali affectus vt omnis homo est animal, nullus homo est animal. Particularis est cuius subiectum est terminus communis signo particulari affectus, vt quidam homo disputat. Indefinita est, in qua subiectum est terminus communis & nullo afficitur signo, quæ si fuerit in materia naturali æquiualet vniuersali, si verò in materia contingenti, particulari. Propositio singularis est cuius subiectum est terminus singularis.

Quintò diuiditur propositio, in modalem, & de inesse. Modalis propositio est, in qua verbum seu copula afficitur aliquo ex his 4. modis scilicet necessa-

cessatio, contingenter, possibiliter, impossibiliter, quia isti modi afficiunt verbum quantum ad rationem, & modificationem componendi propositionem, & copulandi. Propositio autem de inesse est illa quæ sine talibus modis copulat, & componit vnum extremum cum alio. Vt hæc propositio Petrus currit, est de inesse, Petrus contingenter currit, est modalis.

Sextò diuiditur propositio diuisione subiecti in sua accidentia, in veram, & falsam, propositio vera est, quæ dicit rē sicuti est in se; falsa verò quæ, rem aliter ac est in se enuntiat.

Quæ omnes diuisiones præter tertiam, quartam, & sextam, videntur fieri ex parte copulæ, Cathegorica enim, & hypothetica penes copulam distinguntur, quia Cathegorica constat copula verbali, hypothetica coniunctione propositionum. Item affirmatiua, constat copula affirmata, negatiua, copula negata: Modalis constat copula modificata modificatione ipsam compositionem tangente & afficiente: propositio de inesse copula simplici, & absoluta.

Quibus omnibus diuisionibus posset addi diuisio propositionis in exponibiles, & exponentes, propositiones exponibiles sunt quæ ratione alicuius in eis inclusi, obscurum habent sensum & ita indigent expositione. Quod fit per alias propositiones clariores: & ideò vocantur exponentes. Quia tamen propositiones exponibiles pluribus propositionibus necesse habent exponi seu declarari, dici possunt virtualiter hypotheticæ, & inter illas recenseri.

De Proprietatibus propositionis.

PRoprietates propositionis sunt in duplici differentia, quædā sequuntur ipsa extrema, seu partes propositionis, cuiusmodi sunt, suppositio, ampliatio, restrictio, alienatio, appellatio, & de illis egimus suprà; quædam verò sequuntur totam propositionē; sicut enim ex habitudine quam vnus terminus in propositione dicit ad alterum resultant dictæ proprietates, ita ex comparatione vnius propositionis ad aliam resultant quædam earum passiones, nempe oppositio, æquipollentia, & conuersio, de quibus agimus in præsenti.

Oppositio igitur in communi potest definiri quod sit affirmatio, & negatio eiusdem, de eodem, siue repugnantia inter propositionem affirmatiuam, & negatiuam eiusdem prædicati, & subiecti, in nomine, in re significata, in integritate, in tempore, & in loco.

Diuiditur oppositio dicta in tres species scilicet in contradictoriam, contrariam, & subcontrariam. Oppositio contradictoria, si consideretur ex parte eius quod se habet quasi materialiter, inuenitur quando vna propositio est vniuersalis, & alia particularis, quarum vna affirmatur, altera negatur, vel duæ propositiones de subiecto singulari vna affirmata, altera negata. V. g. omnis homo est animal, aliquis homo non est animal. Petrus currit, Petrus non currit. Si consideretur autem dicta oppositio secundum suam rationem veluti formalem, est illa, quæ repugnat in veritate, & falsitate, ita vt duæ contradictoriæ nunquam possint esse simul veræ aut falsæ, sed si vna est vera, altera est falsa.

Similiter oppositio contraria, si consideretur ex parte rationis materialis, est quando ambæ propositiones sunt vniuersales, vna affirmatiua, altera negatiua, vt, omnis homo est animal; nullus homo est animal; si vero definiatur ex parte rationis formalis est, illa, quæ repugnat in veritate, non tamen falsitate, ita vt duæ contrariæ nunquam possint esse simul veræ, bene tamen simul falsæ in materia contingenti, vt omnis homo est albus, nullus homo est albus.

Tandem oppositio subcontraria ex parte suæ rationis materialis, est illa cuius ambæ propositiones sunt particulares, vt aliquis homo currit; aliquis homo non currit; ex parte verò rationis formalis est illa quæ repugnat in falsi-

tate,

tate, non tamen in veritate, ita vt ambæ poſſint eſſe ſimul veræ, nunquam tamen ſimul falſæ.

Sunt qui addant his tribus oppoſitionum ſpeciebus, quartam, oppoſitionem videlicet ſubalternam, quæ verſatur inter propoſitiones, quarum vna eſt vniuerſalis, & alia particularis; ambæ verò negatiuæ, vel affirmatiuæ; vt omnis homo eſt animal, aliquis homo eſt animal. Nullus homo eſt animal. Aliquis homo nō eſt animal. Sed hæc propriè loquendo, non eſt oppoſitio; cum non ſit affirmatio, & negatio. Poteſt tamen ſecundum quid appellari talis, quia eſt inter propoſitiones habētes diuerſam quantitatem, & inter ſe per modum ſuperioris & inferioris ordinatas, vnde etiā oppoſitio relatiua poſſet vocari; ſic autē ſe habent huiuſmodi propoſitiones ſubalternatim poſitæ, vt in materia naturali, ſi vna eſt vera, alia etiam ſit vera; & idem eſt de falsitate: at in materia cōtingenti vniuerſalis poteſt eſſe falſa, particularis autem vera, ſed non è contra.

Inter has autem oppoſitionum ſpecies oppoſitio contradictoria eſt maxima; cum ipſa ſola abſolutè, & omnibus modis deſtruat ſuum oppoſitum; reliquæ autem oppoſitiones non ita abſolutè, & ſimpliciter deſtruant, ſed aliquid de illo relinquant. Et ſi enim negatio vniuerſalis in oppoſitione contraria plus deſtruat quaſi extenſiuè, & quantum ad modum ſignificandi, quàm oppoſitio contradictoria; non tamen intenſiuè & in ordine ad deſtruendum totum quod ponitur in ſuo oppoſito, tam quo ad veritatem, quam quo ad falſitatem, & vniuerſalitatem, & particularitatem, ſic enim contradictio totum tollit, contrarietas verò aliquid relinquit, vniuerſalitatem, & falsitatem cum ambæ propoſitiones contrariæ debeant eſſe vniuerſales, poſſintque eſſe in materia contingenti falſæ, vndè aliud eſt plus deſtruere de ſuo oppoſito, aliud negationem diſtribuendo ad plura ſubiecta applicare, hoc ſecundum conuenit contrarietati, non primum. Similiter ſubcontrarietas non tollit particularitatem, & conſequenter neque veritatem, ſed duæ propoſitiones ſubcontrariæ ſūt ſimul particulares, & poſſunt ſimul eſſe veræ.

Quæ doctrina non ſolum eſt vera in oppoſitione Logica ſeu propoſitionum, ſed etiam in oppoſitione reali, ſeu phyſica, quæ eſt quasi obiectum oppoſitionis Logicæ; nam oppoſitio contraria Phyſica verſatur inter duas formas poſitiuas quæ poſſunt eſſe in eodem ſubiecto, vel ſimul, ſi ſint in gradibus remiſſis, vel ſucceſſiuè, ſi ſint in intenſis, ſicque vna forma contraria nō deſtruit totaliter aliam, nec conuenientiam ipſarū in ſubiecto; & ideo contraria dicuntur ſolum maximè diſtare in eodem genere, & intra vnum genus; contradictoria autem in omni genere, quia dantur per negationem purè & abſolutè, quæ eſt extra omne genus, & ita negat omne ens. Similiter oppoſitio priuatiua non tollit, ſed relinquit aptitudinem ad oppoſitam formam; vndè ſaltem ex hac parte relinquit aliquam conuenientiam cum ſuo oppoſito. Denique relatiua oppoſitio, non includit negationem, qua vnum oppoſitum remoueat alterum, ſed potius ſupponit tale correlatiuum dari, cum relatiua ſint ſimul natura, & cognitione. At verò in cōtradictorijs negatio vnius, ita eſt pura, & abſoluta malignantiſque naturæ, vt omnem penitus conuenientiam cum ſuo extremo negato tollat: & ita nec relinquit eſſe, nec aptitudinem, nec vniuerſalitatem nec particularitatē; vnde ſimpliciter & abſolutè eſt maior oppoſitio intenſiuè tam in propoſitionibus, quam in rebus, & ex illa deriuatur oppoſitio tanquam ex principaliori ad reliquas oppoſitiones.

Obſeruandum eſt tamen, quandò diximus propoſitiones contradictorias rectè aſſignatas non poſſe eſſe ſimul veras aut falſas, non debere ita intelligi quaſi lex contradictoriarū ſit, quod vna ſit determinatè materialiter & in ſingulari vera, altera autem determinatè falſa;

ſed

ſed ſolum lex contradictoriarum petit, quod vna ſit vera & altera falſa determinatè formaliter, id eſt, quod de facto nunquam vtraque ſit vera, nec vtraque falſa,ſed vna tantum: vt ſi vna eſt vera, altera ſit falſa. Quod enim in indiuiduo iſta ſit vera determinatè præ alia, id non efficit contradictio,ſed cauſarum determinatio præſertim diuina vt docēt peritiores Theologi 1.par.q.14. de ſciētia Dei, in propoſitionibus de futuro contingenti, inter quas poteſt eſſe contradictio, & tamen vna non eſt determinatè vera materialiter, alia verò falſa, cum repugnet contingentiæ de futuro talis determinatio ex ſe.

Secunda propoſitionum proprietas eſt æquipollentia, quæ nihil eſt aliud, quam eadem vis duarum propoſitionū à diuerſis ſignis proueniens; ſiue propoſitionum oppoſitarū penes variationem negationis ęquiualentia,& eiuſdem ſenſus ſignificatio: Ad quod tria ſolent aſſignari præcepta hoc verſu contenta,

Præ, contradic; poſt, contra; præ, poſtque ſubalter.

Primò enim vt duę propoſitiones cōtradictoriè oppoſitæ fiant ęquiualentes, præponēda eſt negatio ſubiecto cuiuslibet illarū,& hoc ſignificat prima verſus particula, præ, contradic;. Secundò vt duæ contrariæ reddantur æquipollentes poſtponēda eſt negatio ſubiecto propoſitionis ante copulā;& hoc ſignificat illa particula,poſt,contra. Tertiò vt duæ ſubalternæ fiant æquipollentes,apponendæ ſunt duę negationes, cuilibet illarū,vna ante ſubiectum,& alia poſt ſubiectū antè copulam,quod ſignificant illæ vltimę particulæ; præ, poſtque, ſubalter. Pro ſubcontrarijs verò nulla datur regula, cum æquipollentiæ non ſint capaces. Si enim præponatur negatio, redditur propoſitio vniuerſalis,& conſequenter non æquipollens particulari, vt,quidam homo currit, quidam homo non currit, ſi dicatur, non quidam homo currit, idem eſt ac nullus. Si poſponatur negatio ſubiecto in affirmatiua, non fiet æquipollens ſed formaliter negatiua, vt quidam homo currit,ſi poſtponatur negatio fiet negatiua; quidam homo non currit, nō autem æquipollēs negatiuæ; ſi verò ipſi negatiuæ poſtponatur fiet repetitio inutilis, quidam homo non non currit.

Quia autem propoſitionum æquipollentia maximè prouenit ab æquipollentia ſignorum inter ſe quibus afficiuntur, memoriæ iuuandæ cauſa quinque ſequentibus verſibus huiuſmodi ſigna ſolent à Dialecticis comprehendi.

Non omnis, quidam non: omnis non, quaſi nullus.
Nonnullus, quidam: ſed nullus non, valet omnis.
Non aliquis, nullus: non quidam non, valet omnis.
Vterque non, neuter: neuter non, valet vterque.
Non alter, neuter: non alter non, eſt vterque.

Tertia tandem, & vltima propoſitionum proprietas eſt conuerſio, quæ definitur tranſmutatio vnius extremi totalis, in alterum extremum totale, ſcilicet ſubiecti in prædicatum, & è contrà, ſeruata qualitate, & veritate, id eſt, quod maneat copula affirmatiua, aut negatiua vtrobique, & vtraque ſit vera; ad quod diligenter aduertendum eſt,vt ſēper integrum ſubiectum efficiatur integrum prædicatum, & è contra; alias nō erit bona conſequentia; inſuper vt ſeruentur omnes terminorum proprietates, excepta ſuppoſitione quæ prouenit à ſignis; nam defectu ampliationis non valet, ſenex fuit puer: ergo puer fuit ſenex, ſed inferendum eſt ergò quod fuit puer,eſt, vel fuit ſenex. Similiter defectu ſuppoſitionis nō valet homo eſt ſpecies, ergò, ſpecies, eſt homo.

Triplex eſt conuerſio, ſcilicet ſimplex, ſeu mutua, per accidens ſeu non mutua, per contrapoſitionem, quæ etiā mutua eſt, ſed penes extrema finita, & infinita. Conuerſio ſimplex dicitur illa, in qua tranſmutatur prædicatum in ſubiectum, & è contra manente cadem quantitate,quomòdo conuertuntur vniuerſalis negatiua, & particularis affirmatiua,

tiua, vt nullus homo eſt lapis, ergo nullus lapis eſt homo; quidam homo eſt albus, ergò quoddam album eſt homo. Conuerſio per accidens, ſeu in partem eſt quando transmutatur prædicatum in ſubiectum non manente eadem quantitate, quomodo conuertuntur vniuerſalis affirmatiua, & vniuerſalis negatiua, propoſitiones enim, quę conuertuntur ſimpliciter ſi ſint vniuerſales, à fortiori poſſunt conuerti per accidens, cum particularis contineatur ſub vniuerſali. Vt omnis homo eſt animal, ergo aliquod animal eſt homo; nullus homo eſt lapis, ergo aliquis lapis non eſt homo. Conuerſio per contrapoſitionem eſt mutatio prædicati in ſubiectum variatis terminis penes finitum & infinitum, quomodo conuertuntur vniuerſalis affirmatiua, & particularis negatiua, vt ſi dicas omnis homo eſt animal, rectè ſequitur, ergò omne non animal eſt non homo: quidam homo non eſt albus, ergo non album non eſt non homo, quæ conuerſio adinuenta eſt, vt ſuppleret conuerſionem mutuam in his quæ mutuò conuerti non poſſunt ſecundum ſe. Et propriè loquendo non eſt conuerſio terminorum, cum non maneant iidem termini, ſeu extrema, ſed eſt conuerſio ſecundum ſenſum mutatis terminis de finitis in infinitos.

Ad hęc autem omnia facilius retinenda quatuor vocales, ſcilicet, A. E. I. O. deſignatæ ſunt à Dialecticis ad ſupradicta quatuor propoſitionum genera ſignificanda. A. ſignificat vniuerſalem affirmatiuam. E. ſignificat vniuerſalem negatiuam. I. particularem affirmatum. O. particularem negatiuam, vnde ſunt verſus.

Aſſerit A, *negat* E, *ſunt vniuerſaliter ambæ*

Aſſerit I, *negat* O, *ſunt particulariter ambæ*.

Deinde ſunt alij duo verſus comprehẽdentes omnes propoſitionum conuerſiones.

Simpliciter FECI, *conuertitur* EVA *per acci*,

ASTO, *per contra, ſic fit conuerſio tota*.

Vbi ly FECI deſignat quod vniuerſalis negatiua, & particularis affirmatiua ſimpliciter conuertuntur. EVA ſignificat quod vniuerſalis negatiua poteſt conuerti etiam per accidens, vniuerſalis autem affirmatiua ſemper per accidens. ASTO ſignificat quod vniuerſalis affirmatiua, & particularis negatiua per contrapoſitionem conuerti poſſunt.

De modo quo inter nomina tam primæ, quam ſecundæ intentionis propoſitiones fieri, aut efformari poſſunt.

Priuſquam ad explicationem propoſitionum modalium, & Hypotheticarum ſpecialem aliquam difficultatem præ ſe ferentium accedamus, operæ pretium duxi breuiter aperire quo modo in nominibus tam primæ, quam ſecundę intentionis propoſitiones ſimplices affirmatiuæ veræ efformari poſſint. Pro cuius intelligentia notandum eſt.

Primò prædicationem, ſeu attributionem, quæ fit de aliquo mediante propoſitione, generali diuiſione poſſe diuidi in identicam, diſparatam, & mediam. Prædicatio identica, alia identica materialiter, alia formaliter; Identica ſimpliciter eſt illa in qua idem de ſeipſo vel ſynonimum de ſynonimo enuntiatur, vt homo eſt homo; Identica materialiter eſt, quando ſignificationes quidem terminorũ ſunt diuerſæ, ſed realitas ſeu entitas eſt eadem, vt cum dicitur, actio eſt paſſio, & prædicatur vnum attributum de alio in Deo. Diſparata, in qua prædicatum nullam habet connexionem cum ſubiecto, media verò in qua prædicatum, & ſubiectum habent ſufficientem connexionem, ſed non omnimodam identitatem. Quæ prædicatio media rurſus diuiditur in directã, & indirectam. Directa eſt illa, in qua illud quod à parte rei habet rationem formæ ponitur in propoſitione vt prædicatum, & illud quod habet à parte

rei

rei rationem materię, vt subiectũ, cuius oppositum constituit propositionem indirectam. Vbi notandum est nomine subiecti, & formæ non solum intelligi id quod physicè se habet vt forma, & materia, sed quod habet se quomodocumque vt actuans, & actuabile, vel superius, & inferius, dicitur enim superius forma inferioris, non quia gradus superior sit actualior, sed quia contrahibilis, & omne quod contrahitur, quasi recipitur ab eo ad quod contrahitur. Tandem prædicatio directa, seu formalis, quæ propriè loquendo sola est absolutè, & scientifica prædicatio, diuiditur in essentialem & accidentalem; Essentialis est, quando prædicatum est de intrinseca ratione subiecti. Accidentalis, quando est extra illam. Vbi valde distinguendum est inter identitatem, & connexionem extremorum; Identitas enim pertinet ad coniunctionem, seu conuenientiam, & adæquationem extremorũ, quæ ad omnem prædicationem requiritur, connexio autem ad habitudinem, qua extrema ordinantur vel essentialiter vel accidentaliter ad inuicem.

Vbi etiam diligenter adnotandum est, supradictam doctrinam habere locũ siue propositiones sint affirmatiuæ, siuè negatiuæ, siue veræ, siue falsæ. Aliud enim est prædicatio disparata, vel identica, aliud propositio disparata, vel idética. Propositio enim respicit veritatem, & falsitatem, prædicatio terminorum habitudinem. Et potest esse prædicatio identica, & propositio falsa, vt homo non est homo. Et ista propositio homo non est lapis, est disparata, licet vera. Similiter hæc est directa, licet falsa: homo non est rationalis, & hæc est indirecta, quamuis falsa: rationale non est homo.

Secundò notandum est concreta accidentium eamdem rem prorsus significare, ac eorum abstracta, ita vt differant solum in modo significandi talem rem. Nam abstractum significat formam accidentalem per modum substantiæ, seu per se stantis, concretum verò significat eamdem formam quasi alteri adiacentẽ, & connotando subiectum: & sic abstracta ex modo significandi sumuntur vt partes, & vt quo aliquid est, concreta autem vt tota; & vt quod habet formã; quod etiam est commune concretis, & abstractis substantialibus, cum hoc tamen discrimine, quod cum compositũ, seu concretum substantiale sit ens per se & simpliciter vnum ac totum, componitur necessariò ex partibus, quæ simpliciter sint partes, & per consequens nunquam possunt esse simpliciter tota, sed tantum secundum quid. At verò compositum accidentale, quia est ens per accidens, secundum quid tantum est vnum, & totum; & per consequens partes eius secundum quid tantum erunt partes; simpliciter autem tota.

Tertiò aduertendum est quod, cum nomina tam primæ, quam secundæ intentiones alia sint abstracta, alia concreta, quatuor inter illa possunt fieri cõbinationes, atque adeò dubitari primò an concreta prædicentur de concretis, secundò an abstracta de abstractis; tertiò, an concreta de abstractis; quartò an abstracta de concretis.

Pro quo dico primò propositiones, in quibus nomina concreta primæ intentionis de concretis prædicantur, siue concretum sit substantiale, siuè accidentale, esse veras & concedendas, vt homo est substantia, album est coloratum. Et idem est quando concretum accidentale prædicatur de substantiali, vt homo est albus.

Secundò certum est, prædicationes quæ fiunt inter abstracta accidentium, quorum vnum est de essentia alterius, esse omnino veras, & formales, vt albedo est color, color est qualitas; sicut etiam certum est circa abstracta substãtialia, omnes prędicationes in quibus abstractum, quod ponitur loco prædicati, non pertinet ad essentiam abstracti, quod ponitur loco subiecti, esse omnino falsas, vt humanitas est risibilitas. Vt enim prædicatio accidentalis sit vera, prædicatum debet significari adiectiuè,

tu

seu per modum alteri adiacentis, quod tamen non contingit quando prædicatum ponitur in abstracto. Quæ etiam ratio probat propositionem, in qua abstractum differentię prædicatur de abstracto speciei, vt quando dicitur *humanitas est rationalitas*, in sensu formali esse falsam. Idem dic de prædicationibus inter abstracta generis, & differentię; nec non inter abstracta differentiæ superioris, & inferioris, vt si dicatur, rationalitas est animalitas: rationalitas est sensibilitas. Cum differentia nullatenus includat genus, nec etiam differentias superiores, & ex modo significandi vnũ non significetur, vt adiacens alteri, vt fit quando prædicantur in concreto. Nihilominus quando abstracta substantialia, ita se habent, vt vnum sit de essentia alterius, & prædicetur in quid, vt quando de humanitate prędicatur animalitas vel quilibet alius gradus genericus, probabilius est huiusmodi propositiones esse veras non solum in sensu identico, sed etiam in sensu formali. Dummodo tamen huiusmodi abstracta superiora non sumantur cum præcisione suorum inferiorum, siue vt alij volunt reduplicatiuè, & vt explicant solum officium abstractionis formalis, sed vt cõfusè aliquo modo continent inferiora, explicentque solum naturam cum omni formali constitutiuo sub abstractione tanquam sub modo essendi.

Tertiò, quamuis in prædicatis generalibus, & diuinis abstracta verè prædicentur de concretis, & è contra. V.g. *Entitas est ens, & ens est entitas; Deus est Deitas, & Deitas est Deus*. Vbi abstracta in rei veritate non sunt partes respectu concreti, nec concretum includit aliquid præter abstractum propter transcendentiam, quam tam in concreto, quam in abstracto important; id tamen repugnat in alijs rebus creatis, & prædicatis particularibus, vbi concretum includit aliquid aliud præter abstractũ, vnde hæ sunt falsæ prædicationes, homo est humanitas, albedo est alba, & è contra, homo enim præter humanitatẽ includit personalitatem, seu suppositũ; & album præter albedinem includit subiectum.

Loquendo modo de nominibus secundæ intentionis tam inter se quam respectu primarum, dico primò quod sicut accidentia in abstracto non prædicantur de substantia, non enim dicimus homo est color; ita secundæ intentiones, quæ habent rationem accidentium respectu primarum non prædicantur de illis in abstracto, bene autem in concreto, vnde falsum est dicere, animal est genereitas; homo est specieitas; verum autem animal est genus, homo est species.

An autem secundæ intentiones in concreto prædicentur de primis, tam in concreto, quam in abstracto loquendo generaliter, tam de substantijs, quam accidentibus; ita vt sicut est verum, *animal est genus*, ita etiam sit verum *animalitas est genus*. Et sicut è contra verum est *albedo est species*, ita etiam sit verum, *album est species*. Dico secundò sola concreta substantiæ, & abstracta accidentium propriè & simpliciter denominari genera, & species. Duo enim requiruntur in primis intentionibus, vt propriè & simpliciter denominentur ab his secundis generis, & speciei, scilicet esse entia completa, & esse entia per se; quę duæ conditiones solum reperiuntur in concretis substantiæ, & in abstractis accidentium, abstractum enim substantiæ, licet sit ens per se, non tamen est ens completum, quia significatur, vt pars; concretum verò accidentis, licet sit ens completum, non tamen est ens per se, quia significatur, vt compositũ accidentale.

Comparando secundas intentiones inter se dico tertio, vnam secundam intentionem, quando est de essentia alterius, optimè posse de illa prædicari tam in abstracto, quam in concreto; & in hoc nullum est discrimen inter secundas intentiones, & accidenta realia. Vndè sicut verè dicimus albedo est color, color est qualitas, & similiter album est colo-

coloratum, coloratum eſt quale; ita etiã verè dicimus, Genereitas eſt vniuerſalitas; Vniuerſalitas eſt relatio rationis; ſimiliter, Genus eſt vniuerſale; vniuerſale eſt relatiuum rationis.

Quantum ad prædicationes accidẽtales, ſeu denominatiuas quæ fiunt inter ipſas ſecundas intentiones, diſcurrendũ eſt cum proportione ad accidentia realia. Sicut enim in his quædam ſunt inter ſe repugnantia, quæ ſcilicet eidem ſubiecto ineſſe non poſſunt, vt albedo, & nigredo, & inter hæc falſa eſt prædicatio tam in abſtracto, quam in concreto. Alia verò ſunt, quæ talem repugnantiam non habent, ſed compatiuntur in eodem ſubiecto, vt albedo, & dulcedo, & inter hæc ſi fiat prędicatio in abſtracto eſt falſa, vera antem in concreto. Ita inter ſecundas intentiones, quędam inter ſe pugnant, nec poſſunt eamdem naturam denominare, vt intentio generis & differentiæ, & inter has falſa eſt prædicatio tam in abſtracto quam in concreto, falſum eſt enim dicere *Genereitas eſt differentialitas*; & *Genus eſt differentia*. Aliæ verò ſunt quæ non habent talem repugnantiam, ſed poſſunt eidem naturæ attribui, vt intentio generis, & ſpeciei ſubalternæ, & inter has falſa eſt prædicatio in abſtracto, V.g. *Genereitas eſt ſpecieitas ſubalterna*; vera autem in concreto, *Genus eſt ſpecies ſubalterna*.

Nihilominus tamen cum vna ſecunda intentio in abſtracto ſignificata poſſit eſſe fundamentum alterius, & inducere rationem primæ reſpectu illius. Quidquid enim poteſt eſſe obiectum intellectus, poteſt etiam denominari à ſecundis intentionibus. Hinc fit quod quamuis in his intentionibus abſtractum non prædicetur de concreto in prædicatis particularibus, vt dictum fuit de nominibus primæ intentionis, poteſt tamen optimæ concretum prædicari de abſtracto; in quo ſecundæ intentiones diſtinguuntur à primis; qua ratione verè; & propriè dicitur, vniuerſalitas eſt genus, aut Genereitas eſt ſpecies; ſi enim vniuerſalitas, vt ſuo loco ſupra diximus, diuiſione vniuoca, & eſſentiali, diuiditur in genereitatem, ſpecieitatem &c. vniuerſalitas verè eſt genus ad illas, illęque ſunt veræ vniuerſalitatis ſpecies.

De Propoſitionibus Modalibus.

PRopoſitio Modalis propriè loquẽdo dicitur talis à modo qui determinat, & modificat ipſam compoſitionem, ſeu vnionem & conuenientiam prædicati, & ſubiecti; qui modus eſt triplex, neceſſarium, impoſſibile, & contingens ſeu poſſibile correſpondens tribus propoſitionum materijs. Nam materiæ naturali correſpondet neceſſariũ, remotæ impoſſibile; contingenti verò poſſibile, ſeu contingens. Erit ergò propoſitio modalis illa, quæ aliquo ex his modis afficitur, ſeu quæ non ſolum exprimit prædicatum conuenire ſubiecto, ſed etiam modum quo illi conuenit, vt ſi dicatur, *hominem eſſe animal eſt neceſſe* qui modus ſi auferatur, propoſitio quæ remanet, appellatur de ineſſe, ſeu officians, in qua ſimpliciter denotatur prædicatum conuenire, & ineſſe ſubiecto, V.g. *homo eſt animal*.

Notandum eſt autem hos modos poſſe dupliciter ſumi: primò nominaliter, vt poſſibile, contingens, neceſſariũ, & ſecundò aduerbialiter, vt poſſibiliter, contingenter, neceſſariò, &c. priori modo in propoſitionibus modalibus modus ipſe eſt prædicatum, & oratió illa infinitiui eſt ſubiectum; & appellatur dictum; vt patet, ſi dicas Petrum currere eſt contingens. Etiam ſi aliquando ſecundum voces modus anteponatur propoſitioni, dicendo contingens eſt Petrum currere, nam iuxta ſenſum ſemper modus eſt prædicatum; quando autem modus ſumitur aduerbialiter, non eſt prædicatum, ſed modificat vnionem prædicati, & ſubiecti, vt ſi dicatur *Petrus neceſſario eſt animal*.

Propoſitio Modalis ſic explicata eſt duplex, quia duplici modo ſtatim explicato poteſt affici, alia eſt modalis *diuiſa*, alia *compoſita*: Modalis compoſita

sita est, in qua modus sumitur nominaliter, atque adeo se habet, vt prædicatum, & ipsum dictum vt subiectum, vt *Petrum currere est contingens*: Modalis diuisa est, in qua modus aduerbialiter sumptus fertur in copulam, vt *Petrus contingenter currit*.

Et hinc ortum habuit celebris illa sensus compositi, & diuisi distinctio in propositionibus; nō enim quælibet propositio modalis indifferenter, aut quocumque modo disposita admittit vtrūque sensum, vt explicant aliqui Doctores extra scholam Sancti Thomæ, qui perinde distinguunt penes sensum compositum, & diuisum eamdem propositionem, siue dicatur, *Prædestinatus non potest condemnari*, siue, *Prædestinatum condemnari est impossibile*. Sed sensus compositus sumitur ex modali composita, & diuisus ex diuisa. Et isti sensus consistunt in hoc quod in sensu composito significatur ipsa simultas, & vnio formæ in vno subiecto: in sensu autem diuiso significatur vnio, seu conuenientia duplicis formæ in subiecto, non simul, sed successiuè, seu vna excludente aliam, hoc enim est diuisiuè. Vnde nunquam valet à modali diuisa ad cōpositam, seu à sensu diuiso ad compositum, sicut non valet à conuenientia successiua ad simultaneam. Et ideo sensus compositus rectè significatur per modalem compositam, in qua eo ipso quod modus est prædicatum, & totum dictum subiectum, prędicatur modus de partibus eius simul sumptis, & per modum vnius, ac proinde significatur illa duo simul esse compossibilia in subiecto seu vniri, & conuenire simul formam prædicati & subiecti sub illo modo, in quo consistit sensum esse compositum.

Sensus autem diuisus significatur per modalem diuisam, in qua eo ipso quod modus solùm afficit copulam, seu quod idem est interponitur partibus dicti, iam illa pars, quæ est prædicatum, quasi disiungitur ab alia, quæ est subiectum, & iuxta regulas appellationis applicat suum significatum formale, supra materiale istius, denotaturque modum quidē illum conuenire subiecto, non autem ipsis formis prædicati, & subiecti, in quo consistit sensum esse diuisum. Exemplum est si dicas: *Amantem odisse est possibile, ridentem flere est possibile*, in sensu composito significat, quod coniunctio amoris, & odij, ridendi, & flendi est possibilis, si autem dicatur *Amans possibiliter odit*, seu *potest odio habere*, significat in sensu diuiso, quod subiecto amanti conuenit potentia ad odium, non tamen ad amorem simul cum odio. Vnde quando in propositione modali per extrema dicti importantur formæ oppositæ, ita tamen vt vna forma non excludat potentiam subiecti ad recipiendā aliam, sed solùm coexistentiam, & simultatem, tunc adhuc in sensu diuiso manet illa potentia, stante illa forma in subiecto, nec enim illa forma tollit potentiam aut ponit; Et sic cum dicitur: *Voluntas præmota efficaci diuinę gratiæ auxilio potest non operari, aut dissentire in sensu diuiso*, non significatur, quod diuidendo efficacem motionem potest non operari, vt perperam intelligunt aliqui, sed adhuc stante in subiecto efficaci gratiæ motione, manet potentia ad oppositum, sed non ad coniungendum oppositum cum forma efficacis motionis. Itaque sensus diuisus ponit potentiam in subiecto ad opposita successiuè, compositus autem denotat potentiam ad opposita simul coniungenda, & vnienda.

Quod spectat ad propositionum modalium quantitatem, qualitatem, oppositionem, æquipollentiam, conuersionem & reductionem. Notandum est primò tres illos modos, impossibile, necesse, possibile, seu contingens secundum se importare quantitatem similem illis signis, omnis, nullus, quidam &c. ostendentibus quantitatem propositionum simplicium, iuxta illos duos versus.

Omnis, necesse valet: impossibile nullus.

Possibile, quidam: quidam non, possibile non:

Necessarium enim & impossibile dicunt vniuersalitatem, eo quod id quod conuenit necessario, semper & omnibus cõuenit, quod verò impossibiliter, nulli & nunquam conuenit. Possibile autem & contingens dicunt particularitatem, quia ad saluãdum quod aliquid sit possibile, sufficit quod pro aliquo tempore, aut subiecto sit possibile, seu contingens; hic enim contingens accipitur pro eodem atque possibile, non autem pro defectibili, sic enim opponitur necessariò, seu pro eo quod potest esse aliquando præscindendo à defectibilitate.

Secundò notandum est circa harum propositionum qualitatem quæ attenditur penes affirmationem vel negationẽ, quod cum inueniatur in modali composita duplex copula, scilicet dicti & modi potest vel vtraque affirmari, vel vtraque negari, aut affirmari dictum, & negari modus, vel affirmari modus, & negari dictum; ita tamen vt sicut in propositione simplici, affirmatio vel negatio attenditur ex copula principali, ita etiam in modali composita, vbi modus prædicatur de dicto, affirmatio vel negatio attendatur penes copulam, qua modus ipse enuntiatur de dicto: & ideo quando modus est negatus propositio modalis est simpliciter & absolutè negatiua, quamuis dictum sit affirmatum, & è contra. Idem dic circa quantitatem istarum propositionum, quæ absolutè attenditur ex quantitate modi: & ideo illa propositio modalis appellatur simpliciter vniuersalis, cuius modus est vniuersalis; licet dictum sit particulare, & è contra: quamuis etiam ex quantitate dicti talis propositio secũdum quid denominetur vniuersalis vel particularis, sicut ex affirmatione vel negatione eius dicitur secundum quid affirmatiua, vel negatiua.

Deueniendo modo ad oppositionẽ, & æquipollentiam harum propositionũ aduertendum est tertiò, quod sicut in propositionibus de inesse attẽditur quãtitas, vt fiat oppositio, ita etiam in modalibus quantitas modorum attendi debet; vnde cum isti modi per omnia assimilentur supra dictis signis, consimili etiam modo contingit vtrobique oppositio: & ideò sicut contrariantur *omnis* & *nullus*, ita *necesse* & *impossibile*, & sicut subcontrariantur *quidam* & *quidam non*, ita possibile, & possibile non & sicut opponuntur cõtradictorie, *nullus*, & *quidam*, *omnis* & *quidam non*, ita *necesse* & *possibile non*, seu *contingens non*, impossibile & possibile seu contingens, ac tandem sicut *omnis*, & *aliquis*, nullus & aliquis non, seu quidam non, subalternantur, ita etiam necesse, & possibile seu contingens, impossibile & possibile non, seu contingens non.

Similiter sicut æquipollentię propositionum simplicium fiunt per negationem prępositam aut postpositam, ita & æquipollentię fiunt in modalibus per eamdem negationem præpositam, aut postpositam, valentque pro illis tres regulæ illo versiculo contentę.

Præ, contradic; post, contra: præ, postque subalter:

ne autem quis in anteponendis, aut postponendis huiusmodi negationibus turbetur; sciendum est in his propositionibus modalibus tunc negationẽ anteponi, quando negatur modus; postponi, quando negatur dictum; anteponi, & postponi, quando vtrũque negatur quod fit constituendo negationem, tam à parte dicti, quam à parte modi.

Vt autem hæc omnia facilius memoriæ commendarentur, adinuenerunt dialectici quatuor dictiones Purpurea, Iliace, Amabimus, Edentuli, quarum explicatio videri potest in authoribus ratio enim compendij non permittit vt in his diutius immoremur. Solum aduerto pro Modalibus diuisis, quod vt fiat oppositio, debet mutari quantitas modorum, ita vt in vna sit vniuersalis in alia particularis v.g. Petrus necessariò est homo, eius contradictoria est, Petrus possibiliter non est homo. Quando verò modalis diuisa est de subiecto communi, debet etiam mutari quantitas dicti,

cti, vt si dicatur omnis homo necessario est rationalis, eius contradictoria est, aliquis homo possibiliter non est rationalis.

Quartò generaliter loquendo conuersio propositionum fit ratione dicti, non ratione modi tam in modali composita quam diuisa, ac proindè seruantur eędem regulæ generales ac in propositionum Cathegoricarum conuersione: vt si dicatur, omnis homo necessariò est animal, valet aliquod animal necessario est homo, &c. Quando tamen in propositione de necesse subiectum dicti est aliquod concretum accidentale, tunc necesse debet mutari in possibile, alias dabitur antecedens verum, & consequens falsum: vt Logicus necessario est homo, non valet, ergo homo necessario est logicus, sed debet pro necessario poni *possibiliter* dicendo, ergo homo possibiliter est Logicus, cuius ratio est, quia sæpe vna res ex natura sua petit vniri alteri; cum tamen hæc non necessariò petat cum priori coniungi. Similiter quando modi sunt negatiui, & dictum est vniuersale affirmatiuum, non potest propositio modalis conuerti, si subiectum dicti sit superius prædicato, non enim valet, omne animal esse hominem est impossibile, ergò aliquem hominem esse animal est impossibile.

Quinto tandem, & vltimo reductio propositionum modalium, nihil aliud est quam probare, seu regulare veritatem illarum, per veritatem propositionis de inesse, vbi nota quod propositio de inesse dicitur dupliciter, vno modo quia caret modis afficientibus eam, & vt opponitur modali, alio modo, quia est de pręsenti, & opponitur propositioni de præterito, aut futuro, quæ dicitur de extrinseco tempore. Reducitur ergò modalis ad suam de inesse, formando propositionem de inesse, & ostendendo quod competit illi modus in propositione modali positus, vt si dicatur *Petrus possibiliter disputat*, reducitur ad suam de inesse sic, hæc propositio Petrus disputat, est contingens. Sic ad veritatem & falsitatem propositionum modalium cognoscendam sequens regula perpetuò obseruanda est: quod nimirũ tunc propositio de possibili seu contingenti est vera, quando sua de inesse est possibilis, aut contingens: Propositio verò de impossibili, tunc est vera quando eius de inesse est impossibilis, falsa verò quando eius de inesse non est impossibilis. Et tandem propositio de necesse tunc est vera, quando eius de inesse est necessaria; falsa verò quando eius de inesse non est necessaria. Et nota quod omnis modalis, si est vera, est propositio necessaria, & æternæ veritatis, sicut per oppositum omnis modalis falsa est impossibilis; cuius ratio desumitur ex ipsamet natura propositionis modalis, quæ non solum exprimit prædicatum conuenire subiecto, sed etiam modum proprium quo illi conuenit; vndè si dicatur Petrum currere est contingens, hoc ipsum est propositio necessaria, quia cursui Petri necessario conuenit contingentia. Et hinc colligunt aliqui quomodo prima causa potest causare in causis liberis contingentiam, & libertatem, operando infallibiliter, quia non solum causat res ipsas, sed etiam modos earum, & vnicuique modum suum tribuit, & ita ex causalitate diuina, nõ sequitur v.g. quod ambulatio Pauli, sit necessaria, sed quod ambulationem Pauli fieri liberè, & contingenter, sit infallibile & necessarium, quia illi ambulationi cõpetit ab intrinseco, & necessariò libertas, & contingentia.

De Propositionibus Hypotheticis.

PRopositionis Hypotheticę superius explicatæ tres solent assignari species conditionalis, copulatiua, & disiunctiua. Propositio conditionalis est illa cuius partes principales vniuntur media particula si, aut alia consimili; vbi non sumimus conditionalem illatiuè, & in vi præscise consequentiæ, cum ita pertineat ad tertiam mentis operationem, sitque vera argumentatio non proposi-

tio;

tio; sed sumimus illam merè concomitanter, ita scilicet, vt importet concomitantiam antecedentis, & consequentis propositionis conditionalis fundatam, non quidem in bonitate illationis secūdum se, sed supposita aliqua affirmatione, aut promissione, vel alia causa, ratione cuius posito in esse antecedenti, poneretur etiam consequens vt patet in his conditionatis, si pro me apud regem intercesseris, dabo tibi centum nummos aureos: si heri venisses in domum amici, vidisses ibi Petrum; sic enim conuenit illis definitio propositionis, habentque suam veritatem hypotheticam, ad quam sufficit, & requiritur, vt verè à parte rei existat fundamentum illius concomitantiæ antecedentis, & consequentis. Ad hoc enim vt verè quis dicat, & asserat, si pro me apud regem intercesseris, dabo tibi centum nummos; necessarium est tunc adesse propositum dandi centum nummos, etiam si postea, mutato consilio, non det illos. Quod si promittens nō habuit tale propositum, propositio fuit falsa, etiam si postea, facta apud regem intercessione, donentur nummi.

Propositio copulatiua est illa cuius partes ptincipales vniuntur coniunctione copulatiua, &, ac, nec &c. ad cuius veritatem requiritur, quod vtraque pars sit vera, ad falsitatem verò, quod vtraque, vel altera sit falsa. Vt homo est rationalis, & equus est hinnibilis, est vera, quia vtraque pars est vera, consistit enim veritas illius in copulatione veritatum, si autem dicatur, Petrus disputat, & lapis currit, tota est falsa, quia pars eius est falsa. Vndè in defectu sequitur debiliorem partem; in effectu autem & bono requirit integram causam. Idem dic de possibilitate, & necessitate, vt enim sit possibilis, aut necessaria copulatiua, requiritur quamlibet partem esse possibilem, & necessariam, vt autem sit impossibilis, vel contingens, sufficit alteram partem esse impossibilem, & contingentem. Inter impossibile autē, & cōtingens, si vna pars est contingens, altera impossibilis, tota dicitur impossibilis; v.g. Petrus est lapis, & Paulus rider. Vbi notandum est, vt copulatiua sit possibilis, non sufficere, quod vtraque pars sit possibilis, sed requiri etiam vt sint cōpossibiles, hæc enim propositio, Petrus ridet, & non ridet, constat partibus quarū quælibet seorsim est possibilis; quia tamen sunt inter se incōpossibiles, ideo tota propositio est impossibilis.

Disiunctiua est illa cuius partes principales vniuntur media coniunctione disiunctiua, vel aut, siue &c. vt si dicas, vel Petrus disputat, vel currit; ad cuius veritatem sufficit alteram partem esse veram; consistit enim veritas eius in separatione veritatis; & idem est de possibilitate, & necessitate, sufficit enim alteram partem esse necessariam, aut possibilem, vt homo est animal, vel Sol est tenebrosus, est vera & necessaria ratione vnius partis tantum. At vero ad falsitatem disiunctiuæ, requiritur vtramque partem esse falsam, & similiter ad impossibilitatem. Sic propositio copulatiua sequitur semper debiliorem partem, disiunctiua fortiorem; fortior pars dicitur vera, necessaria, & possibilis; debilior dicitur falsa, contingens, & impossibilis. Ad vnius enim partis fortioris positionem, tota disiunctiua redditur vera, vel necessaria, vel possibilis, ad vnius verò debilioris positionem, tota copulatiua redditur falsa, vel impossibilis. Denique ad contingentiam disiunctiuæ sufficit alteram partem esse contingentem, dummodo nulla sit necessaria, nec omnes in falsitate repugnent, vt si dicas Paulus currit, vel homo est lapis.

Si autem inquirat aliquis, an sicut propositio disiunctiua est falsa, quandò vtraque pars est falsa, ita etiam sit falsa, quandò vtraque pars est vera: Respondendum est cum distinctione, secundùm quod coniunctio disiunctiua dupliciter potest sumi, primò propriè, & in rigore disiunctionis, quomodò virtualiter continet propositionem exclusiuam, & reddit hunc sensum; alterum tantum isto-

rum

rum est verum; & sic propositio disiunctiua est falsa, cuius vtraque pars est vera. Secundò solet interdum sumi coniunctio disiunctiua, nō in rigore disiunctiuo, sed vt valet idem ac, saltem, vel ad minus, reddendo hunc sensum: vnū saltem istorum est verum; & sic ad veritatem disiunctiuæ non obest, quod vtraque pars sit vera.

Quæ diximus de his propositionibus, debent proportionaliter applicari propositionibus de extremo disiuncto, vel copulato, vt quando dicitur *Petrus, & Paulus currunt*, *Petrus est albus*, *vel frigidus*, vbi prædicatum, vel subiectum sunt vnum copulatum, aut disiunctum; quamuis enim formaliter hypotheticæ non sint, virtualiter tamen sunt, & debemus illas resoluere, seu reducere ad copulatiuas, vel disiunctiuas, quibus correspondent, atque adeo de illis iudicare, sicut de præfatis hypotheticis.

Circa propositionum hypotheticarum affirmationem vel negationem, obseruant aliqui tunc esse affirmatiuas aut negatiuas, quandò principalis earum copula affirmatur, aut negatur, siue partes ipsæ, hoc est, propositiones cathegoricæ ex quibus constant, sint affirmatæ, siue negatæ: vndè istæ sunt affirmatiuæ, si homo est animal, est sensibilis, si homo non est animal non est sensibilis; istæ verò negatiuæ, non si Petrus mouetur, currit: non si Petrus non mouetur, non currit. Et sic iuxta hanc sententiam propositio hypothetica per se diuidi potest in affirmatiuam & negatiuam; talis nihilominus affirmatio & negatio est longè diuersa ab affirmatione & negatione quæ diuidit Cathegoricam, maximè si sit diuisio essentialis, cum genera non subalternatim posita, cuiusmodi sunt propositio Cathegorica & hypothetica non possint diuidi eisdem differentijs essentialibus; deinde quia copulæ Cathegoricæ, & hypotheticæ sunt longè diuersæ, & ita non sunt capaces affirmationis, & negationis secundum eamdem rationem; copula enim Cathegorica est verbum, copula autem hypotheticalis est modus, vt ly &, ly vel, ly si.

Quamuis alij non minus probabiliter asserant hypotheticas non dici per se affirmatiuas aut negatiuas, nisi ratione suarum Cathegoricarum, ex quibus cōstabit, nam ipsæ copulæ hypotheticarū propriè non negantur, sed copulæ verbales, ex quarum negatione propositiones hypotheticæ redduntur etiam negatiuæ; vndè quandò in hypotheticis fiunt contradictoriæ, negationes ponuntur in copulis cathegoricis, non in hypotheticis (nisi forsan negatio toti enuntiationi præmittatur, vt statim dicemus) vt si dicas hanc copulatiuam Petrus disputat, & Ioannes legit, contradictoria eius erit, disiunctiua hæc, Petrus non disputat, vel Ioannes non legit, vbi copulæ hypotheticæ ly &, & ly vel vtrobique non negentur.

Et idem ordinariè dicunt Dialectici de quantitate, hoc est vniuersalitate, vel particularitate, propositionum harum; cum enim hæc in propositionibus sumatur ex subiecto, & hypotheticæ vt tales non componantur ex subiecto, & prædicato vt patet, si quidem vna propositio non dicitur de alia, inde fit ipsas propriè non habere rationem sui quantitatem, siue nō esse vniuersales, aut particulares. Propter quod etiam inter eas solum attenditur oppositio contradictoria. Per disiunctiuas autem contradicimus copulatiuis, si sint oppositæ qualitatis, vt si dicatur, omne lac est album, & omne lac est dulce, contradictoria eius est, aliquod lac non est album, vel aliquod lac non est dulce; cum enim copulatiuæ ratione ly &, quo copulantur, importent vniuersalitatem, disiunctiuæ verò ratione ly vel, particularitatem, rectè per disiunctiuas contradicitur copulatiuis. In conditionalibus autem, siue sint causales, siue rationales, siue puræ conditionales, fiunt contradictoriæ per negationem particulæ conditionalis, vt, si Sol lucet dies est, non si Sol lucet dies est, quia Sol lucet dies est, non quia Sol lucet dies est.

De

De Propositionibus Exponibilibus.

PRopositiones aliæ sunt exponibiles ratione materiæ, seu rei significatæ, vt verbum *incipit* quod exponitur dicendo, nunc est, & antea non erat; aliæ ratione modi significandi; de primis nō agimus in præsenti, sed solummodo de secundis, quæ propriè pertinent ad Dialecticam, & definiuntur quod sunt illæ, quę ratione alicuius dictionis aut termini importantis sensum explicabilē, pluribus propositionibus necesse habent exponi seu declarari. Sunt autem tres species, videlicet Exclusiuæ, Exceptiuæ, & Reduplicatiuæ. Propositio Exclusiua est illa, quæ modificatur dictione aliqua significante exclusionem, quales sunt tantum, solum, duntaxat, & similes. Si ergo tales particulæ apponuntur subiecto modificant totam propositionem, eamque efficiunt absolutè exclusiuam, excludendo alia omnia subiecta à ratione prędicati: si verò iungantur prędicato, tunc propositio vocatur de excluso extremo, excludendo à subiecto alia omnia prædicata.

Quamuis autē inter hos modos exclusionis magna sit differentia. Si enim dicatur, prædicamenta sunt tantum decem; propositio est vera, quia significat non esse plura neque pauciora si verò dicatur, tantum prædicamenta sunt decem: est falsa quia sensus est numerum denarium solis prædicamentis conuenire. Nihilominus tam propositio exclusiua, quam de excluso extremo, exponuntur per duas Cathegoricas copulatiuè acceptas, quarum vna affirmat prædicatum conuenire subiecto, & vocatur propositio præiacens, id est, simplex, seu simpliciter prædicans vnum de alio; alia negat prædicatum conuenire alteri subiecto, & sic est vniuersalis negatiua respectu cuiuscumque alterius subiecti; v.g. propositio, tantum homo est rationalis, exponitur sic, homo est rationalis, & nihil aliud ab homine est rationale. Prædicamenta sunt tantum decem, exponitur sic: Prædicamenta sunt decem, & non sunt plura quam decem. Deinde cuicumque iungantur hæ particulæ, siue subiecto, siue prædicato, nunquam excludunt ea quæ necessario illud comitantur, vndè si dicatur tantum Petrus currit, non excluditur hoc animal, hoc rationale à cursu, & sic de alijs.

Secunda exponibilis vocatur exceptiua, quia afficitur aliqua particula exceptiua, ratione cuius aliquid ex aliquo communi distributo excipit, vt si dicatur omne animal præter hominem est irrationale; vndè nisi detur talis distributio subiecti, non datur propria exceptio, vt patet in hac homo est albus pręter Petrum, quæ impropriè dicitur exceptiua, huiusmodi propositiones exceptiuæ, si sint affirmatiuæ, habent tres exponentes copulatiuas, scilicet, suam præiacentem, & vniuersalem affirmatiuam, in qua terminus à quo fit exceptio, prædicatur de parte excepta; & negatiuam, in qua prædicatū negatur de parte excepta, sic exponentes propositionis statim allatæ sūt, omne animal quod est non homo, seu aliud ab homine, est irrationale, & omnis homo est animal, & nullus homo est rationalis. Sunt qui particulam exceptiuā præter exponunt, per particulā excepto, dicendo v.g. omne animal excepto homine est irrationale, vel per copulam implicationis dicendo, omne animal quod non est homo est irrationale; sed hoc propriè loquendo non est exponere, sed solummodo æquiualentes propositiones ponere in vno termino, qui etiam indiget expositione, nam ly excepto, æque indiget expositione ac ly præter.

Tertia exponibilis dicitur reduplicatiua, quia quasi duplicatum habet subiectum, aut prædicatum ratione alicuius particulæ illud duplicantis, quales sunt, vt, in quantum, quatenus, secundum, & similes. Quæ possunt dupliciter sumi, scilicet reduplicatiuè, & specificatiuè. Tunc sumuntur reduplicatiuè, quandò reduplicant causam cur prędicatum insit subiecto, vt si dicas homo

in

in quantum rationalis est discursiuus,& huiusmodi propositiones exponũtur optimè per causalem dicendo, quia homo est rationalis est discursiuus. Tunc verò sumuntur specificatiuè,quandò reduplicant rationem formalem, cui adęquatè conuenit prædicatum, quæ tamen non est causa eius, vt cum dicitur color in quantum color est obiectum visus, in hac enim propositione non significatur causa, sed natura, & species, cui conuenit adęquatè prædicatum. & sic huiusmodi propositiones nõ exponuntur per causalem, sed solum per conditionalem, in qua prædicatum reduplicatiuè ponitur ex parte subiecti, vt si est color, est obiectum visus; & idem est dicendum quando reduplicatur conditio, & concomitantia, vt si dicas, ignis in quantum applicatus comburit, homo in quantum existit operatur, exponuntur, si ignis cõburit, est applicatus, si homo operatur existit.

Notandum est, ly in quantum, ly secundum quod, aliquandò non sumi propriè reduplicatiuè neque specificatiuè, sed quasi diminutiuè, & restrictiuè, quia verificantur solum secundum quid de subiecto, & ratione partis, non autem absolutè, vt si dicatur Aethiops est albus, secundum dentes, Christus in quãtum homo est creatura. Vbi diligenter obseruanda est regula S. Thomæ 3. parte q.19. artic.8. quod quando aliqua indifferenter possunt conuenire toti, & parti, si solum conueniunt parti, non absolutè denominant, sed secundum quid, & per ly in quantum. Vt quia albedo potest conuenire toti corpori, & parti, si solum conuenit parti, v.g. dentibus non dicitur absolutè de toto. Non enim absolutè dicimus, Aethiops est albus, sed secundum dentes: quandò verò solum potest conuenire parti, & ratione eius toti, absolutè dicitur de toto, licet conueniat soli parti, dicitur enim absolutè, homo est crispus, quamuis crispitudo non sit in toto corpore, qnia non potest ei conuenire, nisi secundũ capillos. Et hæc breuiter dicta sufficiant circa secundas intentiones logicales, ad secundam mentis operationem pertinentes, nunc ad tertiam & vltimam partẽ Dialecticæ transeamus.

TERTIA PARS LOGICAE.

De secundis intentionibus quibus tertia mentis operatio dirigitur.

SVMMA

Eorum quæ ad hunc finem continentur in duobus libris de priori Analysi, duobus de Posteriori, octo Topicorum, & duobus Elenchorum.

QVemadmodum oratio, propositio, oppositio aliaque huiusmodi sunt secundæ intentiones, quarum notitia dirigit secundam mentis operationem in ordine ad rectè componendum, seu affirmandum, & diuidendum, seu negandum; sic pręmissæ, medium, syllogismus, figura, demonstratio, fallacia, & his similia sunt secundæ intentiones, quarũ accurata notitia dirigitur ac perficitur tertia mentis operatio nempe discursus; & ideo in hac tertia Dialecticæ parte, breuem illorum omnium ex citatis Philosophi libris summam & explicationẽ tradituri sumus.

EX DVOBVS LIBRIS de priori Analysi.

De argumentatione in communi, eiusque partibus, ac speciebus.

ARgumentatio est oratio explicans illationem vnius ex alio, siue in qua vnum ex alio inferri denotatur; ita vt ad argumentationem non sufficiat, quod vnum possit inferri ex alio, sed necesse sit, quod explicetur illatio; sicque ista non est argumentatio *Petrus currit, & mouetur*: quia ibi non explicatur motum inferri ex cursu.

Tres sunt argumentationis partes, antecedens, consequens, & consequentia seu consecutionis nota. Antecedens, est id ex quo aliquid infertur, vel propositio quæ alterius probandæ causa profertur. Atque hanc eo dici, antecedens asserunt aliqui, quod illationis notam antecedat. Verum perfectam non esse hanc nominis rationem, euidens est in argumentationibus quæ conditionales, & causales dicuntur, in quibus antecedens notam illationis situ non præcedit. Vt in his exemplis si homo currit mouetur; quia homo est rationalis est admiratiuus. Quia autem antecedens nonnunquam est vnica propositio, vt in Enthymemate semper euenit, in exemplo frequenter, nonnunquam ex pluribus constat propositionibus, quarum prima dicitur maior, secunda minor seu assumptio, vt fit in syllogismo & inductione perfecta; ideo antecedens solet ab aliquibus diuidi in simplex seu incomplexum, & in complexum, seu compositum.

Consequens est propositio quæ ex alia infertur, vel cuius probandæ causa alia profertur. Consequentia tandem seu consecutionis nota, est coniunctio qua vna propositio ex altera sequi denotatur; & sic quotuplex est eiusmodi coniunctio, quæ vnius pronunciati ex altero denotat consecutionem; totuplex etiam distingui solet argumentatio. Hæc autem illationis nota triplex est, alia conditionalis, quæ fit media particula si, vt si homo currit mouetur: alia rationalis, media particula ergo, vel igitur aliisque æquiualentibus: & alia causalis, quæ media particula *quia*, vel simili; atque adeò triplex etiam est argumentatio, scilicet, conditionalis, causalis, & rationalis; & si in Scholasticis disputationibus vtamur rationali tantum coniunctione (ergo) vel (igitur.)

Quæ rationalis argumentatio diuiditur in syllogismum, enthymema, inductionem & exemplum. Syllogismus est argumentatio constans tribus propositionibus, maiori, scilicet, minori, & consequentia. Enthymema est argumentatio constans duabus, nempè, antecedenti, & consequenti. Inductio est argumentatio, in qua ex pluribus singularibus infertur aliquod vniuersale: vt hic ignis calefacit, & hic ignis calefacit, & sic de singulis; ergò omnis ignis calefacit. Tandem exemplum est argumentatio, in qua ex aliquo singulari aliud singulare simile colligimus; vt Deus pepercit Niniuitis pœnitentiam agētibus; ergò etiam tibi parcet, si pœnitentiam egeris.

Propriè tamen, & in rigore loquendo duæ tantum sunt species argumentationis, syllogismus videlicet, & inductio, quarum differentia essentialis non attēditur penes hoc, quod syllogismus descendat ab vniuersali ad particulare: inductio verò è contra ascendat à particulari ad vniuersale, si quidem tam ascensus, quam descensus ad illam pertinent, vt dicemus infra; sed sumitur adęquatè ex propria, & particulari forma vtriusque. Etenim in syllogismo, extremitates vniuntur cum medio in præmissis, ex vi cuius vniuntur inter se in conclusione; ac proinde ibi propriè datur medium vniens extrema, siue quo probatur extremum de tertio, id est, de alio extremo. At in inductione non dantur propriè extrema inter se vnita, quę prius coniungerentur cum aliquo medio: sed loco plurium terminorum singularium, qui sunt in antecedenti; ponitur in consequenti terminus communis æquiualens, quod est ascendere: vel è contra loco termini communis in antecedenti positi; ponuntur in consequenti termini inferiores æquiualentes, quod est descendere. Vndè propria inductionis dispositio pręcisè cōsistit in eo, quod substituatur in consequenti propositio æquiualens antecedenti, absque speciali illo, & proprio artificio, quod reperitur in syllogismo.

Cęterum enthymema, & exemplum distinguntur solum ab his tanquam perfectum, & imperfectum intra eamdem speciem; cum eadem dispositio præmissarum

sarum quæ inuenitur in syllogismo, re vera inueniatur in Enthymemate: quia ars. syllogistica innititur illi principio, quæcumque sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se; ac proindè repugnat extremitates vniri inter se in conclusione, nisi prius vniantur in præmissis cum medio, ad quod necessariæ sunt duæ propositiones ex parte antecedentis: quando igitur altera non exprimitur breuitatis causâ vt contingit in Enthymemate, re vera subintelligitur; atque adeò in re est eadem dispositio syllogismi & enthymematis, solumque inter se differunt tāquam perfectum & imperfectum intra eamdem speciem, cum enim perfectum sit id cui nihil deest; imperfectum verò, cuius aliqua pars desideratur: consequēs est syllogismum intra propriam speciem esse quid perfectum, quandoquidem ei nulla præmissarum deest; enthymema verò quid imperfectum: vt pote cui aliqua pars fuit detruncata; vndè à Boetio definitur *esse orationem, in qua non omnibus præmissis positis, festinanter infertur conclusio*. Et idem proportionaliter est de inductione respectu exempli: nam inductio ex pluribus singularibus ad vniuersale contendit & progreditur; à qua perfectione deficit exemplum; si quidem ex debilitate antecedentis singularis solum colligit aliud singulare; cum tamen si adderentur alia, iam colligere posset vniuersale, fieretque perfecta inductiò; ipsa ergò & exemplum videntur eamdem argumentationis formam sortiri secundum speciem, cum sola differentia penes perfectum, & imperfectum.

Diuiditur autem in istas duas species argumentatio in quantum manifestatiua est veritatis, in quo eius consistit quidditas. Duæ enim solum sunt viæ manifestandi veritatem, scilicet, vel discurrendo ex principijs per intellectum notis, vel ad sensibilia seu singularia deducendo quia pro præsenti statu ibi est origo totius cognitionis nostræ. Si fiat primo modo est per syllogismum, aut enthymema; si secundo per inductionem, & exemplum.

Rursus argumentatio diuiditur in materialem, & formalem; vbi per argumentationem formalem intelligunt aliqui eam, in qua consequens rectè sequitur ex antecedente, seu cuius consequētia est bona: per materialem verò illā, in qua licet antecedens, & consequens sint in se vera: consequentia tamen est mala: quia vnum non infertur ex alio. Iuxta quam expositionem sola argumētatio formalis, est propriè & simpliciter argumentatio, materialis verò analogicè solùm, & per quamdam attributionem. Similiter sola argumentatio formalis est bona, materialis verò mala, quæ est alia diuisio argumentationis ex parte qualitatis consequentiæ. Bona enim consequentia est, in qua antecedens infert consequens, taliter quod non potest antecedens esse verum; & consequens falsum. Mala autem consequentia est, in qua antecedens non infert consequens, licet videatur, seu significetur inferri, ratione cuius significationis dicitur cōsequentia, sed mala, quia non infert, sed datur antecedens verum, & consequens falsum.

Verum alij melius per argumentationem formalem intelligunt illam, in qua sequitur consequens ex vi artificij, seu dispositionis in antecedenti inuētę. Quod accidit, quando nullus terminus est in consequenti, qui non fuerit in antecedenti, licet aliquis, videlicet medius terminus, fuerit in antecedenti, qui nō sit in consequenti. Per materialem verò intelligunt eam, in qua, licet consequentia sit bona: quia consequens in rei veritate sequitur ex antecedenti; nō tamen sequitur ex vi dispositionis terminorū, qui sunt in illo; indeque in cōsequenti est aliquis terminus qui nō fuit in antecedenti; Iuxta quam explicationem solus syllogismus est argumentatio formalis, cæteræ verò materiales, solaq; syllogismi consequentia dicitur valida, & bona gratia formæ; Enthymematum verò inductionum, & exemplorum gratia materiæ. Consequentia enim valida & bo-

& bona ratione formæ dicitur illa, quæ colligendi eam vim habet, vt quæcumque ipsi consimilis ex quibuslibet constituta tandumdem valeat; siue quæ in quacumque materia, & terminis eiusdem formæ bona est: V.g. omne animal est substantia, omnis homo est animal, ergo omnis homo est substãtia. Hic mutentur pro arbitrio dictiones, & axiomata, sed modus retineatur, nunquam inefficax fiet consequentia. At consequẽtia valida ratione materiæ, est quæ ex ratione partium valet, quibus semel demutatis, non amplius valebit. V.g. si dicas, aliquis homo est rationalis, ergo omnis homo est rationalis, ista consequentia valet in ista materia, quia est in materia necessaria, in qua ex vna particulari, potest inferri vniuersalis, sed non valet ex vi formæ, quia in alia materia, & similis formæ, non tenet, vt si dicatur aliquis homo est albus, ergò omnis homo est albus.

Hinc sequitur, tam consequentiam formalem, quam materialem, iuxta hanc secundam explicationem, diuidi posse in bonam & malam, validam & inualidam; cum hac tamen differentia, quod consequentia formalis dicatur bona, & mala ratione formę, seu prioristicè, ita vt diuisio consequentiæ formalis in bonam & malam sit diuisio essentialis, analoga tamen; quia essentialis, & intrinseca forma consequentiæ, est connexio illatiua antecedentis cum consequenti, sed consequentia mala caret ista vi illatiua, ergò caret forma essentiali consequentiæ; atque adeo differunt consequẽtia bona, & mala, sicut homo viuens, & carens vita, qui analogicè conueniunt in ratione hominis. Neque est dabile in consequentijs formalibus, quod habeant aliquam connexionem, & tamen aliquando possint deficere, & ideo dicantur malæ, nam forma quæ semel est defectibilis, & aliquando saltem instari potest ex vi consequentiæ, hoc ipso non est formaliter bona, vnde caret omni connexione formali, id est, dispositione requisita ad inferendum. Quare per accidens tantum, quandoque sequi potest consequens ex antecedenti, nunquam tamen ex vi formæ, sed gratia materiæ. At consequentia materialis dicitur bona & mala posterioristicè, siue ratione materiæ, ita vt talis diuisio sit solùm in ipsa accidentalis, eo modo quo propositio diuiditur accidentaliter in veram, vel falsam. Quatenus eadem penitus dispositione manente, mutata solum antecedentis materia, vna & eadem consequentia potest esse bona, vel mala.

Si autem inquiratur, cur consequentia diuidatur in bonam, & malam, non in veram, aut falsam. Respondetur quia consequentia non est propositio ad quã solum pertineat verum, & falsum, quia affirmat, & negat, sed est connexio illatiua propositionum, ad quam pertinet debita dispositio, & conuenientia connexionis, conueniens autem, & inconueniens faciunt bonum, vel malum, non verum, aut falsum.

De legibus communibus argumentationum nec non & earum defectibus.

CVm argumentatio, seu consequẽtia ex dictis superiori capite sit solum duplex propriè loquendo, scilicet inductio, & syllogismus, vel possunt assignari regulæ, ac defectus proprij vnicuique eorum, vel communes. Propriæ regulæ sunt illæ quæ requiruntur ad bonam inductionem, vel bonum syllogismum, sicut defectus proprij sunt quando aliqua ex huiusmodi regulis omittitur. Communes verò regulæ sunt illæ, quæ attenduntur penes vniuersalia quædam principia, nec non penes proprietates logicales, sicut est suppositio, restrictio, ampliatio, appellatio, oppositio, conuersio; sunt enim istæ proprietates communes inductioni, & syllogismo; vnde cõmunes etiam defectus sunt, quando est aliquis defectus in aliqua ex huiusmodi proprietatibus logicalibus. Et de huiusmodi legibus, ac regulis, nec non & defectibus in communi agimus in præsenti.

Quin-

Quinque ergò leges omnibus argumentationibus cõmunes solent assignari. Prima: si antecedens est verum, etiã & consequens; & è conuerso, si consequens est falsum, etiã antecedens. Cum enim in bona argumentatione ex vero semper sequatur verum, nunquam falsum sequetur ex vero; atque ita semper sequetur ex falso. Non autem valet regula, si consequens est verum, ergò & antecedens; neque similiter si antecedens est falsum, ergò & consequens. Cum ex antecedenti falso in bona consequentia aliquando sequatur verum, vt Petrus est equus, ergò Petrus est animal; aliquando falsum, vt Petrus natat, ergò habet alas.

Si autem quærat aliquis, quomodo verum sit, quod ex falso inferatur verũ, cum nunquam ex vero inferatur falsum; nec enim apparet, qua ratione verum possit in falso contineri, vt ex illo inferatur, falsum autem non possit contineri in vero, cum æquè pugnent inter se verum & falsum. Respondetur, quod ex falso dicatur aliquando sequi verum, nõ ita esse intelligendum, quasi præmissæ falsæ influant veritatem in conclusioné, sintque causæ talis veritatis; cum impossibile sit causam virtute propria producere effectum nobiliorem se; sed, vel, quia præmissæ alias falsæ possunt ita disponi, vt ex ipsis sequatur consequens quod aliunde est verum, & non propter præmissas, vel quia stat benè cum assensu falsæ præmissæ, assensus veræ conclusionis: falsitas enim præmissarum non semper destruit omnem veritatem consequentem, nec enim malum destruit omne bonum. Vnde aliud est sequi verum ex falso, aliud est probari verum per falsum; hoc secundum stare nõ potest, vt rectè docet D. Th. 2. Metaphys. lect. 2. Cœterum si semel dantur præmissæ veræ hoc ipso, quod conceduntur, non potest dari consequens falsum, quia falsum non potest concedi, sed negari, negato autem consequenti, debet negari antecedens cum quo habet connexionem, si quidem idem est negare illud consequens, atque admittere oppositum eius; ex opposito autem cõsequentis, sequitur oppositum antecedentis, atque adeo debet admitti oppositum antecedentis, & negari ipsum anteedens; sic de primo ad vltimum, si ex concessione veri sequeretur falsum, idem antecedens concederetur, & negaretur. Per quod patet ad quæsitum.

Secunda, & tertia regula, quæ deducuntur ex prima, sunt, si antecedens est possibile, etiam consequens est possibile, & è contra, si consequens est impossibile, etiam antecedens. Si antecedens est necessarium, etiam consequens est necessarium, & è contra si consequens est contingens, etiam & antecedens. Notandum est tamen, vt ex necessario antecedenti dicatur semper inferri consequens necessarium, non requiri quod tale consequens sit omnibus modis necessarium, sed sufficere quod sit necessarium sub eo respectu, aut ratione, qua subest antecedenti, & in quantum infertur ex illo, non autem sub alia ratione, vt in illa consequentia, *Deus scit Petrum esse saluandum, ergo saluabitur*, consequens est contingens secundum se, & per ordinem ad causam proximam, infallibile vero vt scitum à Deo, & consequenter vt illatum ex antecedente; & hoc ideo quia nouit Deus non solum Petrum esse saluandum, sed saluandum liberè, & contingenter, vnde ex illo antecedente, & infertur quod contingenter saluabitur, & quod est infallibile totum hoc, scilicet quod saluabitur liberè, & contingenter.

Quarta regula, quæ etiam ad bonitatem consequentiæ deseruit, est. Quidquid sequitur ad consequens bonæ consequentiæ, sequitur ad antecedens illius quod alijs verbis dici solet, valere consequentiam de primo ad vltimum.

Quinta regula quidquid repugnat consequenti in bona consequentia, repugnat & antecedenti; quod alijs verbis dicitur, si ex antecedente sequitur consequens in bona consequentia, ex opposito consequentis, sequitur oppositum

situm antecedentis. Fundamentum est, quia si ex opposito consequentis, non sequitur oppositum antecedentis, iam poterit stare oppositum consequentis, cum isto antecedente, si quidem non infert ex suppositione antecedentis oppositum, sed oppositum consequentis est falsum, supposito, quod ipsum consequens erat verum, id est, illatum ex antecedente vero, igitur poterit stare falsitas consequentis cum ipso antecedente; & sic dabitur antecedens verum, & consequens falsum in bona consequentia, quod est absurdum.

Sunt qui addant sextam regulam, quod in bona argumentatione semper conclusio sequatur debiliorem partem: hoc est, si aliqua præmissarum sit particularis, conclusio etiam debeat esse particularis; & si aliqua præmissarum sit negatiua, conclusio debeat esse negatiua; sed hæc regula potius est propria syllogismi, quam argumentationis communis.

Quantum ad defectus omni consequentiæ, siue syllogisticæ, siue inductiuæ communes, primò sunt illi qui supradictis regulis aduersantur; secundò verò illi qui tenent se ex parte extremitatum in modo inferendi conclusiones, quia non seruant proprietates logicales, vel debitam dispositionem in qualitate, quantitate, &c.

In suppositione ergò primus defectus assignari solitus est, si varietur in aliqua consequentia genus suppositionis. V. g. suppositio simplex in personalem, aut realem, non enim valet ista consequentia; Homo est species, Petrus est homo, ergo Petrus est species. Dixi si varietur genus suppositionis; salua enim bonitate consequentiæ, variari potest species, vt si ex distributiua suppositione infetatur, determinata seu particularis dicendo, omnis homo est animal, Petrus est homo, ergo Petrus est animal. Secundus defectus est, à suppositione non distributa ad distributam, non valet consequentia, bene tamen è contra. V. g. non valet aliquis homo disputat, ergo omnis homo disputat. Tertius defectus; à suppositione confusa tantum, non distributa, ad determinatam, non valet consequentia, bene tamen è contra, à determinata ad cònfusam, V. g. non valet omnis homo est animal, vbi ly animal stat confusè, ergò aliquod animal omnis homo est; bene tamen è contra.

In Ampliatione & restrictione. Primus defectus est, quando proceditur ab amplo ad non amplum, siue à non restricto ad restrictum (idem enim sunt amplum & non restrictum, sumiturque pro eo quod est superius, seu communius, sicut non amplum seu restrictum pro eo quod est inferius) si procedatur sine distributione ampli, seu non restricti nunquam valet consequentia nec negatiuè, nec affirmatiuè; V. g. homo est albus, Petrus est homo, ergo Petrus est albus; terminus enim homo, qui habet rationem ampli non distribuitur; secundus defectus est, si procedatur ab amplo ad non amplum affirmatiuè, etiam si procedatur cum distributione ampli, si procedatur sine constantia, constantiam autem appellamus affirmationem de existentia alicuius subiecti; vt si dicatur omnis homo est albus, non licet immediatè inferre, ergo Petrus est albus nisi addatur constantia, & Petrus est, alioquin Petro non existente falso infertur. In negatiuis tamen etiam sine constantia non ampli, valet illatio, V. g. nullus homo est albus, sine constantia infertur, ergò Petrus non est albus, quia ad negatiuam non requiritur suppositio & existentia extremorum. Tertius defectus est quando arguitur à non amplo ad amplum cum distributione ampli, est enim arguere à non distributo ad distributum, quæ argumentatio tam affirmatiuè, quam negatiuè semper est illegitima, vt si dicas, homo disputat, ergo omnis homo disputat, aliquis homo non disputat, ergo nullus homo disputat est falsa. Valet tamen consequentia si procedatur à non amplo ad amplum sine distributione ampli, in affirmatiuis sine

fine constantia, in negatiuis cum constantia, vt bene valet, Petrus disputat, ergo homo disputat; Petrus non disputat, & Petrus est, ergo aliquis homo nō disputat; Vbi nisi adderetur constantia possèt consequens esse falsum, casu quo tantum Paulus esset in rerum natura, & disputaret, tunc enim omnis homo disputaret, & verum esset antecedens, quod Petrus non disputat, quia non est.

In appellatione omnes defectus reducuntur ad hunc: quoties variatur appellatio, siue sit realis, siue rationis, siue circa terminos actum animæ significantes, nunquam valet consequentia. V. g. Petrus est magnus Logicus, ergò est magnus, animal est genus, ergo homo, qui est animal, est genus; Papam vidi, ergo vidi Papam.

In definitionibus non est defectus, sed semper est bona consequentia à definitione ad definitū affirmatiuè, & negatiuè, & è contra, valet enim, est animal rationale, ergò homo, non est animal rationale ergò non est homo; & è contra.

In diuisionibus à membro diuidenti ad diuisum non valet consequentia negatiuè, V. g. non est rationale, ergo non est animal, bene autem affirmatiuè, est rationale ergò animal. A diuiso verò ad quodlibet membrum diuidens valet negatiuè, vt non est animal, ergo neque homo, non autem affirmatiuè, est animal ergò homo. Cæterum à diuiso ad omnia membra diuidentia, & contra valet super consequentia tam affirmatiuè, quam negatiuè. Similiter à diuiso cum negatione, vnius, vel plurium mēbrorum secundum qualitatem diuisionis, ad affirmationem alterius membri restantis semper est bona consequentia, vt est animal, & non rationale, ergo irrationale.

In oppositionibus, est prima regula pro contradictorijs, præsupposita veritate vnius sequitur falsitas alterius, & è contra. Secunda regula pro contrarijs, à veritate vnius, sequitur falsitas alterius, sed è contra est mala consequentia à falsitate vnius ad veritatem alterius, si quidem ambæ possunt esse simul falsæ, non autem simul veræ, vt suo loco diximus. In subcontrarijs per oppositum, quia possunt esse simul veræ, non autem simul falsæ, à falsitate vnius, sequitur veritas alterius, non tamen è cōtra à veritate vnius sequitur falsitas alterius.

In Aequipollentijs nullus esse potest defectus, sed semper ab æquipollente, ad æquipollentem valida est, & legitima illatio.

In conuersionibus, non est bona mutua consequentia conuersionis, nisi in conuersionibus simplicibus non autem in conuersionibus per accidens. Mutua autem consequentia vocatur, quando valet non solum à conuersa ad conuertentem, sed etiam è contra à conuertente ad conuersam, sic non valet aliquod animal est homo, ergo omne animal est homo, quę est à conuertente ad conuersam conuersione per accidens sed è contra valet, omnis homo est animal, ergò aliquod animal est homo.

In propositionibus hypotheticis cōditionalibus prima arguendi regula est, à tota conditionali cum destructione consequentis ad destructionem antecedentis, vt si dicatur: si homo currit mouetur, ergo si non mouetur, non currit: secunda; à tota conditionali cum positione antecedentis ad positionem consequentis, vt si homo currit, mouetur, sed homo currit, ergo homo mouetur. Tertia, à conditionali ad disiunctiuam constantem consequente, & contradictorio antecedentis, vt si homo currit, mouetur, ergò vel mouetur, vel non currit.

In propositionibus hypotheticis copulatiuis: à copulatiua affirmatiua ad quamlibet eius partem formalis est cōsequentia; è conuerso tamen non est formalis consequentia à parte ad copulatiuam, vt bene sequitur, Petrus currit, & disputat, ergò Petrus currit, non è contra Petrus currit, ergò Petrus currit, & disputat.

In

In disiunctiuis. Primo à parte disiunctiua ad totam valet consequentia, vt Petrus est doctus, ergo vel est doctus vel iustus, non enim requiritur ad verificationem consequentis plus quam ad veritatem antecedentis; secundò à tota disiunctiua cum destructione vnius partis ad positionem alterius, legitima est consequentia, vt Petrus disputat, vel ambulat, & non disputat, ergo ambulat.

In propositionibus exponibilibus; primò valet consequentia ab exponibili ad omnes exponentes, & è contra, cum sit ab æquipollentibus. Secundò ab exponibili ad quamlibet exponentē copulatiuè bona est illatio, sed non è contra à qualibet exponente ad exponibilem; cum prima sit à copulatiua ad partem, secunda à parte ad copulatiuam. Tertiò per oppositum à qualibet exponente disiunctiua, ad suam exponibilem bona est consequentia, sed non è contra.

De argumentatione conditionali, & causali, earumque regulis.

ARgumentatio conditionalis est illa in qua vnum infertur ex alio media particula conditionali, si, vt si sol lucet, dies est. Et sumitur conditionalis in rigore pro conditionali illatiua, nam si sumatur tantùm concomitanter, non tam est argumentatio de qua agimus in præsenti, quam propositio hypothetica vt diximus supra agendo de huiusmodi propositionibus.

Ad veritatem igitur argumentationis conditionalis, non requiritur quod aliqua pars sit vera, sed sufficit bonitas consequentiæ, seu quod ex ipsa natura antecedentis, circumscriptis alijs, sequatur consequens; siue ipsum antecedens & consequens sint in se vera, vel falsa; siue possibilia, aut impossibilia, siue necessaria, aut contingentia. Qua ratione ista propositio est vera, si Deus vult mori, morietur. Vnde etiam ad falsitatem sufficit quod consequentia sit mala. Quia autem consequentia, quæ secundum se est bona, semper est bona, atque adeo necessaria, alioquin si deficere potest, est mala; Et consequētia quę secundum se est mala, semper est mala, atque adeo impossibilis; ideo omnis conditionalis illatiua vera, est necessaria; omnis autem falsa, impossibilis: ac proinde nulla datur conditionalis illatiua contingens.

Vnde apparet, quod cognitio rerum sub conditione, si sumatur in vi conditionalis illatiuæ, pertinet ad cognitionē necessariam, quia vel talis conditionalis est necessaria, vel impossibilis. Si autem non sumatur in vi conditionalis illatiuæ, sed concomitanter, tunc talis cognitio conditionatorum, est cognitio coexistentiæ, & proportionis vnius cum alio, seu positionis vnius cum positione alterius, debetque reduci ad aliquam causam coniungentem aut proportionantem vnum cum alio, & de facto fundantem veritatem illam, quæ de facto reperitur in propositione, quamuis extrema de facto non existant.

Argumentatio causalis est illa, in qua vnum infertur ex alio media particula aliqua causali, vt, quia sol lucet, dies est; ad cuius veritatem non sufficit, quod consecutio sit bona, vt contingit in argumentatione conditionali; aut quod antecedens sit verum, vt in rationali, defectu cuius hæc est falsa, equus est homo, ergò est animal; sed vltra requiritur quod antecedens sit etiam causa consequentis, defectu cuius hæc est falsa, quia dies est, sol lucet.

De Inductione prima argumentationis rationalis specie, eiusque legibus, ac defectibus in particulari.

QVamuis ex communi modo loquendi, inductio definiri soleat, quod sit à singularibus sufficienter enumeratis ad vniuersale progressio; propria tamen & essentialis eius ratio consistit in eo quod substituatur in consequenti propositio æquiualens antecedenti absque speciali illo, & proprio artificio, quod in syllogismo cernitur. Vndè ęquè inue-

inuenitur ratio inductionis in ascensu cũ nimirum à singularibus ad vniuersale contenditur, ac in descensu, cùm ab vniuersalibus ad singularia fit progressio.

Tam ascensus autem, quam descensus quadruplex est, copulatiuus, disiunctiuus, copulatus, & disiunctus. Copulatiuus ascensus, & descensus est, quando singularia numerantur per propositiones copulatiuas, vt omnis homo est rationalis, ergò hic homo est rationalis, & hic homo est rationalis &c. disiunctiuus, quandò numerantur per propositiones disiunctiuas, vt aliquis homo est albus, ergò vel ille homo est albus, vel ille homo est albus; Copulatus ascensus & descensus est, quandò terminus aliquis per singulares complexiuè numeratos resoluitur, vt omnes Apostoli sunt duodecim, resoluitur sic, ille & ille &c. sunt duodecim, omnes in vna propositione enumerando. Disiunctus est, quando aliquis terminus resoluitur per sua singularia diuisim numerata in vnica propositione, vt si dicas omnis homo est animal, illud prædicatum animal resoluitur disiunctim sic, omnis homo est hoc, vel illud animal, ita vt totum disiunctum sit prædicatum.

Cum in omni ascensu, & descensu à singularibus ad vniuersale, & è contra progressio fiat, secundum diuersã quantitatem, & suppositionem termini, puta quod sit vniuersalis, vel particularis, determinatè, vel confusè supponens, diuersimode se habent & applicantur ascensus & descensus. Vndè duo sunt obseruanda. Primò quis ascensus, & descẽsus debeatur isti, vel illi suppositioni. Secundò quis ordo sit, immediatè vel mediatè ascendendi, & descendendi sub aliquo termino, quod est resoluere illum.

Circa primum triplex solet regula assignari. Prima; termino distributiuè supponenti debetur ascensus & descensus copulatiuus. Secunda; termino supponenti determinatè debetur ascensus, descensusque disiunctiuus. Tertia termino supponenti confusè tantum copulatim, debetur ascensus, descensusque copulatus; supponenti verò confusè disiunctim, debetur ascensus, descensusque disiunctus.

Quantum ad secundum; quando in propositione reperiuntur plures termini diuersimode supponentes, non potest æquè immediatè descendi, & ascendi sub quolibet illorum: & sic ad hoc discernendum tres sunt regulæ. Prima sub termino supponente determinatè in ordine ad distributiuum, prius debet ascendi, quam sub termino distributo; potest tamen immediatè descendi sub distributo: Ita vt ad descendendum semper sit aptior terminus distributus, ad ascendendum verò terminus determinatè supponens. Secunda regula sub termino supponente confusè disiunctim in ordine ad signum vniuersale antecedẽs, non licet descensus disiunctiuus, antequam descendatur sub termino vniuersali; bene tamen ascensus. Vt si dicatur, *omnis homo est animal*, cum animal ibi supponat confusè disiunctim, non valet ergò omnis homo est hoc animal, vel illud animal &c. legitimus tamen est ascensus Omnis homo est hoc animal, vel illud animal, ergò omnis homo est animal. Tertia tandem regula. Si omnes termini supponant distributiuè, vel omnes determinatè, tunc resolutio potest immediatè incipere à quolibet termino in ascensu, & descensu quantum est ex vi suppositionis, nisi aliundè sit impedimentum. Vt si dicatur distributiuè nullus homo est lapis, vel determinatè, aliquis homo est albus, à quocumque termino incipi potest. Sic ergo resolutio terminorum quo ad ascensum, hunc ordinem seruat, vt prius resoluatur terminus supponens determinatè, secundò distributus; in ascensu verò immediatè potest incipi à distributo, à confuso autem non nisi post descensum sub distributo. Vbi notandum est ascensum & descensum semper debere fieri, inuariatis logicalibus proprietatibus, genere suppositionis, appellatione, restrictione, ampliatione, & similibus.

Quod pertinet ad defectus probationi, seu argumẽtationi inductiuæ proprios & speciales. Primò committitur defectus, si fiat ascensus copulatiuus affirmatiuus, non numeratis sufficienter singularibus, si quidem instari potest in non enumeratis.

Secundò, in descensu copulatiuo affirmatiuo, sine constantia demonstrante indiuidua, sub quibus descenditur, non est formalis consequentia, vt si dicatur, omnis homo fuit iustus, non licet inferre, ergò iste homo fuit iustus, v. g. Petrus, & ille homo fuit iustus, &c. nisi addatur, & iste homo v. g. Petrus, est vel fuit, quod est ponere constantiam, ergò Petrus fuit iustus, alias designato indiuiduo nondum existenti, sed futuro instatur consequentia.

Tertio defectus cõtingunt ex omissione supradictarum regularum pro ascensu, & descensu v. g. si termino supponenti determinatè nõ detur ascensus, descensusque disiunctiuus; termino verò supponenti distributiuè, copulatiuus; supponenti confusè tantum, disiunctus, aut copulatus. Item si termino non supponenti distributiuè completè, detur ascensus & descensus copulatiuus cõpletè, si enim incompletè distribuit, debet etiam incompletè descendi, vt, omne animal fuit in arca Noe, non valet, ergò hoc animal, & illud, designando indiuidua, sed species.

Quarto occurrunt defectus, circa ipsum ordinẽ resoluendi terminos, quãdò plures in eadem propositione reperiuntur, si non resoluantur iuxta ordinem suprapositum. Vndè si prius ascendatur sub termino supponente distributiuè, quam supponente determinatè, est defectus dictus à pluribus determinatis ad vnicam, v. g. si fiat hic ascensus, homo non est hoc rationale, & homo non est hoc rationale &c. ergò homo non est rationalis non valet consequentia, quia terminus ille homo determinatè supponit respectu plurium singularium, quæ sunt plura determinata, omnia si quidem singularia sunt determinata; in consequenti autem non supponit in ordine ad plura determinata, sed ad vnicã in communi. Qui defectus in materijs Theologicis plerumque contingit vt cũ dicitur, homo potest vitare hoc peccatum veniale, & hoc peccatum veniale, ergò potest vitare omne peccatum veniale. In descensu verò est defectus si prius descendatur disiunctiuè sub termino supponente confuse tantum, quam sub termino supponente distributiuè; vt dictum est supra: Et vocatur iste defectus ab vnica distributione ad plures, eo quod descenditur sub termino non distributo, perindè ac si esset distributus.

De Syllogismo, eiusque materia & forma, diuisioneq; indè proueniente.

Syllogismus est argumentatio, in qua concluditur vnio extremitatum inter se, ex vi vnionis factæ cum medio in Præmissis, cumque sit artificiale quoddam compositum rationis, tàm materia, quam forma constare debet. Quæ materia rursum est duplex; alia proxima scilicet, propositiones ex quibus immediatè construitur: & alia remota nempè termini ipsi immediatè cõponentes propositionem, mediatè verò syllogismum. Hi autem termini in quolibet syllogismo sunt tres, ex quorum combinatione tres etiam formãtur propositiones; duæ, quæ sunt præmissæ inferentes, tertia quæ est conclusio; vndè quilibet terminus in syllogismo positus bis repeti debet, habetque suum peculiare nomen; nam ille qui bis repetitur in præmissis appellatur medium; ex alijs verò duobus, is qui iungitur cum medio in maiori, vocatur maior extremitas, qui verò in minori, dicitur minor extremitas.

Forma syllogismi est illud artificiũ, seu dispositio ordinans, ac disponẽs materiam, vt debitè possit aliquid inferri, & concludi. Quę etiam forma est duplex, pro vt correspondet duplici materiæ iã explicatæ. Prima correspondens terminis appellatur figura syllogismi, potestq; defi-

definiri apta dispositio terminorum secundum subiectionem,& prædicationē. Secunda correspōdens propositionibus dicitur modus, soletque definiri apta præmissarum, seu propositionū dispositio secundum quantitatem, id est vniuersalitatem aut particularitatē; & qualitatem id est affirmationem, vel negationem.

Sic igitur iuxta multiplicem hanc materiæ,& formæ syllogismi considerationem, multipliciter etiam syllogismus diuidi potest. Primò ex parte materiæ remotæ diuiditur in communem & singularem, seu expositorium. Communis est,cuius medium est terminus communis; singularis verò, seu expositorius, cuius medium est terminus singularis perfectè & completè: vt si dicas Petrus est animal: Petrus est rationalis, ergò aliquod rationale est animal:& ideò omnes ferè syllogismi singulares & expositorij fiunt in tertia figura, quia in ea medium subijcitur in vtraque præmissa, & terminus singularis conueniētius subijcitur,quam prædicatur. Potest tamen etiam fieri in alijs figuris, seruata semper vbique affirmatione, vel negatione quam designant modi.

Secundò diuiditur syllogismus ratione materiæ proximę in affirmatiuum, & negatiuum, Cathegoricum,& Hypotheticum,demonstratiuum,probabilem, erroneum, & sophisticum. Syllogismus affirmatiuus est ille cuius conclusio est affirmatiua, negatiuus, cuius conclusio negatiua; Cathegoricus, cuius omnes propositiones sunt simplices, & Cathegoricæ, hypotheticus cuius plures vel saltem aliqua propositio est hypothetica,Demonstratiuus cuius propositiones sunt necessariæ, Probabilis, seu topicus, cuius propositiones contingentes: Erroneus cuius propositiones sunt in materia remota, Sophisticus, seu Elenchicus cuius propositiones apparent quidē veræ,sunt tamē falsæ; & de istis quatuor syllogismis agitur in libris Posteriorū.

Tertiò syllogismus ex parte formæ correspondentis terminis, quæ dicitur figura primo diuiditur, per tres figuras. Cum enim figura syllogistica nihil sit aliud quam dispositio seu combinatio medij cum extremis secundum subiectionem & prædicationem,totuplex debet dari figura quotuplex datur combinatio vtilis medij cum extremis,triplex autem datur eiusmodi combinatio. Prima in qua medium semel subijcitur, & semel prædicatur. Secunda in qua medium bis prædicatur; tertia in qua medium bis subijcitur; sunt qui quartam enumerent in qua medium prædicatur in maiori,& subijcitur in minori,vt omnis homo est animal, omne animal est sensibile ergo aliquod sensibile est homo: propriè tamen loquendo non ponit in numero cum prima, sed ad illam reducitur transpositis præmissis; figuræ enim non diuiduntur, nisi per diuersum modum directum,& naturalem concludendi, non per indirectum, qualis est in quarta figura, cum hic ad directum pertineat, & reducatur & sic dantur tres solum figuræ distinctæ.

Deinde in qualibet figura sunt plures modi, scilicet sexdecim; quemadmodum enim inter terminos Syllogismi, nempè inter medium, & extrema, quantum ad prædicationem, & subiectionem tres combinationes, seu figuræ vtiles, & directæ possunt formari, sic etiam ex varia præmissarum combinatione, & dispositione secundum quantitatem, & qualitatem (in quo diximus consistere modum syllogismi, seu formam materiæ proximæ correspondentem, sexdecim modi in vnaquaque figura possunt similiter efformari,qui per tria, qui est numerus figurarum vtilium multiplicati, producunt quadraginta & octo, Quorum tamen decem,& nouem solum sunt vtiles, & bonæ consequentiæ, qui his versibus continentur.

Barbara, Celarent, Darij, Ferio, Baralipton
Celantes, dabitis, Fapesmo, Frisesomorum,
Cesare, Camestres, Festino, Baroco, Darapti.

Felapton, Disames, Datisi, Bocardo, Ferison.

Primi nouem, qui duobus prioribus carminibus continentur, pertinent ad primam figuram; quatuor sequentes ad secundam, reliqui sex ad tertiam. In vnoquoque modo inueniuntur saltem tres vocales, quæ correspondent tribus syllogismi propositionibus: Prima, maiori, secunda, minori; & tertia, conclusioni. Et denotant tales propositiones debere esse quantitatis designatę per ipsas vocales, secundum quod supra dictum est, Asserit A, negat E, &c. vndè si aliquando in his modis plures inueniantur syllabæ, trium tantum priorum habenda est ratio; cũ aliæ propter carminis metrum sunt additæ.

Quamuis autem omnes modi statim enumerati sint vtiles, & consequentia in illis facta necessaria; atque adeò negari non possit; aliqui tamen ex illis vocantur directi, aliqui indirecti; aliqui perfecti, aliqui imperfecti. Modi directi sunt illi in quibus directè concluditur, prædicando maiorem extremitatem de minori in conclusione; indirecti verò in quibus è cõuerso minor extremitas prędicatur de maiori extremitate in conclusione, cuiusmodi sunt quinque vltimi modi primæ figuræ, *Baralipton, Celantes, dabitis, Fapesmo, Frisesomorum*, cęteri omnes tam primæ, quam secundæ, & tertiæ figuræ directè concludunt.

Modus perfectus est in quo saluantur perfectè principia regulatiua syllogismorum, quæ sunt, dici de omni, & dici de nullo: Imperfectus autem in quo ista principia non perfectè saluantur; ideoque reduci potest ad perfectũ. Sic quatuor priores modi primæ figuræ appellantur perfecti, alij verò quindecim imperfecti. Quamuis aliqui existiment nullum syllogismum indigere reductione ad alium syllogismum perfectiorem, sed æquè immediatè regulari omnes illo principio, Quæcumque sũt eadem vni tertio sunt eadem inter se, vndè immediatè per istud principium, non autem per reductionem ad alium syllogismum possunt ostendi, quia sicut in quatuor primis modis primæ figuræ inuenitur identificatio extremorum cũ vno tertio, ita & in alijs secundæ & tertiæ figuræ syllogismis. Cęterum Philosophus in 1. Prior. cap. 7. expresse docet omnes syllogismos imperfectos reduci posse ad priores primæ figuræ. Et si enim tota ars syllogistica innitatur huic principio, quod quæcumque sunt eadẽ vni tertio, sunt eadem, seu identificata inter se. Nihilominus vt clarè constet hæc identificatio cum vno tertio, requiritur, quod illud tertium, seu medium sit distributum, seu identificatum cum extremis secundum distributionem, mediante qua extrema ipsa contineat, & vniat in se; atque adeò quod talis identificatio medij reguletur per illud principium dici de omni, dici de nullo, quod quia in omnibus syllogismis non fit æquè euidenter sicut in quatuor primis modis primæ figuræ, vbi medium est subiectum in maiori, & prædicatum in minori, ratione cuius, cum ponatur vniuersaliter in maiori ex parte subiecti, postea in minori prędicatur de aliquo, adeò vt illud de quo prædicatur, statim designetur cõtineri sub ipso medio, hinc fit quod secunda, & tertia figura indigent reduci ad modum primæ figuræ, & non solum immediatè probari, per illud principium, *quæcumque sunt eadem vni tertio &c.* excludendo principia dici de omni, & dici de nullo.

De Principijs quibus innititur ars Syllogizandi.


CVm discursus affirmatiuè concludens ad hoc ordinatur, vt inferat conclusionem, in qua duo coniunguntur extrema in vi alicuius medij, requiritur quod vniat aliqua inter se, eo quod vniuntur in aliquo medio. Et opposito modo si infert negatiuam conclusionẽ, in qua vnũ negatur, & diuiditur ab alio, necesse est, quod aliquod illorum negetur & separetur ab vno tertio. Dantur duo quędam principia generalia quibus inniti-

innititur tota ars Syllogistica. Primum est; *Quæcumque sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*; id est, quandò aliqua duo perfectè, completè, & adęquatè vniuntur cum aliquo tertio, seu medio, necesse est, vt vniantur inter se. Et hoc principium deseruit Syllogismis affirmatiuè concludentibus.

Secundum principium est: quæcũque sunt eadem inter se distinguntur vni tertio, seu ab vno tertio; id est, quando aliqua duo perfectè,& completè vniuntur inter se, si vnum illorum distinguitur ab aliquo tertio,necesse est distingui, & aliud. Quod principium deseruit syllogismis negatiuè concludentibus.

His autem duobus principijs innituntur alia duo valde vsitata,quæ à pręcedentibus videntur solum distingui penes hoc, quod illa sumùntur in ordine ad esse, hęc vero in ordine ad prædicari, appellanturque *dici de omni,dici de nullo*. Dici de omni reddit hunc sensum,quicquid vniuersaliter affirmatur de subiecto,affirmatur etiam de quocumque cõtento sub subiecto. Sicut si affirmatur de homine vniuersaliter quod sit rationalis,debet affirmari de quocumque indiuiduo hominis. Dici verò de nullo, reddit hunc sensum; quidquid vniuersaliter negatur de subiecto, negatur etiã de quocumque cõtento sub subiecto, vt si negetur de homine vniuersaliter quod sit lapis, debet id negari de omni indiuiduo sub homine contento.

Et per hæc principia per se nota regulantur omnes syllogismi constantes medio cõmuni in quibus oportet quod discursus procedat in vi alicuius termini distributi, (nec enim deseruiunt ad syllogismum expositorium qui cõstat medio singulari) ita vt illi syllogismi dicantur perfecti qui immediatè regulantur per illa, imperfecti verò qui non ita immediatè, & ideo reducuntur ad perfectos, vt explicabimus infra.



De Regulis tam communibus trium figurarum, quam specialibus vniuscuiusque.

Regulæ ad bonum syllogismum requisitæ quædam sunt generales pro omnibus figuris, quædam speciales pro singulis; ita tamen vt omnes suam originem trahant à principijs suprapositis. Regulæ communes,& vniuersales sunt quatuor. Prima; quod medium in aliqua saltem præmissarum distribuatur, vt sic perfectè possit coniungi, vel diuidi ab extremitatibus; propter quod in quacumque figura ex puris particularibus, aut indefinitis nihil sequitur ex vi illationis; quamuis aliquandò sequi possit ratione materiæ; *vt aliquod animal est substantia, aliquis homo est animal, ergò aliquis homo est substantia.*

Secunda regula in quacumque figura, nihil sequitur ex puris negatiuis. Ex hoc enim præcisè, quod aliqua duo distinguantur ab aliquo tertio, non sequitur distingui, aut identificari inter se, si quidem duæ res siue identificentur,siue diuersificentur inter se, possunt tamen esse omnino disparatæ respectu alicuius tertij, vt per se pater.

Tertia regula nullus terminus debet esse distributus in conclusione, qui non fuerit distributus in præmissis: alias talis terminus pro vt est in conclusione excederet seipsum, vt est in præmissis, & argueretur à non distributo ad distributum.

Quarta regula, quod medium sub ratione medij non debet intrare conclusionem. Cum enim quilibet terminus bis tantum ponatur in syllogismo;& medium sit iam bis in præmissis positum, non potest iterum poni in conclusione sub ratione medij; poterit tamen aliquãdo, si fiat etiam extremitas, vt cum dicitur, *omnis homo est animal, sed homo est homo: ergò homo est animal.*

Pro quinta syllogismorum in cõmuni regula & lege potest assignari quod conclusio semper sequitur debiliorem par-

partem; ita vt si aliqua præmissarum sit particularis aut negatiua conclusio etiã debeat esse particularis aut negatiua. Ratio est quia duæ præmissæ, sunt quasi duæ causæ subordinatæ respectu conclusionis; in causis autem subordinatis effectus sequitur debiliorem.

Ex his legibus, seu regulis generalibus inferuntur aliæ tres particulares, pro vnaquaque ex tribus figuris. Prima est: pro prima figura, quod in quocumque syllogismo ipsius directè concludẽte, vt consequentia sit bona, maior non debet esse particularis; neque minor negatiua. quia si maior est particularis, medium quod debet subijci in maiori, & prædicari in minori affirmatiua non distribuitur: si autem minor est negatiua, inferet conclusionem negatiuam, in qua terminus aliquis distribueretur, qui in præmissa affirmatiua non esset distributus; contra primam & tertiam regulam generalem supra traditam. In modis tamen indirectè cõcludentibus potest maior esse particularis, quia in illis non subijcitur medium, & minor potest esse negatiua, vt in Fapesmo, & Frisesomorũ.

Secunda regula, pro secunda figura, si ambæ præmissæ sint affirmatiuæ nihil sequitur; quia cum medium in secunda figura sit prædicatum, si vtraque est affirmatiua non distribuitur. Similiter si in eadem figura maior sit particularis nulla est consequentia, quia iam in conclusione distribueretur aliquis terminus, qui non esset distributus in præmissis.

Tertia tandem regula, pro tertia figura est, quod si minor sit negatiua, nihil concluditur; quia tunc maior debet esse affirmatiua, ac proindè prædicatum illius non distribuitur, distribuetur autem in conclusione. Et propterea conclusio in hac figura debet esse particularis alias idem defectus accideret.

Ex quibus omnibus regulis, facilè quis iudicabit, quinam in quacumque figura sint modi vtiles, seu consistentes, aut bonæ consequentiæ; qui verò inutiles, seu inconsistentes, aut malæ consequentiæ; vndè non est, quod hic tabulam combinationum seu modorum qui fieri possunt in tribus figuris, ostendentem, qui eorum sint vtiles, qui verò inutiles subijciamus.

Similiter, quinam dicendi sint defectus communes, & particulares syllogismi; communes enim illi sunt in quibus non seruantur regulæ generales superius traditæ, quibus addere possumus, primò si arguatur in quatuor terminis, cum enim tota ars syllogistica consistat in connexione duorum terminorum inter se, illata ex connexione cum vno tertio, non debent esse plura extrema, quam duo, nec plura media quam vnum. Secundò medium non debet tenere æquiuocè, sed eodem modo in præmissis, alioquin non posset esse ratio vniendi extrema inter se, vt non valet omnis canis est latrans, aliquod sydus est canis, ergo aliquod sydus est latrans. Defectus particulares sunt, si non seruentur particulares regulæ pro figuris syllogismorum suprapositæ.

De reductione Syllogismorum imperfectorum ad perfectos.

Reductio syllogismorum imperfectorum ad perfectos consistit in hoc, quod illi syllogismi, in quibus non ita perfectè, & euidenter apparet dici de omni, & dici de nullo, quæ sunt principia regulatiua artis syllogisticæ, reducantur & probentur per illos in quibus perfectè & euidenter talia principia saluantur. Vndè cum tales sint quatuor priores modi primæ figuræ scilicet, *Barbara, Celarent, Darij, Ferio*; Omnes enim cõclusiones inferibiles, vel sunt vniuersales affirmatiuæ, vel vniuersales negatiuæ; vel particulares affirmatiuæ, vel particulares negatiuæ; si vniuersales affirmatiuæ perfectissimè inferuntur in barbara, si vniuersales negatiuæ in Celarent, si particulares, seu singulares affirmatiuæ in Darij, si negatiuæ in Ferio; Omnes alij modi indirectè aut directè concludentes possunt ad istos quatuor reduci, & per illos probari.

Dupli-

Dupliciter autem fieri potest talis reductio, primo conuertendo ipsas propositiones syllogismi imperfecti, easque si opus sit transmutando, vt scilicet maior mutetur in minorem, vel è contra. Et hæc dicitur reductio ostensiua; quia in eisdē propositionibus syllogismi imperfecti clariori & perfectiori forma dispositis, euidentius innotescit regulatio dici de omni, & dici de nullo, visque & necessitas consequentiæ, sine eo quod aliqua propositio de foris adducatur. Et totum hoc fundatur in illo superius tradito principio, quidquid sequitur ad cōsequens, sequitur ad eius antecedens. Secundo modo potest fieri reductio deducendo aduersarium ad concessionem alicuius inconuenientis, seu impossibilis nempè quod admittens maiorem, & minorem syllogismi imperfecti, & negans consequentiam, teneatur concedere duas contradictorias simul veras, assumendo ad hunc finem contradictoriam propositionis negatæ, & adiungendo vnam propositionē concessam; sic enim infertur contradictoria alterius concessæ, atque adeo duo contradictoria simul vera; quod tamen est omnino impossibile; Et propterea hic modus conuincendi aduersarium appellatur reductio ad impossibile fundaturque in illo principio. In bona consequentia ex contradictorio consequentis, sequitur contradictorium antecedentis. Et ista reductione per impossibile possunt reduci omnes modi imperfecti, ad perfectos, si quidem in omni modo vtili in quo negatur consequentia, debet concedi contradictorium eius quod negatur, ex qua contradictoria concessa, & altera præmissa concessa, sequitur cōtradictorium alterius; quia tamen duo modi *Baroco* & *Bocardo*, alia ratione reducibiles non sunt ad *Barbara*, specialiter dicuntur reduci per impossibile; cum hac differentia solum, quod *Baroco* reducitur seruata maiori, & contradictoria conclusionis posita pro minori, ex quibus infertur contradictoria minoris iam cōcessæ: *Bocardo* verò reducitur, è contra seruata minori, & contradictoria conclusioni, posita pro maiori, ex quibus infertur contradictoria maioris cōcessę.

Vt autem facilius memoriæ mandari posset, qui modi reducantur ad alios, notandum est artificium quo facti sunt illi versus suprapositi, Barbara, Celarent, Darij, Ferio, &c. primi enim quatuor modi perfecti incipiunt à litteris consonantibus, B. C. D. F. & similiter omnes alij modi imperfecti, siue in prima, siue in secunda, siue in tertia figura, ad denotandum quemlibet modum imperfectum ostensiuè reducendum esse ad modum perfectum eadem littera incipientem. Et ita ad Barbara ostensiuè reducitur Baralipton solùm; Bocardo enim & Baroco non reducuntur ostensiuè ab Barbara, sed per impossibile. Ad Celarent, reducuntur ostensiuè, Celantes, Cesare, Camestres. Ad Darij; Dabitis, Darapti, Disamis, Datisi. Ad Ferio; Fapesmo, Frisesom, Festino, Felapton, Ferison.

Præter has autem consonantes initiales; reperiuntur aliæ quatuor nimirū S.P.M.C. intra ipsas dictiones modorū imperfectorū. Littera S. denotat propositionem significatam per vocalem antecedentem conuertendam esse simpliciter. P. conuertendam esse per accidens. M. verò denotat transmutandas esse præmissas, ita vt maior fiat minor, & è contra, seruata semper tamen conuersione, quam aliæ litteræ petunt. Solum est aduertendum, in dictione significante vltimum modum primæ figuræ, scilicet Frisesomorum, illam consonantē M. propter carminis metrum positam esse post tres syllabas, cum tamen collocanda esset ante tertiam, sicut fit in Fapesmo, & Disamis, vnde talis littera non est inter syllabas inutiles annumeranda: sed revera significat transponendas esse præmissas. Et tandem C. in medio dictionis significat modum illum in quo inuenitur, non esse capacem reductionis ostensiuæ, sed per impossibile, qui tantum sunt duo, nempè Baroco, & Bocardo.

In

In reductione autem syllogismorum per impossibile, certum est omnes imperfectos, tam primæ, quam secundæ, & tertiæ figuræ reduci posse per impossibile, ad quatuor priores primæ figuræ, sed non similiter, sicut in reductione ostensiua, quælibet dictio reducitur ad similem litteram initialem quatuor illorum priorum modorum; exceptis Baroco, & Bocardo, quæ ex dictis supra reducuntur ad Barbara. Vt ergo reliqui omnes modi reducantur, semper attendendum est ad conclusionem illatam, & sumenda contradictoria illius, deinde ponenda est illa pro vna ex præmissis cum altera, sicque inferetur contradictorium alterius præmissæ concessæ.

Quando autem in reductione seruanda sit maior syllogismi, & quando minor: & consequenter quando contradictoria consequentiæ negatæ debeat poni pro maiori, quando verò pro minori sequentes regulæ solent assignari. In modis imperfectis primæ figuræ sumi debet contradictorium conclusionis, & poni loco maioris, & maior concessa poni loco minoris, & inferre contradictoriũ minoris concessæ. Excipitur Celantes, vbi contradictorium conclusionis, quia est particularis, debet poni pro minori & minor Celantes poni pro maiori, & sic in Darij inferre contradictorium maioris concessæ. In modis secundæ figuræ, sumenda est contradictoria conclusionis, & ponenda pro minori, & simul cum maiori syllogismi, inferenda contraria, vel contradictoria minoris concessæ. In modis verò tertiæ figuræ, sumenda est contradictoria conclusionis, & ponenda loco maioris, & cum eadem minori inferre contrarium, vel contradictorium maioris concessæ. Dixi contrarium, vel contradictorium, quia in Darapti, & Felapton qui sunt duo modi tertiæ figuræ colliguntur solùm duæ contrariæ simul veræ; sicut in Baralipton, & in Fapesmo in prima figura; tamen ex eis possunt fieri duæ contradictoriæ simul veræ; nam si hæc propositio omnis homo est albus est vera; etiam particularis sub illa contenta, scilicet, aliquis homo est albus erit vera; sed hæc est contradictoria alterius negatiuæ, scilicet nullus homo est albus: ergò si hæc esset vera, iam darentur duæ contradictoriæ simul veræ.

Vt etiam pateret qui modi imperfecti ad quos perfectos essent reducendi inuenerunt Dialectici tres dictiones pro modis imperfectis trium figurarum videlicet, *nesciebatis*, *odiebam*, *lætare romanis*; prima quinque habet syllabas & correspondet quinque modis imperfectis primæ figuræ; prima Nes, Baralipton, secunda Ci, celantes, & sic de alijs. Secunda dictio, nempè *odiebam* habet quatuor syllabas eodem ordine correspondentes quatuor modis secundæ figuræ; & tandem tertia dictio *lætare romanis*, habet sex syllabas pariter correspondentes sex modis tertiæ figuræ. In his autem dictionibus quatuor illæ vocales A.E.I.O. significãtes quatuor modos perfectos, in qualibet syllaba trium dictionum, denotant modum imperfectum correspondentẽ illi syllabæ ratione explicata reducendum esse ad modũ perfectum per eamdem vocalem significatum.

De inuentione Medij.

CVm medium in syllogismo nihil sit aliud, quam terminus ille in cuius vi infertur cõclusio, inuentio medij, nihil aliud etiam erit, quam inuentio termini, in cuius vi data quæcumque propositio rectè possit concludi in aliquo syllogismo.

Quamuis autem ad hoc principalius valeat innata quædam, & à natura quibusdam indita animi solertia & sagacitas, nec non & longum studium, assiduaque disputandi exercitatio; non desunt tamen suæ regulæ, quibus etiam natura ab arte perficiatur. Pro quarum intelligentia notandum, quis terminus dicatur antecedens, seu inferior; quis consequens, seu superior, quis æqualis, seu cõuertibilis; quis extraneus, seu disparatus.

tus. Terminus antecedens est ille qui alterum infert, cuiusmodi sunt omnia prædicata inferiora respectu superiorũ. Terminus consequens est, qui ex alrero infertur cuiusmodi sunt omnia prædicata superiora respectu inferiorum, bene enim valet *Est homo ergo animal*. Termini æquales & cõuertibiles simul sunt antecedentes & consequentes, cum se inuicem inferant, & inferantur. Tandem terminus extraneus est ille, qui alteri inesse non potest.

Cum ergo omnis conclusio inferenda, vel sit vniuersalis affirmatiua, vel vniuersalis negatiua; aut particularis affirmatiua, aut particularis negatiua; atque adeo terminus, qui assumitur pro medio, debeat communicari, & vniri extremis, vel ab aliquo illorum disiungi, ad hoc vt ipsa extrema vniantur, vel disiungantur in conclusione, oportet pro medio vnitiuo, aut diuisiuo vtriusque sumere terminum vel antecedentẽ, vel consequentem, vel æqualem, vel repugnantem, seu extraneum; pro quo quatuor sequentes regulæ statui solent.

Prima est, ad inferendam conclusionem vniuersalem affirmatiuam, quæ tantum potest inferri in primo modo primæ figuræ, sumendus est pro medio terminus, qui sit consequens respectu subiecti talis conclusionis, & antecedens respectu prædicati.

Secunda regula, ad concludendam propositionem vniuersalem negatiuam, (quæ tantum potest concludi in prima & secunda figura) sumẽdus est pro medio terminus consequens ad subiectũ, & extraneus seu repugnans prædicato, si conficiatur syllogismus in *Celarent* & *Cesare*. Si verò conficiendus sit in *Camestres*, debet sumi pro medio terminus repugnans subiecto, & consequens ad prædicatum.

Tertia regula ad inferendam propositionem particularem affirmatiuam, quæ tantum potest inferri in prima & tertia figura, conueniens medium erit terminus consequens ad subiectum, & antecedens ad prædicatum, si syllogismus fiat in prima figura, vt in *Darij*; si verò fiat in tertia, vt in *Darapti* & *Disamis*, medium debet esse terminus antecedens, tam respectu subiecti, quam respectu prædicati.

Quarta tandem regula, ad inferendam propositionem particularem negatiuam (quæ in omnibus tribus figuris concludi potest) si fiat syllogismus in prima figura, sumendus est pro medio terminus consequens ad subiectum, & extraneus ad prædicatum. Quod idem obseruandum est si fiat in tertio modo secundæ, scilicet, Festino. Si verò syllogismus fiat in quarto modo secundæ figuræ nempè *Baroco*; medium debet esse terminus extraneus à subiecto, & consequens ad prædicatum. Denique si fiat syllogismus in tertia figura medium debet esse terminus antecedens ad subiectum, & extraneus prædicato.

Quorum omnium exempla & rationes videri possunt apud Authores, maximè Diuum Thomam opusc. 50.

De modo & exercitio disputandi.

CVm inter omnia Dialecticæ munera, præcipuum habeat locum argumentatio, nec aliter argumentandi promptitudo, quam frequenti rem aliquam in disputationibus cũ oppugnandi, tum defendendi exercitio comparetur, opere pretium duxi breuiter aliqua circa modum rectè instituendi disputationem ex authoribus adnotare.

Disputatio ergò nihil est aliud, quã veritatis indagandæ causa; vel mutuæ exercitationis gratia de aliquo disceptatio, vt fit dum quis, vel tacita cogitatione, ac mentis veluti discursu quodam apud se ratiocinatur, vel cum alio, siue sermone, siue scripto. Sic in disputatione dialecticè rectèque instituta quinque sunt principaliter attendenda, Thema, Vsus, seu finis, leges, instrumentum, & authores.

Thema dicitur illud, quod tanquam dubium, incertumque in medium producitur, quodq; in disputatione ab vno pro-

propugnatur, ab alio verò oppugnatur.

Vsus, seu finis disputationis est falsitatem euertere, veritatemque propositi thematis è tenebris, verborūque inuolucris in lucem producere. Argumētis enim rem obscurare velle Sophystarum proprium est, & argumentatione disputationeque abutentium.

Disputationi sicut, & omnibus alijs rebus, suæ etiam leges, ac regulæ præscribuntur. Prima est, quod voces ambiguæ vitentur, quia vt vulgari versiculo dicitur,

Erroris mater fuit æquiuocatio semper. Proinde si in disputationis decursu, Amphibologia aliqua, aut æquiuocatio fortè inciderit, petendum erit à proponente qua significatione vtatur, ex multiplicitate enim significationum vnius, eiusdemque dictionis, aut orationis, vel maximæ offunduntur disputationi tenebræ, vel certè à rerum pulcherrimarum inuestigatione, ad nugas, inanemque verborum pugnam, & concertationem delabatur necesse est.

Secunda regula tam pro arguente, quam pro defendente seu respondente est, ne falsum mordicus defendendo, aut verum temere oppugnando, ingeniosus quis, aut doctus videri desideret; sic enim disputationis finis, qui est veritatis inquisitio peruertitur. Quāuis enim exercitij gratia, manifestè verum aliquando impugnari, & manifestè falsum aliquando defendi possit. Tunc tamen res à seria, ad iocosam disputationem deduci videtur. Itaque si quis inter disputandum aliquod absurdum concedat, satius est palinodiam statim canere, quam falsum obstinatè defendendo ex vno in alios permultos, grauissimosque prolabi errores. Culpam enim deprehensam pertinaciter tueri, culpa est altera; concessoque vno absurdo; cætera sequuntur.

Tertia regula est, vt concertantium iudicia sint integra, nullisque affectionibus prauis perturbata, semel enim perturbatis ira, aut simili affectione mala animis, quidam rationi fumus offunditur, quo veritatis perspiciendæ facultas altercantibus eripi solet: vt neque quid obijciatur, neque quid respondeatur animaduertant.

Quarta tandem in disputando regula est, scire quid in dubium præcipuè reuocetur, & de quo disputantes contendant: alioqui sępius eos temere altercari, atque multa vltrò citroque verba ridiculè iactare continget.

Quantum ad disputationis instrumētūm est argumentatio, cuius species omnes & partes iam supra explicuimus, superest vt de authoribus disputationis, eorumque muneribus aliqua breuiter attingamus.

Duo igitur sunt disputationis authores oppugnans, videlicet, & defendens. Tria præcipua sunt oppugnantis officia, seu munera. Primum, contra defendentis thema argumentum inuenire, idque obijcere. Secundum, quod à defendente negatum est probare in forma, ita vt propositio negata sit consequens argumenti succedentis. Tertium solutionē datam primum repetere, & mox alia obiectione impugnare, quod vulgo dicitur replicare.

At defendentis munus est quadruplex. Thema suum perfectè intelligere, ac difficultates illius omnes perspectas habere. Attentè semper considerare quid contra ipsum obijciatur, & an hoc cum eius themate pugnet, nec ne. quod obijcitur clarè, & fideliter repetere. Ac tum demum maturo adhibito iudicio aptum dare responsum, ad maiorem, vel minorem concedendo si sint veræ, negando si sint falsæ, distinguendo si sint ambiguę, admittendo, seu permittendo, si fuerint argumento indifferentes, ita vt ad illud non intersit si sint veræ, vel falsæ. Quacumque tamen negata ibi cessare debet responsio. Si autem concedatur minor, repetetur consequens, quod nec concedi, nec negari potest, sed tantum distingui, & secundū vnum, aut alterum eius sensum concedetur, vel negabitur consequentia, quæ nunquam potest distingui, sed tantum con-

concedi, aut negari. Qui autem concessa maiori, vel minori negat consequentiam syllogismi, tenetur ostendere defectum illius, aut ex parte materiæ, aut ex parte formæ se tenentem, alias conuictus censendus est.

EX DVOBVS LIBRIS de posteriori Analysi.

De prærequisitis ad demonstrationem, scilicet de præcognitis, & præmissis.

CVm obiectum horum librorum sit demonstratio, quæ est syllogismus scientificus, quatenus in ea considerantur conditiones materiæ ex qua debet constare, vt euidenter inferatur, aut probetur conclusio, conuincaturque intellectus ad illius assensum ex vi talis probationis, & medij; primum quod occurrit explicandum, sunt prærequisita ad demonstrationem, cuiusmodi sunt præcognita, & præmissę seu principia.

Philosophus igitur cap. 1. agens de his quæ prærequiruntur ad demonstrationem, primum tanquam fundamentũ & radicem aliorum tradidit, quod omnis doctrina, omnisque disciplina intellectiua fit ex præexistenti cognitione, quod celebre axioma licet posset intelligi de quacumque cognitione intellectus, tam simplici, quam composita; cum enim discursus fiat ex antecedenti iudicio; & iudicium pręsupponat apprehensionem, & hæc requirat cognitionẽ sensuum, semper verificatur quamcumque cognitionem intellectus fieri ex alia præexistenti cognitione; nihilominus tamen solùm loquitur Aristoteles de cognitione probatiua modo rationali & discursiuo, siue scientificè, siue probabiliter, quæ prout est in magistro dicitur doctrina, & pro vt in discipulo disciplina. Si quidem Philosophus ibi solum intendebat probare aduersus Platonem, posse aliquid de nouo sciri, seu cognitionem acquiri, absque eo quod procedatur in infinitum in probationibus, fiatque circulus vitiosus probando vnum per aliud, & è contra; ad hoc autem solum conducebat loqui de cognitione, quæ per probationem, & illationem acquiritur, seu de cognitione probata, & probante, illata, & inferente, ita quod nõ sit necesse, vt cognitio probans fiat ex aliqua alia priori probante, cum possit aliqua cognitio probans esse per se nota, & non ex alia probatione antecedente, omnis autem cognitio probata, & demonstrata, vt talis præsupponit essentialiter aliam priorem ex qua probetur, seu demonstretur.

Sic Aristoteles in assignanda scientię aquisitione, videtur eodem modo processisse, ac in physicis circa generationem rerum naturalium; quemadmodum enim probat ibi contra aliquos Philosophos, quod formæ substantiales non præexistunt actu in materia latitantes, sed ex potentia illius educuntur, & sic de facto generantur; ita in nobis scientia acquiritur circa conclusiones, non quia præsupponuntur actu cognitæ, & solum per reminiscentiam dicimur de nouo eas scire, vt volebat Plato, sed quod virtute, & potentia cognoscantur in principijs, ex ipsis autem mediatè discursu reddantur cognitæ, & probatæ.

Supposito quod omnis cognitio discursiua fiat ex præexistenti cognitione, secundò statuit Philosophus tria antè demonstrationem, seu cognitionẽ scientificam esse præcognoscenda, scilicet subiectum, passio, & pręmissæ quæ quia vnum integrum principium conclusionis efficiunt, non plura, sed vnum præcognitum appellantur; ita tamen vt de huiusmodi præcognitis duæ tantũ quęstiones debeant pręcognosci, scilicet *an sit, & quid sit*, quas appellat Aristoteles præcognitiones; aliæ enim quęstiones quas enumerat ipse 2. Poster. cap. 1. scilicet, *quia est, & propter quid est*, per ipsam demonstrationem cognoscuntur; si quidem per eam scimus, quia passio cõuenit subiecto, & etiam propter quid illi conueniat; vndè nõ oportet illas pręcogno-

cognoscere; atque adeò antè demõstrationem duæ tantum erunt præcognitiones in generali, scilicet *an est*, & *quid est*; quarum vnaquæque diuiditur in alias duas; cum, *an est* possit inquiri, tam de re simplici, quam de integra propositione, cuius existentia est aliquomodo sua veritas. Et ideo *an est* potest diuidi in *an sit reale*, seu *rei*; &, *in an sit veritatis?* Similiter quia, *quid est?* significat definitionem, quæ diuiditur in definitionem *quid rei*, & *quid nominis*; ideo præcognitio *quid est*, diuiditur *in quid rei*, quæ, scilicet, sit essentia rei, & *in quid nominis*, scilicet, quid nomen significet.

Aduertendum est autem fundamenta esse longè diuersa, vndè oritur, quod aliquid sit præcognoscendum, ad acquisitionem scientiæ, & quod præcognita solum debeant esse tria, & præcognitiones duæ; quod enim aliquid sit necessariò præcognoscendum, prouenit ex illo principio, quod non potest dari processus in infinitum nec vitiosus circulus in demonstrationibus. Indè enim necessariò sequitur sistendum esse in aliqua cognitione, quæ per aliam non probatur, sed ad alia probanda & demonstranda præcognoscitur. Quod verò duæ tãtum præcognitiones in generali, triaque præcognita esse debeant, sumitur ex ipso obiecto demonstrabili, quod est aliqua conclusio, in qua propria passio prædicatur & demonstratur cõuenire subiecto; propter vnionem factam cum medio in præmissis; inde enim sequitur necesse esse quod antequam habeatur cognitio conclusionis, præcognosci debeant præmissæ, subiectum & passio; quorum trium præcognitorũ datur duplex modus præcognitionis in generali, & quadruplex in particulari, hoc ordine; de præmissis cum sint quid complexum, non præcognoscitur *quid sint*, sed tantum *an sint veræ*; de subiecto, cum non ostendatur in conclusione *quid sit*, & multo minus *an sit*, oportet præcognoscere de eo *quid sit*, & à fortiori *an sit*, quia quæstio an est in aptitudine de qua loquimur modo, præsupponitur ad quæstionem *quid est*, neque enim potest cognosci quid aliquid sit, nisi præsupponatur quod sit possibile. Tandem de passione formaliter sumpta, quatenus passio est, cum an sit ipsius, & quid sit ostendatur per demonstrationem ob dependentiam essentialem quam habet ex proprio subiecto, præcognoscitur tantum quid nominis; non enim potest sciri an aliquid sit nisi sciamus quid nomẽ eius significet. Vbi nota quod de subiecto, & principio, seu præmissis debet etiam præcognosci quid nominum propter eamdem rationem.

Tertio cap. 4. 7. & 8. 1. lib. Poster. ponuntur conditiones, ex quibus debẽt constare præmissæ ad demonstrationem deseruientes. Primò quod sint veræ, sicut enim conclusio demõstrationis ita est vera, vt repugnet esse falsam, sic etiã præmissæ, quæ sunt causa veritatis conclusionis.

Secundò quod sint primæ, & immediatæ, seu per se notæ; etsi enim non omnis demonstratio, formetur ex propositionibus primis, & immediatis seu per se notis; omnis tamen demonstratio dependet ex illis, & resoluitur in illas. Tres autem istæ particulæ in re non differunt. Nam propositio immediata in præsenti est illa, qua non est alia prior per quam probetur, seu quæ non habet medium per quod cognoscatur, & sic necessariò debet esse prima, quæ enim est prima non habet aliam priorẽ, & etiã propositio per se nota; hæc enim est illa quæ seipsam notificat, neque eius veritas per aliam manifestatur, quod idẽ est ac non habere medium, seu aliam priorem propositionem per quam probetur. Nec indè colligat aliquis huiusmodi particulas fuisse ab Aristotele superfluè positas, ita enim significant vnã & eamdem rem seu propositionem vt plura tamen eius munera explicẽt. Nam eadem propositio dicitur prima comparatione aliarum subsequentium quæ per illam demonstrantur; immediata verò in quantum caret alia priori per quam demon-

demonstretur, quod est illam explicare veluti negatiuè & per carentiam medij probatiui, probatione intrinseca, & à priori; dicitur tandem per se nota, quatenus ex ipsis terminis seu explicatione terminorum innotescit, quod est veluti positiuè illam explicare.

Diuiditur autem propositio immediata, seu per se nota, à D.Th.1.par.q.2. art.1. in per se notam secundum se, non verò quo ad nos; & in per se notam secundum se, & quo ad nos. Prima est, quæ secundum se nullum habet mediũ, per quod manifestetur, quia nimirum prędicatum est de essentia subiecti, & immediatè consequitur ad illud; tamen à nobis non cognoscitur illa immediata connexio prędicati cum subiecto, nisi per aliud medium illam notificans. Propositio verò per se nota secundum se, & quo ad nos est illa cuius prędicatum & subiectum non solum habent immediatam connexionem; sed ipsa nota est nobis. Qua in diuisione Sanctus Thomas loquitur de propositione per se nota, nõ solum secundum formalem rationem propositionis ex parte conceptus, vel vocis significantis, sed etiam obiectiuè, seu ex parte fundamenti, quod habetur in ipsa re significata; quod enim aliqua propositio sit demonstrabilis probatione intrinseca, & à priori per aliquod medium, vel careat illa, & ita sit immediata & per se nota, non oritur ex ipsa terminorum significatione, sed ex ipsa rerum significatarum connexione, vbi enim aliquod prędicatum conuenit subiecto immediatè, caret medio, quo tale prędicatum probetur de illo subiecto, atque adeò quantũ est ex se fundat propositionem per se notam; quamuis respectu nostri non possit semper formari propositio per se nota, eo quod ipsa extrema, seu termini quibus illa propositio constat, non sunt nobis immediati, ita vt per solam illorum explicationem, eorum nobis connexio innotescat, sed supposito discursu manifestante terminos, & consequenter eorum connexionem, notificantur.

Tertiò pręmissæ debent esse causæ conclusionis; non solum in cognoscendo, quatenus sunt id, quod assumit intellectus ad cognoscendam conclusionem, & per quod notificatur illi; sed etiã in essendo, quando est demõstratio propter quid, in qua intellectus assumit vt causã cognitionis id, quod est verè causa rei; ad huiusmodi tamen demonstrationem notandum est non requiri, quod causæ in essendo, sint formaliter causæ, & physicè, sed sufficit quod virtualiter, vel metaphysicè sint tales, ita quod vnũ se habeat vt ratio alterius, etsi non sit causans alterum, vt contingit in diuinis, vbi vnum attributum dicitur esse ratio alterius; v.g. immutabilitas, æternitatis. Ex hoc autem quod pręmissæ sint causæ, vel in cognoscendo, vel in essendo conclusionis, sequitur illas debere esse notiores & priores, si quidem causa, semper est notior, & prior saltem prioritate naturæ suo effectu, secundum quod habet rationem causæ. Et licet conclusio identificetur aliquando cum præmissis ex parte rei cognitæ, quantum ad entitatem, & ita sit æque nota, eiusdemque certitudinis identicè cum illis, tamen in ratione veritatis est diuersa, & quia vna se habet vt illata, & illuminata, alia vt illuminans, hęc saltem quoad nos debet esse notior. Vndè concludit Aristoteles intellectum firmius, & perfectius, & magis assentiri pręmissis quam conclusionibus. Nam si assentitur conclusioni propter pręmissas, ergò magis assentitur ipsis pręmissis, iuxta vulgatum axioma, *propter quod vnumquodque tale, & illud magis* cuius veritas reducitur ad quatuor conditiones. Prima, quod distinguantur causa, & effectus, nec sit eadem forma vtriusque. Secunda quod causa & effectus communicent in eadem denominatione, & dicatur vnum esse tale propter aliud, non quomodocumque, sed quia aliud etiam est tale, ita quod ex denominatione vnius nascatur denominatio alterius. Tertia, vt sint vnius ordinis, seu in eodem genere causæ. Quarta vt illa ratio in qua communicant

nicant causa & effectus, suscipiat magis & minus, seu vt alij volunt quod vnum sit causa alterius essentiali ordine causę, quia sic non solum est causa quantum ad fieri, sed etiam quantum ad esse.

Tertiò pręmissæ demõstrationis propter quid, cuius naturam principaliter intendit explicare Philosophus, debent esse de omni, de per se, & de prędicato vniuersali. Pro quarum particularum explicatione notandum est, aliter sumi dici de omni in libris priorum, aliter hic: ad hoc enim vt propositio sit de omni prioristico, sufficit eam esse vniuersalem; etiam si prędicatum non conueniat subiecto pro omni differentia temporis, hoc enim non attendit forma syllogistica, quæ tam seruit syllogismo demonstratiuo quam opinatiuo. Ad hoc verò vt propositio sit de omni posterioristico requiritur, inquit Aristoteles, quod prędicatum non euidam insit; euidam non sit: neque interdum conueniat, interdũ non conueniat. idest tunc propositio est de omni posterioristico; quando nihil potest assignari sub subiecto, cui non insit prędicatum, in quo conuenit cum de omni prioristico; & quando non est assignare aliquod tempus, in quo prędicatum ei non insit: quare hic intelligitur duplex vniuersalitas scilicet temporis, & suppositorum, ad propositionem de omni posterioristico.

Circa prædicatum per se aduertendum est, quatuor esse modos dicẽdi per se. Primus est quando prędicatum est de essentia subiecti. Secundus, quando prędicatum est propria passio subiecti, vel, vt inquit Philosophus, quando subiectum est de essentia prædicati. Tertius modus, qui potius est modus essendi, quam modus dicendi per se, est ille quo substantia dicitur ens per se, & non in alio. Quartus denique modus dicendi per se, non est modus prædicandi vel essendi, sed causandi, & definitur ab Aristot. *quando aliquid inest propter ipsum*, idest, significatur ratio propria à qua causatur, vt quando dicimus *ædificator ædificat*, aut, *medicus medetur*. Cum autem pręmissæ demonstrationi deseruientes debeant esse necessariæ, duobus solum primis modis possunt esse de per se. Prædicatum enim per se quarto modo, quamuis sit per se in causando, potest esse accidentale in prædicando, & ita *calidum calefacit* dicit prædicationem quinti prædicabilis, sed causalitatem per se.

Tandem circa prędicatum vniuersale, seu secundum quod ipsum, notandum est vniuersale in pręsenti non sumi, sicut in libro prædicabilium, pro vt est vnum in multis, sed secundum quãdam totalitatem, & adęquationem, quatenus nec ipsum sine subiecto, nec subiectum sine ipso inuenitur, quod est dici ad conuertentiam; sic ad prædicatum vniuersale vt sumitur in præsenti, requiruntur tres conditiones, prima vt sit de omni, id est, vniuersaliter dicatur, defectu cuius risibile non est prędicatũ vniuersale respectu animalis. Secunda vt sit per se, primo vel secundo modo, id est, necessario conueniens defectu cuius album non est prędicatum vniuersale respectu niuis; quia licet sit *de omni*, non tamen est per se, sed conuenit contingenter niui. Tertia est, quod conueniat subiecto secundum quod ipsum, id est secundum quod tale est, seu conuertibiliter, defectu cuius sensibile non est prædicatum vniuersale respectu hominis. Itaque de omni, & per se, & secundum quod ipsum se habent, vt superius, & inferius, nam omne prædicatum vniuersale, seu secundum quod ipsum, est per se, sed non è contra; omne per se est de omni, sed non è conuerso.

In demõstratione ergò propter quid si sit demonstratio perfectissima, in qua propria passio concluditur de proprio, & adęquato subiecto, *vt omne admiratiuum est risibile, omnis homo est admiratiuus, ergò omnis homo est risibilis*, vtraque pręmissa debet esse de prædicato vniuersali, si quidem omnes tres termini sunt ad inuicem conuertibiles; si autem sit demonstratio solum imperfecta, & particularis, in qua passiò concluditur, non de

de proprio, & adæquato subiecto, sed de aliquo eius inferiori, vel superiori particulariter sumpto, *ut omnis homo est rationalis, Petrus est homo, ergo Petrus est rationalis, omnis homo est rationalis, omnis homo est animal, ergò aliquod animal est rationale*, sufficit quod vna præmissarum sit de prædicato vniuersali, vt patet in exemplis adductis.

Vnde colligitur demonstrationem propter quid procedere nõ posse ex extraneis, aut communibus seu remotis, quandò nimirum sunt ita causa remota, & communis alicuius effectus, vt non sint quid conuertibile cum ipso, sed cõueniant alijs; sic enim procedendo nulla præmissarũ est de prædicato vniuersali, cum tamen in demonstratione propter quid, saltem aliqua præmissarum debeat esse de prędicato vniuersali. Si quis autẽ procederet per causam remotam, & communem quidem, sed re vera conuertibilem cum effectu, vt quandò tertia passio demonstratur per primã, tunc esset demonstratio propter quid, licet imperfecta, quia non assignaretur propria, & immediata causa effectus.

Cum prẹmissæ dupliciter cõsiderari pòssint, vel formaliter, vel obiectiuè, formaliter sunt assensus, seu actus ipsi intellectus, quibus propositiones ipsas iudicamus, obiectiuè sunt res ipsæ per assensum,& propositionem attactæ: Potest esse difficultas an, sicut ex dictis prẹmissæ obiectiuè cõsideratæ sunt causæ conclusionis non solum in cognoscẽdo sed etiam in essendo, si sit demonstratio propter quid, ita etiam prẹmissæ formaliter consideratæ, ita vt actus intellectus, quo assentitur præmissis, sit causa actus quo assentitur conclusioni, & in quo genere causæ. Communis ergò sententia efficientiam tribuit actibus præmissarum, respectu actus conclusionis, ex D.Th. 1. Poster. lect. 3. 2. Phys. lect. 5. & 5. Metaph. lect. 3. ac tandem 1. p. q. 14. artic. 7. vbi docet quod discursus, quo per principia deuenimus in conclusionem, est discursus secundum causalitatem, ad distinctionẽ motus qui vocatur discursus secundum successionem. Si enim principia respiciunt conclusionem per discursum secundũ causalitatem, oportet quod influant effectiuè in assensum conclusionis; si quidem discursus secundum causalitatem, non solum importat successionem cognitionum vnius post aliam, sicut se habent partes in motu, sed etiam rationem illuminãtis, quatenus ex magis noto proceditur ad minus notum, atque adeò lumen præmissorum ita afficit & determinat intellectum, vt conclusionem ipsi manifestet, & illuminando assentiri faciat, lumen autem causat illuminationẽ alicuius obiecti, & determinat ad cognitionem illius effectiuè. Vndè prẹmissæ in demonstratione non possunt se habere, sicut pars motus quæ relinquitur, vt altera pars acquiratur, sed ponũt virtutem illatiuam, & manifestatiuam conclusionis, & ita in quantum inferentes non relinquuntur ab intellectu, vt acquiratur conclusio, sicut relinquitur terminus à quo, ad acquisitionem termini ad quem, sed ipsæ dant vim intellectui, id est lumen ad acquirendum cõclusionem. Etsi enim intellectus sit causa principalis efficiens assensus conclusionis; tamen quia procedit illatiuè ex vno in aliud, habet hanc vim illatiuam ab assensu præmissarum in quibus virtualiter continetur conclusio, vt manifestabile in manifestante; vndè quando dicitur quod vnus actus non est operatiuus alterius, distinguendum est, nam si vnus actus virtute continet alium efficere potest illum determinando potentiam, & dando illi virtutem, vt se moueat de vno in aliud, non verò si virtute non contineat alium actum. Quomodo autem contingat hæc efficientia, pendet ex dicendis in libris de anima. Pro nunc tamen breuiter dico non fieri per aliquã actionem transeuntẽ, sed ipsamet actione immanenti, qua conclusio procedit ab intellectu, procedit etiam ab habitu scientifico effectiuè, vt adiuuante, & ab actuali præmissarum assensu, vt à lumine actu illustrante formaliter, id est, intra

tra

tra inhærendo, & præbente vim effectiuam potentiæ.

Ita autem assensus præmissarum effectiuè concurrit simul cum intellectu ad assensum conclusionis speculatiuę in syllogismo demonstratiuo, vt si intellectus sit bene dispositus & cognoscat bonitatem illationis, neque alias sit impeditus, necessitetur per assensum pręmissarum ad assentiendum conclusioni, non solum quo ad specificationem, sed etiam quo ad exercitium directè loquendo. Si quidem voluntas non potest impedire visionem obiecti si sit præsens, medium illuminatum, oculi aperti &c. quia tunc omnes causæ sunt agentia naturalia inimpedibilia à voluntate; cum ergò potentia cognoscitiua in cognoscendo naturaliter operetur respectu obiecti sufficienter propositi; pręmissæque euidentes rectè dispositæ illuminent, & manifestent conclusionem sicut lux colores; stante tali illuminatione & potentia ipsa vigilante & attendente, non poterit voluntas impedire assensum conclusionis directè. Poterit tamen indirectè, diuertendo intellectum circa aliam cognitionem, vel impediendo ne attendat ad præmissas, semel enim quacumque ex causa omisso assensu circa pręmissas nō sequitur illuminatio circa conclusionē. Vide D.Thom. 1. 2. q.17. artic.6.

Ex hac doctrina facilè colligitur, quomodo sit intelligendum dictū Philosophi in præsenti asserentis, maiorem cognosci prius tempore, quam conclusionem; minorem verò simul tempore, licet prius natura; loquitur enim de maiori secundum se, & seorsim; cum enim sit vniuersaliter propositio, & non subsumpta sub alia, sed assumpta, potest seorsim & per se cognosci, atque adeo prius tempore quam conclusio; at semel posita cognitione minoris formaliter in ratione minoris, hoc est vt coordinata, vel subordinata maiori, statim sequitur assensus conclusionis non solum negatiuè, id est, quia nihil mediat inter cognitionem minoris & conclusionis, id enim manifestum est, sed etiam positiuè, quia in eodem penitus instanti tēporis quo præcedente assensu maioris, minor subsumitur, producitur assensus conclusionis, nec enim alio lumine manifestatur conclusio, quam lumine illatiuo, quod in præmissis continetur; illuminatio autem fit in instanti, multo magis in spirituali lumine, quam in corporali, quia illud est efficacius & perfectius, ergò in eodem instanti quo ponitur lumen præmissarum completè & adęquatè, determinaturque maior vltimatè per minorem ponitur assensus cōclusionis tanquam à causa naturali completa non impedita, & operante instantaneè, sicut de illuminatione dictum est. Neque ad discursum requiritur, quod vnus actus transeat post alium secundū successionem temporis, sed secundum successionem, vel melius causalitatem cognitionum & obiectorum, licet vtraque cognitio simul duret. Vndè quandò D. Thomas 1. par. q.85. artic.4. docet intellectum non posse simul multa cognoscere, non loquitur de simultate temporis, sed simultate cognitionis, & repręsentationis, & hoc quando non sunt ordinata, vel vnita in aliqua ratione, sed inter se disiuncta, & separata, vt ibi cōmuniter explicant eius discipuli.

An etiam in syllogismo probabili semel concessis præmissis, & stante bonitate consequentiæ intellectus necessitetur ad assensum conclusionis; nec non etiam ad assensum conclusionis practicæ euidentis; Sicut est hæc, *Quod tibi non vis, alteri ne feceris, sed tibi non vis iniuriam inferri: ergo alteri non debes iniuriam inferre.* Respondetur ad primum necessitari solùm intellectum in vi consequentiæ, non in vi veritatis inferentis, & ideo simpliciter non necessitari; quia licet concessis semel præmissis in debita forma dispositis, si procedatur ad conclusionem non possit dissentiri, tamen in materia probabili, potest non procedere ad conclusionem, sed retrocedere ad examinandas pręmissas, & cum sint probabiles illis dissentire, quod in demonstratione locum non habet, in qua non

non solum intellectus debet procedere ad conclusionem, sed etiam non potest retrocedere ob certitudinem,& euidentiam præmissarum quibus iam assensum præbuit necessariò.

Ad secundum respondetur similiter voluntatem necessitari posse ex suppositione & secundum quid ad conclusionē practicam; vel melius, quod ex principijs practicis rectè dispositis solum de necessitate concluditur, hoc esse debitū vt fiat, seu conueniens secundum legem aut rectam rationem, non semper secundum appetibilitatem, quia hæc in exercitio proponitur cum indifferentia, & ideo quo ad hoc syllogismus practicus non concludit conuincendo, sed indifferenter proponendo, & voluntas sequitur conuenientiā appetibilitatis hic, & nunc propositam, non solum conuenientiam secundum legem.

De essentia, & diuisionibus demonstrationis.

Ex præmissis per formam syllogisticam rectè dispositis in materia necessaria fit demonstratio, & ideo explicatis præmissis, sequitur agere de demonstratione,quam Aristoteles dupliciter definit. Primò ex ordine ad effectū quem causat, qui etiam est finis eius. Secundò ex ordine ad materiam ex qua constat. Et ita prima definitio, videlicet demōstratio est syllogismus faciens scire; scire autem est, cognoscere causam, ob quam res est, illius causam esse, & fieri non posse, vt aliter res se habeat, est secundum ordinem causandi. Secunda verò, nimirum demonstratio est syllogismus constans ex veris, primis,immediatis, prioribus, notioribus, causisque conclufionis, in quantum est causata ex suis principijs.

Quæ duæ definitiones ab Aristotele traditæ sunt rectæ & exactæ,cum dentur per propriam causam definiti; si quidē demonstratio est instrumentum quoddā intellectuale, cuius proprius finis est scientia, per quam traditur prima definitio: ipsumque tanquam ex propria materia constat ex propositionibus veris, immediatis &c. per quam traditur secunda.

Celebri diuisione demonstratio diuiditur in demōstrationem quia,& propter quid. Demonstratio propter quid est illa, quæ non solum probat passionē inesse subiecto, sed etiam ostendit propter quid illi conueniat, adducendo in præmissis propriam, & adæquatam causam talis passionis. Demonstratio verò quia est illa,quę tantum ostendit passionem conuenire subiecto, non autem adducit propter quid illi conueniat; vnde particula, quia non accipitur causaliter, sed est pura coniunctio, quasi dicatur demonstratio, quod hoc sit hoc; assignat autem Aristoteles tres modos quibus contingit fieri demonstrationem quia. Primus est, quando per effectum adæquatum, & conuertibilem procedimus ad causam demonstrandam. Secundus, quando per causam remotam seu commnnem, quæ non adæquatè cōuertitur cum effectu, est tamen causa sufficiens ad inferendum negationem effectus, non autem ad positiuè ponendum illum, sicut benè valet, *non est animal, ergò non respirat*; è contra tamen non valet, *est animal ergò respirat*, & ita ly animal dicitur causa remota respirationis, & ad hoc pertinet illud exemplū quod affert Philosophus, de illo qui interrogatus an essent tibicines in Scythia respondit nequidem esse vites, quod fuit verè causa valdè remota. Tertius modus efficiēdi demonstrationem quia, est quando *quia* & *propter quid* pertinent ad diuersas scientias, vt quando ex conclusionibus demonstratis à scientia subalternante, procedimus tanquā ex principijs ad demonstrandas conclusiones scientiæ subalternatæ: Tunc enim scire quia pertinet ad scientiam subalternatā, scire verò propter quid ad subalternantem, de quo infra.

Prædictam autem diuisionem esse adæquatam communis est dialecticorū sensus. Si quidem videtur tradi per mem-

membra immediatè opposita, quorum vnum infert contradictoriam negationẽ ad alterum; demonstratio enim propter quid est illa, quæ concludit prædicatum conuenire subiecto, ostendendo verum & adæquatum propter quid illi conueniat; demonstratio verò quia in tota sua latitudine est illa, in qua cõcluditur quidem prædicatum conuenire subiecto; reticetur tamen propter quid illi conueniat, siue id fiat per causam remotam, siue per effectum, siue per aliquid aliud cum quo illa veritas habeat connexionem per se, licet ab illa non oriatur.

Quæ tamen immediata oppositio non reperitur inter demonstrationem à priori, & à posteriori, quia potest fieri demonstratio per aliquid quod non sit prius, nec posterius, sed concomitans & quod est simul cum alio, sicut correlatiuã sunt simul, & per vnum demonstratur aliud, vnde minus aduertenter aliqui confundunt has duas diuisiones, ita vt demonstratio propter quid, & à priori conuertantur; & similiter demonstratio quia, & à posteriori. Et si enim omnis demonstratio propter quid sit à priori, non tamen è contra; & similiter quamuis omnis demonstratio à posteriori sit quia, non tamen è contra. Nam demonstratio quia, vt diximus solum consistit in hoc quod ostendatur veritas, sed non radix illius propria, immediata, & adæquata; quod autem detur aliqua veritas potest ostendi, per aliquid posterius, scilicet per effectum; aliquando per aliquid prius scilicet per causam remotam, aliquando per aliquid concomitans. Vnde non omnis demonstratio quia est solum à posteriori, id est ex effectu, sed aliquando per aliquid prius scilicet per causam remotam. At verò omnis demonstratio propter quid semper est à priori, quia semper est per causam, eamque propriam & adæquatam, quamuis non omnis demõstratio à priori sit propter quid, illa enim quæ procedit per causam remotam non conuertibilem est demonstratio à priori, non tamen propter quid.

Circa qualitatem huius diuisionis in demonstrationem propter quid, & quia; an sit vniuoca, vel analoga? pendere videtur ex illa alia difficultate, an per solam demonstrationem, propter quid producatur habitus scientiæ: videtur enim illi soli conuenire definitio superius tradita, quod scire est causam cognoscere ob quam res est, illius causam esse. Vnde asserendum est demonstrationem vel scientiam quia intrinsecè & substantialiter quidem, habere rationem demonstrationis, quatenus habet certitudinem & euidentiam, & sic absolutè esse vniuocè demonstrationem secundũ modum formalem procedendi; cum innitatur connexioni necessariç inter effectum, & causam, vel inter causam remotam & effectum; imperfectè tamen participare rationem scientiæ; ita vt per assensum conclusionis in demonstratione quia, producatur quidem habitus scientiæ; sed valdè imperfectus & nõ habens statum habitus aut scientiæ, sed dispositionis, & consequenter non facit scire simpliciter, sed inchoatiuè; quia non attingit *quod quid est*, sed solum *an est*; quçstio autem an est prçsupponitur ad sciẽtiam; vnde demonstratio quia videtur solum versari circa præambula ad scientiam, non circa proprium obiectum scientificum, quod est *quid*.

Cum ex demonstratione *quia*, quando procedit per effectum adæquatum & conuertibilem ad causam demonstrãdam, vt si dicatur: Stellæ non scintillantes sunt propè nos: Planetæ sunt stellæ non scintillantes: ergo planetæ sunt propè nos; vbi ex negatione scintillationis proceditur ad probandum planetas esse propè nos, quod est verùm propter quid, & propria causa talis negationis non scintillandi, cum inquam ex tali demonstratione quia, & alijs huiusmodi possit fieri demonstratio propter quid iuxta Aristotelem, mutando maiorem extremitatem in medium, quia iam procedet per propriam, & adæquatam causam, vt patet si dicas: Stellæ quæ sunt propè nos, non scintillant, sed planetæ

sunt

sunt propè nos; ergò planetæ non scintillant; breuiter explicandum est, an & quomodo liceat vti demonstratione circulari.

Est autem circulus in demonstratione progressus quidam à præmissis ad conclusiones; & regressus ab ipsis conclusionibus ad præmissas, & potest fieri talis processus dupliciter: vno modo regrediendo ab eadem conclusione ad eadem principia, ad eadem, inquam materialiter, sed non formaliter, id est, vt cognita per aliud formale medium, quam per ipsamet principia, vt si quis probaret Planetas esse propè nos, quia non scintillant, & rursus non scintillare, quia sunt propè nos, ideò esset, quia supponitur illa prima propositio probata per aliud medium, vel aliam notitiam V.g. experimentalem vel aliam similem in eo quod probatur quo ad *an est*. Philosophi enim ab effectibus cæperūt cognoscere causas quoad an est, deinde verò ex causis processerunt ad effectus quo ad propter quid. Secundò potest fieri iste processus ab eadem conclusione etiam formaliter sumpta, id est vt cognita formaliter per eadem principia ad quæ fit regressus; & primus circulus vocatur difformis, quia diuerso medio proceditur à præmissis ad conclusiones, & à conclusionibus ad præmissas: secundus verò appellatur vniformis, quia sub vno & eodem medio proceditur à præmissis ad conclusiones, & conclusionibus ad præmissas.

Quamuis ergo ex communi Dialecticorum sensu circulus formalis, & vniformis sit reijciendus, vt vitiosus, & nugatorius, si quidem demonstratur idem per idem, & dicitur idē notius, & ignotius formaliter, & secundum idem medium respectu eiusdem, secus tamen dicendum est de circulo difformi, & materiali, qui simpliciter non est circulus, nec vitiosus. Circulus enim materialiter sumptus, vt statim dixi, tunc contingit, quando fit regressus à conclusione ad antecedens, cognita conclusione per aliud medium, & tunc non probatur per idem, sed per aliud à quo notificata est illa conclusio, & in illo genere, seu medio diuerso quo probatur, potest esse conclusio notior, quam illud primum antecedens, à quo fuit illata, & tunc cōclusio licet materialiter sit vna propositio, tamen cum sit cognita duplici medio, pendet ex duplici antecedenti; vnde cum ex ipsa regredimur ad vnum antecedens, à quo probata est, ex vi alterius probationis, non ab ipsa formaliter regredimur, sed ab illo alio antecedente quo probata est, & manifestata. De quo vide D.Thom. Secundo de cœlo lect. 16. & Caiet. 1. Poster. cap. 13.

De scientia, quæ est effectus demonstrationis, tam secundum se, quam in ordine ad alios habitus intellectuales.

SVpposita existentia scientiæ, quam experientia ipsa conuincit, definiri solet habitualis scientia per ordinem ad suam causam efficientem, quod sit habitus per demonstrationem acquisitus; sicut è contra definita est demonstratio, quod sit syllogismus epistemonicus id est faciens scire; nec tamen in hoc committitur circulus vitiosus, tum quia hæ definitiones traduntur in diuerso genere causæ, nam scientia definitur per demonstrationem tanquam per causam efficientem; demonstratio verò per scientiam tanquam per causam finalem: tum quia demonstratio non dicitur, quod sit syllogismus efficiens habitum scientiæ immediatè, sed syllogismus efficiēs scire actuale, id est assensum scientificum, à quo generatur habitus, qui inclinat ad similem sensum: tum denique quia ex secunda definitione demōstrationis tradita per causam materialem, cæterasque præmissarum conditiones supra explicatas redditur quo ad nos sufficienter nota demonstratio, vt per eam tanquam aliter notificatam, sine circulo possimus rursum scientiam ipsam definire.

Potest denuò scientia habitualis definiri essentialiter per suum obiectum sic,

ſe, quod ſit habitus circa propoſitiones vniuerſales, neceſſarias,& mediatas ſeu quod idem eſt, circa concluſionem notam ex propoſitionibus vniuerſalibus neceſſarijs, & immediatis. Qua in definitione per priores particulas exprimitur genus proximum in quo ſcientia conuenit cum habitu principiorum, per vltimam verò quomodo diſtinguitur ab illo. Pro cuius intelligentia, & vt melius cognoſci poſſit ipſa ratio ſcientiæ, nec non diſtinctio, ſeu differentia inter ipſam, & alios habitus intellectuales euidentes, nam de ineuidentibus inferius acturi ſumus, recolendæ ſunt diuiſiones eſſentiales habitus, ſeu virtutis intellectualis, quas ſupra in coordinatione prędicamenti qualitatis explicui.

Philoſophus hic diuidit ſcientiam in ſubalternantem,& ſubalternatam, cuius tamen diuiſionis diuiſum non eſt ſcientia in tota ſua latitudine; ſed ſcientia ſubalternatim poſita; quæ ſcilicet per ſe & intrinſecè reſpicit aliam,& petit coniungi illi,quam ſi contineat eſt ſubalterternans; ſi verò contineatur ſubalternata, Circa quam diuiſionem tria præcipuè ſunt breuiter explicanda. *Primum*, in quo conſiſtat ratio ſubalternationis, & quomodo ſtet cum illa ſcientiam ſubalternatam verè eſſe ſcientiam? ſecundum quomodo ſubalternans dicatur ab Ariſtotele, ſcire *propter quid*, ſubalternata verò *quia*; Tertium an ſcientia ſubalternata ſit verè ſcientia, in eo qui non habet ſubalternantem?

Circa primum notandum eſt, quod cum ſcientia ſubalternans idem ſit, ac ſcientia ſub ſe alteram continens; ſcientia verò ſubalternata idem ac ſcientia, quæ ſub altera continetur; tot modis dicetur aliquam ſcientiam alteri ſubalternari, quot modis continget ſub illa collocari, tribus autem modis id fit. Primò ratione finis, quando ſcilicet finis vnius continetur ſub fine alterius, & ordinatur ad illum. Quo ſenſu artes miniſtræ dicuntur ſubalternari dominis: &hic ſubalternationis modus eſt improprius, quia non ſemper illi præbet manifeſtationem veritatis, vnde ſecundum illum melius dicitur vnam ſcientiam, aut artem deſeruire alteri, quam ſubalternari illi. Secundo modo vna ſcientia collocatur ſub alia ratione principiorũ tantum, quod poteſt eſſe, vel quia accipit aliqua principia, vt contingit in medicina quæ probat vulnera circularia difficilius curari, quia eorum latera magis diſtant, principio à Geometria deſumpto ex natura circuli, qui eſt figura abſque angulis, vel quia accipit omnia ſua principia, quatenus de ſe non reſoluit in principia per ſe nota ſed ab alia ſuperiori ſcientia probata & tradita; & hac ratione dicimus Theologiam noſtrã ſubalternari ſcientiæ beatę nimirum ex parte principiorum, & euidentiæ; quia ex ſciẽtia beata, vel diuina habet Theologia euidentiam eorum principiorum quæ nunc fide credit. Et hoc ſufficere exiſtimant aliqui ad ſubalternationem verè & propriè dictam; quatenus euidentia principiorum vnius ſcientię pendet ab alia; non tamen habet noſtra Theologia omnes conditiones requiſitas ad ſubalternationem ex parte ſubiecti, quia re vera non habet aliud ſubiectum à ſcientia beata, & ſic ex parte ſubiecti non eſt ſubalternatio, ſed identitas, & conſequenter non addit differentiam accidentalem ad ſubiectũ ſubalternantis modo ſtatim explicando, ſed reſpicit idem ſubiectum, ſub diuerſa ratione formali, id eſt vt virtualiter reuelatum; ſcientia verò beata vt claræ viſum.

Tertio tandem modo vna ſcientia collocatur ſub alia ratione obiecti, quãdo ſcilicet obiectum vnius, continetur ſub obiectõ alterius. Et hoc contingit dupliciter, vel quia obiectũ vnius ſcientię continetur eſſentialiter ſub obiecto alterius; quia nimirum addit illi differentiam eſſentialem, & eſt ſpecies eius, quomodo cęlum, elementa, & animalia continentur ſub corpore naturali; & ideo ſcientia de cęlo, elementis, aut animalibus dicitur ſubalternari Phyſicæ; vel quia ſubiectum accidentaliter eſt ſub

alio;

alio; sicut musica agit de numero sonoro, & perspectiua de linea visuali, vbi visuale, & sonorum addunt differentias accidentales ad numerum, & lineam. Et hic tertius modus qui attenditur ex parte subiecti inducit proprijssimam subalternationem, quando tamen subiectum inferioris scientiæ addat accidentalem solum differentiam ad subiectum superioris, non autem essentialem, vel propriam passionem. Illa enim scientia dicitur propriè, & in rigore subalternata, quæ ita intrinsecè dependet ab alia vt si illi non subalternaretur, non esset scientia, neque haberet viam ad probandum suas conclusiones; vnde etiam prouenit quod accipiat à subalternante sua principia; hoc autem solùm inuenitur in scientia, cuius obiectum continetur accidentaliter sub obiecto alterius; si enim continetur essentialiter, iam scientia inferior habet absque superiori, vnde probet suas conclusiones, nempè talem differentiam, seu gradum essentialem, qui est verum, & primum principium passionum de illo demonstrabilium. At quando obiectum vnius scientiæ addit supra obiectum alterius differentiam omnino accidentalem, & extraneam, tunc ipsum obiectum superioris pertinet ad proprium propter quid passionũ in inferiori scientia de tali materia extranea demonstrabilium; si quidem ab hac in tantum oriuntur illę, in quantum ei coniungitur obiectum superioris; quo semel ablato non dimanarent; quæ dependentia non solum est in ordine entis quo modo ab obiecto Metaphysicæ, quod est ens dicuntur essentialiter dependere obiecta aliarum scientiarũ, sed in ordine scibilis.

Vnde colligitur ad hunc subalternationis modum tres indispensabiliter requiri conditiones. Prima quod obiectũ subalternæ contrahat, & superaddat ad obiectum subalternantis. Secunda quod superaddat differentiam accidentalem, atque adeò reddat extraneam materiam subalternæ à materia subalternãtis. Tertia quod differentia illa accidentalis, seu materia sit talis naturæ, vt ex coniunctione ad obiectum superioris scientiæ, habeat speciales proprietates, quæ possint de ipsa demonstrari; & consequenter constituat speciale genus scibilis; vt patet in sono respectu numeri, & in visuali respectu lineæ; sic enim sonus est materia accidentalis, & extranea respectu numeri, vt tamen ex coniunctione ad ipsum resultẽt in sonis speciales passiones, nempè consonantiæ: quę neque oriuntur à sonis secundum se; sed à numero applicato sonis, seu à sonis vt habentibus in se numerum; neque etiam inueniuntur in numero calido, vel frigido; & ideo numerus sonorus constituit speciale genus scibilis; non autem numerus calidus, aut frigidus, & idem est de linea visuali, alijsque similibus.

Non tamen propterea scientia subalterna habet pro obiecto illud aggregatum, vt est ens per accidens constitutum ex accidentali differentia, & subiecto superioris scientiæ, sed respicit vnum illorum per se, non tamen absolutè, sed vt modificatum, & connotatum per aliud, V.g. musica agit de sono quatenus modificatur, & connotat numerũ. Sic enim non est inconueniens, quod aliquod obiectum sit per se scibile, fundetque veritates necessarias, quamuis ad tale fundamentum petat per modum connotati, & obliqui aliquod accidentale. Plures namque sunt proprietates, quæ nõ conueniunt alicui rei absolutè; sed supposito aliquo statu, vel conditione sibi quidẽ accidentali, per se tamen requisita, vt talis proprietas dimanet; sicut ad lapidem nõ sequitur quies absolutè, sed pro vt in centro. Sic aliquæ proprietates, sequuntur ad visuale, vel sonorum non absolutè, sed ad visuale, vt est in linea, & sonorum vt est in numero. Et ita non conueniunt constituto & aggregato per accidens, sed vni per se, cum connotatione alterius.

Circa secundum; quomodo scilicet Philosophus asserat ad scientiam subalternantem pertinere scire *propter quid*; ad subalternatam verò *quia*; Responde-

tur

tur primo, non esse intelligendum quasi subalternans sciat conclusiones ipsas subalternatæ, & ad eas demonstrandas descendat; hoc enim stare non potest, nisi scientia ipsa subalternans mutaret abstractionem, atque adeo speciem; vnde scientia subalternans dicitur scire propter quid solitariè, & in communi, non applicatè ad hanc materiam, id est tradere principia in generali, quæ deinceps, huic determinatæ materiæ à subalternata applicantur. Similiter cum dicitur subalternatam scire *quia*, non debet intelligi priuatiuè,& ita quod tantum demonstret *quia*, & nullo modo *propter quid*,semel enim acceptis à sciẽtia subalternante principijs, verè demõstrat propter quid, imò in hoc consistit præcipuè subalternatio. Sed quia ex se non habet illa principia, nec ex se in principia per se nota resoluit, sed ab alia scientia superiori probata & illuminata accipit, ideò attribuitur superiori scientiæ scire *propter quid*, inferiori verò, seu subalternæ *quia*; quatenus si est scientia sensibilis, id est earũ quæ vsque ad sensibilem materiam descendunt,de quibus præcisè videtur loqui Philosophus, eadem sua principia, vera demonstratione propter quid à superiori scientia demõstrabilia, potest vlterius experientia ipsa cognoscere & inductione facta in ipsis singularibus, quod est scire scientia *quia*.

Quantum ad tertium,vtrum scientia subalternata sit verè & propriè scientia in eo qui non habet subalternantem. Dicendũ est quod in absentia scientiæ subalternantis potest acquiri subalternata, quæ sit verè, & substantialiter scientia, non tamen habebit perfectionem, & statum scientiæ, vsque dum actu coniungatur illi; quia ratio substantialis scientiæ per se primò solum attenditur penes certitudinem, qua intellectus adhæret scibili; neque requiritur quod habeat actu eius euidentiam; dummodo ex natura sua postulet illam & habeat quando est in statu perfecto; hoc autem totum reperitur in scientia subalternata seorsim à subalternante acquisita; eo enim ipso quod procedit ex principijs manifestatis in subalternãte, atque adeò præsuppositiuè euidentibus; secundum inclinationem & radicem petit euidentiam principiorum, licet ex parte subiecti non explicet illam ob defectum continuationis cum superiori scientia. Cuius signum est, quia fides, qua creduntur ista principia esse euidentia in superiori scientia, non est ratio inferendi conclusiones in scientia subalternata ratione credulitatis, & authoritatis fallibilis, sed vt præsuppositiua euidentiæ in scientia superiori.

Tandem comparando scientiam cũ opinione, & fide; distinguitur ab opinione in hoc, quod versetur circa propositiones necessarias, seu quæ aliter se habere non possunt, cui proinde non potest subesse falsum; opinio verò versatur circa propositiones contingentes, & quæ aliter se possunt habere, vel secundum se, vel secundũ quod accipiuntur à cognoscente; & ideo non semper verum attingit. A fide verò distinguitur scientia quod fides, licet quo maius est testimonium, tanto plus possit habere certitudinis (credimus enim maiori certitudine quæ à pluribus & melioribus asseruntur) possitque credere vsque ad certitudinẽ moralem,vt quando credimus Romam esse,quam nunquam vidimus; & tandem peruenire ad omnimodam certitudinem, & in eo superare scientiam, vt patet de fide diuina, nunquam tamen pertingit ad claritatem,seu euidentiam formaliter vt habitus scientificus, sed sibi intrinsecè annexam habet obscuritatem in qua distinguitur ab illo.

Vndè colligitur opinionem,& fidem cum scientia intrinsecè repugnare simul & semel in eodem homine, de eadem propositione, eodemque tempore, siue comparetur primo actus cum actu, scilicet assensus certus & euidens, qui est scientia, cum incerto & ineuidenti, qui est opinionis,vel fidei,actus enim obscurus, & euidens siue euidentia intuitiua; siue

fiue abstractiua pugnant inter se in eodem intellectu secundum priuationé ex parte subiecti, sicut & actus certus, & incertus. Siue comparetur secundo habitus cum habitu; est enim habitus scientiæ inclinatio ad assensum certũ & euidentem, quæ est inclinatio contraria illi, quæ inclinat ad ineuidentiam & formidinem, vndè opponuntur inter se cõtrariè tanquam oppositæ inclinationes ad oppositos actus, sicut in naturalibus opponuntur grauitas, & leuitas, quæ inclinant ad oppositos motus, & in moralibus virtutes, & vitia. Siue tandem tertio comparentur habitus & actus, vt si quis habeat habitum opinionis aut fidei, & eliciat actum scientiæ, vel è contra. Etsi enim inter habitum & actum euidentem, & ineuidentem, certum & incertum ex natura rei non detur oppositio formalis, si quidem habitus solum dicit inclinationem ad aliquid, actus verò actualem tendentiam, stat autem bene cum inclinatione ad vnum, tendentia ad oppositum, sicut lapis stante grauitate qua inclinat ad centrum potest tendere sursum per impulsum violentũ, per accidens tamen mutuò se expellunt, quatenus qui habet habitum opinionis, si eliciat actum demonstratiuum, hoc ipso illo vnico actu generat habitum sciẽtiæ perfectum, quia est perfectè conuincens intellectum, totamque eius resistentiam superans, & talis habitus non compatitur cum habitu opinionis propter sui perfectionem, sicut vna forma contraria perfecta expellit aliam.

Si modo conferamus inter se habitũ opinionis & fidei, distinguuntur essentialiter inter se quod opinio immediata, quæ habetur sine discursu, correspondetque habitui principiorum & definitur à Philosopho, quod sit acceptio propositionis immediatæ & non necessariæ, assentitur principijs probabilibus propter ipsam connexionem extremorum, fides verò propter extrinsecum testimonium dicentis. Ab opinione verò mediata distinguitur, quia hæc pertinet ad discursum, & fit necessariò ex præexistenti iudicio, vndè definitur quod sit assensus alicuius rei ob rationem & motiuum probabile, cum formidine partis oppositæ, quod non habet fides, quæ est assensus cogitantis ob authoritatem, seu testimonium dicentis.

Suspicio autem quæ solet definiri assensus inclinans in aliquam partem ex aliquo leui signo, vel pertinet ad opinionem tanquam aliquid imperfectum in illo genere; quatenus suspicans inclinat in vnam partẽ ex aliquo leui signo, opinans autem adhæret vni parti licet cum formidine alterius. Vel potest dici quod suspicio sit aliquid commune ad fidem humanam, & opinionem, tanquam imperfectum in vtroque genere, si enim leue iudicium, quo aliquis mouetur sit aliquod dictum non magnæ authoritatis, reducetur ad fidem leuem, qua aliquis cito credit. Si autem leue iudicium, sit aliqua ratio inefficax nulliusque ferè momenti, aut ponderis, spectabit ad opinionem imperfectam.

Vltimò tandem Philosophus conferendo scientiam cum solertia, dicit quod solertia est prompta coniectatio medij, seu facilitas inueniendi medium ad probandum, vt si quis videns lucidam illam partem Lunæ, quæ est versus Solem, statim perciperet id venire ex eo quod Luna suam mutuetur lucem à Sole; vnde ad ipsam videtur pertinere respicere media, ad scientiam verò cõclusiones; præterquam quod solertia nunquam procedit ex necessarijs simpliciter, id est euidenter cognitis vt necessaria, sed tantum ex derepente coniectatis absque alia consideratione, vnde potest facile decipi in tali coniectura, propter quod solertia non numeratur inter virtutes intellectuales.

De vnitate & distinctione Scientiarum.

Post explicatam rationem scientiæ, superest videre vndè sciẽtia habeat vnitatem, & distinctionem, tam in ratione formali scientiæ, quam in ratione quali-

qualitatis, quomodo videlicet scientia sit vna, vel multiplex qualitas. Quantum ergò ad primum vnitatis & distinctionis modum spectat.

Certum est primò quod sciētiæ speculatiuæ de quibus præsertim agimus in præsenti, sicut & omnes alij habitus suā specificationem sumunt ab obiectis, ita vt semper debeant adæquari & conformari vnitas, & distinctio scientiæ, cum vnitate vel distinctione obiecti in ratione obiecti.

Secundò certum est specificationem hanc non sumi ex vnitate, vel distinctione obiecti in esse rei, sed in esse obiecti, id est non ab obiecto materialiter & entitatiuè in se considerato, sed vt conducit, vel proportionatur scientiæ; cum de eodem obiecto entitatiuè considerato dentur plures scientiæ specie distinctæ, vt de hac propositione, terra est rotunda, quæ pertinet ad physicum, & Mathematicum; & è contra vna & eadem scientia consideret plura obiecta quantum ad entitatem valde diuersa. Vndè rectè docuit Caietanus 1. p. q. 1. artic. 3. aliam esse rationem obiecti in ratione, seu formalitate obiecti, aliam in esse rei, atque adeò alias esse rerum species in esse rei, alias in esse obiecti, vt ipsa exēpla clarè demonstrant, nam color in esse qualitatis est quoddam genus quod in varias distinguitur species, & tamen in ratione visibilis habet eamdem speciem obiecti visus.

Tota ergò difficultas consistit in explicando, quænam sit ratio illa in esse scibilis, seu ratio formalis sub qua, quæ specificè constituit obiectum in ratione obiecti scientiæ, & facit ab alio differre in ipsa ratione specifica; & hanc dico esse tam abstractionem, non sumendo abstractionem pro actu intellectus abstrahente, neque pro denominatione extrinseca ex illo consecuta, sic enim esset circulus, sed abstractionem radicaliter & passiuè, quatenus obiectum diuersam fundat immaterialitatem, & in hac adhuc non loquimur de abstractione totali, qua aliquid abstrahitur per modum vniuersalis à suis inferioribus, sic enim ista abstractio est communis quædam scientiarum conditio, quæ non agunt de singularibus, sed vniuersalibus, sed loquimur de abstractione formali, quæ abstrahit rationes formales à materialibus, & sic constituit seu fundat intelligibilitatem, ita vt secundum quod magis vel minus receditur à materia, redditur aliquid diuerso modo intelligibile; tam ergò hanc abstractionem, ratione cuius obiectum quasi illuminatur, & est actu intelligibile; quam medium seu principium demonstrationis per quod cognoscitur conclusio, dico pertinere ad rationem formalem sub qua specificatiuā scientiæ. Eo enim ipso quod radix intelligibilitatis est immaterialitas, & consequenter diuersæ intelligibilitatis diuersa immaterialitas; similiter etiam radix & principiū diuersæ scibilitatis erit diuersa immaterialitas, seu abstractio obiectiua, non absolutè & simplici modo considerata, sed pro vt ex præmissis descendit ad conclusiones, pręmissæ autem sunt in scientijs principia, seu media probatiua, seu definitiones, per quas propriæ passiones de subiecto demonstrantur; quæ media seu principia erunt eiusdem speciei in esse scibilis, seu luminis; quando vel vnum deriuatur ex alio, vel ambo ex aliquo tertio intra eamdem abstractionem; diuersa verò quando neque deriuantur ex alijs, neque ex alterutris.

Sic cum intra vnam & eamdem abstractionē plures possint contineri scientiæ specie distinctæ, talis abstractio à materia se habet solum per modum rationis sub qua, & in esse scibilis, à qua sumitur solùm vnitas & distinctio generica, ita vt omnes illæ scientiæ sint eiusdem generis dicendæ, quæ habuerint eamdem abstractionem, illæ verò diuersi generis, quæ diuersas. Cum autem iuxta triplicem materiam à qua potest aliqua res abstrahi, scilicet singularem quæ reddit rem indiuiduam & singularem, sensibilem quæ reddit illam accidentibus sensibilibus subiectam, intelligibi-

ligibilem, quæ est ipsa substantia corporea seu materia prima quæ dicitur intelligibilis quia solo intellectu percipi potest, triplex detur abstractio formalis, triplex tantum dabitur genus scibilis, & per consequens scientiæ, quod postea specie diuersificabitur, secundum quod intra vnam & eamdem abstractionem plura continebuntur media primo prima, hoc est nec ex alijs, neque ex alterutris deriuantia.

Alio modo posset explicari dicendo vnitatem quasi genericã in scientijs desumi ab abstractione per modum termini à quo, vnitatem verò athomam, & specificam ab abstractione per modum termini ad quem; in rebus enim materialibus, quæ redduntur intelligibiles, & immateriales, per segregationem à materia, & conditionibus materialibus, ipsa abstractio est quasi motus quidam, in quo consideratur terminus à quo, & terminus ad quem, formaliter quidem in ipso actu intellectus abstrahentis, fundamentaliter verò, & obiectiuè in ipso obiecto abstrahibili; ex parte termini à quo habet derelictionem materiæ quæ triplex est, & sic constituitur triplex genus abstractionis, ex parte autem termini ad quem talis abstractionis, in quo vltimo sistit, & determinatur abstractio, est diuersus gradus immaterialitatis, seu diuersus modus spiritualitatis, quem acquirere potest res sic abstracta, & ab illo specificatio athoma scientiarum desumitur. Quare non solum sumitur ratio formalis, & specifica scientiarum, ex recessu à materia, sed ex accessu ad determinatum gradũ immaterialitatis, quo obiectum aliquod determinatè depuratur, & redditur intelligibile, sicut etiam in Angelis diuersa species non solum sumitur ex recessu à corporeitate, sed ex accessu ad determinatum modum habendi spiritualitatem, & immaterialitatem vt docet D. Thomas cap. 6. de ente, & essentia circa finem. Vnde in Mathematicis, licet in communi abstrahant à materia sensibili, tamen quia diuersus immaterialitatis modus attingitur in quantitate continua, quam in discreta, si quidem discreta minus cõcernit materialitatem, cum minus dependeat à loco & tempore, quam continua, quæ copulat partes suas in loco; ideo duplex scientia constituitur specie distincta Geometria, & Arithmetica.

Loquendo modo de vnitate scientiæ in ratione qualitatis, breuiter dico non componi ex pluribus habitibus partialibus; neque similiter ex partibus extensionis, sed verè esse formam quamdam & qualitatem simplicem excludentem quarumlibet partium actualem cõpositionem. Si enim res omnes quæ cadunt sub obiecto Physicæ v.g. aut Geometriæ sunt vnicum scibile in specie infima propter vnicam & indiuisibilem rationem sub qua in eis inuentam, certè de illis omnibus vnicus etiam & simplex habitus Physicæ aut Geometriæ iudicare potest; sicut propter eamdem rationẽ vnica & simplex potentia intellectiua de omnibus intelligibilibus iudicat. Vnde augmentum habitus scientifici quãtum ad extensionem per nouas demonstrationes, non fit per additionem realitatis, sed per eamdem formam de nouo applicatam ad distinctam materiam, sicut eadem lux potest illustrare diuersos colores extensiuè, sine additione nouæ lucis, sed per applicationem ad nouum colorem illustrabilem; si quidem ille habitus de se, & forma præexistens inclinatio est ad omnia, quæ continentur sub suo obiecto formali, quod verò proximè & in actu non inclinet ad talem, vel talem materiam, non prouenit ex defectu formæ inclinantis, sed ex defectu materiæ, vel subiecti, quatenus nondum habet species coordinatas, nec ex parte subiecti exercitium, quod pertinet ad applicationem materiæ, sine qua forma ipsa non est sufficienter applicata, nec species illæ sufficienter ordinatæ, vt ipse habitus æquali facilitate ex parte subiecti possit in illas inclinare. Quare quãdò generatur habitus per aliquam demonstrationem generatur essentialis, & formalis facilitas ad omnes actus,

actus, & obiecta, sub tali ratione formali contenta, per secundam verò, vel tertiã demonstrationem, non generatur noua facilitas essentialis, sed accidentalis difficultas tollitur ex parte ipsius subiecti seu operantis, & applicationis materiæ, ita vt nouus effectus eiusmodi demonstrationum non sit nouum habitum entitatiuè producere, sed præexistentem reddere perfectiorem vt de nouo applicatum, sicut quandò fides extenditur ad noua credibilia. Quod si ex hac applicatione materiæ velint aliqui resultare nouum modum in ipsa forma de nouo applicata, & se extendente ad illam, potest concedi, dummodo talis modus non ponatur tanquam noua ratio informans sed tanquam applicatio præexistentis. Sed de hoc alibi in libris de generatione, vbi de qualitatum intensione.

EX OCTO LIBRIS TOPICORVM.

De Syllogismo opinatiuo, locisque Topicis in communi.

SYllogismus opinatiuus est ille qui constat materia cõtingenti, seu propositionibus probabilibus, & generat opinionẽ: alias dicitur Syllogismus Topicus, id est localis, denominatione desumpta à varijs locis vnde possunt desumi argumenta ad quamlibet rem in vtramque partem disputandam. Vndè hi libri ad inuentionem potius, quàm ad dispositionem pertinent. Inuentio enim græcè dicitur topica, id est ars inueniendi media; dispositio autem dicitur critica, siue iudiciaria quod de consecutionis, & probationis valore intentionibusque ad illum pertinentibus diiudicet.

Locus igitur, à quo syllogismus Topicus, in vniuersum est sedes argumenti, vel id à quo ad propositam quæstionem conueniens trahitur argumentum, & sic cum argumentum sit, aut per authoritatem, aut per rationem, duo in genere sunt loci, primus est ab authoritate, seu testimonio, secundus à ratione.

Locus ab authoritate, seu testimonio, quem alij vocant à pronuntiatis, quia sumitur ex his quæ alij pronuntiauerunt; alij ab assumptis, quia accipitur omnino ab extrinseco, iterum est duplex, alius à testimonio diuino Dei loquentis, vel per Prophetas, & Scripturas, vel per traditiones Christi, & Apostolorũ, vel per S. Pontificem, aut Ecclesiam; alius à testimonio humano, quod ab homine profertur, potestque ponderari, attendi, vel ex authoritate, vel ex voluntate, vel ex confessione, seu oratione. Ad authoritatem plura concurrunt, nempè ætas, ingenium, opes, ars, vsus & opinio virtutis; ita vt quantò plura horum quis habuerit; tanto maius & efficacius sit testimonium eius sumptum ab authoritate. Propter quod senum testimonijs maiorem fidem adhibere solemus; peritis in sua arte credimus; & qui nacti sunt virtutis opinionem melius persuadent. Ex voluntate etiam sumitur testimonium, vt ex testamentis, pactis, & legibus tam ciuilibus, quam canonicis. Tandem ex oratione, seu confessione; & hoc siuè spontè quis veritatem fateatur, siuè coactè, quia nimirum, vel corpus tormentis premitur, vel anima ratione voti, seu iuramẽti ligatur. Quæ omnia vt plenam, vel semiplenam probationem faciant, diligẽter sunt obseruandæ leges, & regulæ à Iurisperitis traditæ apud quas consuli possunt. Hoc vnum solum hic obseruandum est, quod à testimonio siue diuino, siue humano affirmatiuè sumitur efficax argumentum, vt si dicatur, Scriptura diuina pronuntiat, in principio creauit Deus cælum, & terram, ergò ita est. Omnes homines natura scire desiderant Aristotele teste, ergò ita est. Si verò argumentum sumatur negatiuè nihil probat, & inefficax est, vt si dicatur, Scriptura non dicit hoc, Aristoteles non dicit hoc: ergo non ita est.

Locus à ratione, seu per rationem similiter est duplex; est primò argumẽtum nominis, secundo rei. Nominis est, quod à nomine sumitur, sitque tripliciter,

ter, primò ab etymo, v.g. bellum à bellua est dictum, fugiendum ergò; secundò ab interpretatione; Petrus est amator sapientiæ; ergo Philosophus; Christus Iesus est Emmanuel; ergò est nobiscum Deus; tertiò à coniugatis, quandò scilicet nomina sunt affinia, eo quod vnum ab alio deriuatur, vt si quis dicat, homo es, humani igitur nihil alienum à te puta; non sunt appellandi viri, qui nihil habent virtutis, neque homines, qui nihil habent humanitatis. Argumẽtum rei est, quod ab ipsa rei natura sumitur; estque duplex, alterum sumptum ab absolutis, alterum sumptum à relatis.

Argumentorum rei ab absolutis depromptorum septem solent assignari genera; Primum genus est à causa & effectis. Secundum à genere & specie, exẽplum lapis non est animal, ergò nec homo, Plato est homo, ergò animal. Tertium genus à differentia, & differenti, vt homo est per se, ergò est substantia; albedo est accidens, ergò est in alio. Quartum genus est à parte & toto, quod diuiditur sicut ipsum totum; est enim quoddam totum vniuersale, aliud totum integrale, aliud totũ in quantitate, aliud totum in modo, aliud totũ in loco, aliud totum in tempore. Quintum genus est à subiectis, & adiunctis: sumendo subiectum pro eo in quo est aliquid, & ab hoc loco solent præponi virtutes, & sciẽtiæ, alijs accidentibus, quia in meliori subiecto sunt; adiuncta verò dicuntur illa accidentia quæ insunt subiecto, quæ si sint extra essentiam, & communia, dicuntur adiacentia; si verò res adiunctæ solum circumstent, vt arma, diuitiæ, dignitates &c. dicuntur connexa. Sextum & septimum est à definitione, & definito, diuisione, & diuiso.

Argumenta rei ex relatis desumpta similiter sunt septem: Primum est ab eisdem vt Planta non caret anima vegetatiua, bellua anima sensitiua, ergo nec homo. Secundum est à distinctis, seu dissentaneis; quæ de eadem re simul affirmari & negari non possunt. Quæ quando repugnant absque propria oppositione, solent appellari repugnantia seu disparata; quando verò habent propriam oppositionem dicuntur opposita: & hæc alia sunt relatiua, alia contraria, alia priuatiua, alia cõtradictoria. Ex quo loco sumit argumentum qui laudat humilitatem vituperando superbiam, qui ostendit damna luxuriæ, & auaritiæ, afferendo commoda castitatis, & liberalitatis. Tertium est à comparatis, seu similibus, vt faber instrumentis conficit opus, igitur dialecticus argumentatione verum & falsum conficit: comparatio tamen propriè fit, quando duo in aliquo vno tertio coniunguntur, vt si dicatur huic regi licet bellum iustum inferre, ergò etiam licebit huic alteri regi. Similitudo vero dicitur quando comparantur duo duobus per modum proportionalitatis, vt si dicatur, sicut inter apes est vna dux, ita inter homines oportet vnũ esse principẽ & ducem. Quartũ est à priori, & posteriori, v.g. non concepit, ergo nec peperit; peperit ergò concepit. Quintũ est à coæuis, v.g. datur causa in actu, ergò & effectus, Pater est, ergò filius est. Sextum est maiori, & minori; pro recta argumentatione à maiori duo canones debent obseruari, primus si maius alicui conuenit, eidem conueniet, & minus; v.g. potest rex arcem munitissimam expugnare, ergò & immunitam; secundus si maius non potest, nec minus poterit. V.g. rex hostes debellare non potest, ergò neque miles. Similiter in argumẽtatione à minori ad maius duo canones habentur, primus est si minus potest, & maius poterit v.g. miles potest ensem habere, ergò & dux potest; secundus si non potest in minus, nec poterit in maius, v.g. non potes decem milliaria conficere, ergo neque viginti poteris: In vniuersum autem vt valeat argumentatio à maiori ad minus, & è contra, maius & minus debent in eo ad quod comparantur consensum habere, propterea nihil valet, homo non potest producere poma, ergò nec pomus; aquila potest volare, ergò & homo potest: Septimum tandem & vltimũ est ab æquali, sub

ſub quo etiam comprehendi debet argumentum ab æquipari; V.g. diuina bonitas eſt infinita ſine quantitate, ergò diuina poteſtas eſt infinita ſine quantitate,& ad hunc etiam locum requiritur, vt æqualia in tertio ad quod comparantur conueniant, ob quam cauſam non valet excurſus iſte, Ioannes eſt Philoſophus, ergò & Paulus, non enim eſt inter eos æqualitas in illo tertio. Canones autem, ſeu regulæ rectè ratiocinandi ab æquali ſunt tres. Prima, ſi æquale alicui conuenit, vel diſſentit, eidem alteri æquali conueniet, vel diſſentiet. Hinc duæ argumentandi formulæ; 1. Petrus poteſt centum auri pondera ferre, ergo & centum argenti, aut alicuius alterius materiæ; 2. Angelus non poteſt ex nihilo producere, ergò nec poteſt in nihilũ redigere. Secunda regula, ſi quippiam conuenit, vel diſſentit æquali, idem & alteri æquali, conueniet vel diſſentiet; & hinc duæ argumentandi formæ, exẽplum primæ, diuina bonitas eſt infinita ergo & diuina poteſtas, aut ſapientia, exemplum ſecundæ, tu nolles ſacrilegium committere, & tantum mihi impingis facinus. Tertia regula, ſi æquale æquali conuenit vel diſſentit, alterum æquale alteri æquali conueniet, vel diſſentiet. Hinc etiam duæ argumentandi formæ, exemplum primæ, Petrus eſt capax diſciplinarum, ergò & Paulus eſt capax virtutum; exemplum ſecundæ, quando ego non curo tuum, tu ne cura meum.

Sunt, qui alio modo locos topicos diuidant. Primò in locum maxima, & locum differentiam maximè. Locus maxima idem eſt, quod ipſa maxima; maxima autem eſt propoſitio, qua non eſt altera prior neque notior, vt omne totum eſt maius ſua parte; item de quocumque prædicatur definitio, prædicatur, & definitum. Et de quocumque prædicatur ſpecies, de eodem prædicatur & genus. Locus differentia maximè, eſt ille, quo vna maxima differt ab alia per terminos quibus cõponitur, vt maximæ ſtatim allatæ, vna enim componitur ex genere, & ſpecie, altera ex definitione, & definito. Et hic locus differentia maximè diuiditur per locum intrinſecum, extrinſecum, & medium. Locus intrinſecus eſt quando ſumitur argumentum ab his quæ ſunt de ſubſtãtia rei. Locus extrinſecus eſt quando ſumitur argumentum ab his quę omnino ſeparata ſunt à ſubſtantia rei. Locus medius eſt quando ſumitur argumentũ ab his, quæ partim conueniunt cum terminis in quæſtione poſitis; & partim differunt ab eis.

Item locus intrinſecus diuiditur per locum à ſubſtantia, & per locum à concomitantibus ſubſtantialiter. Locus à ſubſtantia eſt, quando ſumitur argumẽtum ab his, quæ ſunt de ſubſtantia terminorum in quæſtione poſitorum; & diuiditur per locum à definitione quid rei, & quid nominis. Locus autem à concomitantibus, eſt quando ſumitur argumentum ab his quæ conſequuntur terminos in quæſtione poſitos, & diuiditur in locum à toto, à parte, à cauſa, ab effectu, à generatione, à corruptione, ab vſibus ſiue operatione rei, à communiter accedentibus dummodo ſe conſequantur.

Locorum autem extrinſecorum, alius eſt à diſſentaneis ſeu diſiunctis, alius à maiori, alius à minori, alius à ſimili, alius à proportione, alius à tranſumptione, quando nomen magis notũ ſumitur loco nominis minus noti, alius ab auctoritate.

Tandem locus medius diuiditur per locum à coniugatis, à caſibus, & à diuiſione quæ multiplex eſt.

Ex duobus Elenchorum libris.

QVemadmodum medicus non tantùm de medicamentis, quibus ſalus deperdita reſtituitur; ſed etiam de venenis quibus ipſa læditur, agit: vt quandoque fuerint alicui propinata, opportunis remedijs depellantur; ita Dialecticus non ſolum de locis dialecticis vndè probabilia deſumuntur argu-

argumenta, disputat, sed etiam de Sophisticis, vnde rationes captiosæ, & apparentes hauriri solent, vt quandocumque in concertationibus, similibus impetamur argumentis, quo pacto dissoluenda sint, sciamus. De hoc ergò argumentorum genere tractat Aristoteles luculenter in duobus libris Elenchorum; etsi enim ab eo vnus tantum Græcè cõscriptus sit, ab expositoribus tamen, vt clarior doctrina redderetur, in duos diuisus est. In quorum primo docet: quo pacto fallaces, ac inanes argumentationes conficiantur. In secundo vero; quo pactò dissolui & infirmari debeant. Porrò hi duo libri Elenchici inscribuntur, quia in eis agitur de sophisticis redargutionibus, seu reprehensionibus, elenchos enim Græcè idem est, quod latinè redargutio, seu reprehensio. Vnde satis apparet syllogismum sophisticum subiectum esse horum librorum. Tractat etiam de eadem materia D. Thomas in peculiari opusculo de fallacijs, quod est in ordine trigesimum nonum. Ex quibus breuiter, quæ ad præsens institutum necessaria fuerint desumemus.

Est igitur argumentatio, seu syllogismus sophisticus, qui procedit ex apparentibus, quæ scilicet videntur esse, sed non sunt. Et est duplex, alius qui procedit ex proprijs alicuius scientiæ principijs malè intellectis; vt si dicatur: *Omnes lineæ ductę à centro ad circumferentiam sunt ęquales: sed linea recta, & curua ducuntur à centro ad circumferentiã: ergò sunt ęquales.* Maior enim est principium Geometricum malè intellectum quia solum debet intelligi de lineis rectis, & huiusmodi syllogismum appellat Aristoteles in libris Analyticis pseudographum, cuius cognitio non pertinet ad Logicum, sed ad illas scientias, ex quorum principijs malè intellectis efformatur.

Alius est syllogismus sophisticus, qui constat ex apparentibus communibus, quę nimirum pluribus materijs applicati possunt; vt si dicatur: *Quidquid non amisisti habes: sed librum non amisisti, ergo librum habes.* Maior enim illa pluribus materijs adaptari potest; & talis syllogismi consideratio spectat ad Logicum, qui cum sit communis artifex, non solum explicat loca, quibus quisque instructus de quacumque quæstione proposita in vtramque partem probabiliter disputare possit, sed etiam vnde rationes apparentes cõmunes efformantur.

Rursus syllogismus iste sophisticus, de quo pertinet agere ad Logicum est triplex. Potest enim esse fallax, vel ratione materiæ tantum; quando nimirum licet sit in modo, & figura; tamen ratione alicuius æquiuocationis, aut aliunde fallit: vel ratione formæ tantum; quando scilicet forma syllogismi est vitiosa, licet propositiones sint veræ. Tertiò tandem ratione vtriusque. Ex his autem solum syllogismus fallax primo modo, dicitur propriè & absolutè syllogismus; quia ibi solum inuenitur forma syllogismi; in alijs verò duobus non. Quando ergo syllogismus fuerit fallax ex parte materiæ, distinguenda est illa propositio, in qua vitium residet: quando verò fuerit fallax ex parte formæ, concessa maiori, & minori neganda est consequentia, & assignandus defectus eius. Tandem si syllogismus sit fallax ex parte vtriusque, tunc quo malueris modo, poteris respondere; vel assignando vitium materiæ, seu defectum formę. Superest ergò vt ostendamus breuiter aliqua loca, seu fallacias quibus Sophistæ vtuntur, quæque oriuntur ex defectu in materia syllogismi: sunt autem istæ apud Aristotelem tredecim, ex quibus sex contingunt in dictione siue complexa, siue incomplexa, seu vocibus significantibus res; septem verò in ipsis rebus significatis.

Fallaciæ primi generis sunt, Aequiuocatio, Amphibologia, Compositio, Diuisio, Accentus, & Figura dictionis; Tot enim sunt fallaciæ, quæ ex dictione procedunt, quot sunt modi, quibus vna dictio multa significat; at sex modis duntaxat, potest vna dictio multa significa-

re;

re; sex igitur tantum sunt fallaciæ, quæ ex dictione proueniunt; quod vt clarius intelligatur, considerandum est, tribus modis posse fieri, vt vox aliqua cum materialiter sit vna, atque eadem multa significet; primum cum eadem dictio absque vlla penitus variatione plura significat, vt vox *canis*, respectu terrestris cælestis, & marini, appellaturque *multiplex actuale*. Secundò, cum aliquo modo variatur, quo ad accentum, quantitatem syllabarum, ortographiam, cõpositionem, aut diuisionem, vt vox *populus*, quæ cum habet primam syllabã breuem, significat hominum multitudinem, cum verò longam, significat arborẽ, & appellatur *multiplex potentiale*. Tertio cum vna dictio re vera non significat multa, videtur tamen significare, quo pacto nomen *secundę substantiæ*, significat re vera quale quid, & videtur præterea significare hoc aliquid, vt docet Aristoteles in prædicamentis; hoc autem dicitur *multiplex phantasticum*, seu appatens, ad quod etiam genus multiplicitatis pertinet ea dictio, quæ per similitudinem, quam habet cũ alia, videtur habere aliquam proprietatem alterius, quam re vera non habet, V. g. quia vocabulum, planeta, definit in a, sicut Musa, videtur esse generis fęminini. Si igitur vox aliqua significet multa in actu, vel est simplex dictio, & sic efficit æquiuocationem; vel est oratio, & sic efficit amphibologiam; si verò sit multiplex potentialis, vel præterea multa significat, quia diuersa potest esse partium compositio, vel quia diuersa est earum diuisio, vel quia diuersus est accentus, aut quantitas syllabarum, aut orthographia, & sic oritur fallacia compositionis, diuisionis, & accentus. Quod si multa significet phantasticè & apparenter, fiet fallacia figura dictionis.

Igitur prima fallacia æquiuocationis contingit, quando ponitur in præmissis aliquis terminus æquiuocus. Quod fieri potest tripliciter. Primò, quando est purè æquiuocus; vt si arguas: *canis est latrabilis; sydus cęleste est canis; ergo sydus cęleste est latrabile*. Secundo, quando est analogus attributionis, aut proportionalitatis metaphoræ; vt si dicas: *Quidquid ridet deducit os; sed pratum ridet; ergò pratum deducit os*. Tertiò quando vox aliqua seorsim sumpta vnam rem significat; quæ tamen alijs coniuncta mutat significationem, vt si dicas; *Qui sanabatur sanus est; sed ęgrotus sanabatur: ergò ægrotus sanus est*. Vbi vox ægrotus vnita cum verbo de præterito in minori fit de præterito; quia verò in conclusione iungitur cum verbo de præsenti, fit etiã ipsa de præsenti.

Secunda fallacia amphibologiæ fit quando aliqua integra oratio est æquiuoca, & habet plures sensus, & accidit duobus modis. Primus est, quando est pura æquiuocatio; quia nimirum oratio illa æque habet vtrumque sensum absque ordine vnius ad alium. V. g. hęc oratio *Liber Aristotelis*, æquè enim significat, & librum, qui possidetur ab Aristotele, & qui ab Aristotele editus est. Et ita committitur Amphibologia si arguas; *Liber Aristotelis possidetur ab Aristotele; sed liber iste Elenchorum est Aristotelis; ergo possidetur ab Aristotele*. Secundus modus est, quando aliqua oratio habet duos sensus, quorum vnũ primò, & propriè significat; alium verò per metaphoram, & translationem; vt si dicas; *Quicumque littus arat, littus scindit aratro; sed qui oleum & operam perdit, littus arat; ergo qui oleũ & operam perdit, littus scindit aratro*; & ad hunc locum reuocat D. Thomas fallaciã, quæ fit ex mutatione casus, vt si dicas: *Omnes magistri sunt homines; isti libri sunt magistri; ergò isti libri sunt homines*.

Tertia fallacia *compositionis*, & quarta *diuisionis* committuntur, quando à sensu composito vero arguitur ad sensũ diuisum falsum, vel è contra: quod tripliciter potest fieri. Primò, quando propositiones sunt modales (præsertim, si non attendatur; an modus prædicetur, vel interponatur partibus dicti, ad iudicandum propositionem esse compositã vel diuisam:) vt si dicas: *Quicumque*

quie-

quiescit, potest ambulare; sed sedens, dum sedet, quiescit; ergo sedens dum sedet, potest ambulare. Secundò, quando aliquod extremum propositionum habet plures terminos, qui possunt sumi, vel copulatim, vel disiunctim; ita vt propositio sit cathegorica de copulato, vel disiuncto extremo, vel etiam copulatiuè, aut disiunctiuè; ita vt propositio æquiualeat hypotheticæ copulatiuæ, aut disiunctiuæ; vt si dicas: *Quicumque numerus componitur ex duobus, & tribus, est duo, & tria: sed quinarius, non est duo, & tria: ergo quinarius non componitur ex duobus & tribus.* Vbi maior est vera copulatim; minor verò copulatiuè. Tertiò tandem contingunt hæ fallaciæ, quando aliqua vox potest iungi partibus antecedentibus, & consequentibus; vt si dicas: *Qui scit litteras modo, didicit illas, sed tu scis litteras: ergò modo didicisti illas.*

Quinta fallacia accentus fit, quando eadem vox variè prolata varia significat. Et fit quatuor modis. Primò, quando mutatur accentus de acuto in grauem, vel è contra; vt si dicas: *Quicumque occidit moritur: sed Sicarius occidit, ergo Sicarius moritur.* Secundò quando mutatur quantitas syllabæ sic: *Omnis populus est hominum multitudo; sed aliqua arbor est populus: ergo aliqua arbor est hominum multitudo.* Nam in maiori prior syllaba corripitur, in minori verò producitur. Tertiò quando mutatur modus proferendi, nunc leniter; nunc asperè vocem pronuntiando; vel nunc in vero sensu, nunc per ironiam loquendo; vt si dicas: *Omnis ara est in templo: sed porcorum stabulum est hara, ergo porcorum stabulum est in templo.* similiter: *Qui dicit tibi, præclarè functus es officio tuo, laudat te: sed aliquis illudens tibi, dicit, præclarè functus es officio tuo: ergo aliquis illudens tibi, laudat te.* Quartò tandem, quando plures voces coeunt in vnam, vt si dicas: *Quicquid fit in vite est pampanus, vel racemus: sed quicquid fit coactè fit inuitè: ergò quicquid fit coactè est pampanus, vel racemus.*

Sexta fallacia *figuræ dictionis* contingit, quando fit transitus de vno genere in aliud. Quod accidit multipliciter. Primò, si transeat de vno genere Grammaticorum in aliud, vt quando committitur solecismus; quia altera extremitatum est generis fœminini. V. g. & altera masculini, vt si dicas: *Omnis substantia affecta albedine, est alba; sed paries est substantia affecta albedine: ergo paries est albus.* Secundò quando fit transitus de vno prædicamento in aliud; vt si dicas: *Quicquid fuisti heri, es hodie, sed insipiens fuisti heri: ergo insipiens es hodie:* ibi enim transfertur quid in quale. Tertiò, quando intra idem prædicamentum fit transitus de vna specie in aliam, vt si dicas: *Digitos quos olim habuisti, habes hodie: sed paruos digitos olim habuisti: ergo paruos digitos habes hodie.* Quartò tandem quando vox significans rem vniuersalem transfertur in vocem significantem rem particularem, vel è contra; vt si dicas: *Quod ego sum tu non es: sed ego sum homo: ergò tu non es homo.* Vbi vox ego, quæ in maiori est particularis, in minori fit vniuersalis: quia iungitur cum homine.

Fallaciæ secundi generis, quæ scilicet contingunt in rebus significatis sunt fallacia accidentis, consequentis, à dicto secundum quid ad dictum simpliciter, ignorantiæ Elenchi, seu redargutionis, petionis principij, non causæ, vt causæ plurium interrogationum, vt vnius.

Fallacia *accidentis* tribus modis contingit. Primò, quando quod est propriũ subiecti tribuitur accidenti; vt si dicas: *Iste canis est pater, & est tuus: ergo est pater tuus*; nam canis, & pater sunt vnum per accidens. Et ita non sequitur, quod quicquid est verum de vno, sit verum de altero. Secundò, quando quod conuenit superiori accidentaliter, quia superius est: tribuitur inferiori; vt si dicas: *Animal est genus; homo est animal: ergo homo est genus.* Tertiò, quando inter ea quæ reciprocantur, quidquid conuenit vni quocumque modo tribuitur alteri; vt si dicas: *Animal rationale est definitio: homo est animal rationale: ergo homo est definitio.* Fal-

Fallacia *consequentis* fit, quando argumentamur à termino consequenti, ad antecedentem; quando tales termini nō sunt simul antecedens, & consequens. Quod dupliciter contingit. Primò quando ex affirmatione termini consequentis infertur antecedens; vt si dicas: *Est animal, ergo est homo.* Secundò quando ex negatione termini antecedētis infertur negatio consequentis, vt si dicas; *Non est homo: ergo non est animal.*

Fallacia à dicto secundum quid ad dictum simpliciter, siue ab eo quod est in parte, ad id quod est in toto, contingit duobus modis. Primus est, quando illud, quod inest parti, cum possit inesse toti, tribuitur toti, *vt Aethiops est albus secundum dentes: ergo est albus.* Secundus modus est, quando quod non conuenit alicui sine adiectiuo, tribuitur absque illo; vt *cadauer est homo mortuus: ergo est homo.* Et generaliter quando prædicata, quæ non possunt diuidi, diuidimus; aut quæ non possunt coniungi, coniungimus; committitur fallacia ista; vt si dicas: *Petrus est magnus & est Philosophus: ergo est magnus Philosophus. Paulus est bonus prætor, ergò est bonus, & est prætor.*

Quarta fallacia *ignorantiæ Elenchi*, seu *redargutionis* committitur, quando deest aliquid ad contradictionem necessarium, & tamen inferimus contradictoria. Vnde tot modis contingit, quot sunt conditiones requisitæ ad contradictionem; & sic primò fit captio ista, quando non est in ordine ad idem. Secundò si non est secundum idem. Tertiò si non fit eodem modo. Quartò tandem, si non fit eodem tempore. vt *In Italia calescit tempore æstatis, & non calescit tempore hyemis: ergo calescit, & non calescit.*

Quinta fallacia *petitionis principij* fit, quando id ipsum assumitur, quod in quæstione versatur. Et fit primò, quando vnum synonimum per aliud probatur, vt si probaturi hominem viuere assumamus esse animatum. Secundò quādo assumimus illud, quod est omnino idem, cum eo quod probaturi sumus; etiam si diuerso modo significentur; vt quando probamus hominem esse risibilem, quia animal rationale est risibile.

Sexta fallacia *non causæ vt causæ* cōtingit, quando aliquis effectus tribuitur vt causa alicui; quod tamen non est vera eius causa. Vt si colligatur, arma non esse in republica permittenda, eo quod multis turbandæ pacis occasionem præbent; vel litterarum studijs non esse incumbendum, eo quod multis perniciem attulerunt.

Septima fallacia *plurium interrogationum, vt vnius*, eo tendit, vt qui simplicem responsionem reddet, omnibus minimè satisfaciat; ac proinde decipiatur. Contingit autem tripliciter. Primùm cum vnum de pluribus interrogatur, vt si quæras, *An Luxuria & Castitas sint bona?* Secundò cūm plura quærunt de vno; vt si quæras; *An Petrus sit homo & equus?* si enim respondeas affirmatiuè infert Sophista; ergo Petrus est equus; si autem negatiuè, infert ergò Petrus non est homo. Tertiò tandem cum plura de pluribus quęruntur, vt si Petro existente cæco, & Paulo vidente inquiras: *An Petrus, & Paulus sint cęci & videntes?*

DE METHODO.

Quarta Dialectices parte.

SVnt qui supradictis tribus dialectices partibus quartam addant, *Methodicam* videlicet, cum enim communiter Philosophi recenseant tantum tres mentis operationes, quarum directioni, tanquam fini proprio dialectica incumbit; illi quartam insuper constituunt, quam *Methodum* appellant. Quæcumque enim operatio mentis efficit, vt aliquid melius, citius, & perfectius cognoscamus, illa est distincta operatio à reliquis: sed Methodus hoc facit. Quod ita probatur. Si quis partes alicuius materiæ sine ordine & methodo tractet, aut noscat is dicitur esse, confusus, obscurus intri-

intricatus &c. Contrà verò si cùm methodo, ratione & ordine tractet rem clarè, & perspicuè, perfectè scire dicitur: ergò Methodus est operatio mentis, quę facit vt aliquid distinctè noscamus, distinctaque consequenter mentis operatio. Et si obijciatur methodum nihil aliud esse, quàm coniunctionem, seu connexionem aliarum mentis operationum, vel operationem per quam multi discursus & argumenta methodicè coniunguntur, atque adeò non esse distinctam ab alijs mentis operationem. Respondent hoc argumentum nullum esse, nam etiam tertia mentis operatio nihil est aliud, quàm coniunctio operationis secūdæ; quia syllogismus nihil est aliud, quàm certa operatio, per quā tres enunciationes (quarum quæuis est secunda mentis operatio) coniunguntur. Pariter secunda mentis operatio nihil aliud est, quàm coniunctio primarum mentis operationum.

Verum quidquid sit de hoc, an methodus particulariter, & propriè sumpta sit quarta mentis operatio distincta, vel non? sed tantùm modus quidam alias tres inter se ordinandi, & connectendi; nemini dubium esse potest, quin proprium sit Logicæ circa illam versari, ad quam pertinet tradere modos omnes communes, quibus in alijs scientijs ad rectam rerum cognitionem consequendam iuuamur; cui fini non solum inseruiunt supradictæ intentiones logicales trium mentis operationum directrices, quæ etiā ab aliquibus vocantur methodi, secundum quod significat methodus generaliter omnem benè noscendi rationem; sed etiam methodus particulariter & propriè dicta, secundum quod ab illis aliquo modo distinguitur, & iuxta statim dicenda definitur, *Via communis & ordinata, qua breuiter, & cum ratione ad optatum finem peruenimus*. Vel breuius, *modus ordinatus procedendi in veritatis indagine*.

Pro cuius intelligentia notandum est duas esse vias indagandæ veritatis: alteram per sensum, & experientiam, vt qui scire desiderans, an ignis sit calidus, manum illi applicaret: alteram per rationem, vt si ad sciendum ignem esse calidum, vteretur ratione Philosophica, quod sit tenuis, rarus &c. Prima non pertinet ad methodum, sed secunda. Nam cum methodus versetur circa vniuersalia, sensui, & experientiæ inniti non potest. Et propter hoc in prima methodi descriptione statim adducta ponitur illa particula, *cùm ratione*, & in secunda, *modus ordinatus*: vtraque enim denotat viam illam, quæ reperitur in methodo, debere esse per rationem, & non per sensum.

Quidquid sit de differentia ordinis, & methodi, quam ponunt aliqui, consistitque in hoc quod ita sint ambo instrumenta Logica nobis inseruientia ad rerum cognitionem facilius adipiscendam, procedendo à noto ad ignotum; vt tamen ordo, quatenus ordo est, vim colligendi non habeat, sed disponendi solum, siue, quod idem est, sit progressus à notioribus, cognitione tantùm dirigente ad aliorum notitiam; methodus verò à notioribus etiam cognitione agēte, per illationem vnius ex alio; qua ratione nil aliud videtur esse methodus, quàm syllogismus: Quidquid sit, inquā, de illa differentia, quàm latè prosequitur Iacobus Zabarella lib. 3. de methodis, videturque procedere ex indistinctione inter methodum vniuersaliter, & particulatiter, seu propriè consideratam, vt statim dicetur; agimus nunc de methodo secundùm quod cū ordine coincidit, aut saltem ab illo parùm differt: Etsi enim methodus generaliter considerata, pro vt significat omnem benè noscendi rationem, vt diximus supra, coincidat cū omnibus intentionibus logicalibus, & præsertim cùm syllogismo primatum inter illas obtinente, atque adeo sic ab ordine distinguatur modo prædicto; nihilominus si loquamur de methodo particulatiter & propriè sumpta, pro vt est ratio vniuersam aliquam materiam tractandi, meliusque & citius percipiendi, vel vt diximus supra *modus* *ordi-*

ordinatus procedendi in veritatis indagine, sic coincidit cum ordine, distinguiturque à syllogismo, & cæteris intentionibus logicalibus, eo fere modo quo ordo distinguitur à rebus vel partibus ordinatis, quatenus methodus est id, per quod multæ intentiones logicales, multique discursus & argumenta ordinatè inter se coniunguntur ad faciliorem veritatis rei alicuius adeptionem.

Methodus sic explicata triplex esse potest. Prima per quam tractetur aliquis terminus simplex, siue simplex aliqua materia; vt si alicui proponatur, vt methodicè de Deo, de Angelis, de virtute, siue de aliquo simplici themate agat. Secunda est operosior, per quam tractatur de themate composito, siue de aliqua quæstione, v.g. si quæratur vtrùm virtus sit præferẽda diuitijs. Tertia methodus est per quã integra aliqua scientia aut ars, aut oratio, aut tractatus instituitur, & explicatur. De quibus singulis breuiter agemus, nec non etiam de recta studendi ratione.

De methodo tractandi simplicem terminum.

HAec methodus primò secundum Aristotelem quinque, vel etiam, vt distinctius aliqui docent, decem regulis quæstionalibus absolui potest. Secundum Aristotelem quidem. 1. Tractanda nomina, & significatus. 2. An res sit. 3. Quid sit. 4. Qualis sit. 5. Quare sit. Alij hæc decem recensent, quæ tamẽ sub prioribus quinque virtualiter, & implicitè continentur. Primum est quid vocabulum significet. 2. An res sit. 3. Quid sit. 4. Quotuplex sit. 5. De quo, vel ex quo. 6. A quo, aut per quẽ. 7. iuxta, vel secundum quid. 8. cuius. 9. propter quid. 10. Quare. De quibus omnibus vide Petrum Grogorium lib. 2. Syntaxis artis mirab. Aegidium Moncurtium Ord. Minimorum tract. 1. typi scientiarum.

Secũda methodus qua tractatur simplex terminus potest esse per omnia prædicamenta, quicquid enim de aliqua re scribi, aut dici potest, id omne pertinet ad aliquod ex prædicamentis. Scripturus igitur de aliqua re primum prærequiritur, vt noscat in quo prædicamẽto illa sit, ideoque vt ipsius genus, & species si quæ sint, noscat. Secundò prærequiritur, vt ex compendio Logico, præcipuas vniuscuiusque prædicamenti species similiter noscat, reique tractandæ applicet. V.g. de homine postquam notata est ipsius definitio, variaque genera, quodque ad prædicamentum substantiæ pertineat; deueniendo postea ad prædicamentum quantitatis, secundum illam, hominum alius est magnus, alius paruus, vbi de magnitudine Gigantea, & de Pygmeis; secundum qualitatem, hominum alius est auarus, alius liberalis, alius albus, alius niger, & sic ordine per reliqua prædicamenta, Ratione relatorum vnus est rex, alius seruus; Ratione actionum: vnus studet, alius militat &c.

Pythagoras auctor Philosophiæ, rerum omnium decem etiam statuit ordines, & classes (ita tamen vt in vnoquoque ordine contineantur contraria) per quæ de vnaquaque re methodicè scribendi, vel disserendi, non inutilia habentur præcepta: ordines autem isti sũt. *Vnum & plura, bonum & malum, lumen & tenebra, motus & quies, masculinum & fœmininum, dextrum & sinistrum, par & impar, quadratum & altera parte longius, rectum & curuum, finitum & infinitum.*

Vbi per vnum & plura, conseruatio vitæ, & mortes intelligi possunt, curuo & recto, quod rationi consentaneum, & dissentaneum: per lumen & tenebras, cælestia & terrestria; per masculinum & fœmininum, maiora & minora: per dextrum, & sinistrum, quæ potentiora, & quę imbecilliora sũt. Sit igitur de aliqua re scribendum, vel discurrendum, explica quid boni & mali afferant, quid ad vitam, aut mortem, quid ad cognitionem cælestium & terrestrium, & sic ordine procedendo, conferant.

Ad

Ad hoc idem pertinet Artis Lullianæ vſus,pro cuius intelligentia quatuor ſunt obſeruanda. Primum eſt, in omni re reperiri, & ſpectanda eſſe hæc nouē abſoluta ſcilicet, *bonitatem, magnitudinem, durationem, poteſtatem, ſapientiam, voluntatem, virtutem, veritatem & gloriam, ſeu quietem*. Secundum eſt in omni re inueniri, & conſideranda eſſe hæc nouem relata, *differentiam, concordantiam, contrarietatem, principium, medium, & finem, maioritatem, minoritatem, & æqualitatem*. Tertium eſt de omni re licere diſcurrere, comparatione inſtituta cum iſtis nouem, in quibus omnis res aliquo modo reperitur, hæc nouē ſunt, *Deus, Angeli, elementa, plantæ, animalia, rationalia inſtrumenta, & artificialia*. Quartum in omni re ſpectandam comparationem cum iſtis virtutibus, *Sapientia, ſcientia, prudentia, arte, iuſtitia, fortitudine & temperantia*.

De quacumque re igitur aliquis velit aliquid notare, aut ſcribere, poteſt per hos omnes locos facillimè id præſtare. V.g. ſi de homine, ſitque laudandum in eo ieiunium, ſic procedet: Ieiunium eſt res bona, nec eſt ita magnum aliquamdiu abſtinere à cibis, & tamdiu ieiunandum, quamdiu imbecillitas id patitur: & certè ſapientes viri maximè ieiunant, vt poſſint virtutem aſſequi, veritatiſque amore, indeque gloriam promerentur. Nec ſolum ad ordinem doctrinæ, ſed etiam ad argumentandum ex tempore mirum in modum conducunt talia prædicata, v. g. ſit theſis hominem eſſe immortalem, ſic efformari poteſt argumentum; Si homo eſſet immortalis, præcipuè boni deberent eſſe immortales: ſed hoc non eſt, ergò &c. Probatur maior; ſi boni eſſent immortales, potiſſimùm maximi, ſecundum bonitatem: ſed hoc non eſt: ergo &c. Probatur minor ſi maximi eſsēt immortales, plus durarent quàm alij, ſed non plus durant. Probatur; ſi plus durarēt, haberent aliquam poteſtatem per quam diutius durare poſſent: ſed non habent; ergo &c. Probatur minor; ſi haberent talem poteſtatem, ea præcipuè ſapientibus conceſſa foret: ſed hoc non eſt verum: ergò &c. Sed de his ſatis, quorum fuſior, & plenior explicatio videri poteſt in Digeſto Sapientiæ Pariſijs impreſſo authore Patre Yuone Ordinis Capuccinorum, alijſque pluribus authoribus.

De methodo qua tractari poteſt aliqua quæſtio.

PRimum proponenda eſt quæſtio, & ſenſus illius explicandus. Secundò afferendæ ſunt diuerſæ authorum ſententiæ. Tertiò adducenda ſunt fundamenta quæſtionis, & tuæ concluſionis; nihil eſt enim quod magis aperiat viam ad ſolutiones difficultatum, & ferè ſeipſo ſoluat, quam recta poſitio doctrinæ, & veritatis; fundamenta autē hæc ſunt præcipua, recta expoſitio, & varia diſtinctio terminorum quæſtionis. Quartò propria ſtabilienda eſt ſententia, quā probabis tùm authoritate, tum rationibus quæ pendeant, & ſumantur ex præiactis fundamentis tuis. Quintò refellendæ ſunt aliorum ſententiæ. Sextò ſi quid contra obijci poſſit, afferendum eſt, & ſoluendum. Septimò modeſtè notari poterit, quæ ſententia, aut plus, aut minus à vero aberrarit, & vndè.

De methodo, per quam integra aliqua ſcientia, aut ars inſtitui, & explicari poteſt.

DVplex eſt hæc methodus, loquendo de naturali, quæque procedit iuxta regulas ordinarias artis, ad diſtinctionem methodi arbitrariæ, & artificioſæ, in quarum prima, prætermiſſa methodo naturali, ad arbitrium, aliqua ratione compellente, alium ordinem ſequimur; in ſecunda verò de induſtria peruertimus totum ordinem, ita vt poſteriora prius, & priora poſterius tradantur. Methodus, inquam naturalis, pro vt ab his duabus diſtinguitur, quarum nullus ferè in ſcientijs eſt vſus, diuiditur in methodum *compoſitionis*, & *reſolu-*

solutionis. Methodus compositionis est via, in qua progredimur à simplicioribus, & prioribus, ad magis composita, & posteriora; quod quatuor modis potest contingere. *Primò*, quandò procedimus à simplicioribus ad magis composita, vt quando Grammaticus procedit à litteris, ad syllabas; à syllabis, ad dictiones; & ab his ad perfectas orationes. *Secundò*, quando progredimur à magis ad minus vniuersalia, vt si acturi de animalibus, prius tractaremus de animali in communi, & postea de homine, vel alio speciali animali. *Tertiò* quandò pergimus à causis ad effectus: *Quartò* tandem à medijs ad finem.

At verò methodus resolutionis, cùm sit contraria methodo compositionis, erit contrario modo definienda, & diuidenda. Est ergò via, in qua progredimur à magis compositis, & posterioribus, ad simpliciora, & priora. Quod consequenter alijs quatuor modis accidit. *Primò* à compositioribus ad simpliciora, vt in Physica à composito naturali substantiali, ad materiam & formam. *Secundò* à minus ad magis vniuersalia, vt ab homine ad animal. *Tertiò* ab effectu ad causam, vt ab eclypsi ad interpositionem terræ. *Quartò* à fine ad media, vt à sanitate ad medicamenta.

Ex his duabus methodis, vt methodus resolutionis est accommodatior ad artes inueniendas: nam ex notione finis artes sunt adinuentæ; ita methodus cõpositionis, præsertim duobus primis modis aptior est ad tradendas disciplinas. Cùm enim ars imitetur naturam teste Philosopho 1. Physic. cap. 3. & hæc in suis operibus progrediatur, vel à simplicibus ad composita, vt patet in elementis, ex quibus procedit ad mixta; vel ab vniuersalioribus ad minus vniuersalia, vt patet in generatione hominis; consequens est vt ars qualibet tradenda sit methodo compositionis. Qui plura de hac materia desiderat cõsulat Carpentarium in disput. de methodo aduersus Ramum, Monsonium lib. 1. composit. dialect. Villalpandum quæst. vlt. proæmiali, & latissimè Iacobum Zabarellam Patauinum in 4. libris quos de methodis conscripsit.

De recta studendi ratione.

SI dialectica ars artiū, scientia scientiarum vocatur, quod doceat, qua via, & ratione, artes scientiasque omnes facilius addiscere possimus; nemini dubium esse potest quin etiam ad illam pertineat tradere rectam studendi rationem. Et quia omnis nostra cognitio, Philosophiaque duplex est, vna rerum, siue effectuum historica. Altera rerum, siue causarum, siue per causas ætiologica. Insuper omnis nostra cognitio est ex artibus & scientijs, pariterque de artibus, & scientijs. Hinc est quod ad dialecticam pertinet docere, quæ de artibus, & ex artibus, quæ de scientijs, & ex scientijs ad rectam studendi rationem obseruari, & connotari debent. Igitur post sedulam Sancti Spiritus inuocationem.

Præceptum primum, illudque omnino vtilissimum, est, vt sumatur is author qui primus aut princeps de illa arte, vel scientia scripsit, cui nauaturus es operam: v. g. Aristoteles de Philosophia: iam ordine temporum, quo vixerunt illi qui de Philosophia scripserunt legantur. Et si quid noui dicant notetur. Si verò tantùm repetant quæ priores dixerunt, prætermittatur. Sic enim vnico libro vniuersa habebuntur, quæ de aliqua arte scripta sunt.

Secundum præceptum est de Analysi, siue de resolutione librorum per quam ea quæ auctor centū paginis scripsit, in quatuor aut quinque pagellas contrahi possunt. Omnis enim liber, exceptis historijs & fabulis, aliquam quæstionem probat, vel improbat v. g. Gallos esse fortes, siue de Gallorum fortitudine aliquis auctor scripsit. Tantùm duobus modis hoc probare potest vel per inductionem, seu exempla, vel per syllogismum, seu rationem. Iam exempla quæ multis affert hoc modo resolui possunt, v. g. probat esse fortes indu-

inductione longa facta per Reges, Equites, milites &c. Sic resolue & nota, Galli sunt fortes propter Reges, propter Equites, milites, & sic ordine omnia exempla: Si verò ratione probat, tantum debes habere duo capita, seu duas propositiones; quarum vna est de vno termino v. g. de Gallis, alia propositio de fortibus: iam quidquid dicet de fortibus collige in vnum locum v.g. fortes sunt, qui pericula adeunt, pro Rege moriuntur, suis stipendijs militant, & sic de cæteris: alia propositio est de alio termino, scilicet de Gallis. Quidquid ergo de Gallis dicit, id in vnum locum congere v.g. Galli exteros vicerunt.

Tertium præceptũ consistit in modo, quo loci communes sunt instituendi, de quo egregium composuit opusculum Hieremias Drexellius Soc. Iesu sub titulo *Aurifodina* artium, & scientiarum omnium tribus partibus distinctæ, in quarum prima ostendit excerptorum necessitatem, seu excerpendum esse; in secunda excerptorum methodum, seu quomodo excerpendum sit; in tertia denique excerptorum diuersum vsum, seu multiplicem industriam excerpendi. Similiter de studijs instituendis plura habentur opuscula typis mandata Amsterodami apud Ludouicum Elseuirium anno 1645.; verum quia inter illa, sunt aliqua ab hæreticis viris composita, ideo in aliquibus sunt corrigenda, cautèque legenda. Huic etiam fini inseruire possunt Antonius Posseuinus in Bibliotheca selecta, & Antonius Fichet, in arcana studiorum omnium methodo, Lugduni in 8.

CAPVT VII.

Quanti referant ad sacræ doctrinæ studium Physicæ disciplinæ; & primùm octo Physicorum libri.

PHysica si nominis etymologiam spectemus à verbo Græco physis, quod naturam significat, dicta, est vera scientia speculatiua, vt constat ex multis demonstrationibus, quæ in illa fieri solent, v. g. corpora moueri quia habent naturã, à qua procedit motus tanquàm à vera causa; corpus etiam esse diuisibile, quia est continuum; & animam esse formam corporis, quia est principium effectiuum operationum eius, vt sensationum, & motus progressiui. Quod sit etiam scientia speculatiua, patet tùm ex fine ipsius, qui est indagatio, & contemplatio veritatum naturalium, non earum effectio; tum ex principijs quibus procedit, quæ resolutiuo modo ostendunt veritatem, non cõpositiuo modo fabricare docent. Vndè oppositam sententiam non est credendum tenuisse Platonem, nec Socratem, sed solum sensisse, difficile admodum esse, certam & euidentem notitiam assequi de his rebus mutabilibus.

Subiectum *materiale*, seu obiectum quod huius scientiæ, est corpus naturale, seu mobile, cum certum sit limites Philosophiæ naturalis intra res corporales contineri; nec per se agere de substantijs ab omni materia separatis; *formale* verò explicatur per ens mobile, seu mobile vt sic; ita vt ens mobile, & corpus mobile se habeant, sicut in visu coloratum & corpus; vbi coloratũ est formalis ratio, corpus verò materialis, neque enim tãgitur corpus à visu sub omni ratione, sed quatenus afficitur colore. Quia autem ly, ens mobile potest sumi dupliciter, vno modo, vt dicit complexum, seu constitutum ex gradu superiori analogo, & inferiori differentia, omisso genere intermedio, sicut quando sumimus indiuidua generica, vt hæc substantia, hoc corpus, omissis gradibus intermedijs: alio modo potest sumi ens mobile, non in vi alicuius complexi, & constituti ex superiori gradu entis, & inferiori mobilitatis, sed vt est idem ens mobile, quod mobile tantum, quasi dicatur res, seu quidditas mobilis, quæ in re quidem est substantia, & corpus, non tamen explicatur sub conceptu substantiæ, vel corporis, sed sub ratione quidditatis mobilis. Primo modo non dicimus

mus esse subiectum Physicæ ens mobile, sed secundò, & sic ens mobile non est aliquid magis amplum, & abstractũ quam substantia, vel corpus mobile, nec comprehendit in se tanquam subiectũ substantiam, & accidens, sed est aliquid contractius substantia, determinans illam, & explicans non secundum omnem rationem substantiæ, vel corporis, sed præcisè qua mobilis est, quasi exprimendo quod omne quod tractatur in Physica, de substantia, & corpore est, vt subest mobilitati, seu vt fundat illã, vbi substantia solum materialiter se habet, ens vero mobile in sensu explicato formaliter. Sic propria & adęquata passio, quam Physicus de suo obiecto demonstrat, videlicet motus, non definitur explicando ordinẽ ad corpus, vel substantiam, sed ad ens mobile, definitur enim quod sit *actus entis in potentia*, &c. Signum est ergò manifestum formalem rationem subiecti Physici non explicare rationem corporis; nam quod formaliter est subiectum scientiæ, explicatur etiam in formali definitione propriæ passionis, tanquam id, ad quod passio, siue proprietas dicit essentialem habitudinem: cum igitur in definitione motus non explicetur ratio corporis, sed ratio entis in potentia, non pertinet ad formalem rationem subiecti corpus, licet in re verum sit, nihil esse mobile motu physico, nisi id quod est corpus.

Insuper notandum est, quando dicitur ens mobile esse subiectum formale Physicæ, ly, mobile non sumi pro mobilitate formali, sed aptitudinali, seu radicali; ita quod ens mobile sit idem, quod quidditas mobilis, seu fundamentum mobilitatis proximæ; quia autem nihil potest esse primum principiũ motus, nisi sit substantia, sic ens mobile quatenus explicat quidditatem primi principij motus, est idem cum substantia naturali, seu mobili, sumendo substãtiam pro quidditate, seu radice prima mobilitatis, atque adeo in hoc sensu substantia naturalis, siue mobilis potest vocari obiectum formale Physicæ. Quamuis si sumatur ly substantia pro vt explicat hanc quidditatem per modum primi prędicamenti, id est, vt naturam subsistentem, sic non explicet rationem formalem, sed materialem, seu concomitantem subiecti physici.

Licet autem ens mobile, quod est obiectum formale Physicæ, *subiectiuè* consideratum sit substantia; ens tamen mobile de quo per se agit Physica, non solum est ens mobile substantialiter, sed etiam accidentaliter, ita quod ly mobile *terminatiuè* sumptum abstrahat à substantia, & accidente, & respiciat non solùm principia mobilitatis substantialis, sed etiam accidentalis, quæ vniuocari possunt, & conuenire in vna scientia, quia induunt eamdem rationem scibilitatis physicæ. Sicut etiam Metaphysica agit de substantia, & accidenti modo vniuoco, non quia sic conueniunt in ratione entis, sed quia sub eadem abstractione formali ab omni materia continentur. Nec tamen propterea inferendum est quod hoc subiectum mobile, de quo agit Physica tanquam de subiecto mobilitatis, abstrahat à substantia, & accidente, quia licet motus, seu mobilitas, de qua agit Physicus, terminari possit ad substantiam, vel accidens; tamen subiectum quod recipit, & fundat hanc mobilitatem, tanquam primum principium & per se motus, non est accidens, sed natura, quæ necessario est substantia, licet formalis ratio, qua attingitur solùm explicet quidditatẽ mobilem, non substantiam. Sicut etiam Mathematica agit de quantitate secundum se, quatenus fundat proportiones, & mensuras, nec tamen formaliter considerat rationem accidentis, secundùm quod inhærens est, licet sine ratione accidentis quantitas dari non possit.

Cùm diuersa scientiarum species nõ sumatur ex sola varietate rerum in se, seu materialiter, & entitatiuè consideratarum, sed ex diuersa abstractione, seu modo cognoscendi, & illuminãdi obiecta; ideò asserendum est totam Philosophiam naturalem esse vnum habitum in specie

ſpecie infima, ſi quidem omnia Philoſophię naturalis principia deriuantur ex alijs, vel ex alterutris intra propriam abſtractionem à materia ſingulari; dependent enim ſaltem, & probantur per communia principia motus, quæ in libris Phyſicorum ſtatuuntur, reducunturque tandem in materiam,& formam, quæ ſunt prima entis mobilis principia.

Quando ergo D. Thomas 1.poſter. lect.41. aſſerit corpus naturale, & Mathematicum diſtingui in diuerſas ſpecies ſcibilium; ibi per corpus naturale contradiſtinctum à corpore mathematico, non intelligitur corpus naturale pro vt ſupponit pro ente mobili,quod eſt obiectum Phyſicæ,ſed ſumitur corpus naturale, vt merè materialiter ſe habet, & eſt capax diuerſarum rationum formalium ad diuerſas ſcientias pertinentium, ſicut eſt Medicina, & Philoſophia: nam medicina licet formaliter non agat de corpore naturali, quatenus ens mobile eſt in communi, vel in ſpeciali, agit tamen de corpore naturali,vt ſanabili; quæ ſanitas licet per aliquem motum acquiratur,non tamen formaliter conſiderat per ſe motum, quà motus, ſed qua ordinatus ad ſanitatem, ſicut artifex non poteſt facere ſtatuam niſi aliquo motu, nõ tamen conſiderat formaliter rationem motus, ſed commenſurationem figuræ, ſic medicus debitam humorum temperiem, ac proportionem, licet id fiat per motum.

Quia verò ſcientiarum dignitas ex duobus potiſſimum penſari ſolet, ex dignitate obiecti, & ex certitudine demõſtrandi, ita tamen vt prima ſit eſſentialis & magis præcipua ad dignitatem, ſecunda verò accidentalis; facilè colligitur, quem habere debeat ordinẽ Philoſophia naturalis cùm cæteris ſcientijs; primum enim locum tenet poſt Metaphyſicam, quæ agit de ſubſtantijs ſpiritualibus ſecundùm proprias eſſentias; ſi quidem poſt hanc perfectius obiectũ habent phyſicæ diſciplinæ quã Mathematicæ; nam illæ de ſubſtantia rerum naturalium diſſerunt, iſtæ verò de quodam eius accidente, quod eſt quantitas, ergò Philoſophia naturalis inter ſcientias ſpeculatiuas ſecundum locum tenet ordine dignitatis ratione nobilioris obiecti, quam tamen excedunt Mathematicæ diſciplinæ quadam accidentali perfectione ex certitudine demonſtrandi deſumpta; nam Mathematicæ ex vna parte magis abſtrahunt à materia, & ex alia agunt de accidentibus magis notis ſecundum ſenſum, nempè de lineis, figuris, & numeris. Ratione cuius Ariſtoteles, quem omnes ferè ſequuntur 1. lib. Ethic. cap. 1. & lib. 6. cap. 8. prius voluit tradendas eſſe Mathematicas diſciplinas, deindè Philoſophiam naturalem; poſtea moralem,& tandem Metaphyſicam. Etſi enim Philoſophia naturalis verſetur circa motum, quem ſenſu percipimus, atque adeo ex hac parte ſit notior nobis, tamen ex altera, ferè ſemper ab effectibus procedit,& ideo experientiæ innititur,quam cùm non habeant iuuenes, non ſunt tàm capaces eam addiſcendi, ſicut Mathematicas diſciplinas, quæ de accidentibus notioribus agunt, nec experientiæ innituntur, ſed demonſtrationibus à priori, quas in eiſdem accidentibus conſtituunt.

Quod pertinet ad Phyſicæ, ſeu naturalis ſcientiæ diuiſionem, aut partes, duplex aſſignari poteſt, vna *Hiſtorica*, quæ effectus recenſet rerum naturalium ſecundum ſpecies ſuas; alia *Aithiologica*, qua earumdem cauſas docet. Cuius iterum plures ſunt partes, iuxta multiplicem entis mobilis conſiderationem. *Primò* enim poteſt accipi ſecundùm ſe, & in communi, non deſcendendo ad aliquam particularem ſpeciem, & illi ſic ſumpto correſpondent octo libri Ariſtotelici, quos vocant Phyſicorum; vel de Phyſica auſcultatione. *Secundò* conſideratur ens mobile in particulari, pro vt præcisè continet principium motus localis, & circa illud hoc modo ſumptũ verſantur libri de cælo & mundo, id eſt de omnibus corporibus ſimplicibus; quatenus per motum localem coordinantur, & ſituantur in hoc vniuerſo, ex

his

his enim præcipuè vniuersum constat, si quidem mixta habent solum locum iuxta modum elementi in eis prædominantis. *Tertiò* accipitur ens mobile in particulari, pro vt habet in se principiũ motus ad formam, per quem corpora generantur, & corrumpuntur, augentur & alterantur; & de eo ita accepto differunt libri de generatione, & corruptionē. Sed quia inter corpora naturalia generabilia, quædam sunt simplicia, quædam verò mixta, quæ rursus distinguntur in imperfecta, & perfecta, & & deinde perfecta in inanimata, & animata; ideo de simplicibus, scilicet de elementis in vltimo libro de generatione agit: de mixto autem, sed imperfecto, cuiusmodi sunt nix, grando, aliæque similes impressiones meteorologicæ, speciale ac distinctum opus edidit Aristoteles quod meteora nuncupauit, quatuor libris contentum; in quorum tamen tertio de mixtis perfectis, sed inanimatis disputat. Tandem de mixtis perfectis, sed animatis in libris de anima sermonem instituit.

Nec vtcumque Aristoteles in his libris de mixtis perfectis, & animatis egit sed in hoc mirificè se gessit. Nam in primo libro tractat de anima vegetatiua, quæ est forma viuentis, & prius de illa agit, quia intra latitudinem animarum infimum tenet locum, & ad hunc librũ reduci debet opus de Plantis, quod Aristoteles ipse promisit in initio meteororum, & quod se edidisse testatur lib. 5. de histor. animal. cap. 1. sed temporis iniuria perijsse creditur. Nam qui circumfertur sub nomine Aristotelis longè diuersum stylum habere videtur, & ideo ex eius officina minimè prodijsse.

Deinde in secundo libro tractat de anima sensitiua vegetatiuam excedente, quæ est forma animalis, per cuiusque notitiam deuenitur in cognitionē eiusdem animalis; vbi etiam de varijs eius operationibus agit. Quo quidem spectant libri de incessu animalium, de sensu & sensibili; de memoria, & reminiscentia; de somno, & vigilia, ac de vita, & morte; nec non & egregium opus de historia animalium, de generatione animalium, de partibus animalium, quod vt refert Plinius lib. 8. histor. natur. c. 6. & Budæus lib. 2. de asse, Græci vocabant libros octoginta talentorum. Eo quod tot talenta impenderit magnus Alexander ad obseruationem eorum, quæ in eis pertractantur, summa diligentia quærens diuersa, atque exquisita animalium genera, eaque asportare faciens ad præsentiam eiusdem Aristotelis.

Tertio tandem libro agit de homine qui est præcipua pars obiecti Physicæ; nam ibidem sermonem instituit de anima rationali, quæ est eius forma, quæque inter alias animas primatum tenet. Quo etiam pertinent libri de insomnijs, & diuinatione per somnium, nec non de iuuentute, ac senectute, hæc enim in homine tantummodo propriè inueniũtur. En accurata totius Physicæ diuisio in suas partes, de quibus omnibus breuiter agemus, & quantum vnaquæque referat ad sacræ doctrinæ studium expendemus.

Incipiendo ergo à prima, quæ versatur circa ens mobile in communi, octo Physicorum libris continetur, & absoluitur. In quorum primo Philosophus præmittit quasi præludia quædam, & principia vnde possimus dignoscere, quid sit ens naturale & quale sit. Vocat enim hic principia, non causas per quas fit ens naturale, sed illa ex quibus est, & in quę resoluitur, siue consideretur ens naturale in fieri, pro vt generatur, siue in facto esse pro vt componitur ex illis; & sic pro compositione assignat duo principia scilicet materiam, & formam: pro generatione autem addit tertium principium, scilicet priuationem, quatenus in generatione proceditur à non esse formæ, seu priuatione illius, vt à termino à quo, ad esse formæ, vt ad terminum ad quem in aliquo subiecto, seu materia.

Deindè secundò tradit ea, quæ præsupponi debent in hac scientia physica, circa subiectum, & principia, seu media qui-

quibus demonstratiuè procedit. Subiectum autem est id omne, quod naturæ constat, & sic de illa agit. Principia autem, seu media, quibus de ente naturali, seu de natura demonstrandum est, sunt quatuor causæ, scilicet materialis, formalis, efficiens, & finalis.

Tertiò explicat propriam passionem huius entis naturalis, quæ est motus; & primum agit de illo in communi, alijsque intrinsecè illum concomitantibus, & consequentibus, actione videlicet, & passione, sine quibus non est motus, finito, & infinito, quæ necessario & intrinsecè subsequuntur ad motum, ratione continuitatis, & successionis partium.

De extrinsecis autem affectionibus motus disputat in quarto libro. Sunt enim duo quibus motus dicitur extrinsecè affici, & mensurari, scilicet locus, & tempus; mensuratur enim motus ex parte mobilis loco, & ex parte suæ durationis, tempore: agendo autem de loco tractat etiam de vacuo, quod est illius priuatio.

Considerato motu, & affectionibus eius, tam intrinsecis, quam extrinsecis, agit deinceps in libro 5. & 6. de eius diuisionibus. Primò quidem de diuisione essentiali, & intrinseca per species agit libro 5. ostendens dari tres motus species, nimirum localem, alterationem & augmentationem, tum de vnitate motus tam specifica, quam indiuiduali, & de contrarietate motuum, quia inter diuersas species datur contrarietas. Secundam verò diuisionem motus, scilicet penes partes quantitatis continui, in quo exercetur, prosequitur libro 6. vbi agitur de diuisibilitate motus, tam ratione medij, per quod mouetur corpus, quam ratione temporis, in quo mouetur; & quomodo continuum non constet ex solis indiuisibilibus, atque adeo nec motus.

Tandem absolutis omnibus ad considerationem motus spectantibus, secũdum ea quæ sibi absolutè conueniunt, tam in se, quàm in suis affectionibus, & diuisionibus, septimo & octauo libro explicat Philosophus ea, quæ motui cõueniunt comparatiuè ad mouentia, & mobilia; septimò quidem considerando ordinem mobilium ad mouentia, vsque ad primum motum, & primum motorẽ, quia non datur processus in infinitum; deinde conditionem requisitam inter mouens, & mobile, nimirum quod sint simul, & approximata, tum denique motus inter se, quoad velocitatem, & tarditatem. Octauo verò libro contemplatur qualitatem primi motus, ac primi motoris, vbi sistit consideratio entis mobilis, ostendendo, quod primus motor sit æternus, vbi etiam agitur de æternitate primi motus, & æternitate vniuersi à primo motore producti, & similiter probat primum motum esse motum localem, & circularem, ac denique primum motorem esse infinitæ virtutis, carereque magnitudine, seu quantitate molis, atque adeò esse incorporeum, & indiuisibilem. Quorum omnium accurata notitia, quàm sit necessaria ad perfectum sacræ doctrinæ studium, diuinarumque Scripturarum intelligentiam, patebit breuiter discurrendo per singula ferè Geneseos capita, librique Iob; vbi quamplurima ad Physicam pertinentia continentur de principijs rerum naturalium, vel corporearũ, earumque causis, & proprietatibus, vt satis patet ex his, quæ D.Thomas 1. parte, sacri verò interpretes in librum Geneseos docent, agendo de opere sex dierum.

Dum ad illud Genes. 1. *Terra erat inanis & vacua*; inquiritur, vtrum informitas materiæ tempore præcesserit informationem ipsius? Vtrum vna fit materia informis omnium corporalium &c. de quibus inter alios vide Tostatum & Pererium in Genesim; iterum ad illud 1. Corinth. cap. 15. vbi legitur Christum apparuisse corporaliter Beatis Petro & Paulo; vtrum vnum & idem corpus possit esse saltem supernaturaliter in duobus locis circumscriptiuè? & ad illud Ioannis vltimo, vbi idem Christus ianuis clausis ingressus est ad Apostolos; sicut & illius sacrum corpus è sepulchro

eo obſerato egreſſum eſt; vtrū duo corpora poſſint ſupernaturaliter eſſe in vno & eodem loco; & ſic de cęteris.

CAPVT VIII.

Quanti referat ad ſacræ doctrinę ſtudium ſecunda pars Phyſicæ, quę eſt de corpore ſimplici, cęleſti & elementari.

ORdinis methodique in diſciplinis tradendis non laudator ſolum, ſed diligentiſſimus obſeruator Ariſtoteles, poſtquam in octo Phyſicæ auſcultationis libris de toto naturalium corporum genere, eiuſque principijs, cauſis, & affectionibus in communi diſſeruit; nunc à generali diſputatione deſcendens, partes ac membra, ſiue quod idem eſt, varias entis mobilis ſpecies ſigillatim explicandas aggreditur pluribus, ac diſtinctis libris; quorum primus conſenſu omnium eſt liber de cælo & elementis in quatuor iterum libros diuiſus. Hic cum in ſcientia naturali ſecundum locum obtineat, & ſtatim ſequatur octo Phyſicę auſcultationis libros, non poteſt habere aliud obiectum, quam primam naturalis corporis, ſeu entis mobilis ſpeciem, cui poſt generis cognitionem primus debeatur locus; hæc autem quænam ſit non difficile eſt videre, ſi primam generis huius diuiſionem nouerimus; quam ipſemet Ariſtoteles facit in initio primi libri de cælo; vbi ex ſecundo Phyſicorum repetens definitionem corporis naturalis, illud ſtatim diuidit in ſimplex & mixtum, diuiſionemque hanc declarat ex diuiſione motus in ſimplicem & mixtum. Vnde ea ratione, qua corpus ſimplex ordine doctrinæ eſt prius mixto, neceſſe eſt ſubiectum librorum de cælo eſſe corpus naturale ſimplex, quod cælum, & quatuor elementa cõprehendit, ſiue quod idem eſt, vniuerſum pro vt cõprehendit omnia, ſolaque corpora ſimplicia, quæ ſunt ampliores, & ſpectabiliores partes, è quibus proximè integratur: de quibus tantum Ariſtoteles in hoc opere agit, vt ex illius progreſſu conſtat. Tractat enim primo loco de corpore ſimplici cõmuniter ſumpto in ipſo initio primi libri, vbi de hoc communi analogo pauca quædam dicit, quæ de eo dici poterant, ipſi namque tanquam ſubiecto attribuit propriam affectionem motum ſimplicē, propter ſimplicem naturam illi competentem; quemadmodum enim natura abſolutè ſumpta cauſa eſt motus abſolutè ſumpti, ita & natura ſimplex ſimplicis motus eſt cauſa, vel principium: nil aliud de hoc communi dici poterat, ideo ſtatim Ariſtoteles ad ordinatam ſpecierū conſiderationem deſcendit, ſpecies autem eius ſunt cælum, & quatuor elementa, quæ, cum in nullo communi vniuoco, intellige Phyſico non Logico, cõueniant, ſimilitudine tamen, & proportione quadam dicuntur ſimplicia corpora, quoniam quodlibet horum huiuſmodi eſt, vt ex alijs prioribus corporibus non conſtet.

Inter hæc autem primus locus cæleſti debebatur corpori, cùm enim ita ſit notæ exiſtentiæ, vt non egeat ex aliorum corporum declaratione innoteſcere, ſed ad eius naturam explicandam ſufficiat rudis illa aliorum corporū cognitio, quam ſenſu percipimus, nulla facilioris doctrinæ ratio cogere debuit Ariſtotelem, vt de elementis prius, quam de cælo ageret; vnde ordinem ſeruauit naturæ, & nobilitatis; Cælum enim nobilius eſt inferioribus corporibus, & natura prius, quia illorum eſt cauſa; niſi etiam aſſeramus ordinem ita ſeruari facilioris noſtræ cognitionis, cognitio enim cęleſtis corporis, quod leuia & grauia omnia ambit, & continet, non parum conducere videtur ad cognitionem illorum, cum ad ipſum terminetur motus leuium, & ab ipſo motus grauiū incipere intelligatur; præterquam quod motus grauium ad medium eſſe dicitur, motus autem leuium à medio, at medium intelligi non poterat non intellecto extremo, nec centrum non intellecta peripheria; ob quas omnes cauſas vide-

videtur de cælo prius agendum fuisse, quàm de elementis.

In qua cęli tractatione ordinem seruat Aristoteles conuenientissimum, quia cum in philosophica cuiusque subiecti consideratione duo, nec plura, cognoscenda proponi soleant, primum quidem eius natura, vel essentia, deinde proprietates & accidentia, quæ ab ea dimanant; ante omnia naturam cæli declarat in priori libri primi parte, postea verò in tota sequenti eiusdem parte, atque in toto secundo libro accidentia cęlestis corporis contemplatur, in primo quidē illa, quæ licet naturam cęli insequantur in totum tamen mundum redundant, ita vt cęlum habeant subiectum præcipuū, mundum verò subiectum adequatum, de toto proinde mundo tria ab Aristotele demonstrantur, finitudo molis, vnitas, sempiternitas; in secundo autem illa, quæ non redundant in vniuersum, sed cęlum habent subiectum adæquatū, cuiusmodi sunt sex illæ differentiæ positionis in cælo, dextrum, sinistrum, sursum, deorsum, ante, & retro; nec non varietas motuum, & astrorum, & orbiū, eorumque ordo, & figura, & alia quæ in eodem libro tractantur; vbi non est silentio prætereundum, in postrema secundi libri parte agi de terra, non quidē vt de elemento graui, sic enim de ipsa agitur in 4. libro, sed quatenus respectu cæli locum centri obtinet, adeò vt illa quoque tractatio modo quodam de cælo esse dicatur, quemadmodum tractatio de centro quatenus centrum circuli est, pars quædam est tractationis de circulo, siue de circuli peripheria.

In duobus posterioribus libris agit Aristoteles de reliquis simplicibus corporibus, de grauibus, & leuibus, quæ sunt ignis, aer, aqua, terra, hæc enim ibi tractantur vt grauia, & leuia; sumitque ibi Aristoteles grauitatem, & leuitatem pro formis elementorum, non quod re vera sint formæ, sunt enim qualitates, sed quia latentibus formis sumuntur earum loco accidentia hæc consequentia, per quæ mouentur elementa loco, & in propriis quæq; locis sita integrant mundum; hæc enim est propria elementorū consideratio in tertio & quarto libro de cælo, vt postea dicemus, quatenus sunt grauia, & leuia, hoc est quatenus sunt simplicia corpora, quorum simplices naturas insequuntur simplices motus naturales, per quos propria loca occupando mundi integritatem constituunt.

Quanta autem huiusce partis Philosophiæ dignitas sit, ex obiecti præstantia constat; præsertim qua ex parte agit de cęlo, quo, si statum spectemus, nihil firmius; si ordinem nihil certius; si pulchritudinem, nihil elegantius. Et verò quantam eadem contemplatio nostris animis afferat voluptatem, tum experientia ipsa docet: tum id, quod disertè Philo Iudęus scripsit in lib. de Mundi opificio, videlicet, fuisse hominem introductum à Deo in mundum, tanquam in conuiuium & Theatrum: alterum abundans vberrimis copijs rerum, quas terra, fluuij, mare, aër suppeditant ad vsum simul, & iucunditatem: alterum refertum varijs spectaculis, quæ præsertim cęlestis orbis magnitudine immensus, cursibus rapidus, splendore pellucidus, quotidie exhibet, dum syderum tanquam gemmarum interlucentium varietate conspicuus procedit suda nocte, serena gratia; dum astrorum, quæ in septem inferioribus globis versantur, & errantia dicuntur (cum tamen nullo errore vagentur, sed indefecto ordine reciprocis itineribus eant) ortum, progressum, occasumque ostendit; dum tot signorum se se velut manu complectentium innumeros greges in Aplane, quasi in amęnissimo campo ducit.

Insuper quanta ex hac Philosophiæ parte ad morum eruditionem, & caducarum rerum despicientiam vtilitas, fructusque deriuetur, hisce verbis tradit Seneca in exord. natural. quæst. *Quam iuuat inter sydera ipsa vagantem diuitum pauimenta ridere, & totam cum auro suo terram: non illud tantum dico, quod egessit, & signandum monetæ dedit; sed & illud, quod in occulto seruat posterorum aua-*

auaritia. Nec potest ante contemnere porticus & lacunaria, ebore auroque fulgentia, & tonsiles sylvas, & deriuata in domos flumina, quàm totum circumeat cælum, & terrarum orbem supernè despiciens angustum, & magna ex parte opertum mari, etiam ea parte qua extat; latè squalidum, & aut vstum, aut rigentem, sibi ipse dicat, hoc est punctum, quod inter tot gentes ferro, & igni diuiditur. O quam ridiculi sunt mortalium termini? Punctum sanè est illud; in quo nauigamus, in quo bellamus, in quo regna disponimus. Hæc Seneca, & alia plura, quæ sequuntur in eamdem sententiam.

Denique quantum ad Sacram Theologiam, & Scripturæ diuinæ notitiam exactius adipiscendam conferat, patet, dum ex illa, ad illud Geneseos de rerũ procreatione, & illud Sapient. 11. *Omnipotens manus tua, quæ creauit orbem terrarum ex materia inuisa*; I. Stabilitur cęlum ex materia, & forma constare, quæ materia, & forma distinguntur specie à sublunaribus. II. Ad illud Psalmi 148. *statuit ea in æternum*, ostenditur corpora cælestia suoptè ingenio esse indissolubilia; ac post diem iudicij non esse dissoluenda, nec immutanda quoad substantiam virtute diuina, sed tantum accidẽtaliter nouæ lucis accessione iuxta illud Isaię 30. *Erit lux Lunæ, sicut lux Solis, & lux Solis erit septempliciter*. III. Ad illud Psal. 135. *Qui fecit cælos in intellectu*; ostenditur iuxta veriorem sententiam cęlos intrinsecus, & secundum substantiam non esse animatos; atque adeo prædicta verba non esse sic accipienda, vt significetur cęlos factos esse à Deo cum intellectu, hoc est intelligentes, vt explicat Caietanus; sed illa phrasi Hebręa significari tantum esse à Deo factos summa arte, ratione & intelligentia: Hebræis enim frequens est dicere, in aliquo, pro eo quod est, per aliquid, vel cum aliquo, sumendo *in*, pro *per*, vel *cum*.

IV. Ad diuersa Scripturæ loca, quæ orientis, & occidentis mentionem faciunt &c. explicandum est ex libris de cęlo, quomodo insint re vera cęlo suo modo ex natura rei sex positionum differentiæ, ante, retro, sursum, deorsum, dextrorsum & sinistrorsum: hoc quantum compendio satis est ostenditur in animali: ante est quo mouetur, retro vnde mouetur, dextrorsum, vbi maior virtus, sinistrorsum vbi minor; sursum vnde influentiæ & spiritus vitales: deorsum quod est oppositum. Ergo hac cõparatione facta Occidens est retro, ante est Oriens, Septentrio est dextrorsum, Meridies sinistrorsum, nostrum Hemisphęrium sursum, alterum deorsum. Vel melius, quia in homine sicuti in cæteris animantibus, omnis loci mutatio à dextra proficiscitur, quod videlicet ea ad impulsum expeditior sit; cęli dextrum constituendum est in ea parte, à qua cęlestes sphæræ mouentur; sicque huiusmodi dextrum est quælibet cæli pars, cum primum ad orientem peruenit, vbi ab intelligentia quæ illic perpetuò residet (neque enim cum orbe circũfertur) impulsum accipit. Ex quo facilè erit intelligere, quo pacto cęterę positionũ differentiæ cęlo insint. Primum namque ea pars, quæ ex diametro dextræ opponitur, sinistra est, vt satis ex se patet. Deinde, quoniam illa, ad quam latio vergit, anterior vocatur; ea anterior cęlis pars vocabitur, quæ inter sinistrã & dextram, ab Oriente ad Occidentem funditur: quæ verò huic aduersa inter eumdem Orientem, & Occidentem porrigitur, postetior. Denique pars superior, siue sursum, est polus Antarcticus: inferior verò Arcticus. Quæ omnia respectu primi mobilis accipienda sunt; namque in inferioribus sphæris, quæ proprio motu ab Occidente in Orientẽ commeant, contrario modo se habent dimensiones, vt erit consideranti perspicuum. Vnde licet cælum per se sumptum differentias positionum ab Astronomis, & Poetis inuentas nonnisi respectu nostri habeat, si tamen cum intelligentia motrice spectetur, differentias physicas ab Aristotele traditas ex natura rei, licet metaphoricè, & per quam-

quamdam analogiam ad hominem, cæteraque viuentia, obtinere dicendum est.

V. Ad illud Genes. 2. *cessauerat ab omni opere, quod creauit vt faceret*, id est, quod creauit, vt non esset otiosum, sed vt aliquid ageret: sic enim hunc locum nonnulli viri docti interpretantur: ostẽdi potest, quod corpora cælestia, cælumque etiam Empyreum in sublunarem mundum influant, non solum interuentu motus, & lucis, sed per alias occultas etiam vires, quas influentias vocant; ita tamen quod cælesti vi nullum animal perfectum generari queat, sed imperfecta dumtaxat, respectu quorum adhuc cælum non est causa propria, ac principalis, sed tanquam instrumentum motricis intelligentiæ. VI. ad illud Ecclesiastes, *Oritur Sol & occidit & ad locum suum reuertitur, ibique renascens gyrat per meridiem & flectitur ad Aquilonem &c.* & ad illud Ecclesiastici cap. 24. *Gyrum cæli circuiui sola*, græce ecyclosa, hoc est, circumduxi, rotundaui, seu conglobaui, probari potest ex Philosophia cælum esse rotundum seu globosa figura præditum, pro vt docet Aristoteles pluribus rationibus.

VII. ad illud Psalmi 148. *Laudate Dominum cæli cælorum*; aliaque similia Scripturæ loca quibus numero plurali vtitur nomine cæli, concordat opinio Philosophica probabilior de pluralitate cælorum, præter Empyreum, quamuis sit magna inter Astronomos difficultas, vt suo loco dicemus infra, de certo illorum numero, & ordine, situ, ac motu; sicut etiam an firmamentum sit cælum solidum, & durum æris, & adamantis instar; an (sicut aër) fluidum cedens, mobile, & veluti molle, ac tenuissimum, ita vt in eo stellæ moueantur, vt pisces in aqua, aut aues in aëre; pro prima enim parte, hoc est cælorum soliditate facere videntur plura Scripturæ loca, quibus primò ferreum & æneum vocatur Leuit. 26. Deuteron. 28. & Iob 28. vbi, *cæli solidi dicuntur, & velut ære fusi*; secundo vbi dicuntur extẽdi, quod enim extenditur, debet esse solidum, vt patet in auro, argento, ferro, ære cæterisque metallis ductilibus, quæ extenduntur; secundo vbi dicuntur claudi & aperiri, Genes. 7. Isaiæ 78. & Matth. 3. quod enim aperitur, & clauditur, debet etiam esse durum, & solidum. Pro fluiditate verò cæli facere videntur primò quod Isaiæ cap. 51. fumo cæli comparantur; *Cæli sicut fumus liquescent.* Secũdò quod vbique Scriptura motum non cælis, sed astris adscribit; sic enim Ecclesiastes, 1. *Oritur Sol, & occidit, iterumque ad locum suum reuertitur*. Iosue 10. *Sol & Luna steterunt &c.* de quibus vide eruditissimum Mersennium in Genesim cap. 1. versic. 8.

VIII. ad illud Iob 9. *Sub quo curuãtur qui portant orbem*, id est Angeli, qui suo motu cælestem mundum circumuehunt, vt est quorumdam interpretatio; philosophicis rationibus ostendi potest, orbes cælestes non moueri effectiuè à proprijs formis, sed ab intelligentijs siue Angelis, qui licet similitudine quadam illorum forma dici possint, ac maiori iure, quàm cæteri externi motores dicuntur formæ corporum, quæ ab eis mouentur. Primum quia cælum suapte natura inclinationem habet ad illum motum, qui ab alio, quàm ab intelligentia præstari nequit. Deinde, quia intelligentia hæret in eodem situ cum cælo, secundum eam partem qua illi assidet: vndè in totum cælum impulsum transmittit. Tertiò, quia intelligentia ita suæ sphæræ addicta est, vt interim dùm rerum ortus, & occasus in inferiori mundo perseuerant, diuelli ab ea citra miraculum non possit; etsi, inquam, res ita se habeat; propriè tamen Angeli, nec simpliciter dicendi sunt forma sui orbis, tribuendo illi esse substantiale, ita vt ex illis, & ex materia vnum quid efficiatur. Nonnulli arbitrati sunt totam cælestiũ sphærarum machinam ab vna communi intelligentia torqueri; melius tamen alij ad multiplicationem illarum, multiplicant etiam Angelos, vel intelligentias motrices.

IX. ad

IX. ad illa Scripturæ loca, quæ vt vidimus ſupra, motum non cælis, ſed aſtris adſcribunt; pertinet diſputatio de cæli partibus, id eſt, ſtellis, vel aſtris, vtrum eorum natura ſit diuerſa à ſublunari, & eiuſdem rationis cum ſuo orbe, nec ne? ſintne aſtrorum lux ſubſtantialis eorum forma, vel etiam corpus, an non? de quo inter alios vide Merſennium in cap. 1. Geneſeos. Num aſtra de ſuo luceant, vel potius lumen à Sole mutuentur, ſitque lux omnium aſtrorũ, & vniuerſim lux omnis, eiuſdẽ ſpeciei, nec ne? Et tandem moueanturne aſtra cælo immoto, an non? Affirmatiuam enim partẽ ſuadere videntur variæ Scripturæ loca, quibus, vt dicebam, motus non cælis, ſed aſtris attribuitur; melius tamen alij docent aſtra non moueri immoto cælo; atque adeò Scripturam ſacram, dùm motum ſolis aſtris adſcribere videtur, id facere vt ſe ſe noſtro captui, quantùm fieri poteſt, aut ſatis eſt, accommodet, tribuendo rebus, quas videmus, quod tamen alijs etiam præcipuè conuenit: vndè etſi cælorum opeſydera moueãtur, quibus vt nodi ligno, ſtellæ, atque planetæ continuæ ſunt, his tamen, & non illis motum concedit, vt facilius concipiamus, quod alioquin niſi ægrè intelligere non potuiſſemus.

X. ad illud libri Iob cap. 38. *Concentum cæli quis dormire faciet?* examinati poteſt opinio Pythagoræ de Muſica cæli; cùm enim ad officinam quamdam diuertiſſet, vbi fabri ignitum ferrum ictibus molliebant, obſeruauit, ex ictu malleorum, certa proportione, & interuallis repetito, compoſitũ quid ac ſibi conſonans ad auditum peruenire. Itaque rem diligentius conſiderans, in ea ſententia, quam iampridem animo agitabat, confirmatus eſt, vt crederet doceretque; ex aſtrorũ circùmductu, & primi orbis ſphærarumque ſubiacentium rapido impetu, admirabilem quemdam concentum, & plenum artis ac ſuauitatis cantum effici. Verum cùm ex ijs quæ tradit Boetius in 1. lib. Muſicæ cap. 3. triplex ſit genus Muſicæ, vocalis, inſtrumentaria, & mundana, vocalis, eſt, quæ modulata vocum varietate conſtat; Inſtrumentaria, quæ inſtrumentis arte ad id compoſitis editur: vt tibijs, Citharis, hydraulis: Mundana, quæ conſiſtit in quarumlibet rerum inter ſe nexu, cõſenſu, ordine, ac proportione; cùm, inquam, triplex huiuſmodi ſit muſica, ita concedendum eſt vltimam competere cælo, pro vt præfatum libri Iob locum interpretatur Hieronymus, vt tamen negandum ſit cũ Peripateticis de duobus primis, cùm id quod ad ſonum maximè requiritur, in cæleſtium corporum motu deſideretur, nempè aëris colliſio, ſiue extruſio confertim facta: ſine hac enim nullum corpus ſonat, quamtumlibet alteri defricetur. Cæleſtium autem globorum ſuperficies, præter quàm quod lænes ſunt, & inoffenſæ, conſtat nullum inter ſe aerem includere. Quo patet, futili ratione adductum Pythagoram concentum cælis attribuiſſe; cuius proindè ſententiam Diuus Baſilius homil. 1. Hexam. vocat impoſturam veteratoriam.

Poſt ea, quæ breuiter huc vſque inſinuauimus tàm de natura & motu cælorum, quam ſtellarum, agendum nunc eſſet ad alia plura ſacræ Scripturæ loca, de illorum ordine, ſitu, & diſtantia præſertim Planetarum. Sed quia hæc per naturalis Philoſophiæ principia cognoſci non poſſunt, eorum conſiderationem remittimus ad aſtronomiam cum Ariſtotele; lib. 2. de cælo textu 58. vbi tamen ad contemplationẽ Phyſiologi ſpectare cenſens pernicitatem, & tarditatem cæleſtium motuum, breuiter docet, quantò planeta aliquis ſuperior eſt, & propinquior ipſi primæ ſphæræ, tanto proprium eius motum, quo ſcilicet ab occaſu ad ortum commeat, tardiorem eſſe: & contra, tantò motum quo ab oriente in occidentem rapitur eſſe velociorem, quantò ad primam ſphæram magis accedit, tanto vero ſegniorem, quantò ab ea longius diſtat.

Quoniam huic operi ſubiecta materia, vt initio præfati ſumus, eſt corpus ſimplex, conſideratum pro vt moueri

loco

loco potest, atque vt certam, & definitam in mundo sedem vendicat: Postquã Aristoteles primo libro de nonnullis attributis vniuersi, cuius fabrica potissimũ è corporibus simplicibus coagmentata est, disseruit, & in secundo de cæli, & astrorum figura & motibus, alijsque eiusmodi affectionibus copiose egit; aggreditur in sequẽtibus agere de reliquis corporibus simplicibus, hoc est, de quatuor elementis, quatenus grauia sunt, & leuia, motusque habent ad loca sibi secundum vniuersi ordinem conuenientia; Circa quæ, vt doctrina ab Aristotele tradita in pluribus à diuina consolidatur Scriptura, ita etiam vicissim ad clariorem illius explicationem, & intelligentiam conducit.

I. igitur ad diuersa sacræ Scripturæ loca, quibus fit expressa quatuor elemẽtorum mentio, confert doctrina peripatetica de quaternario elementorum numero; qui, vt in libris de ortu & interitu probatur ex quadripartita varietate primarum tactilium qualitatum, scilicet caloris, frigoris, humoris, siccitatis; nec non ex coagmentatione mixtorum corporum, quæ non ex vno, duobus aut tribus tantùm; sed ex quatuor elementis collato inter se fœdere emergunt; ita in præsenti colligitur à Philosopho tùm ex multitudine lationum, quæ quatuor omnino sunt, duæ ad medium, duæ à medio; seu binæ ad locum inferum, binæ ad superũ: tum, ex qualitatibus motricibus, quæ item quatuor censentur; nempe summa leuitas, grauitas summa, leuitas ex parte, grauitas ex parte: tùm denique, quia cùm cælum motu circulari perpetuo agitetur, opus illi est centro immobili, circa quod voluatur; hoc autem centrum (si more physico loquamur) est terra, vt statim dicemus. At si terra in rerum natura existat, necessario danda erunt alia elementa: si quidem consueuit natura, vnum contrarium alteri opponere, ne si vnum tantùm sit, id impunè grassetur, & alia cõsumat. Quapropter si existit terra, quæ est corpus grauissimum, & infimum; oportet ignẽ esse, quod est omnium leuissimum, & inter corpora dissolubilia supremum locũ postulans. At si dantur hæc extrema, danda quoque sunt duo intermedia, nẽpe aer & aqua: è quibus hæc cum terra grauitate, ille cum igni leuitate conuenit: hæc igni natiua frigiditate, ille terræ natiua humiditate aduersetur. Cur autem Moyses in prima rerum molitione duorum tantummodo elementorum explicatè faciat mentionem, terræ nimirum & aquæ, reliqua duo tacitus prætteriens; cum tamen simul facta esse omnia quatuor elementa, censeat Basilius homil. 2. & Damascenus lib. 2. cap. 5. Beda item in Hexameron; vide Pererium in Genesim lib. 1. cap. 1.

II. ad illud Deuteron. cap. 4. *Dominus ipse est Deus in cælo sursum, & in terra deorsum*: iterum ad illud Psalm. 102. vbi regius Propheta volens exprimere maximam quandam distantiam dixit; *Secundum altitudinem cœli à terra*; & Prouerb. 25. *cælum sursum, & terra deorsum*; iuuat doctrina peripatetica 2. lib. de cælo text. 98. asserens terrã in medio mundi loco (quod vocant centrum) esse locatam; nam apud Philosophos sursum & deorsum ita disponuntur in mundo, qui rotundus est, vt sursum quidem ponant in cælo lunæ, deorsum autem in centro mundi; quippe centrum comparatione totius circumferentiæ, est locus infimus, & vndique à circumferentia maximè distans; vndè dum Scriptura locis citatis, sursũ assignat cælo, & deorsum terræ, satis indicat eam esse in centro mundi positam. III. Ad alia diuersa Scripturæ loca, quæ sæpe vocant orbem terræ, & ad quadragesimum Isaiæ caput vbi dicitur de Deo, *qui sedet super gyrum terræ*, vel vt habet Hebraica lectio, *qui sedet super globum terræ*; valet eadem doctrina peripatetica 2. de cælo text. 104. pluribus rationibus demonstrans terram esse rotundam, & in figuram orbis conglobatam; contra futiles & commentitias veterum quorumdam opiniones de figura terræ: Anaximander enim dixit eam esse columnarem;

Ana-

Anaximenes mensæ similem; Leucippus, tympano; Democritus, disco.

IV. ad plura eiusdem Scripturæ loca, quibus nunc terræ motus, nunc stabilitas tribuitur, iuuat Philosophica disputatio num terra moueatur, nec ne; aliqui enim tam ex illo Iob cap. 9. v. 6. *Qui commouet terram de loco suo, & columnæ eius concutiuntur*; quam Psal. 113. *A facie Domini mota est terra à facie Dei Iacob*; contendunt cælum quiescere, terram autem moueri; quæ olim fuit opinio Pythagoricorum; melius tamen alij peripateticam sententiam præferendam putant, & ex clarioribus Scripturæ locis docent, cælum moueri, terrã verò quiescere, ita vt nullus ei motus, nec circularis, nec trepidationis competat; Dauid enim in Psalmo 92. dixit, *firmauit Deus orbem terræ qui non commouebitur*: & in Psalmo 103. *fundasti terram super stabilitatem suam, non inclinabitur in sæculum sæculi*: & Salomon initio libri Ecclesiastes, *Terra autem in æternum stat*; & in prioris libri Paralipomenon c. 16. *Deus fundauit orbem immobilem.* Iosue cap. 10. legimus Solem ingenti miraculo præter solitum morem Diei vnius spatio stetisse, ac sub Ezechia per decem lineas in horologio Achab retrocessisse. Quæ omnia ita clarè & apertè probant terræ stabilitatem & immobilitatem, vt merito Copernicana opinio de illius motu fuerit damnata in Cardinalium congregatione sub Paulo V. quorum sequens decretum sic se habet; *Et quia etiam ad notitiam præfatæ sanctæ congregationis peruenit falsam illam doctrinam Pythagoricam, diuinæque Scripturæ omnino aduersantem de mobilitate terræ, & immobilitate Solis, quam Nicolaus Copernicus de reuolutionibus orbium cælestium, & Didacus Astunica in Iob, etiam docent, iam diuulgari, & à multis recipi, sicuti videre est ex quadam Epistola impressa cuiusdam Patris Carmelitæ, cuius titulus, Lettera del R. P. Maestro Paolo Antonio Foscarini Carmelitano, sopra l'opinione de' Pitagorici, e del Copernico della mobiltà della terra, e stabilità del Sole, e nouo Pitagorico sistema del mondo; in Napoli per Lazaro Scoriggio 1605.*

In qua dictus pater ostendere conatur præfatam doctrinam de immobilitate Solis in centro mundi, & mobilitate terræ consonam esse veritati; & non aduersari sacræ Scripturæ. Ideò ne vlterius huiusmodi opinio in perniciem Catholicæ veritatis serpat, censuit dictos Nicolaum Copernicum de reuolutionibus orbium, & Didacum Astunica in Iob suspendendos esse, donec corrigantur. Librum verò P. Pauli Foscarini Carmelitæ omnino prohibendum, atque omnes alios libros idem pariter docentes prohibendos, pro vt in præsenti decreto omnes prohibet, damnat, atque suspendit &c. de quo vide Mersennium in Genesim cap. 1. vers. 10. Mendosam in Viridario lib. 4. problemate 45.

V. Cum diuina Scriptura non vno in loco dicat terram esse super aquas: etenim in cap. 20. Exodi sic est: *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem quæ est in cælo desuper, & quæ in terra deorsum, nec eorũ quæ sunt in aquis sub terra*. Sed clarius hoc docet Dauid Psalmo 23. *Quia ipse super maria*, inquit, *fundauit eum*, scilicet, orbem terrarum, *& super flumina præparauit eum*; & in Psalmo 139. *Qui firmauit terram super aquas*, ad huiusmodi locorum intelligẽtiam, iuuat quæstio quo fundamento nixa & firmata, terra moueat semper immobilis. Aristoteles enim in lib. 2. de cælo text. 78. sex vel septem commemorat opiniones veterum de causa firmitatis & stabilitatis terræ, quarum antiquissima est opinio Thaletis, terram fundatam esse super aquas, & veluti insidentem, & innatantem aquis, sustentari; cui opinioni fauere ac suffragari videtur diuina Scriptura in locis statim adductis. Nihilominus peripatetica præferẽda est sententia docens terram naturaliter super aquam esse non posse: nam vt multa prætermittam argumenta, profectò quod de terra quæritur, idem grauiori ratione quæri potest de aqua, super quo ipsa fulciatur atque sustentetur, cùm etiã sit corpus graue: quinimo cum terra sit

grauior quàm aqua, magis est rationi consentaneum aquam sustentari à terra, quam terram ab aqua: cui rei manifestam, & certam fidem facit, sub qualibet aqua subsidere terrã velut eius fundamentum.

Dicendum est ergò veram stabilitatis & firmitatis terræ causam, esse naturalem eius grauitatem, quæ cùm summa sit, suopte nutu ac pondere petit infimũ mundi locum, hoc est centrum, in quo locata naturaliter quiescit, nec indè nisi per vim extrahi potest, & recta ratio ostendit, & vera philosophia demonstrat. Non igitur mirandum est, terram cùm sit in centro manere immotã; quin potius ingentis miraculi esset si quoquã alio moueretur; quocumque enim extra centrum ferretur, necesse esset eam sursum ascendere; omnis enim locus, qui in circulo est extra centrum, centro superior est. Atque hoc idem significare voluit Regius Propheta, cùm dixit in Psalmo 103. *Fundasti terram super stabilitatem suam, non inclinabitur in sæculum sæculi:* stabilitatem vocans summũ illud grauitatis pondus, quo fit vt terra in centro immota permaneat. Huc etiam spectat illud Iob in cap. 26. *Qui appendit terram super nihilum*, hoc est super nullo fundamento seu firmamento; non enim terra in centro posita, quoquam alio eget fundamento quo fulciatur, & sustentetur. Nec verò quod Scriptura citatis in locis asserat, terram fundatam esse super aquam, huic veritati aduersatur, namque id variè exponitur, pro vt ad illa loca videri possunt interpretes sacri.

VI. Circa elementum aquæ, cum plura sint Scripturæ testimonia, quibus ex vna parte probari videtur aquam esse altiorem terra, ex alia verò terram esse aqua altiorem; ad illa, locum habet grauis & ardua quæstio, & inter viros doctos nostri temporis, non sine studio & cura tractata an mare quæ est congregatio aquarum tertio die facta à Deo, sit altius, quam est terra: de qua vide Bannesium 1. parte de opere sex dierũ, Pereriũ in Genesim lib. 1. Conimbricẽses de Meteoris, & alios ab illis citatos.

VII. Circa elementum aëris, Tertullianus in libro quem scripsit aduersus Hermogenem, & Theodoretus in quæst. 8. super Genesim putant per illa verba Genes. 1. *Et spiritus Domini ferebatur super aquas*; Moysem subindicasse elemẽtum aeris, sicut tradiderat elementum terræ, & aquæ. Illud autem *ferebatur*, aiunt demonstrare, mobilitatem, & agitationem naturalẽ ipsius aeris seu venti; vel naturalem aeris situm, qui est vndique supereminens aquis ipsas circumdando.

VIII. tandem ad omnia illa Scripturæ loca, quibus dicitur ignem descendisse, vel cecidisse de cælo, iuuat doctrina peripatetica, quod detur elementum ignis, idque supra omnia elementa, vt in proprio loco, ad Lunæ globum insidere; contra nonnullos ex veteribus Philosophis arbitratos, præter ignem, qui apud nos in vsu est, vel in subterraneis locis gignitur, non dari aliud ignis elementũ prope orbem Lunæ. Cuius tamen oppositum suadet flammæ in superum locum euolantis conatus. Nam cum idem totius & partis locus sit: & flamma ignis apud nos excitati confestim supra aerẽ ascendat: ratio conuincit, naturalem ignis locum supra aerem esse, ita vt totus eius tractus sit à superficie conuexa aeris, vsque ad orbem Lunæ, à quo nonnisi per vim descendere potest.

CAPVT IX.

Quanti referat ad sacræ doctrinæ studium tertia pars Physicæ, quæ est duorum librorum de ortu & interitu.

POstquam Aristoteles in prima Philosophiæ parte (in octo nimirum Physicorum libris) de ente mobili in communi, seu de composito substantiali, vt habet in se principium motus, vt sic, disseruit; & in secunda (scilicet in libris de cælo & mundo) de ente mobili motu locali egit; iam in hac tertia parte de

ente mobili motu generationis substantialis, seu habente in se principium prędicti motus, & aliorum, qui eidem generationi sunt aliquo modò annexi, sermonem instituit. Et merito sanè ordinem hunc Aristoteles obseruauit; cùm enim motus localis sit primus inter omnes alios motus; tum quia est communior, & vniuersalior cæteris alijs, vt potè conueniens cunctis ferè entibus naturalibus; tum etiam, quia motus localis, nempe cælorum, est aliquo modo causa reliquorum motuum; ideo oportuit, vt post tractatum de ente mobili secundũ se sumpto, statim de ente, pro vt est mobile localiter, & præcipuè de corporibus cælestibus, quatuorque elementis, quatenus hoc motu dumtaxat mobilia sunt, Philosophus ageret: & deindè in hac tertia Physicæ parte de alijs mobilibus habentibus principium motuum, non communium omnibus corporibus, sed tantùm his inferioribus dissereret; vt ita ab vniuersalioribus ad minus vniuersalia gradum faceret.

Quia autem generatio substantialis, quæ est præcipua mutatio in hoc opere inspecta, potest considerari dupliciter, vel in communi, & secundum se, vel in particulari, ad eius nimirum species descendendo (quod idem de cæteris alijs motibus ad eam prærequisitis, vel aliquo modo subsequutis dicendum est) ideo Aristoteles in his duobus libris qui de ortu & interitu, seu de generatione & corruptione inscribuntur, de generatione substantiali, alijsque motibus eidem annexis, non iuxta secundum illam particularem, sed iuxta priorem, communemque considerationem, ac proinde de ente mobili, pro vt habet in se principium eiusdem generationis substantialis, aliorumque motuum, vt sic, sermonẽ instituit, de particularibus eorumdem generationibus & corruptionibus, specialibusque motibus, quibus mouentur, postea acturus. Adeo vt adæquatum horum librorum obiectum non sit sola generatio, & corruptio substantialis, nec solum corpus simplex, seu elementum, pro vt mobile est ad formam substantialem, sed ens mobile ad formã siue substantialem, siue accidentalem, omnino tamen intrinsecam mobili, id est non resultantem ex aliquo extrinseco, vt per hoc excludatur vbicatio, quæ etsi inhæreat mobili, resultat tamen ex positione alicuius extrinseci, scilicet, adiacentia loci.

Quod pertinet modo ad huius operis partitionem, illud in duos diuiditur libros. In primo sex pręcipuæ partes per decem capita diuisæ sunt; in quarũ priori agitur de generatione, quæ primariam sibi sedem inter alios motus vẽdicat: in secunda de alteratione, in tertia de nutritione, in quarta de augmentatione, & diminutione differitur: & quia neque generatio neque alteratio, neque augmentatio, aut diminutio, sine actione, & reactione, corporumque contactu esse non possunt, ideo quinto loco de his agitur; sextò verò, quid sit miscibile, quid mixtio, quibus rebus conueniat, & quo pacto dari possit. Deindè secundus liber totus in quatuor elementis explicandis versatur. Licet enim de ijs in tertio, & quarto libro de cælo egerit Philosophus: alia tamen est hoc loco eorum contemplatio. Possunt quippe spectari elementa, vel pro vt certam ac definitam in mundo sedem obtinent, ad quam ingenita propensione, proprioque motu feruntur: vel vt sunt prima generabilia, & corruptibilia, ceterisque corporibus sublunaribus ortus & interitus causam præbent. Igitur prior eorum consideratio duobus illis de celo libris comprehensa fuit: posterior ad hunc librum delegata est. Nam vt loquitur D. Thomas in Prooemio huius operis, qui considerat genus, oportet etiã quod consideret causas totius generis: nam scientia per causas habetur: & sic in Metaphysica, quia disputatur de ente in communi, agitur etiam de primo ente ab omni materia separato, quod est causa totius generis. Cum ergò in ordine generabilium, & corruptibilium, sint quædam prima principia, scilicet ele-

elementa, quæ sunt causa generationis, alterationis, & corruptionis in omnibus alijs corporibus, inde est quod Aristoteles postquam in primo libro de prædictis motibus disputauit, statim in secundo de elementis, pro vt substantialiter generantur, & corrumpuntur, & in alijs corporibus sunt causa generationis, & corruptionis, agit. Hic verò liber in quatuor membra, iuxta ea, quæ per vndecim capita Philosophus differuit, potest diuidi: In primo de primis elementorũ qualitatibus: in secundo de mutua elementorum generatione: in tertio obiter de mixtorum temperamentis: in quarto tandem de rerũ productione agit. Quorum omnium breuẽ summam in sequentibus tradituri sumus.

Primum igitur etsi non defuerint aliqui ex Philosophis antiquis, quos refert & reijcit Aristoteles, asserẽtes generationem substantialem esse impossibilem, dicendum tamen est, generationẽ simpliciter, seu substantialem esse possibilem: Quæ si consideretur essentialiter, tantùm consistit in pura quadam naturali resultantia ad formam substantialem determinata, eamque rectè definiuit Aristoteles per hoc quod sit *mutatio de non ente ad ens, siue de non esse ad esse*, vel, per hoc quod sit *mutatio à substantia in potentia ad substantiam in actu*: nam licet generatio substantialis possit ex præsupposito miraculo non afferre actu mutationem, vt contingit quando comburuntur species sacramentales, aut ex illis generantur vermes, quia tamen illam per se petit, estque vera radix illius, rectè definitur per mutationem materiæ de non esse ad esse, id est esse substantiale, seu per mutationem à substantia in potentia, ad substantiam in actu, seu (quod idem est) per mutationem materiæ à priuatione formæ substantialis, ratione cuius est in potentia, ad eamdem formam, per quam est substantia in actu. Loquendo de termino generationis, pro vt est modo statim dicto naturalis quædam resultantia subsecuta ad antecedentem alterationem subiecti dispositiuam, multiplex est, terminus enim *qui*, simpliciter primarius in intentione est compositum ex esse, seu existentia, & supposito, terminus verò qui in executione, ac proinde specificatiuum illius, vt *quod*, non est compositum ex materia, & forma substantiali præcisè, seu natura totalis, sed suppositum ipsum ex ipsa natura totali, & subsistentia coalescens; vnde inferendũ, terminum formalem *quo* partialem generationis esse formam substantialem; totalem verò esse ipsam naturam totalem, quatenus vtraque constituit terminum *qui*; & ita forma substantialis, quamuis in executione sit prior, attamen non est terminus *quo* primarius simpliciter in intentione etiam intra lineam termini formalis *quo*. Quantùm ad causam materialem generationis substantialis, quia de tribus tantummodo solet cõmuniter dubitari, an sint illius subiectum, scilicet de materia prima, vt informata forma corporeitatis eidem coęua, & de composito per generationem producto, ac tandem de materia prima nudè sumpta, absque omni forma, tam substantiali, quam accidentali; primum dico generationem substantialem non subiectari in materia informata forma corporeitatis, seu in toto composito, ex vtraque coalescente; deinde nec in toto composito denuo genito, sed in sola materia nudè considerata; quandocumque enim aliquid est in potentia ad plures, & diuersas formas ordine quodam, prius recipit formam, ad quam est primo in potentia, quam reliquas alias; sed materia prima est in potentia ad formas substantiales, & accidentales ordine quodam, ita vt prius sit in potentia ad illas, vt potè tribuentes esse simpliciter, quam ad istas dantes tantummodo esse secundum quid; ergo non solùm in ordine intentionis, sed etiam in ordine executionis prius recipere debet formas substantiales, quàm accidentales, atque adeo substerni non potest generationi substãtiali, vt immediatè affecta quãtitate, & alijs dispositionibus accidẽtalibus.

Ea ratione qua certum est dari generationem substantialem; certum etiã esse debet dari corruptionem, nam cum materia sublunaris sit capax recipiendi plures, & diuersas formas, nec valeat esse, saltē naturaliter sub duplici, oportet vt ad ingressum vnius formæ, & generationem noui compositi, expellatur alia forma, & consequenter compositum præexistens corrumpatur; quare reiecta eorum sententia, qui arbitrati sunt, corruptionem esse latentiam rerum apparentium, generationem verò esse exitũ rerum latentium, vt Anaxagoras, Anaximander, alijque non pauci, melius cũ Aristotele dicendum est corruptionem substantialem, esse transitum materiæ ab esse formæ substantialis ad non esse illius in ipsa materia; vel mutationem totius, id est ex toto, sub eadem communi materia; sumendo hic mutationis nomen, vt tam positiuas & reales, quam negatiuas mutationes comprehendit. Nec enim corruptio positiuum quid est, sed negatiuum. Quoniam autem in mutatione propriè dicta semper manere debet commune aliquod subiectum, id enim mutationis nomen secum affert, reijcienda sunt per hanc particulam ea, quæ non sunt mutationes, vt V.g. annihilatio; sicut enim actio creandi mutatio non est, ita nec annihilatio; quia in neutra oportet dari commune subiectũ, quod transitum à non esse ad esse, vel ab esse ad non esse in se recipiat.

Sic corruptio est mutatio naturalis, non solum pro vt naturale distinguitur contra supernaturale, artificiale, vel id, quod ex principijs naturæ non oritur: ac tandem contra violentum; quia certum est corruptionem substãtialem esse mutationem inductam ab agente naturali, & consequenter non debere esse supernaturalem, & similiter non prouenire ab arte, ac proinde non esse mutationem artificialem, & deinde oriri ex materia non satiata forma, ac ex forma non satiante materiam, atque adeo oriri ex principijs naturæ, & per consequens non esse violentam, sed iuxta naturam rei corruptibilis; non solum, inquam, corruptio substãtialis omnibus his modis est mutatio naturalis respectu materiæ, sed etiam pro vt ly naturalis sumitur pro termino naturalis inclinationis, et si enim materia non inclinetur per se primo in corruptionem alicuius formæ, secus tamen secundario, quatenus corruptio vnius formæ est necessaria ad acquisitionem aliarum, in quas propendet, sic enim habet suo modo rationem boni, & ideo saltem secundario appeti potest. Vnde etiam dicendum est corruptionem nullo modo quidem intendi per se à natura particulari, bene tamen ab vniuersali, intentione per se secunda; pro vt docet D. Thomas 1.p. q. 22. artic. ad 2. & 3. contra Gentes cap. 94.

Ita generatio substantialis vnius cõnaturaliter contingens est saltem concomitanter corruptio alterius, quatenus, cum materia nequeat esse denudata ab omni forma, nec habere multiplicem, oportet, vt ad introductionem vnius expellatur alia, & consequenter quod generatio, & corruptio, pro vt connaturaliter contingunt, se mutuò concomitentur; sic, inquam, ratione talis nexus, vel concomitantiæ, generatio vnius dicitur corruptio alterius, aut vice versa, vt tamen generatio & corruptio nõ sint formaliter, aut identicè eadem mutatio, cum habeant terminos ad *quos* formaliter, & realiter diuersos; quia generatio terminatur ad esse, corruptio verò ad nõ esse: esse autem, & non esse, non solùm formaliter, sed etiam realiter saltem negatiuè distinguntur. Cum explicata generationis & corruptionis simulrate, datur etiã inter illas mutuus ordo prioris, & posterioris in diuerso genere causæ, ita quidem vt generatio sit prior in genere causæ finalis, efficientis, & formalis: corruptio verò in genere causæ materialis: fitque in illa resolutio vsque ad materiam primam.

Quia alterationem esse satis experientia constat, potest sequens quasi definitio illius formari. Alteratio est mo-

tus

tus substantiæ completæ mobilis ab vna in aliam passionem, vel passibilem qualitatem habentem latitudinem cum cõtrarietate. Et si loquendo de speciebus atomis alterationis, possint multiplicari iuxta multiplicitatem atomam qualitatum, ad quas prædictus motus terminatur: vndè calefactio, & frigefactio, distinguuntur specie, seu quasi specie, quia calor & frigus specificè distinguuntur: attamen si loquamur de speciebus, vel quasi speciebus generalissimis motus alterationis, sub quibus cæteræ aliæ quasi species ambiuntur, dicendum est illum adæquatè diuidi in alterationem, intensionem, & remissionem, vbi nomine alterationis, quæ est primum membrum huius diuisionis, non intelligitur alteratio, vt est quasi genus ad omnem alterationem successiuam, & dicit acquisitionem qualitatis eum motu, abstrahendo ab hoc, quod est totam qualitatem produci, vel eam iam productam intendi, & remitti: sed alteratio, vt dicit specialem productionem successiuã totius qualitatis, quæ antea non erat: nam sępissimè fit diuisio generis alicuius in species, quarum altera propter nominũ penuriam vendicat sibi generis nomen. Vnde alteratio pro vt constituit primam quasi speciem alterationis, terminatur ad qualitatem producendo, & conseruando illam successiuè, secundum totum suum esse, & latitudinem, seu incremẽtum non interruptũ, quod habet quamdiu durat illa actio, per quam prædicta qualitas educta est de potentia subiecti: intensio verò non terminatur ad productionem totius qualitatis, quia supponit illam iam productam, sed ad nouum modum essendi ipsius qualitatis in eodem subiecto, secundum quod magis radicatur qualitas in illo: remissio autem tendit ad esse remissum eiusdem.

Inter omnia prędicamenta solæ qualitates possunt intendi, & remitti; taliter tamen, quod qualitates illæ, quæ non specificantur ab aliquo extrinseco, vt calor, & albedo, aliæque huiusmodi qualitates, non possunt secundum suam formam, & secundum suam essentiam intendi, & remitti, secus verò illæ, quæ habent suam speciem penes ordinem ad aliquod extrinsecum, & illud variabiliter respiciunt, vt sunt scientiæ. Quamuis tam qualitates, quæ specificantur ab aliquo extrinseco, quam illæ, quæ ab eo non habent speciem, possint secundum participationem subiecti intendi, & remitti, dummodo de earum ratione non sit indiuisibilitas. Loquendo de intensione strictè sumpta, pro vt nimirum distinguitur ab extensione, talis qualitatũ intensio non fit per depurationem earũ à suo contrario, aut per corruptionem præexistentis, & aduentum alterius perfectioris, aut per additionem gradus ad gradum, seu qualitatis ad qualitatem, sed per hoc quod addatur illi nouus modus maioris radicationis in subiecto, euius essentia consistit in hoc, quod tribuat qualitati, V. g. calori, vt intra lineam caloris inuariata semper manente eius essentia, sit magis perfectus, ac proinde sit, vt sic dicam, magis ac magis calor, atque adeò possit tribuere subiecto, quod sit magis calidum, habeatque maiorem efficacitatem ad producendum magis calidum. Quod idem asserimus de augmento veluti extensiuo qualitatum; nomine autem prædicti augmenti non intelligimus illud, quod conuenit qualitati ob extensionẽ sui subiecti, qua ratione calor inhærens in vna medietate manus dicitur extendi ex parte subiecti, ex eo quod denuò inhæreat in altera medietate, sed illud quod conuenit aliquibus qualitatibus specificatis ab aliquo extrinseco ratione sui specificatiui, vt statim diximus, quodque à D. Thoma solet nuncupari intensio cõueniens qualitati secundum ipsam. Tandem motus alterationis propriè dictus, siue quod idem est, pro vt genus quoddam est ad tres species superius dictas, non solùm est motus succesiuus, sed etiam continuus.

Cum experiamur animalia deperdere per continuã actionem caloris naturalis partem substantiæ quam habent: maxi-

maximè verò dum in grauem morbum incidunt, postea verò mediante alimento, nouas partes substantiæ acquirere, per quarum acquisitionem damnum illud reparatur;signum est euidens alimẽtum illud verè transire in substantiam aliti,& consequenter dari ibidem veram nutritionem in hoc transitu, seu conuersione consistentem; vnde nutritio, proportionaliter ad ea, quæ superius diximus de generatione substantiali, cum etiam aggeneratio vocetur, si consideretur pro vt est actio, & productio, ita consistit in alteratione illa, per quam alimentum virtute potentiæ nutritiuæ, & animæ, vltimatè disponitur ad hoc, vt conuertatur in substantiam viuam aliti; vt tamen, si consideretur in ratione mutationis, sit transitus materiæ eiusdem alimenti in substantiam viuam aliti. Vnde etiam satis patet nutritionem,& augmentationem tam vt actiones, quam vt mutationes, realiter inter se distingui; non solùm quia recipiuntur in subiectis realiter distinctis; nam nutritio,vt actio, subiectatur in alimento corrumpẽdo,ex eo quod terminus primarius illius, scilicet vltima dispositio antecedens, in eo subiectatur; vt mutatio verò,& transitus immediatus ad formam substantialem aliti recipitur in materia prima; at augmentatio tam vt motus, quam vt actio, recipitur in toto composito quod augetur; non solum, inquam, ex hoc capite realiter inter se distinguntur nutritio, & augmentatio, tam vt actiones, quam vt mutationes; sed etiam quia habent terminos primarios, & immediatos realiter distinctos; si quidem terminus primarius nutritionis, vt actio, est dispositio illa, per quam vltimatè disponitur materia alimenti pro transitu illius in substantiam aliti: terminus verò immediatus, & primarius eiusdem, vt habet rationẽ mutationis substantialis est forma substantialis viuentis, iam præexistentis, in cuius substantiam prædictum alimentum conuertitur: similiter terminus primarius & immediatus augmentationis,tàm vt est motus,quam vt actio est maior quantitas viuentis, quia semel producto viuente, intenditur per se primo à natura, quod fiat maius, atque adeo habeat maiorem quantitatem, à qua formaliter communicantur substantiæ partes, & esse maiorem, vt ita possit exercere debitè suas operationes, quas tamen sine illa debitè, & perfectè exercere non poterat.

Nutritio est mutatio non solùm successiua, sed etiam continua, nomine mutationis continuæ solùm intelligendo eam; quæ licet aliquando interrumpatur & desinat:nihilominus quamdiu durat, non interrumpitur, sed habet successiuè, & continuò durare; vbi notandũ nos non dixisse nutritionem esse motum continuum,sed mutationem continuam, quia substantia non potest per se terminare motum,atque adeò nutritio ad eam terminata nequit rationem motus habere, sed mutationis tantum, quæ etiam in tantum est continua,in quantum augmentatio, quam nutritio necessariò, & simpliciter concomitatur, ne detur aliquando substantia sine debita quantitate, est etiam successiua,& continua: sitque admodum illius; Et si tam nutritio, quam augmentatio, vtcumque considerata conueniant rebus inanimatis, vt satis per se patet, nihilominus tamen loquendo de illis propriè & in rigore,sola viuentia nutriuntur & augentur, quatenus augmentum proprium,& rigorosũ, non fit per iuxta positionem, sed per intus sumptionem, & virtutem intrinsecam rei, quæ augetur,ad hoc destinatã. Cum hoc sit discrimen inter nutritionẽ, & augmentationem; quod nutritio per se ordinetur ad instaurandum, quantum fieri potest,id quod per calorem naturalem continuò de propria substantia deperditur: augmentatio verò ad tribuendam viuenti debitam quantitatem in ordine ad rectè exercendas suas operationes; hinc nutritio debet esse continua, totoque tempore vitæ durans; secus verò augmentatio; nam sicut deperditio substantiæ est continua, & semper durans, ita etiam instauratio debet eodem modo

modo durare: sicut quia augmentatio ordinatur tantum ad debitam quantitatẽ, qua operationes viuentis rectè exerceantur, acquirendam: ita ea semel acquisita, talique fine cessante debet & ipsa augmẽtatio cessare. Supposito quod augmentatio propriè dicta sit motus à minori ad maiorem quãtitatem per virtutem intrinsecam viuentis, tres potissimum ad illam requiruntur conditiones, prima est, quod fiat adueniente aliquo. Secunda, vt eius, quod augetur, quælibet pars augeatur. Tertia, vt res aucta eadem permaneat toto tempore augmentationis.

Rarefactionem, & condensationem posse esse in rerum natura satis patet experientia, qua videmus non solum aquam, sed & alia plura nunc condensari, nunc rarefieri; quia autem rarefactio, & condensatio consistunt in mutationibus per se primo terminatis ad rarum, & densum, sciendum est rarum secundum Philosophum esse illud, quod sub magnis dimensionibus parum continet materiæ. Densum verò quod sub paruis dimensionibus multum continet materiæ: ex quo aliqui desumpserunt occasionem dicendi terminos per se primos rarefactionis & condensationis esse maiorem, vel minorem quantitatem, vel maiorem, vel minorem extensionẽm, aut præsentiam localem; melius tamen alij volunt rarefactionem & condensationem esse alterationes per se primo terminatas ad qualitatem, ac proinde raritatem esse veram qualitatem, sicut & densitatem, si quidem sunt per se primò tangibiles sicut asperum, & lene, calidum & frigidũ; nam hoc ipso quod aliquid sit rarum, vel densum potest per se, & ratione sui discerni per tactum; vnde sicut ob hanc rationem quatuor prædicta pertinent ad tertiam speciem qualitatis, ita & ista duo; accidentia enim illa, quæ per se primò causant passionem in sensu, pertinent ad tertiã speciem qualitatis, scilicet passionem, vel passibilem qualitatem.

Quod pertinet ad actionem & reactionem, de quibus Philosophus à c. 6. lib. 1. de generat. vsque ad 10. exclusiuè, quia acturus de mixtione, in qua actio, & reactio corporum interuenit, oportebat de illis, nec non & de conditionibus ad vtramque desideratis sermonem instituere; dicendum est, simile non posse agere in passum omnino sibi simile, tam in qualitate, quam in gradu, quamuis sint dissimilia in raritate & densitate; nõ solum quia densitas, aut raritas, non sunt formæ actiuæ, vt communiter docent Philosophi, sed etiam quia multitudo materiæ, & formæ, quæ connotatur in hoc, quod subiectum sit densius, non auget virtutem agendi intensiuè, sed extensiuè tantum. Insuper ad hoc vt agens agat, si loquamur de resistentia passiua, vel formali, requiritur quod sit maior virtus agentis, quam resistentia passi; dixi si loquamur de resistentia passiua, duplicem enim, quo ad præsens attinet, resistentiam distinguere debemus, aliam actiuam, aliam verò passiuã: illa prior consistit in actione, qua vnum agens contrarium agit in aliud debilitando illius vires, & hoc modo ignis resistit aquæ agendo in illam, & diminuẽdo eius frigiditatem. Hæc verò posterior sita est in hoc, quod passum ratione dispositionis aliquo modo contrariæ, seu ineptæ effectui producendo, ita elõgetur, & impediatur à receptione illius, vt difficulter illum recipiat, atque adeò ab agente valdè tenui, & prædictam difficultatem vincere non potenti, pati nõ possit: quo pacto ingens lapis resistit conanti illum mouere, quia nonnisi difficulter à suo loco potest extrahi, & per consequens nonnisi ab agente difficultatem illam superare valenti: ideò autem resistentia hæc vocatur passiua, quia posita est in difficili quadam capacitate ad formam recipiendam, quamuis etiã soleat resistentia formalis nuncupari, ex eo quod passum ratione alicuius formę, seu dispositionis quam habet, non verò media aliqua actione elongatur modo iam dicto à receptione effectus, vel formæ aliquo modo contrariæ formæ præexi-

existenti. Loquendo igitur de hac posteriori resistentia, oportet, ad hoc, vt agens agat, quod sit maior virtus illius, quàm resistentia passi; quia alias non esset ratio, ob quam non posset quæuis virtus actiua mouere quemcumque lapidem quantumuis ingentem; si enim nõ requiritur excessus virtutis supra resistentiam lapidis, non apparet, cur per quamcumque virtutem non possit moueri. At si loquamur de resistentia actiua, tunc bene potest vnum agens agere in aliud, vt est passum respectu illius, quamuis resistentia vnius sit maior, quã virtus actiua & influxus alterius; nam ignis v. g. calidus vt octo, & aqua frigida vt septem, agunt & reagunt ad inuicem. Tandem loquendo de illis agentibus, quæ communicant in eadem materia ad inuicem transmutabili, ac proindè de his, quæ sunt inter se contraria, dicendum est omne agens, dum agit per actionem physicam & corruptiuam repati à passo, ita vt mutuum ordinem agentis & passi inter se habeant.

Etsi aliqui vniuersaliter negent, mixtionem esse possibilem, loquendo de mixtione propriè dicta, secundum quã plura corpora, vel particulæ eorum, ita coniunguntur, vt ex eis, media eorumdem alteratione, & corruptione, resultet aliquid vnum substantiale distinctum ab omnibus illis; melius tamen cum alijs dicendum est mixtionem sic consideratam, tàm ex quatuor elementis, quàm ex quibuscumque alijs miscibilibus esse naturaliter possibilem. Descendendo ad mixtionem in particulari, vtrùm inter liquores sit vera, & propria mixtio? Etsi aliqui negent absolutè liquores, siue illi sint eiusdem, siue diuersæ speciei, posse misceri mixtione propriè sumpta, sed solùm apparenter; melius tamen alij distingunt, non posse quidem fieri veram, & propriam mixtionẽ inter liquores non habentes qualitates, secundum quas possint agere, & reagere, ac proindè non habentes qualitates contrarias; secus verò inter liquores diuersæ, aut eiusdem speciei, habentes qualitates contrarias, ratione quarum valeant ad inuicem agere, & reagere. Rectaque proindè iudicanda est definitio mixtionis, quam tradidit Aristoteles, scilicet quod sit miscibilium alteratorũ vnio; ex quorum miscibilium conditionibus, desumuntur etiam plures ad veram & propriam mixtionem requisitæ; prima est, quod id, quod miscetur, sit separatum antè mixtionem; secunda quod ex miscibilibus aliquod aliud compositũ substantiale, scilicet mixtum, generetur; miscibilia autem ipsa corrumpantur, ita tamen, quod aliquo modo maneant in mixto: quia mixtio substantialis, de qua in præsenti sit sermo, non est idem quod aggregatio & compositio ex pluribus, alioqui cęlum, aut elementa composita ex suis partibus, essent mixta: si autem miscibilia manerent secundum suas entitates substantiales in mixto, & non generaretur aliud compositum, eis corruptis, tunc mixtio nihil aliud esset, quam aggregatio aut compositio ex miscibilibus; sicut etiam si miscibilia non manerent aliquo modo virtualiter in mixto, non intercederet vera mixtio, sed corruptio pura, & nuda. Tertia conditio est, quod miscibilia sint mutuò actiua & passiua, ita tamen vt vnum non nimis prędominetur alteri, sed in ea proportione, & excessu, qui petitur à forma, ad quam mixtio illa ordinatur, & proindè, quæ sufficiat ad vtrũque ex miscibilibus corrumpendum: cuius cõditionis ratio est, quia si vnum ex aliàs miscibilibus nimis excederet aliud, tunc non resultaret ex mixtione tertium quoddam compositum à miscibilibus distinctum, sed illud, quod nimis dominaretur alteri conuerteret illud in propriam substantiam, atque adeo non intercederet ibi vera & propria mixtio, sed pura, & nuda corruptio vnius, & accretio alterius: vnde gutta vini, inquit Philosophus, in mille millibus amphoris aquæ non miscetur, soluitur enim species, & transmutatur in totam aquam. Quarta tandem conditio est, quod miscibilia sint ad inuicem diuisibilia, vt vnum possit peruadere partes

tes alterius, & eas interfecare, & è conuerso: nam cùm miscibilia debeant mutuò agere & repati, ita vt ex eis fiat mixtio, cuius quælibet pars sit mixta, ac proinde in ea virtualiter maneant miscibilia, oportet, vt prius inter se misceantur, per mixtionem impropriè, & vulgariter dictam, scilicet, per hoc quod quodlibet peruadat partes alterius, & eas interfecet, & inter se confundantur. Quia autem miscibilia manere virtualiter in mixto potest intelligi dupliciter, vel ex eo quod formæ illorum virtuali, & eminenti modo in eo contineantur; vel ex eo quod solùm secundum suas qualitates in eo permaneant; etsi aliqui putent elementa ideo permanere virtualiter in mixto, quia forma substantialis illius cõtinet virtualiter, & eminẽter formas elementorum, ad eum modum, quo anima rationalis virtute continet sensitiuam & vegetatiuam; melius tamen cum alijs dicendum est, elementa manere virtualiter in mixto, quia manent in illo quatuor primæ qualitates ad mediocritatem redactæ, scilicet calor, frigiditas, humiditas, & siccitas quæ sunt propriæ virtutes eorum.

Elementum Græcis stoicheion, sũptum pro quatuor vulgatis mundi elementis, secundum quam notionem, de elemento agimus in præsenti, definitur ab Aristotele, esse id, vel corpus, ad quod alia corpora diuiduntur, intus existens potentia, aut actu; ipsum autem est indiuisibile in altera specie, siue diuersa secundum speciem. Quoniam autem elementorum essentia, partim forma, partim materia continetur, explicandum occurrit, quænam eorum forma sit. Nam de materia constans est Philosophorum opinio, eam esse eamdem, quæ cæterorum sublunarium corporum, vt reciproca eorum commutatio palam testatur. Circa formam verò arbitrantur aliqui quatuor primas qualitates esse essentiales elementorũ formas; melius tamen alij asserunt elementa suam habere formam substantialem, ex qua constent, à quatuor primis qualitatibus distinctam. Primæ qualitates ex communi Philosophorum consensu appellantur, quæ nec ex alijs, nec ex se mutuo fiunt, sed ex ipsis oriuntur cæteræ; suntque numero quatuor, calor, frigus, humor & siccitas, nec plures nec pauciores; & quamuis aliqui Philosophi putent frigus, & siccitatem non esse qualitates positiuas, sed dumtaxat priuationes caloris, & humiditatis, eo potissimum nixi argumento, quod videamus corpora solo caloris abscessu refrigerari, vt qui riget in tertiana, quod similiter dicendũ videtur de corporibus, quæ humore consumpto inarescunt: melius tamen alij docent non solùm calorem, & humorem, sed etiam frigus, & siccitatem esse qualitates positiuas; quas singulatim Aristoteles definit in hunc modum: Calidum est, quod ea congregat, quæ sunt eiusdem generis, vt patet in igne, qui aurum cũ alijs metallis permixtum ab illis eximit, & in vnum cogit. Frigidum est, quod congregat tam ea, quæ eiusdem generis sunt; quàm quæ alieni; vt patet in glacie, & alijs frigore concretis; in quibus pleraque alieni generis frequenter insunt, vt lapides, ligna, animalia &c. Humidum est, quod termino proprio non terminatur, cum facilè possit terminari alieno, vt apparet in aqua, & ijs quæ aquea sunt, ea namque perpetuò diffluunt, nec nisi alieno corpore, ac termino continentur. Siccum denique est, quod termino proprio facilè terminatur, vel concluditur, male autem alieno, vt videre est in terra, & lapidibus sicca natura cõstantibus. Quia autem quatuor primæ qualitates trifariam quo ad præsens attinet, spectari possunt. Vno modo quatenus mixta corpora ex ijs concrescunt, intellige secundùm accidentariam compositionem. Altero quo ad rationem vniendi, & quatenus reddunt subiectum facile, aut difficile terminabile. Tertiò in ordine ad primas ac magis proprias earum actiones, videlicet calefactionem, refrigerationem, humectationem, exsiccationẽ. Si considerentur primo modo, omnes sunt

ſunt paſſiuæ duntaxat, ſic enim habent rationem materiæ, quæ nullam agendi vim poſſidet: ſi ſecundo, earũ duæ ſunt agentes tantum calor, & frigus, duæ tantummodò patientes, humor & ſiccitas; quia vnire eſt agere, calor verò & frigus vniunt; terminari vero facile aut difficile, eſt quoddam pati, pertinetque ad potentiam paſſiuam. Si quatuor denique primæ qualitates tertio modo ſumantur omnes ſunt actiuæ; quamuis calor & frigus magis actiua ſint, quam ſiccitas, & humiditas.

Circa diuiſionem elementorum, licet antiqui Philoſophi in varias ſententias abierint circa numerum elementorum, nihilominus quia omnes illi leui, & contemnendo fundamento nitebantur, ideo eis ſuppreſſis dicendum eſt cũ Ariſtotele, & cæteris alijs Philoſophis, elementa tantùm eſſe quatuor, ignem, aerem, aquam, & terram; cum enim ex primis qualitatibus, ſcilicet calore, humiditate, frigiditate, & ſiccitate, tantum ſint poſſibiles iſtæ quatuor combinationes naturales, ſcilicet calidum, & ſiccũ, calidum & humidum, frigidum & humidum, ac tandem frigidum & ſiccum: tantùm etiam ſunt conſtituenda in rerũ natura quatuor prædicta elementa, quibus prędictæ combinationes ſunt connaturales, quia ignis eſt calidus, & ſiccus, aer verò humidus & calidus, aqua autem humida & frigida; ac tandem terra frigida & ſicca. Vtrum autem ſingulis elementis ſingulæ in ſummo qualitates inſint, & quæ quibus? eſt difficultas inter Philoſophos, aliqui enim putant vnumquodque elementum vnam è quatuor primis qualitatibus in ſummo gradu obtinere; aliam vero in excellenti gradu tantum; ita vt ſummus calor conueniat igni, ſiccitas autem infra ſummum; ſumma humiditas aeri, calor verò infra ſummum; ſummum frigus aquæ, humiditas autem infra ſummum; ſumma tandem ſiccitas terræ, frigiditas verò infra ſummum. Melius tamen alij cum Diuo Thoma docent non eſſe neceſſarium quod vnicuique elemento in ſuo naturali ſtatu competat vna qualitas in ſummo; ſed ignem ſimul eſſe ſũmè calidum, & ſummè ſiccum; aerem neque eſſe ſummè calidum, neque ſummè humidum, ſed vtramque qualitatem habere in debita proportione, & temperie, ſeu quaſi temperie; & quamuis probabile ſit, aquam eſſe ſummè frigidam, nihilominus probabilius eſſe, illam eſſe ſumme humidam, & citra ſummum frigidam; terram autem eſſe ſummè frigidam, & citra ſummum ſiccam. Vbi notandum eſt primò qualitatem quæ elementis in excellenti, non tamen in ſummo gradu competit, probabilius non habere in illis permixtionem contrariæ qualitatis, quamuis aliqui oppoſitum teneant. Secundò qualitates ſymbolicæ, id eſt, quæ ſub eodem nomine pluribus elementis inſunt, vt calor aeri & igni; humiditas aquæ, & aeri; ſiccitas igni & terræ, non diſtinguntur inter ſe ſpecie, vt quidam opinati ſunt, ſed pertinent ad vnam & eamdem ſpeciem infimam, vt docet D. Thomas in quęſt. de ſpirit. creat. artic. 3. ad 19. ſicut etiam elementaris calor, cęleſtis, & vitalis, omneſque in vniuerſum calores ſunt eiuſdem ſpeciei. Tertio licet duæ qualitates primæ contrariæ in gradibus remiſſis poſſint eidem rei ineſſe, ex D. Thoma 1. p. quęſt. 76. artic. 4. ſecus tamen in gradibus intenſis naturaliter loquendo.

Quantùm ad mutuam elementorum generationem, dicendum eſt primò poſſe ex quolibet elemento quodlibet immediatè generari, vt ex aere ignis, & è contra; ex igne aqua, & è conuerſo, & ſic de alijs; cęteris tamen paribus facilior eſt tranſitus inter elementa ſymbola, quàm inter diſſymbola; quæ facilitas duobus modis poteſt intelligi, vno vt facilius conuerti, idem ſit, ac pauciora in conflictu amitti; altero, vt idem ſit atque celerius conuerti. An autem, vt ex vno elemento poteſt generari aliud, ita ex duobus poſſit aliud tertium generari? pro explicatione notandum eſt dupliciter poſſe intelligi, quod duo elementa concurrant ad generandum aliud ter-

tertium. Primo, ita vt vtrumque non corrumpatur, sed vnum destruatur, & aliud quod remanet educat ex illo aliud tertium; & hoc modo certum est, posse ex duobus elementis fieri vnum tertiũ, quia ignis, agendo in aquam, potest destruere illam, & inde resultare aer. Secundò, ita vt vtrumque corrumpatur, & hoc adhuc dupliciter, vel ita vt per actionem alterius tertij agentis id fiat, & hoc modo etiam constat posse ex duobus elementis fieri aliud specie ab vtroque distinctum: si quidem ex aere & aqua potest optime fieri ignis, si detur alius ignis ab omnibus his distinctus, qui aerem & aquam destruat, & ex illis formam ignis educat; vel ita vt non detur tertium elementum, quod corrumpat duo priora elementa, sed inter ea sit mutua actio, per quam ad inuicem corrumpantur, per quamque aliud tertium elementum generetur, atque adeò non solùm ex illis, scilicet in genere causæ materialis, sed ab illis, nimirum in genere causæ efficientis, prædictum elementùm attingatur; & in hoc sensu negant aliqui duo elementa posse concurrere ad generationem alterius tertij elementi specie distincti; melius tamen distingunt alij; ex duobus videlicet elementis symbolis ad inuicem corruptis non posse aliud tertium elementum, specie distinctum produci ab vtroque; secus autem ex duobus elementis dissymbolis; ita vt ex igne & aqua fiat terra & aer, ex aere vero & terra, ignis & aqua.

Postquàm Aristoteles de elementorum mutua generatione egit, mox ad generationem mixtorum, & eorum temperamenta explicanda accedit, quia autem circa generationem mixtorum, aut quorumcumque aliorum, quid dicendũ sit, satis constat ex dictis libro 1. ideo solum hic de temperamentis mixtorum superest breuiter agendum: Primumque dico temperamentum non esse relationem, nec quintam qualitatem, eamque simplicem, diuersam à primis, ex earum tamen actione, & perpessione ortam, quàm aliqui complexionem vocant; sed tantùm esse quatuor ipsas primas qualitates ad moderationem, seu mediocritatem quamdam redactas. Circa diuersitatem temperamentorum, varia tradunt tàm medici, quàm Philosophi, duæque in primis se offerunt temperamentorum differentiæ in genere, nempe vniforme, & difforme: vniforme est illud, in quo omnes illæ quatuor qualitates sunt in æquilibrio, id est, in omnimoda æqualitate, & pondere, soletque appellari medium, siue temperatissimum, seu ad pondus, quia in eo qualitates quasi æquo pondere librantur (si verum est illud esse naturaliter possibile, de quo disputant inter se doctores) certum est non posse esse nisi tantùm vnicum, si quidem omnimoda æqualitas nullum admittit recessum à medio: temperamentum verò difforme, quod etiam vocatur intemperamentum, vel temperamentum ad iustitiam, est illud, in quo qualitates ab æquilibrio in diuersam latitudinem recedunt, id est, in quo vna, vel duæ qualitates dominantur; quod ideo vocatur temperamentum ad iustitiam, quia cùm non vnum tantùm sit, vt æquale ad pondus, sed varium; non omnibus idem competit, sed quasi iustitiæ ritu, vnicuique rei, pro naturæ diuersitate, suum. Vnde temperamentum istud iterum diuiditur in simplex, & compositum: difforme simplex dicitur illud, in quo vna tantùm qualitas vincit, denominatque, & tres aliæ æqualitatem seruant, vt si in aliquo mixto essent quinque gradus caloris, & gradus humiditatis, siccitatis, & frigiditatis essent æquales, nempe, vt quatuor. Sed hoc rursus in quatuor velut species distribuitur, pro numero qualitatum, quæ quatuor cum sint, vna earum dumtaxat in hoc temperaturæ genere principatum tenet. Difforme compositum est, in quo duæ qualitates reliquas duas excedunt, quod similiter in quatuor membra secatur, pro varietate proportionum, quas primæ quatuor qualitates inter se se mutuo sortiuntur. Primum est in quo abundat calor, & siccitas, quod igneum dicitur, & in ani-

mantibus cholericum appellatur. Secundum, in quo calor, & humiditas, vocaturque aëreum, in animantibus sanguineum. Tertium in quo excellit frigiditas cum humore, quod est aqueum, in animantibus phlegmaticum. Quartum, in quo præstat frigus cum siccitate, in animantibus Melancholicum, quod est terreum. Sicque nouem numerantur tēperamentorum discrimina, vnum æqualitatis ad vnguem exactæ, octo inæqualia & difformia: quorum quatuor sunt difformia simplicia, quatuor difformia composita.

Descendendo ad temperamenta in particulari, dicendum est iuxta communem, veramque Philosophorum & Medicorum sententiam, humani corporis temperamentum, & constitutionem aptissimam esse, ac cæteris longè præstantiorem. Quoniam verò temperamenta, seu qualitatum compositiones, quatuor in hominibus potissimum assignari solent, sanguinea, cholerica, phlegmatica, melancholica, difficultas est, quænam harum ad ingenij excellentiam magis idonea sit; sed omissa longiori disputatione, assentiendum puto ijs, qui docent id temperamentum ad ingenij acumen, mentis perspicaciam, & sapientiam accommodatius esse, quod ex bilis & melancholiæ permixtione constat: Nam qui eo præditi sunt ob bilem facile apprehendunt, velociter discurrunt, motu agiles, & acres sunt: ob melancholiam verò, cum animum ab externis euocent, & in se totum colligant, assiduè incumbunt in ea, quæ apprehendunt, diu meditantur, & de ijs, quæ discurrendo inuenerant, constanter iudicant. Etsi enim omnes animæ rationis participes non modo secundùm speciem, sed etiam secundum differentias indiuiduales æqualem habeant naturę perfectionem vt suo loco dicetur, atque adeò facultas intelligendi, quæ ab anima profluit, eidemque inhæret, in omnibus hominibus parem obtineat dignitatem, similiterque aliæ immateriales potentiæ. Quia tamen ad primam specierum intelligibilium productionem oportet phantasiam concurrere cum intellectu agente; item, quia dùm postea intellectus possibilis in opus incumbit, vna cum eo operatur Phantasia vt docet Aristotel. lib. 3. de anima cap. 8. dum ait, oportere intelligentem phantasmata speculari: fit inde vt dexteritas & acumen in apprehendendo per intellectum, in componendo, iudicando, discurrendo, alijsque eiusmodi functionibus obeundis à phantasiæ præstātia magnopere dependeat. Rursus verò quia bonitas phantasiæ pendet à sensiterio, & à corpore, in quo inest, fit quoque inde, vt ad nobilitatem ingenij, & acuminis perspicaciam, multum conferat vnius temperamenti præ alio bonitas, sicut etiam & illa omnia, quæ corpus qualitatibus benè afficiunt, & in contrariam partem, quæ male. Numerantur inter hæc in primis natalitia sydera, apotelesmata, & horoscopi; etenim cælestium corporum virtus licet in animam rationis participem directè non agat, influit tamen in sensuum tàm internorum, quàm externorum organa; nunc his, nunc illis affectionibus ea imbuendo, pro ratione aspectuum, & irradiationis syderum. Secundò plurimum ad id faciunt progenitores ipsi; tertiò regionum & locorum situs; quarto ratio victus; de quibus vide Conimbricenses & alios ab illis citatos lib. 2. de generat. & corrupt.

Quod pertinet modo ad ætatum, & singularum partium in homine temperamenta; circa primum supposita diuisione ætatum, de qua in libris paruorum naturalium agemus, in pueritiam, iuuentutem, virilem ætatem, & senectutem, dicendum est pueritiam calidam, & humidam esse: iuuentutem calidam, & siccam; virilem ætatem temperatam, senectutem frigidam & siccam. De temperamentis singularum partium, relicto, vbi de medicina agemus, longiori forsan discursu, sic breuiter statuendum videtur. Imprimis circa calorem, cor vt potè natiui caloris fons, reliquas partes calore superat: secundum caloris locum obti-

obtinet spiritus, tertium sanguis,& flaua bilis, quartum simplex caro; deinde iecur, tum lien, tum renes, quibus succedit cutis pari interuallo ab extremis dissita. Ab hoc in frigiditatem vergit adeps, deinde cerebrum, etsi hoc confluentibus eo spiritibus nō parum caleat. Cerebro frigidior est spinæ medulla, & hac frigidiores sunt nerui, alij alijs magis. Hos sequuntur venæ, deindè arteriæ, tùm membranæ, atque his omnibus tendones frigidiores sunt; tendonibus vincula; deinde cartilagines, ossa, pili: denique postremum frigiditatis locum sortitur melancholia, & phlegma. Siccitate autē pilus reliquas partes exuperat: hunc suo quæque ordine subsequuntur os, cartilago, vinculum, tendo, membrana, arteria, vena, flaua, & atra bilis, neruus, qui motui inseruit; cutis autem vt calore, ita & siccitate in primis temperata est. Hinc in humiditatem secedit neruus sensioni destinatus; neruo autem humidius est cor, subindè renes, iecur, lien, simplex caro, pulmo, spinæ medulla, cerebrum, medulla ossium, adeps, sanguis, postremò pituita. Tandem circa temperiem quatuor anni temporum; communis authorum consensus hunc in modum quatuor qualitates anni partibus ascribit. Ver & est humidum, & calidum; Aestas calida, & sicca; Autumnus siccus, & frigidus; hiemps frigida, & humida; sed in quolibet horum temporum tres adhuc varietates notantur: quia principium, medium & finis cuiusque eorum non eamdem vendicant temperiem: sed extrema cuiuslibet pars cum vicini constitutione aliquo modo conuenit: cuius distinctionis & vicissitudinis, vt finis est, multiplex sublunaris mundi commoditas, ita & causa efficiens est motus corporum cælestium, & stellarum errantium, præsertim Solis conuersiones, & recursus, vt fusius dicetur agendo de astronomia.

Quia autem Philosophus capite vltimo lib. 2. de generat. docuit generationes rerum esse circulares, ita vt ad eamdem rem secundum speciem, non tamen ad eamdem numero fiat in generationibus substantialibus; ideò breuiter agendum est de possibilitate reproductionis eiusdem rei secundum identitatem numericam, circa quam controuersiam variæ fuerunt Philosophorum sententiæ; nam Platonici vt D. Augustinus lib. 12. de Ciuitate Dei cap. 13. refert, & ex eorum libris constat, arbitrati sunt, confectis syderum, cælorumque cursibus, & peracto magno anno, easdem omnino causas, eosdemque effectus perpetuoredituros, vt, v. g. sicut Plato Philosophus Athenis in Academia discipulos docuit; ita prolixis temporum interuallis, sed tamen certis, & idem Plato, & eadem ciuitas, eademque schola, ijdemque discipuli repetiri, & per innumerabilia temporum sæcula, eadem scilicet magno anno vertente. Hunc verò annū nonnulli è Platonicis triginta sex millibus nostrorum annorum concludebant, quo spatio credidit Ptolemeus peragi cursum nouæ sphæræ ab occasu in ortum. Verum tam reiecto Ethnicorum errore, quam etiam aliquorum Philosophorum Catholicorum sententia, qui existimant, id quod interijt posse idem numero per naturam restitui dicendum est, quod semel propriè interijt, idem numero per vires naturæ redire nō posse. Sed inquiret aliquis vtrum id per diuinam potentiam fieri possit? de hominibus, quorum animus, ijs intereuntibus, permanet, an diuina virtute à morte ad vitam reuocari queant, nulla est inter Catholicos disceptatio. Nam quod possint constat ex testimonijs sacræ paginæ, quæ id sæpè factum narrat, docetque futurum in communi omnium hominum resurrectione, quamuis hanc negarint omnes Ethnici Philosophi. Vndè tantùm in quæstionem adduci potest, an compositum, cuius forma interijt, vel forma ipsa per se, vel si quid à Deo in nihilum redigatur, an, inquam, idem prorsus diuina virtute reparari queat? negant enim aliqui, melius tamen alij distingunt asserentes, implicare quidem contradictionem eamdem numero rem succes-

successiuam semel extinctam reproduci à Deo; secus autem si sit sermo de rebus permanentibus, illæ enim, siue ex parte, siue ex toto perierint, possunt eædē secundum numerum diuina virtute redire.

His ita circa tertiam Physicæ partē breuiter adnotatis, quantum accurata illius notitia conducat ad sacram doctrinam, patet primò ex hoc, quod in illa agitur de generatione verbi diuini, cui ita competit definitio generationis viuentium secundum se, siue secundum suum conceptum abstractum & essentialem, vt tamen nullatenus illi conuenire possit definitio generationis in cōmuni pro vt Theologi docent in tractatu de Trinitate. II. Cùm natura totalis nequeat esse terminus *qui* generationis; seu generari vt *quod*; rectè intelligitur cur sacrosancta humanitas Christi Domini nequeat esse, aut dici filia, vel prædestinata, vt ferè omnes Theologi fatentur 3. parte quæst. 24. art. 1.

III. Cum repugnet generationem substantialem subiectari in materia prima, vt informata forma corporeitatis eidem coæua; ad veritatem illius propositionis, corpus Christi Domini in triduo mortis fuit idem ac antea erat; satis patet corruptionem substantialem non debere resolui in compositum ex materia prima, & forma corporeitatis, tanquā in subiectum, vt minus probabiliter interpretantur aliqui; sed sufficere quod corpus illud Christi Domini fuerit idem triplici identitate, nimirum, materiæ primæ, subsistentiæ, & existentiæ diuinæ: nam cum ad multiplicationem, & diuersitatem nominis substantiui, requiratur multiplicatio, & diuersitas, tam illius, quod de formali, quàm quod de materiali importat, fit inde, vt identitas suppositi, maximè cum identitate eiusdē materiæ, & existentiæ diuinæ, sufficiat ad hoc, vt de illo corpore absolutè & simpliciter enuntietur esse idem numero, ac antea erat, quodque natum est ex Virgine, vt docet D. Thomas 3. parte quæst. 50. artic. 5.

IV. Ad illud Philippensium cap. 1. *Oro, vt charitas vestra magis, ac magis abundet*; & Apocalips. vltimo, *qui iustus est, iustificetur adhuc*; inseruit doctrina de intensione, & remissione qualitatum, inter quas annumerantur habitus infusi & supernaturales. V. Cum in nutritione propriè dicta, alimentum verè conuertatur in veritatem humanæ naturæ, in quantum verè accipit speciem carnis, & ossis, & huiusmodi partium; satis patet illud Matthæi 15. *Omne quod in os intrat, in ventrem vadit & per secessum emittitur*; non debere intelligi quasi alimentum nō transeat in substantiam aliti, vt explicat Magister; non enim dicit Dominus, quod totum quod in os intrat, per secessum emittatur, vt notat D. Thomas 1. p. quæst. 119. sed oportet quod de quolibet cibo aliquid impurum per secessum emittatur: vel potest dici, quod quidquid ex alimēto generatur, potest etiam per calorem naturalem resolui, & per poros quosdam occultos emitti, vt Hieronymus exponit. VI. doctrina de liquorum mixtione valet ad explicandas plures difficultates, circa mixtionem aquæ cum vino in augustissimo Eucharistiæ Sacramento.

VI. Cum ex natura, proprietatibusque quatuor elementorum innumeræ in diuinis Scripturis desumātur metaphoræ, vt videre est in dictionario Berchorij, sylua allegoriarum Laureti, alijsque similibus libris, satis patet quantum ad illarum intelligentiam iuuet hæc Physicæ pars, quæ de elementis agit. *Nam* vt rectè ait D. Augustinus in Exod. lib. 2. cap. 29. de Scriptura disserens, *rerum ignorantia facit obscuras figuratas locutiones, cum ignoramus, vel animalium, vel lapidum, vel herbarum naturas, aliarumque rerum, quæ plerumque in Scripturis similitudinis alicuius gratia ponūtur*. VII. doctrina temperamentorum vtilis est ad explicanda multa circa temperamentū Christi Domini, eiusque pulchritudinē 3. parte quæst. 14. VIII. Cùm inter ea, quæ corpus qualitatibus benè, vel male afficiunt, locum etiam teneat, regionum & lo-

& locorum situs, non solum quia aliter sydera in vnam mundi partem, aliter in aliam influunt; sed quia ipsa soli affectio compositioque, quam patet non vbique eamdem esse, diuerso modo corpora immutat, facilè intelligitur, cur D. Paulus Galatas insensatos, Cretenses pigros ac mendaces appellauerit. Alexander enim ab Alexandro lib. 4. Genialiũ dierum cap. 13. multorum auctorum testimonijs docet non solum quanta ingeniorum diuersitas, sed quæ vitia ex loci natura, aut cęli climate quibusdam gentibus innata sint. Nam Græci, exempli gratia, assentatores, leues, atque infideles habentur, alioqui facundia, & ingenio præstantes. Cappadoces, Cilices, & Cretenses fraudulenti, & mendaces; Afri subdoli; Numidæ leuissimæ fidei; Chij petulantissimi, Galatæ minaces, Cyri cupidi & auari, Alexandrini derisores & dicaces, Indi & Persæ otiosi, Lydi & Phryges negotiosi, Emporitani imbelles & barbari, Aetoli & Locrenses fędifragi, Druidæ Malefici, Corci diri & immanes, Scythæ rapidi & feroces, Asiani, Iones, Abydani, Medi, & Arabes effęminati, Siculi varij, Cumani insulsi, Syracusani multiplices, Lyguri duri & agrestes, Hyspani iactabundi, & gloriosi, &c.

Quod tamen non ita accipiendum est, quasi prædicti mores in singulis earum nationũ hominibus citra exceptionem inueniantur, cum palam repugnet experientia. Nec quasi astrorum vis, aut climatum natura, hominum animis hos aut illos mores per se imprimant: cum vitia, & virtutes (acquisitæ scilicet) comparentur nostris actibus, qui non ab aliqua externa causa naturali, sed à libera voluntate eliciuntur, imperanturve. Sed eatenus id verum est, quatenus eiusmodi externæ causæ aliquas imprimunt qualitates corporibus, quæ ad vitiosas, vel honestas actiones, vtcumque inclinent, aut promoueant. Quomodo calor impressus organo appetitus irascibilis, animositatem excitat, & ad res arduas aggrediendas, atque ad fortitudinis actus confert: contra verò frigus ignauiam, & timiditatem inducit.

CAPVT DECIMVM.

Quanti referat ad sacræ doctrinæ studium quarta pars Physicę, quæ est quatuor librorum Meteororum, in quibus agitur tam de mixtis imperfectis, quàm de perfectis, sed inanimatis.

POstquam Aristoteles in libris de generatione communem elementorum, cæterarumque dissolubiliũ substantiarum doctrinam explicuit, egitque de ortu & interitu, de alteratione, & permixtione; accedit in quatuor meteororum libris ad mixtorum naturam singulatim scrutandam. Quoniam verò eorum, quæ permixtione oriuntur, quædam sunt mixta imperfecta, hoc est secundum qualitates duntaxat; vt ros, glacies, pruina, quæ videlicet retenta propria alicuius elementi forma, quatuor primarias qualitates, calorem, frigus, humorem, & siccitatem obtinent: alia mixta secundum substantiam, quæ præter quatuor qualitatum temperiem, propriam formam ab elementarijs specie distinctam vendicant: rursusque ex hoc posteriori genere, quædam sunt mixta animata, vt stirpes: quædam animæ expertia, vti lapides & metalla: sic Aristoteles harum rerum explicationē distribuit, vt quatuor meteororum libris mixtorum tam imperfectorum, quam perfectorum anima carentium disciplinam primum tradat. Vnde satis patet, quonam ordine hoc opus cæteras naturalis Philosophiæ partes antecedat, & sequatur: quodnamque sit adæquatum illius obiectum.

Primùm igitur, quod attinet ad mixta imperfecta, seu elementarias impressiones, duplicem veluti materiam illorum distinguere possumus: vnam remotam, alteram proximam. Materia remota est potissimum terra, & aqua: hæ enim materiam propinquam, ex qua fiunt elementariæ impressiones, de suo dant.

dant. Materia propinqua est vapor, & exhalatio, ex his enim elementariæ impressiones vniuersæ oriuntur; non quidē ex vtraque omnes; sed quædam ex vna, quædam ex altera, aliquę mixtim ex vtraque. Est autem vapor, halitus, siue spiratio calida & humida, quæ ex humore aqueo prodit; oriunturque ex illa nebulæ, rores, nubes, pluuię, niues, grādines, & his cognata. Exhalatio verò est anhelitus terræ calidus, & siccus, continetque sub se duas quasi species: vnam, quæ paruo negotio flammam cōcipit, & in ignem mutatur, de qua proximè fiunt ignitę impressiones, vt cometæ, aliæque faces ardentes: alteram quæ non ita facilè incenditur, ex qua proximè venti existunt. Prior è terra pingui, posterior ex aridiori oritur. Ita tamen vt secundum probabiliorem sententiam, nec vapor ab aqua, nec exhalatio à terra specie, substantialive forma distinguuntur, sed accidentaria tantum ratione. Sic quod calida sint, non suoptè ingenio, aut interna proprietate; sed ab extrinseco, nimirum virtute, & efficientia solis, reliquorumque syderum, à quibus præeunte calore, qui attenuandi vim habet, excitantur. Quandoquidem dum substantialem aquæ, & terræ formam retinent, sua natura frigiditatem potius exigunt.

Circa causam efficientem meteorologicarum, seu elementarium impressionum; cùm ad earum generationem, ex statim dictis, concurrant vti materia proxima vapor & exhalatio, id erit in primis causa efficiens, earum impressionum, quod istiusmodi materiam ab elementis vocat, & in sublime tollit. Hoc verò maximè præstant sua vi, & influxu corpora cælestia; causa vero instrumentaria, qua corpora cęlestia ad hæc effecta vtuntur, est potissimum calor, qui aquā & terrām peruadit, easque attenuando in halitus soluit; quos pariter in sublime effert interuentu leuitatis, quæ calorem ipsum, & raritatem consequitur, vt in superioribus elementis videre est. Tandem causa, quæ ipsasmet impressiones, vti cometam, rorem, pluuiam coagmentat, & perficit, communis quidem sunt eadem corpora cælestia: particularis verò, & proxima sunt calor, frigus, motus, aliaque eiusmodi. Nam calore supremæ plagę aëris ignescit exhalatio in cometam, mediæ regionis frigore concrescit vapor in nubem & aquam, sæpeque rapida agitatione collisa nubes fulgurat. Quibus accedit actio per antiperistasim, quam in hisce rebus multum momenti habere fatentur omnes Philosophi.

Tria conceptacula, seu loca solent enumerari, vbi elementariæ impressiones, gignuntur. Primus locus est sinus terræ, quæ quidem ex sua natura sic est summè frigida, & in excellenti gradu sicca, vt alias præterea accipiat affectiones, quarum merito quibusdam in partibus magis prompta est, & idonea ad impressiones, in alijs minus. Est enim cauernosa, fungosa, solida, concreta, vliginosa, sulphurea, bituminosa. Atque V. g. vbi cauernosa est; ibi concussiones subit, cum halitus interceptus, nec exire valens, magno conatu exitum molitur, & terram concutit. Vbi verò vliginosa, humidaque existit, ibi fontium scaturigines, aut riuulos effert. Secundus locus est gremium aquæ, quæ similiter ex natiua proprietate ita est summè humida, & excellenter frigida, vt alias etiam affectionum subeat differentias: quandoquidem hic calida inuenitur, illic frigida; hic dulcis, illic salsa, nitrosa, aluminosa, sulphurea, bituminosa. Tertius denique locus est aëris receptaculum, in quo oriuntur, quæ propriè meteora nuncupantur. Diuiditur autem vniuersus aer in tres regiones, infimam, mediam, & supremam. Infima est ea, quæ nos ambit, porrigiturque vsque ad eam partem, quæ iam radiorum solis repercussu non incalescit. Suprema dicitur, quæ inter superficiem concauam ignis, & paulò infra altissimorum montium fastigia intercepta est. Media, quæ inter duas illas iacet, Porrò totum aeris elementum suaptè natura in excellenti,

non

non tamen summo gradu calidum, & humidum, ex accidente variè etiam immutatur circa has, aliasque ipsius affectiones. Nam suprema regio, vltra quàm eius natura postulet, calida est. Primùm ob ignis vicinitatem. Secundò ob flammulas ab igni, vt quidam asserunt, nonnunquam decidentes. Tertiò quia exhalationibus calidis eò subeuntibus assiduè conspergitur. Quartò quia cæli, & ignis circumuectione, quę calorem ciet continenter rapitur. Infima verò regio calida est, plusquam natiua eius conditio exigat: minus tamen quam suprema. Incalescit autem tum vaporibus & exhalationibus, quas è terra & aqua prodeuntes excipit: tum maximè reflexione radiorum Solis, qui in se geminati impensius calefaciunt. At media regio perfrigida est, non solùm quia nec repercussio radiorum solarium, nec elementaris ignis feruor, nec impetus, quo superior pars in orbem versatur, eò pertingunt, sed etiam propter vapores, qui eum eo perueniunt, sublatis iam impedimentis vltrò se se ad natiuum frigus reuocant, aëremque circumfusum refrigerant; & quia aer ita refrigeratus, cum ex superiori & inferiori parte calido obsideatur, per antiperistasim algescit.

Quoniam autem ex impressionibus quædam ignitæ sunt, quædam non, incipiendo à primis sciendum est, magnã earum varietatem existere, præcipuæ tamen hæ fermè sunt, flamma, torris, candela, lancea, sydera discurrentia, stellæ eadentes, capræ saltantes, ignis perpendicularis, ignis fatuus, ignis lambens, draco volans, Castor, & Pollux, Helena, fulgura, fulmina, tonitrua, cometæ, quorum omnium priusquam definitiones adducamus notandum est primò in communi, harum omnium impressionũ, seu concretionum causas sic se habere; earum materia remota est corpus terrestre. Proxima, sunt exhalationes. Efficiens principalis sunt astra, minus pręcipua, & instrumentalis sunt calor, frigus circumstans, & motus; forma est ea, quæcumque earum ex sua natura debetur. Finis est in primis consumptio fumosarum expirationum ad viuentium incolumitatem & salutem. Secundò prę significatio aliquorum euentuum ex diuino instituto. Secundò notandum est eiusmodi concretiones multis inter se modis differre; magnitudine, figura, colore, motu, loco, tempore, vel duratione. Magnitudine, quia quædam amplæ sunt, aliæ exiguæ. Figura, quia aliæ rotundæ, aliæ quadratæ, aliæ oblongæ sunt, aliæ alia effigie. Colore, quia quædam apparent obscuræ & fumidæ ob densitatem: aliæ lucentes, & candidæ ob raritatem: aliæ alijs coloribus. Motu quia quædam in orbem eunt raptu cæli, & ignis; quædam naturali suo motu sursum feruntur; quædam ad latus declinant, propter occursum corporum superiorum, aliasve causas, quæ rectam inhibent lationem. Item quædam lento gradu pergunt, vt nonnulli cometæ; quædam magna rapiditate, vt sydera cadentia. Loco, quia aliæ in supremo aeris tractu, aliæ in medio, aliæ in infimo, aliæ etiam in terræ visceribus nascuntur. Tempore denique, vel duratione differunt, quia quædam noctu fiunt: aliæ interdiu; et si rarò de die appareant; quædam non patiuntur morã, sed transuolant, & paulò post euanescunt: aliæ diuturnæ sunt.

Iam ergo *Flamma*, siue *Fax* definiri potest meteorum ignitum æqualiter longum & latum, speciem flammæ, siue facis referens. *Torris*, siue *Tæda* meteorum ignitum magis longum quàm latũ, quod successiuè inflammatur, speciem torris siue tædæ referens. *Candela*, siue *Lampas* est meteorum ignitum, sua figura, & luce, candelæ siue lampadis speciem referens. *Lancea*, siue *trabs ardens*, *iaculum ignitum*, *fascis*, est meteorum ignitum, sua figura speciem lanceæ referens. *Capra saltans* est meteorum ignitum magis longum quam latum speciẽ capræ saltãtis referens, tum ob fila quædam inter se distincta, quæ habet ad latera; tum etiam maximè quia cum ad illa simul accenditur, excursiones quasdam

dam, & veluti saltus, flamma efficit modo scintillarum emicantium. *Stella* cadens, ascendens, discurrens, est meteorum ignitum speciem stellæ cadentis, ascendentis, discurrentis referens, secundum varias huiusmodi motuum causas: cùm magna huiusmodi stellarum copia apparet, truces denunciantur venti; quia signum est materiam ad ventum idoneā ascendere: licet enim venti minus viscosam expirationem requirant, quam ignitæ concretiones, eadem tamen causa vtrosque halitus è terra euocat. *Ignis perpendicularis* est meteorum ignitum, perpendiculi, vel pyramidis speciem referens. *Ignis fatuus* est meteorum ignitum, in infima aëris regione incensum, motum habens inconstantē; facilè enim ad motum aeris eictur, indeq; est quod homines modo insequi, modo fugere videtur. Nam cum nos antecedit pulso anteriori aere pellitur: cum à tergo est, euocato ad nos posteriori aere, simul trahitur. Consimilis ignis frequenter apparet super cæmeteria: & capita eorum, qui in patibulis pendent, quod è cadaueribus viscosæ exhalationes prodeant. *Draco volans* est meteorum ignitum draconis volantis speciem referēs, fit enim ex halitu non admodum calido, nec valde coagulato & compresso, qui dum in sublime vehitur occurrens frigidæ nubi ab ea truditur, & vel motu, vel per antiperistasim accenditur. Quia verò frigidæ nubis impulsu flectitur, curuaturque tanquam draconis venter: quia item subtilior est ex parte anteriori, videturque scintillas ardentes tanquā ex ore vomere, & pars posterior quæ nubem frigidam attingit, repræsentat quasi constrictam caudam; fit inde vt meteorum hoc draconis figuram, & nomen habeat. *Castor*, *Pollux*, *Helena*, sunt meteora ignita, in infima aeris regione incensa, quæ in mari apparentia subinde malis, & antennis nauium adhærent. Quod Ethnici vt erant infinitis implicati superstitionibus, cum istiusmodi inflammationes binę conspiciebantur, credebant esse Castorem & Pollucem: cum vna dumtaxat Helenam; & vnam quidē infaustum exitum nauiganribus significare, binas prosperum: Hæc inquam, distinctio duorum luminum, vel vnius quoad faustæ, vel infaustæ nauigationis significationem vana videtur, nisi aliqua eius physica ratio assignetur; quatenus hæ concretiones, dum huc & illuc discurrunt tempestatis vim & turbulentos ventorum flatus, quibus agitantur indicant: si verò in antennis, alijsve nauium partibus insideant, futuræ serenitatis signa habentur: quia argumentū est frangi tempestatem, & desinere ventos, qui iam exhalationi quietem dant.

Circa *fulgur*, *fulmen* & *tonitru* relictis varijs veterum Philosophorum de illorum generatione & natura placitis, quæ legi possunt apud Aristotelem, cū illo tenendum est fulgur non esse aliud, quàm exhalationem in nube accensam, & igneo colore tinctam: quæ accensio potissimum fit vehemēti spiritus ad nubes collisione. Non semper autem hæc deflagratio contingit, quia non semper materia ad ardorem concipiendum idonea est: quare nec semper ante tonitruū nubes fulgurant. Quoniam autem collisione ac motu exhalatio inardescit, planum est tonitruum, quod per morum editur, definirique potest sonus vehemens proueniens ex collisione exhalationis nube inclusæ cum lateribus nubis vel ex nubis effractione; planum est, inquam, ptius tempore esse, quam fulgur: quamuis fulgur prius cōspiciatur, quàm tonitruum audiatur, quia aspectus auditum anteuertit. Tandē fulmen est exhalatio ignita, vel accensa è nube magno impetu erumpens, sicque differt à tonitruo, quia tonitruum modo statim dicto est sonus editus; à fulgore, quia spiritus fulguris & rarior, ac minus cōpactus est. Fulminum genera, seu differentiæ tres communiter adducuntur: *quod* terebrat, cùm est nimium subtile, & flammeum, cui per angustissimum proindè effugium fit; *quod* discutit, vel dissipat, cùm est valdè conglobatum, & spiritus coacti admixtionem habens,

sic

sic enim ictu rumpit, & non perforat: quod vrit, igneumque magis est, quam flammeum; vnde percussis magnas igniũ notas imprimit. Porrò fulminum varia sunt effecta, & ex ijs quædam veluti naturæ miracula habentur, vt videre est in authoribus inferius citandis.

Tandem quod attinet ad cometarum naturam, sicut inter omnes ignitas concretiones principem locum obtinent, ita etiam plures de illis inter Philosophos versantur opiniones; quibus tamen præferenda est illa Aristotelis docentis, cometam non constare natura cęlesti, sed sublunari, eiusque materiam esse exhalationem multum pinguem, crassam, cõstantem partibus benè coagmentatis; nam quæ huiusmodi est flammam concipere, conceptamque diu seruare potest. Cometarum locus est suprema regio aëris. Incensio cometarum fit, vel motu, quo ignis supremaque aeris regio conuertitur, vel decidentibus, vt quibusdam placet, ab elementari igni in subiectam exhalationem flammulis. Tẽpus cometarum nõ omnino certum est; etsi enim potissimum autumno gignantur; docuit tamen experientia nullum esse anni tempus, in quo non aliquando cometæ generentur. Similiter cometis non potest durationis tempus ad exactã regulam definiri, et si vltra sex menses rarò visantur. Namque ante Hierosolymæ excidium cometam per integrum annum vrbi impendisse narrat Iosephus lib. 7. de bello Iudaico, cap. 44. Motus cometarum non vnus est, sed multiplex secundum varias eius causas. Colores etiam (non quidem veri, quia hos non habent, sed fucati & apparentes) multi varijque sunt. Alij sincero, & quasi argenteo effulgent lumine: alijs robur inest sine vlla luce: alijs flamma, & hæc non pura & tenuis, sed multum circa se voluens humidi ardoris. Quidam cruenti sunt, & minaces, & toruo ac terrifico præ alijs aspectu. Quæ varietas à materiæ diuersitate nascitur; vt satis videre est in flamma, quæ cum materia rarior est, candidum ac purum exhibet colorem, cum crassior & multæ fuliginis fumeum; & sic de cæteris. Astrologi nouem cometarum species tradunt, cõmunius tamen ab eorũ figuris diuiduntur in crinitum, barbatum, caudatum. Si enim exhalatio in medio crassior sit; in extremis autem partibus rarior, & subtilior, ita vt lumen circumquaque veluti crines in orbem fundat, crinitus dicitur: si exhalatio versum vnam tantùm partem longè extendatur, caudatũ vocant: si modicè porrecta sit, barbatum. Tandem circa cometarum significationem, quędam sunt, quæ vt plurimum à toto illorum genere pręnuntiantur. Primum est, vehemens ventorum flatus: cum enim cometa, nisi ad superã aeris regionẽ magna exhalationũ copia eleuetur, generari nequeat; necessum est relinqui in medio, & infimo aeris tractu magnam halituum, qui ventos creant multitudinem. Secundum, maris tempestates, quę ventorum ortum consequuntur. Tertium, siccitas, & sterilitas, quæ euocato è terra succo & spirationibus existunt. Quartum, terræ motus, quia dum exhalationes attrahuntur, liberumque è terræ sinu exitum quęrunt, concuti, & huc illuc terram agitari contingit. Quintum, aeris intemperies, quam siccus & venenosus halitus inducit pręsertim iuxta loca palustria. Sextum, morbi, ij præsertim, qui causas siccas calidasque sortiuntur. Peruulgatum est etiam cometas principum mortes portendere; quod cum dupliciter intelligi posşit: vel ita, vt cometę mortem Principum pręmonstrent tanquam signa ad id diuinitus assumpta: vel quia morborum causas indicant. Meritò prior significandi ratio præfertur & inculcatur à D. Damasceno lib. 2. fidei cap. 27. cum posterior nimium remota sit. Nam quod aiunt Principes delicatius viuere, & humores subtiliores habere, ideoque eos aeris intemperie facilius à sanitate deijci, friuolum est; cum plerique infantes, ac multi in omni ętate nullius notę homines, regibus delicatiores sint: quibus tamen cometę nec mor-

mortem afferunt, nec denunciant.

Postquam egimus de impressionibus aëris ignitis: nunc ad eas, quæ ignitæ non sunt, accedendum est; quarum præcipuæ species sunt, colores in aere apparentes, vorago, hiatus, dolium, coronæ, virgæ, parelia, iris, seu arcus cælestis. Igitur notandum est colorum duo esse genera; alij ex quatuor primarum qualitatum admixtione & temperie obueniunt, & in solo corpore mixto ac terminato cernuntur; alij oriuntur ex reflexione luminis: qui adumbrati duntaxat, & apparentes dicuntur; tales sunt qui in aere cernuntur, quorum materia vel est vapor, vel exhalatio, vel aer condensatus, vel etiam aqua; forma lux varie modificata, nec enim diuersam ab ea naturam sortiuntur, vt in libris de anima docetur. Causa efficiens est id quod prædictam materiam ad eiusmodi colores admittendos præparat, itemque lucida corpora & exarsiones, aliaque id genus, quæ lumen ipsum iaculantur. Communis finis est pulchritudo vniuersi. Iam pro ratione horum apparentium colorũ, qui in aere cernuntur, & figurarum quibus aer, & halitus in eum euecti efformantur, solent in sublimi diuersæ rerum species & imagines apparere. Ac primũ cùm serena nocte multæ spirationes in sublimi constipatæ, medio quidem densiores, reliqua facie rariores inter astrorum lumen, nostrumque aspectum constituuntur, exhibent similitudinem foueæ; quia in medio, quod propter densitatem minus illustratur, profunditas quædam apparet; quæ si magna sit *vorago* dicitur: si parua, *hiatus*; si minor, *dolium*. Huius rei causa est, quia omne obscurum licet æque propinquum, & in eadem superficie sit, videtur nobis remotius ac depressius; nitidum verò propinquius: propterea quod candidum ac splendidum magis oculum mouet; atrum verò & vmbrosum minus. Si autem multæ spirationes, vel nubes æquabili densitate in orbem sparsa sub Sole vel Luna, alioue è splendidioribus astris constituta sit, ita vt radius corporis luminosi propter spirationis vel aeris densitatem rectà progredi nequeat, sed defiliat, ac per omnes extremitates diffundatur: apparet tunc sub astro splendens circulus more lucidæ coronæ, quem Græci (alon) vocant. Quia autem offert etiam se aliquando ad Solis latera nubes inæquabili concretione, alias videlicet partes densiores habens, alias rariores: quarum item nonnullæ facilè, aliæ difficile in aquam verti possunt; cũ istiusmodi nubes radijs solaribus penetratur, ob diuersitatem partium varijs imbuitur coloribus: qui quoniã ad nubis cauitatem se se accõmodantes, perpendiculariter versus terræ superficiem protenduntur, tale spectrum à virgarum similitudine virgas seu bacillos philosophi appellant. Iam verò cum Soli non infra versus terram, nec è regione, sed ad latera & ex obliquo, hoc est, vel ad austrum, vel ad septemtrionem, occurrit nubes apta, quæ proximè in aquam soluatur; itemque versus Solem diaphana, & altera ex parte terminata more speculi, à quo imagines reflectuntur: accidit tunc, vt in eam nubem Sol imaginem suam imprimat, tanquàm in speculum, quæ inde ad nostros oculos reflexa Solem nobis repræsentat in ipsamet nube. Atque ita duos Soles aspicere videmur: vnum in proprio orbe, alterum in nube; & quia contingit nonnũquam, plures nubes hisce cõditionibus, quas diximus, ita collocari, vt imago Solis ad vnam perducta, aliam imaginẽ in alteram nubem imprimat, & hęc rursus in aliam; sic etiam contingit nonnunquam plures, quàm duos Soles simul videri: quod spectrum Græci vocant, (Parylia) quasi, (paraylion) id est iuxta Solem: quia in propinquo ferè à Sole visuntur, aut quia ad Solis effigiem accedunt. Docet Aristoteles illa Sole ab horizonte ascendente, vel ad eumdem descendente, effici; non autem cæli vmbilicum occupante, nisi raro: quia Sol in medio cæli, vnde radios directè, aut minus obliquè ad terram iacit, idoneam ad id aeris densitatẽ soluit.

Tan-

Tandem circa Iridem, siue arcum cælestem meteora omnia pulchritudine vincentem, relictis diuersis Philosophorum sententijs dicendum est, Iridem esse arcum multicolorem in nube rorida, opaca, & concaua, ex radiorum Solis oppositi reflexione apparentem oculis spectantium. Sic primò non cadit iris sub nostrum aspectum, nisi simus inter nubem qua iris splendet, & Solem ipsũ constituti; secundò nunquam à nobis in quinto climate existentibus potest iris ad meridiem cerni. cùm fieri nequeat, vt versus eam partem maneamus inter iridem & Solem; si quidem oporteret nubem esse ad meridiem: Solem verò vltra verticem nostri capitis, quod in prædicto climate repugnat, vt satis ex se patet. Tertiò possunt eodem tempore simul effici plures irides: idque dupliciter, nimirum si vtraque fiat directè à Sole, v.g. si Sol medium cæli teneat, nubes verò apta ad impressionem Iridis, sit altera ad occasum, altera ad ortum; alio modo possunt gigni simul plures irides, videlicet in eodem situ, id est ad occasum, vel ortum; sed ita vt vna fiat primum directè à Sole, secunda verò ex reflexione primæ, ideoque secunda, quia causam minus potentem habet, debilior iam est. Quartò constat colores iridis apparere in nube ex lumine à Sole in eam transmisso, & repulso ad aspectum nostrum, varieque modificato. Quintò quod ad significationem iridis spectat quatuor cõmuniter docent Philosophi, primò esse signum pluuiæ; secundò non esse signum naturale diluuij, siue vniuersalis, siue particularis nunquam futuri. Tertiò esse naturale signum indicans non futuram proximè magnã aquarum eluuionem. Quartò ex diuino dumtaxat instituto significare nunquam futuram totius terræ eluuionem.

Post ignitas aereasque, hoc est in aere apparentes impressiones, tertio loco succedunt aqueæ concretiones, quarum etiam variæ sunt species, nubes, pluuia, nebula, seu caligo, nix, grando, glacies, ros, pruina, mel, & manna; mare, fontes & flumina. *Nubes* igitur est vapor condensatus in media aeris regione. *Pluuia* est nubes in aquam soluta; quia autem aliquandò præter vsitatum naturæ ordinẽ decidunt immixtæ aquis pluuialibus ranæ, pisciculi, sanguis, lac, lapides, ferrum, duplicem huius rei causam assignant, aliquando enim ad mortaliũ terrorem Deo ita causas secundas disponente, immittuntur: aliquando citra vllam rationem portenti accidunt; eorumque causa naturalis est varia cõmixtio exhalationum cum vapore humido, congruenti qualitatum vi. Naturæ author, atque hominũ parens Deus, quædam esse voluit signa naturalia vẽtorum, tempestatum, & imbrium; quędam item serenitatis: vt eorum videlicet obseruatio, ad cauenda suspecta tempora, & ad agriculturam, rem nauticam, aliaque nonnulla opportune tractanda, interdum nobis vsui esset. Hęc autem signa latissimè patent, alia namque ab inanimatis rebus, atque in primis à Sole, Luna, Stellis, alia à brutis animantibus ducuntur de quibus videndi auctores inferius citandi. *Nebula*, seu *caligo* est nubis in aquam resolutę superfluitas. Aqua enim, vapor, nubes, & nebula seu caligo, ita se habent. Ex aqua secernitur vapor: vapor concrescit in nubem: nubes in aquam soluitur. Verum quemadmodum in rerum viuentiũ nutritione quædam alimenti partes in ipsam rei alitæ substantiam transeunt, aliæ inutiles & excrementitiæ sunt: ita & in nube quædam partes in aquam mutantur, aliæ ad aquam gignendam ineptæ tanquam nubis incrementa post pluuiam remanent. Vnde has Philosophus quasi sterilem nubem vocat, & nebulam terris incubantem, quam serenitatis futuræ signum esse vult. *Nix* est nubes congelata priusquàm in aquam vertatur, per floccos descendens, vel nubes friabili densitate conglaciata: quæ nubes tanto maiorem siccitatem obtinet, quàm illa quæ in aquam vertitur; quautò valentioris frigoris efficientia concrescit: si quidem frigus, dum stringit,

git, humorem exprimit & foras euocat. Oritur autem candor in niue potissimũ merito earum partium, quæ magis aereæ sunt: ob quam item rationem abalbescit spuma. Porro notum est, magnam conferre aruis vtilitatem incubantes niues: non solùm quod calidam terræ expirationem repercussam intus comprimunt, & cohibitum calorem retroagunt in vires frugum, atque radices; verùm quod liquorem sensim præbent purum ac leuissimum, & quasi spumam; vndè terra fermentescit. *Grando* est pluuia in aere congelata, fitque tam in infima, quàm in media illius regione. *Glacies* est aqua in stagnis, paludibus, fluminibus, alijsue eiusmodi locis congelata. Et quamuis aliqui putent marinam aquam gelu contrahi non posse: aiunt enim, quamuis mare alicubi gelu constringi perhibeatur: re tamen vera non mare ipsum in gelu cogi; sed aduenas aquas fluuiorum, & paludum, quæ in mare influunt, & in eo, quia leuiores, innatant: probabilius tamen esse oppositum innumeræ comprobant experientiæ. *Ros* est vapor subtilis & tenuis, & in infima aeris regione in aquam conuersus. *Pruina* verò est vapor subtilis & tenuis in infima aeris regione priusquam in aquam resoluatur congelatus. Vt solent pruina & ros, si opportunè obueniant, aruis non parum commodare; ita etiam interdũ nocent; quia nisi excutiantur, subeunte postea ardore Solis, in eruginem, & putredinem vertuntur. Vndè nonnunquam arborum vermiculatio existit. Item cùm ros admodum viscosus est, nec dùm à Sole aliquid decoctionis obtinuit, si herbis insidens à pecoribus affatim ebibatur, ventris profluuio interimit. Ideoque pastores solent, pecudes non antè ad pascua educere, quàm herbas nocturno madentes rore Solis præsentia afflet.

Quidnam sit mel, quoue naturæ artificio gignatur, dubitat Plinius lib. 11. nat. histor. cap. 12. Num liquor ille sit cæli sudor, aut syderum saliua, aut purgantis se aëris succus. Philosophi autem mellis generationem hoc pacto se habere docent. Quandò vna cùm vapore illo tenui, ex quo ros generatur, efferuntur potissimum sublucanis temporibus, partes quædam terræ subtiles; ex varia huiusmodi partium cum humido tenui commixtione, si humidum aqueum non multum dissoluatur, gignitur succus prædulcis, qui herbis, folijs, flosculis, & terræ solo excipitur: atque hic mel vocatur; vnde apes non tàm mel faciunt, vt opinati sunt aliqui, quàm iam confectum exportant. Manna consimilem habet ortum ei, quem mel: etenim quandò vna cum tenui vapore, ex quo gignitur ros, eleuantur partes terræ subtiles, ita vt humidum aqueum valde excoquatur, maneantque partes terreæ cum exigua humiditate, efficitur liquor quidam candidus melliti saporis, qui in arborum ramis, herbis, lapidibus, & terra inuenitur: hic autem Hebraica, vel Syriaca lingua Manna dicitur: copioseque colligitur tàm in Libano monte, quàm in Calabria. De saccharo putauerunt etiam aliqui esse quidpiam cælesti è rore in arundinibus concretum, vti mel; contraria tamen sententia tenenda est, dicendumque etsi veteribus ars eliciendi sacchari è cannis ignota fuerit, habuisse tamen eos ipsasmet arundines, è quibus id nunc exprimitur, eiusque vtilitates in rebus medicis vsurpasse.

Inter aqueas etiam concretiones mare, flumina & fontes reponimus, non tam ea ratione, qua pertinent ad elemẽtum aquæ, de quo iam supra egimus, quàm secundum quod eorum aliqua diuersas, caloris, saporis, & odoris qualitates participant. Licet igitur aqua suapte ingenio frigida sit: in multis tamen locis per occultos meatus calida, & efferuescens, alibi tepida egelidaque excurrit, & scaturit. Quod probabilius est fieri à materia præcalida & æstuanti; vel etiam nonnunquam ab ignibus, per quos aquarum transcursus est, non aliter ac subditis flammis incalescunt; cuius rei signum est, quod terræ, in quibus ij defluxus visuntur, abundant ignis fomite, vt sulphure & bitumine; & interius

æstuant,

æstuant, & inardescunt. Sunt verò istiusmodi aquæ calidæ plerumque admodũ salutiferæ, ac præsertim ad depellendos morbos, frigoris noxa contractos, singulari naturæ beneficio cõtractæ. Quippe sulphurata neruis vtilis est, aluminata paralysi, similique morbo affectis, bituminata, & nitrosa purgationibus. Similiter, cùm sapor & odor sint qualitates ortæ ex quatuor primarum admixtione, atque adeo nec aqua, nec vllum aliud elementum in suo natiuo statu possit ijs affici qualitatibus, dicendum est eas ex aliorum corporum attactu & communicatione aquam recipere. Sapores igitur adueniunt aquis; vel quia mixtæ cum terra insipida aliquantulum vi caloris excoquuntur: vel quia terram insigni aliquo sapore infectam, lapidemue aut metallum aut concretum succum lambunt: vel quia ebibunt liquidum succũ cuiuscumque saporis; vel quia expirationes recipiunt. Primo modo consperguntur aquæ varij generis saporibus. Secundò redduntur acerbæ per loca aluminosa decurrentes: amaræ per nitrosa: salsæ per salsa: acres per plena chalcitidis, Mysios & similiũ: ferratas per ferri venas &c. Ijsdem fermè rationibus odor etiam aquis ingignitur. Nimirum vel quia lambunt terram olidam: vel quia in se recipiunt halitus adustos, aut succum aliquem odoratũ: vel quia habent admixtam terrenam portionem, & nonnihil concoctæ sunt: vel quia in locis cauis detentæ putrescunt: vel alijs modis similibus. Quod pertinet ad salsedinem maris relictis varijs Philosophorum sententijs dicendum est cum Aristotele probabilius, illam prouenire tùm ex multitudine adustarum exhalationum, quæ ventis delatæ in mare decidunt; tùm quia ardore Solis coquitur, & id quod tenue est exhalat; sed quia vt aqua dulcis salsa euadat, non sufficiũt calor Solis & exhalationes quæ in ipsã quotidie recidunt, vt satis patet in lacubus, & fluuijs, dicendum est mare ab ipso mundi exordio salsum fuisse, Deo illi salsedinem attribuente interuentu adustarum exhalationum, in tanta copia, & multitudine, quæ ad id sufficeret.

Quarto tandem & vltimo loco sunt terreæ, hoc est, quæ in elemento terræ reperiuntur impressiones videlicet terræmotus, venti, & quidam ignes subterranei; quod pertinet ad terræmotum, relictis varijs antiquorum Philosophorum placitis, vera & peripatetica sententia statuit illum fieri ab halitu, seu spiritu terræ visceribus incluso, & foras exire contendente. Etenim cum is viam qua prodeat non inuenit, retrofertur, atque in se reuoluitur, & exitu frustra quæsito omnes angustias dimouet: dõque effringere claustra & conuellere nititur, motũ & tumultum facit. Sic multa sunt terræmotuum discrimina, iuxta variam spiritus positionem situmue, & eius copiam, vel paucitatem. Georgius Agricola quatuor species annumerat: tremorem, cum terram vibrat: concussionem cum in sublime & in deuexum commeat: arietationem, cum contrarijs ictibus quatitur: inclinationem, cùm veluti fluctus volutatur, vel nauigij more nutat. Porro quemadmodum in homine, sonorum vocumque differentiæ proueniunt, ex varia gutturis & asperæ arteriæ compositione ac qualitate, & ex aeris qui emittitur magnitudine: sic diuersitas soni, qui in terræmotibus necessario contingit, cum fiat ex vehementi spiritus intus inclusi repercussione & cõflictatione, oritur ex varia cauernarum & cuniculorum per quos meat forma, & ex qualitate materiæ impetum excipientis, & aeris siue exhalationum copia. Itaque ex amplis meatibus soni redduntur magni: ex angustis tenues: ex recuruis & vario flexu impeditis terribiles & varij: ex lænibus clari & perspicui. Item in humidis raucum quiddam sonat; in stagnantibus fluctuat; in duris contra & solidis fremit. Amplo Spiritu colluctante vastus: tenui exilis sonus erumpit. Inter præsagia terræmotus nõ quidem omnino certa, aut euidentia sed probabilia, reponunt primò Philosophi, si nulla alia causa existente fiat in puteis turbi-

turbidior aqua, & tetrum odorem efflet. Secundò si aqua in puteis ebulliat, & ascendat; tertio si mare sine flatu repentè intumescat: quartò si sit tranquillitas aeris intempestiua; tunc enim multa exhalatio, in terræ sinu contenta, nec in aerem euocata, terram propediem quassabit. Quintò si media æstate ingruat insolitum frigus. Si quidē tunc exhalationes præterito calore in cauernis progenitæ per antiperistasim introrsus se se colligunt, terramque contundunt. Vt terræmotus potissimum contingunt Vere & Autumno, crebrius etiam noctu & meridie, quam aliàs, ob aduersas causas, ita & frequentius sentiuntur in insulis, locis cauis & fungosis, montosis; rarius verò in Septemtrionalibus regionibus, terrisque admodum calidis, planis, arenosis & ex limo concretis. Solent autem terræmotus durare, pro exiguitate vel copia spirituum agitantium; ordinarieque non concutitur magnum terrarū spatium, nec vna integra regio; cùm nec cauernæ, quibus spiritus diffluunt, adeò amplæ sint; nec tanta spirituum copia in locum vnum colligatur, vt vim suam tàm latè extendat. Varij tandem sunt terræmotus effectus, de quibus videndi auctores inferius citandi.

In tradenda materia naturaque ventorum non fuerunt inter se consentientes Philosophi, sed plura de illa habuerunt dogmata, celebrior tamen opinio fuit quorumdam existimantium, nihil aliud esse ventum, quàm aërem agitatione commotum, hos refellit Aristoteles lib. 1. huius operis verius docens materiam ventorum esse spirationem calidam & siccam. Id quod ita esse multis indicijs ostendit, potissimum quia quibus temporibus magna suppetit exhalationum copia, crebriores sunt venti. Inter diuersas pariter sententias, quanam vi creantur venti, probabilior est eorum motum in hunc modum effici: Solis & aliorum syderum attractu multi halitus, qui vti statim diximus materia ventorū sunt, confertim in sublime elati, ad mediam aeris regionem perueniunt. Inde ab aere illo frigido & denso protrusi, refracto ac dissultanti impetu resiliunt; & quia pulsu deorsum aguntur, & ob insitam leuitatem in superiora contendunt, dum neutra pars vincit, quasi partita cōtentione, neque sursum, neque deorsū, sed oblique fluunt. Notandum tamen tam ad generationem, quàm ad motum ventorum multum conferre peculiarem quorumdam astrorum influxum, cùm sit experientia compertum, certa syderum coitione, ortu & aspectu maximos ac frequentes ventos existere. Quod pertinet ad ventorum numerum & varietatem, diuiduntur primò venti in Cardinales & laterales seu collaterales. Venti cardinales sunt, qui ab aliqua è quatuor mundi partibus, seu præcipuis angulis spirant; videlicet ab oriente æquinoctiali, Subsolanus, à Meridie, Auster, ab occasu æquinoctiali, Fauonius, à Polo Arctico Septentrio. Venti laterales sunt, qui hisce quatuor primarijs adiacent, quorum auctus est numerus crescente decursu temporum, tam philosophorū, quàm naturæ obseruatione; Andronicus enim Cyrrhestes octo statuit, Aristoteles autem vndecim. Verum recētiores Philosophi & hydrographi, qui rem hanc diligentius, & ad vsum nauticum exquisitius pertractarunt, duos & triginta vētos constituunt, quorum tam schema, quam nomen passim exhibent, qui agunt de Nautica. Diuiduntur secundo venti in generales & prouinciales. Venti generales sunt qui vbique spirāt, prouinciales verò, qui in certis duntaxat prouincijs ac regionibus spirant, nec vltra eum tractum prodeunt. Diuiduntur tertiò in ordinarios, & turbulentos siue tempestates, quarum triplex potissimū genus esse perhibetur, omnino periculosum, ac nautis formidabile, videlicet Ecnephias, Typhon, & Prester. Ecnephias est copiosa & crassa exhalatio nube inclusa, quæ ipsam dirumpens summa vi ad terram fertur, sine inflammatione. Typhon est tenuior & subtilior exhalatio, quæ per angustum nubis foramen erumpens, non recta vt Ecnephias,

phias, sed in gyrum rotata deorsum fertur. Prester est typhon incensus, eoque differt à fulmine, quod fulmen plus habeat flammæ, minus flatuum, Prester è conuerso flus flatuum, flammæ minus; deinde quia materia fulminis est subtilior. Sunt etiam quædam sydera, quorum exortu procellæ haud raro concitantur, vt Hyades, Orion &c. Tandem circa ventorum affectiones, seu qualitates, sunt in duplici differentia, natiuæ & aduentitiæ, natiuas appellamus, quas venti ab intrinseco, & suapte natura poscunt, quæque ipsorum substantialibus formis debentur: atque adeo in eorum opinione, qui ventũ exhalationem agitatam definiunt, vt vidimus supra, venti omnes ab intrinseco sicci sunt & frigidi, vt terra cuius soboles sunt: secundum eos verò, qui ventum non solam exhalationem, sed vel exhalationem, vel vaporem agitatum esse arbitrantur; ex ventis alij ab intrinseco sicci & frigidi sũt, quorum nempe halitus è terra prodeunt; alij frigidi & humidi, quorum spirationes ex aqua euocantur. Qualitates autem aduentitiæ ventorum sunt, quæ illis ab extrinseco dumtaxat conueniunt, vnde si sermo sit, de qualitatibus conuenientibus secundum eum statum, quem obtinent, dum vi Solis aliorumque sydetum è subiectis elementis in sublime vehuntur, dicendum omnes ventos calidos esse, & siccos, si eorum materia sit exhalatio: vel etsi omnes calidi sint, alios tamen siccos, alios humidos esse, iuxta eorum sententiam, qui etiam vapores ventorum materiam faciunt. Quod si regionum, per quas venti ad nos traijciunt, ratio habeatur, tunc dicendum, secundum earum varietates diuersas induere qualitates. Vnde Septentrionales, qui per loca niuosa & frigida transmeãt, frigidissimi sunt & sicci: oppositi verò, qui per mare & loca humentia & calida, vt per zonam torridam ad nos perueniunt, calidi & humidi. Quo etiam fit, vt venti pro qualitatum quibus imbuuntur, excessu, vel mediocritate & temperie, alij corporibus salubres habeantur, alij noxij: alij hoc, alij illud morbi genus inuehant. Vniuersim autem omniũ saluberrimi sunt Septentrionales venti, & fauonius: noxius auster, quia pollet humiditate & calore, quæ cum aduentitia & aliena sunt, humores corrumpunt.

Vltimum quod in terreis impressionibus considerandũ occurrit, sunt ignes subterranei, siue qui sub terræ specubus gignuntur; quoniam autem certum est huiusmodi ignes, absque materiæ, ad quam adhæreseant seruari non posse, dicendum est primo talem materiam esse potissimum bitumen & sulphur fossile ac sponte nascens, quod viuum appellant, ita tamen vt ad eiusmodi ignes alendos diuque seruandos potiores partes obtineat bitumen, quam sulphur; cùm enim multa sint bituminis genera, id de quo in præsenti agimus, est succus quidam admodum pinguis & calidus, liquoris oleacei, & aerei, vnde talibus qualitatibus vberiorem præstat fomitem, & diutius permanet. Iam quænam vis subterraneos ignes accendat? dicendum est non incendi calore Solis vt voluerũt aliqui, sed potius ab exhalatione spirituue cauernis incluso; qui spiritus dum in locorum angustias per antiperistasim frigoris cogitur, vel certè dùm hac illac exitum quærit, ipso attritu & conflictatione accenditur: quandoquidem motus non caloris tantùm causa est, sed etiã flammæ, cùm in materiam idoneam incurrit.

Post Meteorologiam seu corporis mixti imperfecti & inconstantis tribus primis Meteororum libris considerationem, quarto & vltimo operis libro agit Philosophus de mixto perfecto, & constanti inanimo, quod quia lapides & metalla mineraliaque omnia, siue sint friabilia, siue liquabilia complectitur, iure merito Mineralogia, siue liber de Mineralibus inscribi potest; de quibus in prǽsenti breuiter acturi sumus. Igitur incipiendo ab eorum causis dicendum est causam materialem mineralium remotã esse materiam primam, vnum è tribus primis rerum naturalium principijs, me-

diam seu propinquam quatuor vulgata elementa, cum enim omne mixtum perfectum confletur ex quatuor vulgaris elementis; & fossilia seu mineralia sint eiusmodi, satis constat mediam seu propinquam illorum materiam esse debere quatuor vulgata elementa; proxima tandem mineralium materia, iuxta probabiliorem Aristotelis sententiam est duplex halitus, vaporosus scilicet, qui proprio nomine dicitur vapor; & fumosus, qui proprio nomine dicitur exhalatio, cum enim duplex detur genus eorum, quæ fiunt in visceribus terræ, fossilia scilicet & metallica; vult exhalationem siccam & fumosam esse materiam proximam omnium fossilium, cuiusmodi sunt sandaracha, ochra, minium &c. & lapides illiquabiles; halitum autem vaporosum esse materiam omnium metallicorum, quæ sunt aut fusilia, aut ductilia, vt ferrum, aurum, æs. Vbi materiam proximam sumimus, non relatè ad materiam remotam & mediam, sed per respectum ad vltimam mineralium formam; quam etiam materiam proximam puto non distingui specie à media, vel propinqua, si quidem vt diximus supra iuxta probabiliorem Aristotelis sententiam vapor, qui excernitur ab aqua, est verè quoad substantiam aqua, & exhalatio è terra abstracta, est propriè terra. Verùm quia elementa non commiscentur ad faciendum per se vnum, nisi alterata, cum mixtio sit miscibilium alteratorum vnio; alterata autem per attenuantem calorem, prædominante in materia calida, humido, vel sicco, non differunt ab habitu vaporoso & fumoso; hinc est quod pro materia mineralium media, seu propinqua quatuor elementa, pro proxima verò duplicem halitum vaporosum scilicet, & fumosum assignamus. Quod pertinet iam ad causam formalē mineralium, certum est illam esse de genere substantiæ, distinguique essentialiter à formis elementorum; si enim lapides, gemmę, metalla, & reliqua mixta perfecta inanima carerent propria forma substantiali distincta à formis elementorum (qua destituuntur nubes, grando, nix, pluuia, & alia huiusmodi mixta imperfecta meteorologica) non possent diu manere in gradu lapidis, auri, gemmę &c. sed citò resoluerentur in elementa, more reliquarum impressionum meteorologicarum, contra id quod quotidiana demonstrat experientia. Vtrum autem substantialis illa mineralium forma sit anima propriè dicta, quę sit principium vitæ, affirmatiuam partē aliqui ex antiquis & modernis amplectuntur; negatiua tamen vt longè communior, ita & verior est, siue loquamur de anima sentiente, siue de anima vegetante.

Nunc loquendo de externis mineralium causis, efficiente, & finali, sunt qui putent mineralia omnia initio mundi à Deo procreata fuisse, neque vllam dari vim illorum effectricem in natura; sed hæc sententia inter alia ex eo sufficienter confutatur, quod sicuti Deus, cum in prima rerum molitione, animalia, arbores aliaque eiusmodi produxit, eisdē vim similia in posterū producendi contulit: sic conueniens fuit, vt licet tunc magnam in terræ gremio metallorum, cęterorumque mineralium copiam (id enim mundi ornatus, & absoluta perfectio exigebat) effinxerit; tamen physicis rebus facultatem ad alia etiam mineralia progressu temporum efficienda tribuerit. Quod & ita esse docet experientia, qua compertum est augeri metalla in matricibus. Maneat ergò mineralia ex ordine causarum secundarum, aliquā habere sui effectricem: Quamuis in illa assignanda non satis conueniant; aliqui enim putant principalem metallorum causam esse planetas; quibus singula metalla ascribunt: Soli aurum, Lunę argentum, Marti ferrum, Saturno plumbum, Ioui stannum, Mercurio argentū viuum, Veneri ęs. Addunt etiam nonnulli, sicuti errantia sydera gignunt metalla; ita inerrantia efficere gemmas; & vt proles similitudinem parentem refert; ita vnumquodque metallum & gemma facultate sibi insita proprium sydus imitari

tari, habereque magnam partẽ proprietatum illius. Verùm cum hec virium planetis conuenientium ad metalla gignenda distributio, nullis certis rationibus probari posse videatur, ideo illa omissa dicendum est absolutè causam quidem vniuersalem mineralium esse virtutem cęlestem; particularem verò virtutem mineralem formatiuam illorum. Vt enim in semine virtus est formatiua animalis & plantæ, ita in terræ visceribus, aut etiam in aquis, & animalibus est vis formatiua aliquorum fossilium, quemadmodum cum animalia nascuntur ex putri materia, in materia est vis generatiua à cælo quasi transfusa. Sunt autem huius virtutis duo potissimum instrumenta, calor nimirum & frigus: calor enim, cuius est attenuare expirationem gignit & coquit, frigus verò quod suoptè ingenio congregat, eandem expirationem condensat & cõstipat; secundum propriam vniuscuiusque mineralis naturam. Tandem cum triplex in rebus Physicis distingui possit finis: primus ratione totius: sic quęuis pars mundi, ideoque & mineralia sunt propter mundum. Secundus finis est ratione præstantissimæ partis, sic res omnes sunt propter hominem, ideoque & mineralia; Tertius est proprius, siue qui dicitur rei factæ, & nihil aliud est, quam vsus quos præstant homini mineralia ipsa iam genita.

Quod pertinet ad mineralium loca in genere, siue an & quælibet elementa sint mineralium loca? dicendum est primò, licet mineralia nec generentur, nec locentur in igne elementari sub orbe lunæ proximè constituto, hæc tamen igni non vulgares habere gratias, qua cogit, compingit, solidatque terrenos halitus in plures metallorum, lapidumque formas, non in terræ solum gremio, sed in media etiam aeris regione, concrescente inter nubes halitu, verum hoc raro contingit. Itaque ordinariæ mineralium, metallicorum præsertim matrices intra terram sunt; adeo vt fossilium patrem esse cælum, matrem autem terram non immerito dixerit Trismegistus, in illius siquidem multiplices cauernas, variosque sinus, specus & recessus, tanquam in vterum coeunt ex omnibus elementis, plurimi vapores, spiritus, halitus, succi, quibus illapsi cęlitus syderei influxus, varias in eam materiã tam variè dispositam inducunt formas, lapidum, marmorum, gemmarum. Cui non obest, quod auri vel argenti ramenta in aliquot fluminibus reperiri legantur; non enim propterea hi amnes aurũ vel argentum generant; sed è terra, quã radunt, effossum, aut è fontibus in alueos deriuatum secum vehunt. Nec est vllum aurum pulchrius; videlicet cursu & tritu lotum ac perpolitum. Non desunt quoque mineralibus sua in aquis domicilia; experientia enim satis constat margaritas vel vniones, nasci in mari, electrum, corallium, quod etsi in mari sit planta, cum tamen in aerem effertur, in lapidis soliditatem transgelatur, & concrescit. Tandem mineralia non solùm suas habent modo explicato in quatuor elementis sedes, vbi vel generentur, vel contineantur & conseruẽtur, sed in pluribus etiam animalibus, vt in bufone lapis Bufonius, in multis serpentibus lapis Serpentinus, in capris Indicis Besoard, vide Gesnerum de lapidibus.

Non aliam coronidem desiderat id, quod de mineralibus generatim hùc vsque breuiter adnotauimus, quàm ipsam eorumdem in suas species partitionem; ex qua etiam statim patebit Minerologiæ in suas partes diuisio; quippe cum sectio obiecti redundet in eam scientiã, cuius est obiectum. Aristoteles igitur lib. 3. Meteor. capite vltimo duo distinguit mineralium genera, fossilia nimirũ & metallica; quamuis enim fossile latè sumptum pro omni eo, quod effoditur, comprehendat etiam metalla, quæ constat quotidie fodi; presè tamen acceptum, distinguitur à metallicis; fossilibus enim, vt sunt cadmia, chrysocolla, vernix, sulphur, minium, cinnabaris, denique pulueres omnes colorati, & la-

pides illiquabiles, exhalatio terrestris, sicca & fumida ortum præstat; at vaporosus halitus præbet materiam auro, argento, æri, stanno, ferro alijsque metallis, cogente atque densante frigore, vt fit in rore, gelu, grandine & niue: hinc fit, vt ductilia, & liquabilia sint, quæcumque in metalla concrescant.

Albertus Magnus lib. 5. mineralium cap. 1. & sequentibus, illa distribuit in tria genera, lapides, metalla, & media mineralia. Cùm enim lapides sint illiquabiles, & minimè ductiles, sed tantū friabiles; metalla autem sint liquabilia & ductilia, siue malleabilia; ideo media vocantur mineralia, quæ ad vtrumque conducunt, & ex vtroque retinent, id est, partim liquabilia sunt, more metallorum, at nequaquam ductilia instar lapidum. Præcipua sunt succi, & terræ pretiosę, videlicet omne genus aluminis, arsenicum, omne genus atramenti, quocumque sit colore, præsertim verò vitriolum, electrum, omne genus margaritarum: omne genus nitri: omne genus salis. Tandem omissis pluribus alijs diuisionibus, quę à colore, fulgore vel nitore, sapore, odore, alijsque penè innumeris accidentarijs dotibus desumi possent, sunt qui cum Georgio Agricola lib. 1. fossilium, Cardano lib. 5. de subtilitate, & alijs partiantur mineralia in quatuor capita, in terras insignes, quibus attexunt fossiles colores, seu metallica pigmenta; in succos concretos, in lapides, in metalla; qua in diuisione primum membrum non debet intelligi de terra, secundum quod est vnum ex elementis, frigidum & siccum, sed de terra fossili, aliquo odore, vel sapore, vel colore insigni, quam etiam dari inter naturę opera, est certo certius.

Iam ergò nexu ordineque doctrinæ descendendo ad breuem, vniuscuiusque harum specierum, seu membrorum diuidentium considerationem; dicendum est primò terram fossilem, quam Theophrastus insignem, Aristoteles verò puluerem coloratum 3. meteor. appellat, nihil aliud esse, quam corpus fossile, quod irrigatum ab humido, primum emollescat in lutum, mox aucto humore reddatur liquidum, pro vt explicat Fallopius lib. 5. Fossilium; circa huius terræ originem principiaque, putat Aristoteles materiam huius compositi esse terream exhalationem aqueo vapore adiuncto concretam; sicut enim iniecta terræ portio in vas vitreum angusti orificij, at amplioris alui, si ad ignem admoueatur expirat terreum halitum, qui non multò post, circa vasis osculum concrescit in quiddam terreum, patre calore, matre autem gemina illa duplicis halitus materia; non secus terras ipsas insignes gigni est existimandum. Cum autem magna huiusmodi terrarum varietas, penes colorem, saporem, odorem pondus, aliasque plures qualitates reperiatur, dicendum est eam oriri ex quinque potissimum causis, quas benè explicat citatus Fallopius. Prima est, ipsa terræ exhalationis, aqueo compactæ vapore, varietas. Secunda est calor, terram in halitus attenuans; si enim hic blandior fuerit, ac temperatior, vt qui à sole, vel motu efficitur, purior, candidior, & pinguior erit, terra inde genita; sin vehementior & acrior, qualem influit terrestris ignis, sulphure vel bitumine altus; terræ huiusmodi expirationibus concretę, nigræ erunt, minus puræ, amaræque. Tertia est varietas locorum, per quę effertur exhalatio: si enim per angustas traijciat rimas, & quidem magno impetu abripiens aliquid è lapidibus per quos transit, lapidosam inęqualitatem impertitur terris: quarum plerisque hinc inditos lapillos, alijs immixtas videmus lapideas squamas; sin per latiores transmittat venas, vel cauernas, aut valles, conditionem alterius generis sortientur terræ. Quarta causa varietatis, est ratio mixtionis inter exhalationē & vaporem: his enim optimè permixtis gignitur terra pinguis, benè compacta, & sine rimis, vndique sibi cohęrens: ijsdem verò non probè commixtis, quæ generatur terra, fatiscit hiulca. Quinta est ipse calor, non qua effector est exhalatio-

lationis, vt in secunda causa dictum est, sed qua efficiens est ipsius terræ: illo enim placidiore vel acriore, induit terra varias formas, ochræ, V.g. æstu blandè vrgente; at rubricę, eodem acriter vrente. Varia etiam sunt loca in quibus minerales terrę generantur; aliquãdo in commissuris saxorum; interdum in montium cauernis, venis, & fibris, quandoque in fontibus, canalibus, alueis, & scrobibus alicuius planitiei, denique non semel in ipsa terrę superficie. Iam quod attinet ad terrarum mineralium differentias, siue ad quot capita reuocare liceat tot terrarum insignium discrimina? diuisi sunt inter se Philosophi. Theophrastus enim *lib. de lapidibus*, distinguit terras in eas quæ possunt liquari, durari, molliri, lentescere lapidescere. Cardanus lib. 2. de subtilitate easdem discriminat, ex vsu, ex colore, ex odore. *Vsu* quidem, quatenus communis probatur agricolis, argilla figulis, lignarijs fabris rubrica, cimolia fullonibus, pictoribus cerulea, Lemnia Medicis, argentaria fabris argentarijs: *Colore* autem, quod terræ colores totidem sint, quot colorum genera. *Odore* etiam, quod aliæ bene, aliæ malè oleant, sed illæ quidem raræ; hæ verò frequentes. Sunt plerique, qui terræ vt generi subijciant species distinctas regionibus, & locis, è quibus effodiuntur, & nomina inuenerunt, vt Samiam, Eretriã, Chiam, Selinusiam, Melitensem &c. Sed omniũ optimè Agricola *lib. 2. Fossilium* putat primas insignium terrarum differentias esse duas, vt terra aut simplex sit, aut composita. Vbi simplicem non appellat à cæteris elementis separatam: vix enim vlla reperietur, quæ non quiddam aquæ, vel aeris, vel ignis complectatur; sed cum nulla re fossili permixtam, neque cum liquido succo: compositam contra, quę vel vnam aliquam rem fossilem, vel plures in se continet, aut quæ liquidum succum combibit.

Vnaquæque rursus plures suscipere potest diuisiones. In primis enim terrę simplices aut macræ sunt, vel pingues, mediocresve: aut raræ, vel spissæ, mediocresve: aut molles, vel duræ, mediocresve: aut lenes, vel asperæ, mediocresve. Deinde colorum varietate distinguntur, etenim sunt albæ, nigræ, luteæ, rubræ, purpureæ, virides, cæruleæ, cinereæ, fuscæ. Tum differunt sapore, qui in ipsis vel dulcis vel pinguis, vel acris, vel in pingui dulcis, aut acris. Mox aliquam differentiam habent in odore, quem tamen ferè non emittunt nisi tractatæ. Postremo inter se nonnihil distant figura: etenim quædam tabulis est similis, quædam non est. Terra autem composita cum illa sit, quæ vel vnam rem aliquam fossilem continet, vel plures, aut quæ liquidum succum combibit, aut est metallica, aut lapidosa, aut succosa. Metallica quidem gignitur, cum succus metallicus in terram sparsus frigore concrescit, terra verò non mutatur. Lapidosa autem fit, cum terra lenta, & non lenta in vnum locum congregatæ fuerint, calorque eas coxerit: tum enim lenta abit in lapidem, non lenta siccatur tantùm: quomodo succus etiã densatus in gleba terræ ingigni potest. Iterũ metallica variat metallo: aut enim id ipsum est aurum propter quod Græcè nominatur Gi chrysitis, latinè *terra auraria*: aut argentum, vnde græcè arguritis, latinè argentaria; & sic de cæteris. Multa etiam varietate insignis est terra lapidosa, seu lapides complectatur, seu eos habeat adhærentes: quemadmodum enim permultæ sunt lapidum species, gemmarum, marmorum, saxorum &c. ita terras quasdam possumus dicere esse saxosas, alias marmorosas, alias plenas gemmarum &c. Superest terra succosa ea videlicet, ad quam adiuncti sunt succi concreti: Itaque si sal cum terra conglutinatus fuerit, salsa nominatur: si nitrum nitrosa; si alumen aluminosa: si atramentum sutorium atramento plena, & sic de cæteris.

Secundum mineralium genus est succus potissimum cõcretus, cum enim plures huius nominis succi sint acceptiones, agimus tantum in præsenti de

suc-

succo minerali, eoque concreto; cuius varias adducunt Philosophi desinitiones. Quod inquit Cardinus *lib. 5. de subtilitate* liquescit, & dum redit, durum non est succus vocatur. Fallopius *cap. 5 fossilium*, succus, inquit, est, quod irrigatum humido non emollescit primò, sed statim eliquatur. Sed omnium optimè Agricola lib. 1. fossilium sic illum describit, succus concretus est corpus fossile siccum, & subdurum, quod aquis aspersum aut non mollitur, sed liquescit; aut si mollitur, multum vel pinguedine differt à terra, vel materia ex qua constat. Is diuiditur in macrum, & pinguem. Macri, quia de tribus rebus diuersis oritur, tres sunt species: nascitur enim ex liquore permixto, aut cum terra, aut cum metallo, aut cum mixto. *Primi* generis sunt sal, omnesque eius effectus, vt muria, & garum; nitrum, salnitrum, halinitrum, aphronitrum. *Secundi*, chrisocolla, borax, ceruleum, ærugo, ferrugo &c. *Tertij* atramentum sutorium, alumen, succus acris, qui caret nomine. Pingui verò succo subijciuntur hæ formæ, sulphur, bitumen, sandaracha, auri pigmentum, seu arsenicum, stibium, seu antimonium, chalchantum, seu vitriolum, eiusque species; quibus annumerant aliqui succinum, seu electrum cum sit bituminis genus. Inter concretos etiam succos reponunt vitrũ, & crystallum; sed melius alij crystallũ inter lapides, eosque gemmeos recenseri debere putant. Circa huiusmodi concretorum succorum generationem, modumque quo illi concrescant vide Agricolam tam lib. 12. de re metallica, quam lib. 1. & 3. de ortu & causis subterraneorum; & alios inferius citandos.

Tertium mineralium genus est lapis qui rectè definiri potest esse, vel corpus terreum durum, fossile, quod nec vi humidi, nec vi ignis liquari potest; vel, vt comprehendantur etiam vniones, corallia, alijque lapilli, non è terra sed aliunde effossi, quodcumque corpus terreũ, durum, friabile, quod nec humido, nec calido liquatur; dicitur autem friabile, ad differentiam ferri & ossis. Cui definitioni non obstat experientia aliquorũ lapidum, qui igne liquantur, & ad vsum vitri funduntur; non enim liquantur qua lapides sunt, sed qua permixtum habent aliquod metallum pro vt optimè docet Fallopius lib. 5. fossilium cap. 6. Materia lapidum in communi, siue pretiosorum qui ordinariè sunt transparẽtes, seu perspicui, diaphani, pellucidique, siue sint non transparentes, ideoque ordinariè non pretiosi, vt silices, saxa, &c. est aqua & terra, ita tamen vt in aliquibus terra prædominetur, præsertim in vulgaribus, in alijs verò prædominetur aqua, præsertim in perspicuis; ex motu enim lapidum conijcimus naturam elementorũ ex quibus constant: lapides autem omnes mouentur infra aquam, qui est motus grauium, scilicet terræ & aquæ: potissimum igitur ex terra & aqua cõstant; alias enim si aliud elementum prædominaretur, non monerentur infra aquã; quo etiam argumento constat non ex sola aqua componi, alias mouerentur supra aquam. Si enim crystallus & beryllus tantum constarent ex aqua mouerentur supra aquam, sicut & mouetur glacies, quæ nihil aliud est, quàm aqua compactior. Nec obest quod pumex, & lapides quos euomit ignis subterraneus, innatent aquis; hoc enim fit propter poros in quibus inclusus est aer: vnde si cõminuantur tales lapides, pulueres infra aquam mouentur. Porrò in lapidibus veluti heterogenearum partium, vt in saxis, & in non perspicuis prædominari terram, non tamen sine aqua, probatur exemplo luti, quod aliquoties exsiccatur dummodo non omnis humiditas effluat, fitque aliquid medium inter lutum & lapides, & tandem indurescit in lapidem: si enim nulla adsit humiditas, seu aqua, sed omnis effluat, lutum non cohæret, sed in pulueres aut cineres abit propter siccitatem terrestrem, quæ non solet continuare corpora, sed potius dissipare; requiritur ergò humidum vt continuet: & quemadmodum annuli in catenis ita se habent

bent

bent vt vnus aliũ amplectatur, ita aquæ humiditas terram, & terra humidum amplectitur, & sic corpus lapidis continuatur. Materiam autem lapidum perspicuorum esse aquam, sed vnctuosam vna cum terræ aliqua portione, probatur quo ad primam partem, quia ex cineribus talium lapidum, sicut & ex cineribus plumbi, ferri, auri &c. per vehementissimum ignem potest extrahi liquor, ita vt inde fieri possit vitrum perspicuum: ergò humor ille est materia proxima: quod autem sit humor aqueus, inde colligitur, quod frigido sicco concrescat, seu congeletur, vehementi verò calido dissoluatur, quod est signum aqueæ naturæ. Quod autem sit aqua viscosa, quæ est secunda pars nostri dicti probatur, quia sola, siue pura aqua nunquã potest nec per elixationem concrescere, nec per assationem, seu per siccum calidum, nec per frigus vllum: ergò est huic aquæ aliquid terrestre permixtum.

Etsi autem putent aliqui lapides nõ habere formam propriam substantialem distinctam à formis elementorum, ac proinde illos differre inter se sola complexione qualitatum accidentalium; melius tamen oppositum docent alij, proprietates enim lapidum valde diuersæ, vt fugare venenum, attrahere ferrum, quæ minimè conueniunt elementis secundum se spectatis, satis ostendunt illos diuersas tam ab inuicem quam ab elementis habere naturas, seu formas substantiales, ex quibus simul cum materia componantur. Quæ tamen formæ substantiales non sunt animæ, anima enim est principium alicuius operationis vitalis pertinentis ad vitam vegetatiuam, vel sensitiuam, vel rationalem, nulla autem ex his operationibus apparet in lapidibus, igitur contra Cardanũ, & nouissime Campanellam, dicendum est cum Alberto Magno, & alijs formã lapidis non esse animam. Causa efficiens lapidum in communi est virtus mineralis; cum autem virtus mineralis cõmunis sit metallis, lapidibus, & mixtis nonnullis mediæ naturæ, ea quæ est efficiẽs lapidum est propria species virtutis mineralis in communi, quæ ad eius distinctionem potest vocari vis mineralis lapidifica. Sunt autem huius virtutis duo instrumenta, calor nimirum & frigus; non autem calor adurens; sic enim non fierent lapides, sed potius cineres: sed calor solaris, seu cælestis in materia elementari, scilicet in terra & aqua, quẽ calorem vis formatiua regit, ideoque vix per Alchimiam lapides fieri possunt propter calorem ignis adurentem. Posterius instrumentũ est frigus consistens in aquea substantia, terrestris & siccæ materiæ actionem perpessa, quod frigus sua vi constrictiua, exprimit omnem humorem superabundantem. Quod spectat ad duritiem, porositatem, & varios lapidum colores vnde oriantur, dicendum est primum oriri ex siccitate, quæ in natura lapidum causatur ex duplici principio statim adducto, secundum ex eo quod humidum non totum commixtum fuerit cum terrestri; Tertium autem sic se habet, omnes lapides perspicui, quales sunt v.g. cristallus, beryllus, adamas, sortiuntur suam perspicuitatem ex multa aquæ, & aeris materia, quæ, terrestri apprehendente materia, est cõgelata & congregata. Niger autem color in lapidibus frequentissimè causatur ex terrestri combusto; hic enim color non causatur nisi ex priuatione perspicui in commixtione. Medij autem colores sunt in genere rubeus, viridis, & flauus & differentiæ ipsorum. Rubeus est quandò super perspicuum luminosum infunditur fumus tenuis succensus. Flauus color nascitur ex substantia perspicua, cui immixta sit subtilis exhalatio terrestris cõbusta, & sic de reliquis omnium enim illorum colorum species ex vna & eadem causa generantur; fiunt enim ex perspicuo aqueo cum terrestri fortiter adusto. Circa locum generationis lapidum nihil certi statui posse videtur, neque enim illi in vno, sed in multiplici generantur loco, elemento, & climate.

Superest tantùm vt breuiter hic aperia-

riamus, quam ob causam quidam lapides habeant intus & foris varias animalium, & etiam hominum figuras; pro cuius intelligentia notandū est eiusmodi figuras, vel imagines esse in duplici differentia; vel artificiosè exaratas sub certa quadam cæli constellatione; v. g. si quis effigiet Scorpionē Luna existente in Scorpione, esse contra serpentum ictus, & contra pestem: aliæ autem sunt imagines naturales, à sola natura lapidibus præsertim pretiosis impressæ de quibus iam. Hæ imagines rursus triplices sunt, vel exaratæ, & incisæ, vel eleuatæ & quasi expressæ, vel nulla superficie extante tanquam pictæ, siue ijsdē cum lapide coloribus, siue alijs. Quæritur ergò qua ratione ista fiant, quod enim aliqui casu dicant ista fieri, minus probandum; id enim quod semper, aut saltem vt plurimum fit, non debet censeri casu, aut fortuito fieri sed ex naturæ præscripto. Itaque dicendum est has omnes imagines à natura fieri per varios vapores à calore eleuatos, & in materiā impressos, & virtute cælesti formatos: quod ita ostenditur. Primo videmus varios vapores & exhalationes in nubibus varias exprimere figuras; si igitur vento non dissiparentur, aut per nouos vapores eleuatos, qui priorem disijciunt figuram nubium, aut si esset natura quędam tenax & comprehensiua quemadmodum est in terra, sine dubio figuræ illæ permanerent. Deindè quemadmodum vis cælorum & constellationum sæpe in semine humano monstri similem efformat figuram, propterea quod talis constellatio generatiua & conformatiua est alterius figuræ quam humanæ; & in alijs etiam animalibus vt in porcellis, vaccis figuram fermè facit capitis humanam, non tantùm propter cōmixtionem seminum, sed etiam sine illa, imo etiam sine imaginatione: ita ex varijs vaporibus eleuatis, & in molli materia, qualis est lapidum pretiosorum, illa eadem virtus varias effigiare potest figuras, tales vapores veluti regendo. Aliam adhuc causam adducit Albertus Magnus lib. 1. mineral. tract. 2. c. 7. quod sæpe vis fit in aquis generatiua lapidis, cuius plura adducit exempla.

Quantum ad huius generis diuisionem, sunt qui illud distinguant primò in lapidem marmoreum, cuius iterum colores & genera esse innumerabilia scribit post Pliniū Isidorus lib. 16. cap. 5. celebriora sunt Lacedæmonium, Ophites, Augustum & Tiberium, Purpurites, Porphyrites, Basaltes, Alabastrites, marmor Parium, Coraliticum, Alabandicū, Thebaicum, Lesbium, Corinthium, Numidicum, Lunense, Charisteum, Luculleum &c. *Secundò* in lapides vulgares, ad quos reuocantur silex, crepido, cautes, icon, calculus, scrupus, cos tam aquaria, id est quæ aqua, quam olearia, id est quæ oleo indiget ad acuendum ferrum; *tertiò* in lapides insigniores, qui sunt veluti medij inter lapides vulgares, & pretiosos; cuiusmodi lapides sūt multi, præcipui verò sexaginta quinque, quorum naturam & virtutes breuiter describit Bernardus Cæsius lib. 4. de mineralibus parte 1. cap. 3. *Quartò* tandem in lapides pretiosos, quos Gemmas cōmuniter appellamus, ex eo quod instar gummi translucceant, inquit Isidorus lib. 16. cap. 6. Sex autem diuisiones horum lapidum reperiuntur apud Scriptores. Prima nititur varietate colorum, qua attenta gemmæ reuocantur ad octo sequentia genera, nempe ad virides gemmas, ad rubeas, ad purpureas, ad candidas, ad nigras, ad cristallinas, ad aureas, ad varias de quibus vide Isidorum. Secunda diuisio nititur ordine alphabetico, de qua vide Plinium lib. 37. cap. 10. & Albertum Magnum lib. 2. mineral. tract. 2. Tertia figuris animalium; quot autem, & quæ gemmæ sint, quæ referūt figuras animalium, & ab ijs denominantur, referuntur ab eodem Plinio lib. 37. cap. 11. & Isidoro lib. 16. cap. 14. Quarta diuidit gemmas in sacras, & prophanas, seu superstitiosas; vbi per gemmas sacras intelliguntur illæ quæ institutione diuina sunt symbola sacrorum mysteriorum, huiusmodi sunt duodecim enumera-

meratæ Exodi cap. 24. & Apocalipsis 21. Reliquæ gemmæ ad harum differentiam dicuntur prophanæ, superstitiosæ verò dum exhibentur contra religionis virtutem. Quinta in germanas, & adulterinas; per adulterinas gemmas intelligendo illas, quæ cum reipsa falsæ sint, veræ tamen existimantur. Sexta in nonas & veteres; gemmæ enim multo æuo senescunt, proindeque, & gratiam & vires sensim multis sęculis deponunt. Sunt qui aliam diuisionem gemmarum in mares & fæminas tradant eo quod sub eadem specie, aliæ viuido magis colore atque acri, aliæ languenti, ac remisso colluceant.

Quartum tandem & vltimum mineralium genus est metallum sic dictum à voce Gręca apò tou metallan, quod eius natura ea sit, vt vbi vna vena apparuerit, ibi spes sit alterius inquirendæ. Causa efficiens metallorum eadem est quæ & lapidum tàm vulgarium, quàm pretiosorũ, scilicet influxus, seu virtus cæli metallaris, & in visceribus terræ virtus metallifica. Vt enim in quouis sémine virtus est quędam formatrix, vt in semine vitis est vis efformandi vitem: ita in visceribus terræ virtus metallifica tanquā in semine residet. Aliqui putauerunt solum frigus per congelationem esse causam instrumentariam metallorũ, eo quod per congelationem & concretionem illa consistunt, & per calefactionem dissoluuntur, corrumpuntur, & deperduntur; sed errant quia metalla remanent siue per calorem liquefiant, siue concreta & coagulata maneant. Causa ergò efficiens non est solus calor, nec solum frigus, sed calor moderatus & directus. Materia enim metallorum vt statim dicetur est aliquid humidum in quo est terreum & subtile digestum, quod si aduratur habet odorē sulphuris: ergò cùm sulphur calore fiat, etiam metalla per calorem fient. Insuper quæcumque liquida sunt & fluida, & postea concrescunt, per calorem fiunt, talia autem sunt metalla. Denique quoduis elementum ab altero fugit, esto enim quod aqua descendat, ascendit tamen à terra: vnde ex natura sua non commiscentur; opus ergò est calore qui ea misceat. Quod autem non solus calor & absolutè sit causa efficiēs, satis ex eo patet, quod nimius calor incineraret, siue calcinaret materiam metallorum, semper desiccando humidum, & adurendo terrestre, & hòc modo nunquam metallum generaretur: ergò opus est calore digerente, terminante, & qui sit directus ab aliquo, quemadmodum regitur instrumentum. Sicut enim in artibus fit vt per instrumentum explicetur & fiat forma artificialis, v.g. per malleum: ita natura cęlestis tanquam efficiens principale regit calorem vt digerat, non adurat, & vt separet heterogenea ab homogeneis, & sic tanquam instrumentum sit cæli, quo mediante cælum producat & explicet formam metallorum.

Circa materiam metallorum proximam, siue quidnam sit id quod immediatè vertitur in metallũ variæ sunt authorum sententiæ; sed omnibus verisimilior est illa Aristotelis docentis, materiam metallorum esse humidum viscosum, seu aëreum, vnà cum terrestri subtili, siue halitum ex vapore & exhalatione compositum, in quo tamen præualeat humiditas vaporis; ideoque idem Philosophus ait, metalla partim esse aquā, partim non aquam; aquam, pro vt concrescunt ex vapore; non aquam pro vt coagmentantur ex sicca spiratione. Cuius permixtionis argumentũ est primò, quod in omnia hęc resolui potest metallum, secundo quod ignitur, & liquescit: ignitur enim propter siccam exhalationem, liquescunt propter vaporem humidum; quia verò humidum aqueum facile euolat per ignem, metallum autem liquefactum est permanentius, non potest esse tantùm humidum aqueum, sed etiam viscosum & aereũ, siue oleaginosum: sed quia oleaginosum facile incenditur, aurum vero & argentum fixa sunt, ignique resistunt, ideo aliqui duplex humidum viscosum distingunt, vnum inflammabile, non autem alterũ.

Ab hac Ariſtotelis ſententia putat Diuus Thomas nõ diſſentire chymicæ artis profeſſores qui putant materiam metallorum eſſe ſulphur, & argentum viuum, ita vt ex his pro temperamenti, & mutuæ permixtionis varietate, nunc aurũ, nunc argentum, nunc aliud metallum exoriatur. Ariſtoteles enim facit materiam veluti remotam halitum modo explicato; chymiſtæ vero materiam veluti proximam, aut magis proximã ſulphur, & argentum viuum, quæ ex prædicto halitu, vt ex remota materia metallorũ concreſcant. De forma metallorum cenſuit Calliſthenes omnia metalla conuenire in eadem forma ſpecifica ſubſtantiali, atque adeò illa inter ſe conuenire ſpecificè, & ſubſtantialiter, differeque ſolùm accidentaliter, penes colorem, odorem, ſaporem, pondus, ſonum &c. Sed contra hanc opinionem eſt, quia diuerſæ proprietates indicant diuerſas eſſentias, atque adeò diuerſas formas ſubſtantiales, ſed omnia metalla habent diuerſas proprietates, vt omnes concedũt; concludendum eſt ergò vnumquodque metallum ſuam habere formam ſubſtantialem diſtinctam à forma alterius, eamque eſſe vnicam, & impermixtam ſine conſortio alterius formæ pertinentis ad aliud metallum. Loquendo de affectionibus metallorum in communi, octo potiſſimum ſolent enumerari, congelabilitas, liquabilitas, ſoliditas, ductibilitas, cremabilitas, colores, odores & ſapores de quibus vide Albertum Magnũ lib. 3. mineral. tract. 2.

Circa huius generis diuiſionem, ſiue quot ſint metallorum ſpecies? non ſatis conſtat inter authores dum ab alijs plures, ab alijs pauciores recenſentur. Videntur tamen, inter alias de hac re opiniones, plus habere probabilitatis duæ; quarũ vna ſeptem numerat ſpecies, videlicet aurum, argentum, æs, ferrum, plumbum, argentum viuum, ſtannum; altera tantum ſex, remouendo ſtannum, propterea quod decernat ipſum eſſe indiſcretam ſpeciem duorum metallorum argenti & plumbi. Vnde iuxta huiuſcemodi placita reliqua metalla aut pertinent ad has ſpecies, nec maiori quàm accidentario diſcrimine ab ijs differunt: aut non ſunt ſimplicia, ſed ex pluribus ſpeciebus conflata? vt electrum, quod ex auri & argenti permixtione coaleſcit. Iam quibus planetis, quibuſque corporis partibus reſpondeant metalla ſingula? ſic plerique docent Aſtrologi reſpõdere aurum Soli & cordi. Argentum Lunæ & cerebro. Aes, ſeu cuprum Veneri, & renibus. Ferrum Marti, & felli. Plumbum Saturno, & ſpleni. Argentũ viuum Mercurio, & pulmoni. Stannum Ioui, & iecori.

His ita circa naturam mixtorum tàm imperfectorum, quàm perfectorum, ſed inanimatorum breuiter adnotatis, iam conſiderandum eſt quantùm accurata illorum notitia ad ſacræ doctrinæ ſtudiũ, diuinarumque Scripturarum intelligentiam conducere poteſt. Primum ergò loquendo de impreſſionibus aëreis ignitis, occurrit illud Iob cap. 37. *Tonabit Deus in voce ſua mirabiliter*; vbi Eliud extollere volens Dei Optimi Max. potentiam & ſapientiam, ab illius operibus, quæ dicit eſſe magna & inſcrutabilia, argumentum capit, atque præcipuè à Tonitruis. Nam & Poetis vocatur Deus ob hanc mirabilem hominis ſublimium paſſionem, Altitonans. Cui conſonat illud Pſalmi 8. verſ. 8. *In tribulatione inuocaſti me, & exaudiui te in abſcondito tempeſtatis*: nam pro tempeſtate dictio Hebraica eſt Raam *tonitru*. Vocant autem ſeptuaginta Interpretes tempeſtatem eam, quæ ex tonitruorũ, & fulgurum eruptione contingit: quem ſenſum aperte reddit D. Hieronymus cum ait, *Exaudiui te in abſcondito tonitrui*: quem quoque confirmat Chaldæus Paraphraſtes: *In tempore*, inquit, *tribulationis Aegypti inuocaſti, & liberaui te: reſpondi tibi in loco abſcondito domus maieſtatis meæ, perſonantibus coram me rotis igneis*, id eſt, tonitruis quæ fulguribus commixta ſtrepitum ad modum rotarũ edunt. Eſt itaque ſenſus: *In tribulatione* inuocaſti me, & exaudiui te in abſcõdito

dito tempestatis, id est, ego absconditus in mea maiestate tempore tempestatis fulgurum & tonitruorum exaudiui te. II. Cum fulgur incenso aëre fiat, ignemque referat velocissimum, qui non ante caueri, aut præuideri possit, quam editus fuerit, velocitatis, & in expedienda re improuisæ festinationis, atque diuinæ cuiusdam, eiusdemque præstantissimæ, ac omnino irrefragabilis virtutis significationes, ex fulgurum imagine sumuntur in sacris Scripturis. Hinc ergò est quod diuinæ præsentiæ, & virtutis argumento dicitur Exod. 9. *Dominus dedit tonitrua, & grandinem, & discurrentia fulgura super terram.* & Exodi 19. *Ecce cæperunt audiri tonitrua, & micare fulgura.* Præterea vltio præsentissima, acerrima, & insuperabilis, fulguris mentione significatur Deuter. 23. *Si acuero vt fulgur gladium meum.* Ezech. 1. *Splendor ignis, & de igne fulgur.* Daniel. 10. *Facies eius velut facies fulguris.* Zacharię 9. *Exilit vt fulgur iaculum &c.* Propter celeritatem autem nimiam dictum est Lucæ 10. *Videbam Satanam sicut fulgur de cælo cadentem.* Aliquando rei efficacitatem manifestam, & omnibus conspicuā maximè arcana ratione indicat fulgur, vt Matth. 24. *Sicut fulgur exijt ab oriente, & paret vsque ad occidentem,* & Lucę 17. *Sicut fulgur coruscans de sub cælo in ea quæ sub cælo sunt fulget.* III. Etsi plerumque tàm in sacris litteris, quàm in prophanis confundantur tonitrua, fulgura, & fulmina, cùm tamen fulgur differat à fulmine teste Seneca lib. 2. natural. quæst. quod fulmen dicitur, cum ignis emittitur, fulgur autem, cùm ignis tantum ostenditur; vndè domum fulmine accensam dicimus non fulgure: est enim fulgur nihil aliud, quàm splendor ipsius fulminis: fulmen autem ipsum telum: hinc est quod in sacro eloquio per huiusmodi nomen significari potest maior diuinæ virtutis efficacia vel impetus. IV. Licet in diuinis Scripturis nullibi cometarum inter omnes ignitas concretiones principem locum obtinentium mentio fiat; ex his tamen quæ af-feruntur de illorum natura, & ingenio, motu & euanescentia sub diuturno lumine, & distantia à terris; satis patet ad illud quæsitum, num Stella illa, quæ Christo nato Magis præluxit, cum non fuerit de syderibus æthereæ regionis, pro vt ex cōmuni Patrum consensu docet D. Thomas 3. p. q. 36. artic. 7. num, inquam, cometa dici debeat. Negatiuam enim partem amplectuntur communiter doctores asserentes prædictam stellam nouum quoddam & insolitum Meteoron, non naturali, sed Angelica, vel diuina virtute è subcælesti materia conflatum, & eximiæ lucis fulgore conspersum fuisse; quod nō suaptè vi, sed alicuius Angeli ministerio deferebatur.

Iam circa aëreas impressiones non ignitas; V. dicitur de Iride Genes. c. 9. *Arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me, & terram: cumque obduxero nubibus cælum, apparebit arcus meus in nubibus cæli, & recordabor fœderis mei quod pepigi vobiscum, & cum omni anima viuente, quæ carnem vegetat, & non erunt vltra aquæ diluuij ad delendam vniuersam carnem.* Ad cuius loci intelligentiam multum conducit præstantissimi illius meteori notitia; cùm enim videri posset alicui illum legenti, ante diluuium, & initum fœdus cum Noe, nunquam fuisse eum cæli arcum, quem iridem appellamus, sed tunc primùm, in signum fœderis positum esse Dei iussu in nubibus; contraria tamen opinio, quæ affirmat à primis mundi originibus, atque ab eo tempore, quo pluuia esse cæpit, arcum fuisse, vera est. Cùm enim arcus sit naturale quoddam Meteorum, cuius causæ physicæ sunt lux Solis, & nubes certo modo affecta; atque hæ causæ ante diluuium non minus quàm modo concurrere potuerunt, nequaquam inficiandū erit, multis ante illud seculis effulsisse arcum. Insuper ex naturalibus huiusmodi arcus causis apertissimum relinquitur cur Deus, cùm iniret fœdus cum Noe, & eius posteris, ac pacisceretur, non futurum amplius diluuium, quo inundaretur tota terra, volue-

voluerit Iridem signum esse, potius, quã aliud quidpiam eorum quæ in nubium regione apparent; quia ea naturaliter milescentium imbriũ nota est; etsi enim sit signum pluuiæ, si quidem nonnisi in nube roscida, & quæ in imbrem solui parata sit, resplendet; est tamen naturale signum, indicans non futuram proximè magnam aquarũ eluuionem; quod probat D. Thomas quodlib. 3. artic. 30. quia trifariam se se habere potest calor Solis ad vapores, qui pluuiæ materia sunt: aut enim illos omnino discutit & absumit; sicque non concrescunt in nubes, nec pluuiam effundunt: aut eos aceruatim in sublime euectos disijcere nequit; & tunc assidui imbres magnaque inundatio contingit: aut denique mediam quãdam rationem ad eos seruat, quia nec eorum concretionem dispescit, nec diu conglobari sinit. At Iris nonnisi cum vis Solis medio illo modo se habet, appatet; si quidem cum nubes nimiũ grauidæ sunt ac tetricæ, ad radios Solis excipiendos reddendosque (sine quo minimè Iris effulget) idoneæ non sunt; patet igitur, arcum ex physica ratione indicare non futuram proximè magnã inundationem: cum eiusmodi aeris status ei repugnet; atque adeò rectè institutum fuisse signum ad placitũ diluuij amplius non futuri. Licet enim aliquando Deus, rarò quidem, vt euidentius hominibus suam diuinitatẽ ostendat, præter earum naturam, aliquid imperet rebus, nunc verò iuxta illius naturam iussit, vt Iris signum esset mundi nunquam amplius imbribus delendi, siue quod idem est, fœderis Dei cum hominibus, initi de diluuio nunquam futuro.

Insuper cùm antiqui Philosophi, vt Plato in Theateto, Iridem Thaumantis filiam propter admirationem dictã censuerint; patet quàm rectè multis in locis sacræ Scripturæ commendetur Iridis Pulchritudo; nam cap. 43. Ecclesiastici dicitur: *Vide arcum, & benedic eum, qui fecit illum, valde speciosus est in decore suo: gyrauit cælum in circuitu gloriæ suæ, manus Excelsi aperuerunt illum*. & c. 50. in Oniæ laudem dicitur: *Quasi arcus refulgens inter nebulas gloriæ*; Et meritò quidem, pulcherrimis enim coloribus est, puniceo scilicet, viridi, & rubro; nec parum etiam auget pulchritudinẽ eius, illa magnitudo, qua cælum videtur gyrare, hoc est in circulum comprehendere.

Quod spectat modo ad aqueas concretiones, cùm nubes nihil sit aliud quã vapor condensatus in media regione aeris; VI. facile intelligitur, cur dicatur Prouerb. cap. 1. *nubes rore concrescunt*. Quod quidem nihil aliud est, quam eãdem esse roris & pluuiæ materiam, puta vaporem; VII. cũ pluuia nihil sit aliud, quàm nubes in aquã soluta, patet quàm rectè Sanctus Iob cap. 26. dixerit, *qui ligat aquas in nubibus suis, vt non erumpant pariter deorsum*; VIII. cum nebula seu caligo nihil sit aliud quam nubis in aquam resolutæ superfluitas constat quanta cum proprietate dictum in Psalmo 147. sit: *nebulam sicut cinerem spargit*, si quidem vt terreus quidam puluis est, ac excrementum terreum vt cinis; si enim nebula de qua agimus in præsenti excernitur ex nubibus, verisimilius est, crassiorem, atque adeo quodammodo terream, esse earum partem, quam tenuiorem, quia si esset tenuior excerneretur sursum, excernitur verò deorsũ, ad terram vsque pulsa. Prætetea si esset tenuior reliqua, quæ in aquam mutatur, in aeris aut ignis naturam inclinaret. Ob aeream verò natutam, non esset inepta abire in aquam, si quidem cõmunis est omnium consensus ac peculiariter Aristotelis mutatione aeris in aquam fieri nubem: igneam si haberet, haud esset adeò frigida, vt certè est, sed fulgurum & cometarum materia, vt reliqua exhalatio. Superest igitur vt inclinet in terram, eamque minimè exustam, vt quæ vocatur exhalatio, estque vt fumus vstæ terræ. Nimirum cùm vapores ex aqua cum terra mixta eleueutur fieri non potest quin aliquid secum afferant terreũ; id, ob diuersum substantiæ modum non facile abit in aquam, neque sanè per cõcretio-

cretionem abire potest, cùm terra quam aqua concretior substantia sit. Proinde deorsum humidis vaporum partibus cócrescentibus, terreæ & tenues secretæ descendunt, voluntanturque circa terram vsque dum vi Solis dissipatæ fugantur.

IX. Etsi nix durior sit, & siccior aqua ex frigore constringente: quia tamen mollior est grandine ex admixtione caloris in ventre nubis, qui inclusus in eius substantia, & non statim superatus, frigore circumstante rarefacit eius substantiam, & mollem reddit: apparet cur in Psalmo 147. dicatur, *qui dat niuem sicut lanam*; vel etiam ex eo quod sicut laneum indumentum fouet corporis calorem, ita etiam & nix in modum vestimenti terrę expansa fouet calidam illius expirationem, illam retroagendo in vires frugum & radices; vnde si nix terræ opportunè immittatur teste eadem scriptura vtilis est iuxta illud Isaiæ 55. *Quomodo descendit imber, & nix de cælo, & illuc vltra non reuertitur, sed inebriat terram, & germinare facit eam*.

X. Cum grando nihil sit aliud, quã pluuia in aere congelata; quæque consequenter ratione suæ duritiei maiori impetu terram petit, & percutit, ac per eius superficiem ad motum salis dispersa, segetes, fructus, & flores admodum lædere solet; patet quam rectè dicatur Psal. 77. *occidit in grandine vineas*: quamque aptè in diuinis litteris passim iram Dei aduersus peccatores testetur. XI. Cum gelu, vel glacies nihil sit aliud, quã aquæ concretio ex frigore; patet, dum Ecclesiastici cap. 43. legimus, *Gelu sicut salem effundet super terram*; patet, inquã hęc verba non debere referri ad salis naturam, sed ad phantasiam, & id quod apparet, prçsertim cum effunditur super terram in salinis. Nimirum nomine gelu, ibi pruina designatur, quæ aspectu quidem sali per terram sparso est simillima, adeo vt si procul aspicias, non valeas discernere; res verò adeo similes aspectu discrepant natura plurimum. Nam pruina eamdem habet cum gelu, & niue generationem, hoc solum discrepans, quod circa terram consistit. Sal autem non concrescit vt gelu, aut pruina, aut grando, aut nix à frigore, cum enim celebratissimum sit apud omnes Physicos, à contrarijs dissolui rem quamcumque, ijs à quibus compacta est, & sal à nulla causa minus dissoluatur, quam calore, quia ad ignem siccatur ac vritur; dissoluitur verò ab aqua, vt quę constructa sunt calore; manifestè constat sal non habere similem cum gelu, vel pruina generationem, siue quod idem est non concrescere, vt illa ex frigore, iuxta illud Iobi 38. *In similitudinem lapidis, aquę durantur, & superficies abyssi constringitur*; si quidem nix, grando, glacies & pruina, nihil aliud sunt quam aqua concreta, exiguis inter se differentia conditionibus; grando enim orbiculares quidam lapilli sunt, ex pluuiæ cadentis guttulis geniti, glacies verò fit ex continuata aqua, siue in fluminibus, siue mari, siue fontibus, siue in stagnis, aut vasis quibusuis concrescente; & sic de grandine videntur dici illa verba priora: *in similitudinem lapidis aquæ durantur*; cui consonat illud Ecclesiastici 43. In magnitudine sua posuit nubes, & confracti sunt lapides grandinis; de glacie verò, quæ apud nos fit posteriora illa, *& superficies abyssi constringitur*. Quia concretio aquæ in glaciem semper incipit à superficie, & procedit versus imum.

XI. De melle plura occurrunt Scripturæ loca dulcedinem eius commendantia; quod cùm ideo voluptatis & delitiarum symbolum dicatur, rectè in Dei sacrificijs leuitici cap. 2. v. 11. interdicitur: apud Deum enim nihil voluptuosum, nihil tantum suaue placet, inquit Hieronymus epist. 19. nisi quod habeat mordacis aliquid veritatis; & Pascha Christi amaritudinibus manducatur Exodi 12. Quod attinet ad mel syluestre quo D. Ioannes in Iudeæ solitudine vescebatur, vt sacra pagina S. Matthęi c. 3. refert non cõstat inter interpretes quidnam sit. Rabanus enim putat esse arborum folia candida, & tenera, quæ trita

mani-

manibus saporem quasi mellitum exhibent. Alij volunt esse humorem ex arborum folijs collectũ; Faber credit esse illud mel, quod inter cætera Plinius facit tertiũ, Ericæumque vocari ait lib. 11. cap. 16. quod apes deficientibus alijs floribus colligunt ex erica, qui frutex autumni tempore flores emittit, cum reliquæ omnes herbæ, & virgulta defloruerunt: estque id mel iniucundi ac minimè probati saporis. Cui sententiæ fauet Isidorus Pelusiota lib. 1. epistol. 3. & 132. *Non est*, inquit, *herba mel syluestre, sed mel montanum, quod ab agrestibus apibus conficitur, summeque amarũ est, & gustatui omni infestum, atque inimicum*. Sicut mel Ponticum est mel, quod in Heraclea Ponti ab apibus fit tempore aliquo, quodque propria quorundam florum potestate comedentes in furorem cum sudoris copioso defluxu agit, ex Dioscoride lib. 2. cap. 74. XII. cum iuxta probabiliorem sacrorum interpretum sententiam mãna illud, quod Hebręis in solitudine datum narrat sacra pagina cap. 16. Exodi fit in se, ac secundum suam naturam, eiusdem speciei cũ vulgari, licet illius generatio supra vsitatum naturæ modum fuerit, applicantibus videlicet ad id Angelis naturalia actiua pâssiuis, facilè intelligitur quid per manna Hebræis datum sit intelligẽdum varijs in Scripturę locis.

XIII. Ad illud Geneseos 36. v. 24. *Iste est Ana qui inuenit aquas calidas in solitudine*; multum iuuat meteorologica de aquis calidis consideratio, de quibus earumque causis & proprietatibus vide Agricolam lib. 1. de natura eorum, quæ fluunt è terra, & fusius Cesiũ lib. 1. de mineralibus lib. 1. cap. 6. sect. 6. Rursus ad illud Exodi 15. *Nec poterant bibere aquas de Mara, eo quod essent amaræ*; de saporibus aquarum ex meteorologia agi potest. Vbi etiam dum dicitur de Moyse, *at ille clamauit ad Dominum, qui ostendit ei lignum, quod cum misisset in aquas, in dulcedinem versæ sunt*: potest esse dubitatio an lignum in aquas missum, naturali quapiam facultate dulcedinem intulerit, an id voluntate Dei dumtaxat, & miraculo effectum sit, in figura maiori cuiuspiam Sacramenti. Et si enim aliqui hoc secundum probabilius putent; non desunt tamen plures, qui asserant secundum naturalem aliquam facultatem, illud esse effectum, cui fauet illud Ecclesiastici cap. 39. Vbi in confirmationem operum medicinalium, & virtutum medicamentorum, & commendationem artis dicitur: *Nonne à ligno indulcata est aqua amara*. Nisi autem naturali aliqua ligni facultate id factum esset, nullum sane esset tale argumentum; vnde videtur magis consentaneum, lignum illud naturali vi aquas fecisse dulces; atque de ea facultate duorum alterum dici potest, aut esse secretricem aquæ, & exustæ terræ, similem ei qua acetum findens lac, serum secernit (nulla enim ratione melius potest aqua ex salsa dulcescere, quam secreto sale, atque ita neque ex amara, quam secretis terræ valde exustæ partibus; talium quippè admixtione fit amarus sapor, aut esse tractricem pattium amararum, gratia similitudinis (si modo credimus historię scholasticæ, ex sententia Hebræorum dicenti fuisse amarissimũ lignum) atque alliciendo ad se se, imbibendoque amaras partes illam dulcẽ & potui aptam reddidisse. Non impedit tamen eam facultatem, quæcumque in ligno fuerit, plus solito tunc, annuente Deo, valuisse velut medicamenta nonnunquam, plusquam alias, valere cernimus, ob gratiam numinis.

XIV. Circa terreas, hoc est, quæ in elemento terræ cõtingunt impressiones, vt terræmotus, & venti; habemus quam rectè attenta terręmotus natura, per illum terror, perturbatio & calamitas grauissima in diuinis significetur scripturis; insuper cum de ventorum materia, & causis tot sint diuersæ Philosophorum sententiæ, facilè intelligitur, quam scitè Psal. 134. & Ieremię 10. dicatur Deus producere ventos de thesauris suis, id est, de occultis naturæ causis; hoc enim vnum est ex ijs, quæ in naturæ contempla-

platione magna ex parte latent.

Iterum, quæ de ventorum numero & varietate, eorumque proprietatibus calidis, ficcis, humidis traduntur à Philosophis non parum conducunt ad intelligentiam plurium Scripturæ locorum, in quibus fit de illis mentio, vt Aquilonis, Boreæ, Austri, Cori, Africi, Euri, Euriaquilonis Typhonici, &c. tandem si de præsagijs temporum Matthæi c.16 ait Dominus, *Vespere facto dicitis, serenũ erit, rubicundum est enim cælum; & mane, hodie tempestas, rutilat enim triste cælum*; huius rei ratio, & causa desumẽda est ex philosophia meteorologica; quod nubes densæ tactæ sole obliquo, qualis est, qui iam occidit, nigritiem præ se ferunt. Quæ ergo rubicundæ sunt, non sunt adeò opacæ, & densæ, sed penetrantur lumine, quapropter in diẽ posterum nullum indicãt tẽpestatis apparatum, serenitatem ergo promittunt. Cum verò oriente sole, triste hinc inde, & nubilosum se exhibet cęlum, plerumque solent ad primum orientis solis occursum dispergi nubes. Quæ tamen si densæ sunt, quales cum triste cælum, non dissipantur, sed excepti per eas radij solis videntur rutilare. Postremò verò, vesperi, cùm Sol, cum quo toto die sunt colluctatę, languescit, concurrunt, densantur, fiuntque, imbres. Ad istud idem pertinet quod cap.12. Lucæ eodẽ modo arguens hypocritas ait Dominus: *Cum videritis nubem orientem ab occasu, statim dicitis, nimbus venit, & ita fit: & cum austrum flantem, dicitis, quia æstus erit, & fit*. Sanè incipiendo ab vltimis verbis, Austro succedere æstum, & experimento est compertissimum, & rationi valde consentaneum, cum Austrum calidum ventum esse, quia flat à meridie versus Septentrionem, omnes qui de ventorum agunt naturis, vno ore confiteantur. Cur verò nimbus ascendente nube ab occasu, ea ratio videtur esse, quod in Palæstina ad occasum habent mare; vnde censeri debet in illa regione pluuiæ signum illi proprium, nubes ex occasu ascendens. Illis enim quibus mare æque ad occasum, & meridiem & Septentrionem est, æquè ex his omnibus partibus ascendunt nubes nimborum nuntiæ.

Hactenus de Meteorologia, iam considerandum est, quantum mineraliũ notitia conferat ad capienda cælestia Scripturarum diuinitus reuelatarũ oracula, referatis obscurioribus ænigmatũ, vel parabolarum symbolis, quibus veluti foribus sapientia diuina indignis occluditur. *Carbunculi notitia*, inquit Augustinus lib. 2. de doctr. christ. cap. 16. *quod lucet in tenebris, multa illuminat etiam obscura librorum, vbicumque propter similitudinem ponitur; & ignorantia berylli, vel adamantis claudit plerumque intelligentiæ fores*. Hæc Sanctus Doctor. Quæ autem hic celsus Theologorum apex, docuit de carbunculo, beryllo & adamante ob rationis similitudinẽ peræque dici possunt de cæteris gemmis, & metallis, quorum fit mentio in diuinis Scripturis. Sic per duodecim rationalis gemmas Exodi 28. attentis naturalibus earum viribus & proprietatibus significantur, vel duodecim Patriarchæ tribuum Israel, vel, vt alijs placet, duodecim prærogatiuæ supremi omnium Pontificis Iesu Christi, vel etiam, quod alij censent, duodecim Apostoli. De quibus inter alios interpretes videri possunt Franciscus Ribera in cap. 21. Apocalip. & lib.3. de templo cap. 11. Viegas in cap. 21. Apocal. sect. 3. Cornelius à Lapide in cap. 28. Exodi. Alcasar. in cap. 21. Apocalip. Rueius lib. 2. de gemmis. Et si enim Caietanus loco citato Exodi, Pererius in Genesim, alijque viri docti existiment perijsse notitiam gemmarum rationalis, melius tamen oppositum docent supracitati auctores solutis horum argumentis. Eodem modo philosophandum est de duodecim gemmis, ex quibus veluti duodecim fundamentis legimus Apocal. 21. consurgere mænia cælestis Hierosolymæ. Sanctus enim Hieronymus in cap. 28. Ezechielis, & multi alij doctores quos citat, & sequitur Alcasar. in Apocalipsi.

exi-

existimauere duodecim gemmas, quæ numerantur Apocal.21.respondere duodecim gemmis, quæ numerantur. Et certè octo idem omnino nomen vtroque in loco sortiuntur, quatuorque solum differunt nomine nempè Chalcedonius, Sardonyx, Ligurius, Chrysoprasus; verum ex his quatuor gemmis, quæ hoc nomine appellantur Apocalyps. 21. constat inter omnes Chalcedonium esse quamdam speciem carbunculi. Sardonyx verò est species Onychis. Ligurium autem Hieronymus epist.129 suspicatur esse Hyacinthum. Vnde solum omnino inter se differre videntur Achates & Chrysoprasus. His adde nouem lapillos pretiosos, quibus fulgebat diadema Regis Tyri Ezechiel. 28. per quos designari nouem Angelorum choros putant Rupertus Abbas lib.1.de Victoria Verbi Dei, cap.27. & S. Gregorius homil.34. in Euangelia.

Vt autem prætercam plura alia quę de gemmis, substantiaque lapidea dici possent ad diuinarum Scripturarum intelligentiam, veniamque ad metalla, quis ignorata auri natura benè intelligat caritatem comparari auro ignito Apocalips. 3. & iustum Ecclesiastici 50. dici esse, quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso? Quis non perspectis argenti proprietatibus, percipiat, cur aureæ sponsæ murenulæ, vermiculatæ argento dicantur Cantic. cap.1. cur item eloquia casta dicantur argentum igne examinatum Psal.11. Item ex proprietate stanni alia metalla ab igne defendētis, *Stannum*, inquit Maiolus colloq.19. est auri, atque argenti, & æris patronus, ac tutor; quia enim igne vri facilè possunt, adhibetur stanni tutela vt non vrantur; ex hac, inquam stanni proprietate S. Hieronymus in cap.4. Zachariæ, exponens illa verba, *videbunt lapidem stanneū*, putat esse intelligenda de Christo Domino, de quo sic ait, *Sicut stannum ab igne alia metalla defendit, & cum sit natura æs, ferrumque durissimum, si absque stanno fuerit, vritur, & crematur; sic omnis Angelorum, & hominum fortitudo, si non habuerit auxilium Saluatoris, imbecilla probatur & fragilis. præterea quomodo stannum mixta & adulterata inter se per ignem metalla dissociat; ita Dominus verus probator, ab auro, & argento bonorum operum, ęs vitiorum plumbūque secernit, vt purum aurum remaneat, & argentum*, ita S. Hieronymus. Quomodo insuper electrum, quod in medio ignis vidit Ezechiel cap. 1. exposuisset S. Gregorius homilia 2. in eum locum, Deum factum hominem in medio persecutionum, si non prius nouisset in electro, quod ex auro, & argento conflatur, aurum quidem à claritate deficere, argentum autem ad claritatem proficere; quia igitur in Christo naturæ diuinæ vnita est natura humana, in qua adunatione humanitas in maiestatis gloriā excreuit, Diuinitas verò à sui fulgoris potentia humanis se oculis temperauit; meritò ait Gregorius Magnus, quasi electrum in igne est, Deus factus homo in persecutione. Quis igitur ex his, alijsque similibus non intelligat, quanta sit mineralogiæ vtilitas in percipiendis diuinis Scripturis; ad hoc legendi sunt auctores qui de hac Philosophiæ parte accuratius scripsere, quę Meteorologiam, & Mineralogiam complectitur.

CAPVT VNDECIMVM.

Quanti referat ad Sacræ doctrinæ studium quinta pars Physicę de corpore animato, seu viuente.

POstquam in superioribus Physicæ partibus breuiter egimus de ijs rebus naturalibus, quæ vel inanimis, & animatis communia, vel inanimatorum propria sunt; sequitur quinta, & vltima pars, de corpore animato, seu viuente, rebusque ad illud pertinentibus, quæ & rerum nobilitate, & varietate, & difficultate, & librorum numero digna maxime est consideratione; comprehendit enim libros de historia animalium, de partibus animalium, de incessu animalium, de anima, de paruis naturalibus sci-

scilicet; de sensu, & sensibilibus, de memoria, & reminiscentia, de somno, & vigilia, de somnijs, & de diuinatione per somnium, de motu animalium, de generatione animalium, de longitudine, & breuitate vitę, de iuuentute & senectute, vita & morte, de sanitate & morbo; quibus omnibus addendi sunt libri de plantis.

Primum igitur, cum corpus animatum, seu viuens vt sic, sit compositum ex anima, & corpore, tanquam ex materia, & forma, breuiter explicandum est in communi, quid sit anima, quidque corpus organicum, & physicum, per ordinem ad quod definitur. Anima, dicitur quasi ventus, seu spiritus: propterea quod vel sit spiritualis, vel sit tenuissimæ substantiæ: Gręcis autem est ψυχή à frigore, propterea quod æstum caloremque contemperet, & regat, definitur generaliter, quod sit ἐντελέχεια, siue actus primus corporis physici organici potentia vitam habentis, vel id, quo viuimus, sentimus, loco mouemur, & intelligimus primo; quæ duę definitiones ab Aristotele allatæ ita se habent, vt prima sit essentialis conueniens omnibus animabus, secunda verò veluti descriptiua; sensusque illius non est, quod ad hoc, vt aliqua forma habeat rationem animæ, debeat hæc omnia simul habere, alioquin sola rationalis esset anima, sed ita vt per eam denotetur animam talis esse naturę, vt vbicumque omnes hę operationes, vel earum aliqua, aut aliquæ inuentæ fuerint debeant necessariò ab anima prouenire.

Quod pertinet ad causam materialē corporum animatorum præsertim hominis, sciendum est materiam corporis animati, vel esse primam, de qua hic nō est sermo, vel esse secundam de qua loquimur: & hæc est duplex, vel materia alterationis, vel compositionis. Prior est, ex qua alterata mutataque aliquid fit viuens, V. g. homo ex semine & sanguine materno, quæ sunt duo principia materialia hominis: & hæc alterari, mutarique debent substantialiter anteqnā in ea introducatur anima rationalis. Materia compositionis est corpus ipsum organicum, vel totum, id est, vniuersitas partium, vel etiam pars quęuis: nam & corpus totum suam habet actionem, & pars quæuis suam propriam. Actio totius corporis quatenus nimirum totū, est motus vnus. Item sympathia omnium partium & conuenientia, qua omnes partes conspirant in vnum. Quia verò totum cōponitur ex partibus dissimilaribus, V. g. ex capite, trunco, artubus: partes autem dissimilares ex similaribus, vt manus ex carne, quæ est pars similaris, ex ossibus quæ sunt partes similares; rursus partes similares cōponuntur ex elementis, quæ sunt duplicia, alia nimirum elementa animalium perfectorum, pręsertim verò hominis, scilicet sanguis maternus, & semen ex quibus similares partes componuntur; vel sunt elementa remota, & prima, scilicet ignis, aër, aqua, & terra; ideo respectu ipsius animæ remota materia dici possunt elementa; minus remota, sanguis & semen; propinqua, partes; propinquissima totum corpus.

In corpore igitur humano, quod hic maximè considerandum est, propterea, quod sit regula cęterorum; quia nimirum præstantissimum est, partes vel sunt homogeneæ seu similares, vel sunt heterogeneæ seu dissimilares. Similares sunt, vel quarum particulæ eamdem habent cum parte naturam, & nomen: sic quęuis pars carnis est caro: vel quę non idem habent nomen, propter nimirum aliam figuram; hoc modo non quæuis pars venæ est caua: vtraque autem tam similaris, quam dissimilaris est organica: similaris quidem propter figuram certam, dissimilaris propter diuersitatem materię. Partes dissimilares sunt octo, quarū alię sūt spermaticę, siue ex crassamento seminis natæ. Sunt autem partes hę albę: alię sunt carnosę ex sanguine nimirum natę. Sunt autem partes hæ ossa, cartilago, ligamentum, membrana, venæ, arterię, nerui, & caro. Aliter partes in homine si paulò latius sumuntur, tri-

tripliciter diuidi solent, scilicet, vel in continentes, siue solidas, vt ossa, & ea quæ statim enumerata sunt; vel in contentas, humidas, & fluxiles, vt sunt quatuor humores in venis, scilicet bilis flaua, bilis nigra, sanguis, & pituita; sicut etiam humores ex illis nati, quatuor scilicet, ros, cambium, gluten, adeps; vel tandem in impellentes, siue spirituosas; estque triplex in homine & alijs spiritus, nimirum spiritus naturalis in hepate & venis, spiritus vitalis in corde & arterijs, spiritus animalis in cerebro & neruis. Primus inseruit nutritioni, secundus inseruit potissimum spirationi & cordis motui, tertius sensibus & motui progressiuo efficiendo. Est autem spiritus vel perpetuò influens à cerebro per neruos, ab hepate per venas, à corde per arterias: vel est spiritus in quauis parte inhærens; ita in mammis est spiritus efformator lactis; sed de his latius medici; hęc breuiter dicta sufficiant pro instituti nostri ratione, & ad explicationem tam causæ formalis rerum viuentiū siue animæ, quam causæ materialis earumdem, scilicet corporis organici.

Iam agendo de diuisione animæ, nec non & modorum viuendi ab illa dimanantium; quo ad primum dicendū est animam rectè diuidi in vegetatiuam, sensitiuam tanquam in duo genera, siue species subalternas, & in rationalem siue intellectiuam tanquam in speciem infimam, quia plures sunt species vegetantis, & sentientis, vnica autem est species animæ rationalis: quo ad secundū verò dicendum est quatuor tantum esse modos viuendi, seu gradus viuentium, nimirum vegetatiuum, sensitiuum, loco motiuum, & rationalem siue intellectiuum. Cum enim ex vna parte tot sint animæ, quot sunt modi, quibus operatio illius supergreditur operationem naturæ corporalis inanimatæ; tresq; dumtaxat sint modi generaliter loquendo, quibus operatio animæ supergreditur operationem naturę corporalis inanimatæ; nam quædam est operatio animæ, quæ adeo excedit naturam corpoream, vt nequeat exerceri per organum corporeum, qualis est intellectio, & huic correspondet anima intellectiua: alia verò est operatio animæ infra istam, quæ quidem fit per organum corporeū, non tamen medijs qualitatibus valde materialibus, quales sunt primæ qualitates, vt calor, siccitas, &c. vel illæ quæ ex commixtione earumdem resultant, sed medijs alijs subtilioribus, & non parum à materia depuratis, quales sunt species intentionales, & huic correspōdet anima sensitiua; tandem alia est operatio animæ omnium infima, quæ fit per organum corporeum, & saltem virtute corporeæ & primæ qualitatis, sicut aliæ operationes rerum inanimatarum; attamen supergreditur operationem naturæ corporeæ, & inanimatæ in hoc quod operatio istius nequit esse à principio intrinseco, secus verò hęc operatio animæ; cùm inquam ita res se habeat, vt tres tantùm sint modi generales, quibus operatio animæ supergreditur operationem naturæ corporalis inanimatæ; rectè sequitur animam rectè diuidi in vegetatiuam, sensitiuam, & intellectiuā. Ex alia vero parte, cum multiplicitas modorum, seu graduum viuendi desumatur ex diuersis modis habendi vitam, seu mouendi se ab inuicem separabilibus, quatuorque dumtaxat sint tales modi; quędam enim viuentia sunt in quibus est tantum vegetatiuum, sicut in plantis, quædam verò in quibus cum vegetatiuo est etiam sensitiuum; non tamen motiuum secundum locum, sicut sunt immobilia animalia, vt conchilia: quædam verò sunt, quæ supra hoc habent motum secundum locum, vt perfecta animalia, quę multis indigent ad suam vitam, & ideò indigent motu, vt vitæ necessaria procul posita quærere possint. Quędam verò viuentia sunt in quibus cum his est intellectiuum, scilicet in hominibus, rectè assignantur quatuor tantùm prędicti modi viuendi.

Non solùm anima rationalis, sed etiam animę animalium perfectorum sunt indiuisibiles, secus verò cęteræ aliæ ani-

animę, animalium scilicet imperfectorum; vbi animalia imperfecta vocamus illa in pręsenti, quorum partes decisæ viuunt, vt sunt lacertę, & formicę &c. siue habeant motum localem, siue non: perfecta verò, quorum partes separatę simul viuere nequeunt, vt equi, & leones. Loquendo de informatione animę probabilius est tam sanguinem naturalem, cęterosque humores ad integritatem humani corporis requisitos, quam dentes, capillos, & vngues, informari eadem anima, qua totum compositum in quo sunt, saltem imperfectè id est secundum esse vegetabile; quod tamen negandum est de semine, & lacte fęminarum, cum non pertineant ad integritatem, & esse indiuidui in quo sunt, sed solum ordinentur ad perfectionem, & conseruationem speciei in alio indiuiduo. Anima non est secundum diuersam substantialiter rationem, sub diuersis aut in diuersis partibus corporis, sed omnis diuersitas, & ethereogeneitas in eisdem reperta, solùm prouenit ex diuersis accidentibus. Quod pertinet modo ad potentias animę in generali, dicẽdum est illas sumere suam specificationem, vnitatem & distinctionem specificam ab actibus, & obiectis formaliter sumptis; hinc cum quinque sint genera obiectorum, circa quę potentię animę versantur, quinque etiam illarum genera assignantur, scilicet vegetatiuum, sensitiuum, appetitiuum, locomotiuum, & intellectiuum; Potentia vegetatiua versatur circa corpus vnitum, vel intus susceptum; sensitiua circa aliud obiectũ vniuersalius, nimirum corpus sensibile, licet non sit per seipsum vnitum viuenti sed per sui imaginem, seu speciem; potentia verò intellectiua versatur circa aliud obiectum magis adhuc vniuersale, ambiens non solum corpus vnitum modo dicto & corpus sensibile, sed etiam quodcumque ens. Quia autem potentia intellectiua, & sensitiua non tantum circa sibi coniuncta, sed etiam circa remota, & absentia versari potest; ideo obiectum vtriusque debet habere aliam rationem terminandi animę potentias, & eius actus; nimirum quatenus est bonum animalis nondũ reipsa possessum. Et hoc adhuc dupliciter: primò secundum quod terminat actum intentionis &c. secundò quatenus idemmet bonum terminat executionem, & acquisitionẽ sui; ad illud secundum priorem rationẽ terminatur potentia appetitiua; cuius præcipuus actus est intendere modo sibi debito bonum sibi conueniens; circa illud verò secundum posteriorem rationem versatur potentia locomotiua, quę animalibus in quibus est, tribuitur à natura ad hoc, vt bonum illud quod iam erat intentum possit reipsa adipisci & possideri. Vt prędictarum potentiarum alię sunt organicæ, siue quę medio organo corporeo, tanquam instrumento coniuncto suas operationes exercent, vt visus, medio oculo; alię verò non organicæ, siue quæ non operantur per organum corporeum, eo quod sunt potentię purè spirituales; dicendum est potentias non organicas subiectari quidem immediatè in ipsa anima, cuius sunt potentię, scilicet in anima rationali: organicas verò in coniuncto ex corpore & anima, & non in sola anima, vt in subiecto *quod* adequato.

Descendendo modo ad considerationem vniuscuiusque animę in particulari, primumque vegetatiuę, tum quia communior, & vniuersalior est, quandoquidem quęuis anima sensitiua, aut rationalis debet esse vegetatiua, non tamen è contra; tùm etiam, quia sicut esse naturale est fundamentum esse sensibilis, & intelligibilis; ita anima vegetatiua est fundamentum sensitiuę & rationalis; incipiendo, inquam, ob rationes allatas ab anima vegetatiua, rectè definitur vt sic, quod sit primum principiũ vegetandi, id est, nutriendi, augendi, & generandi: non enim alias habet hęc anima potentias, de quibus iam dicendum. Potentia altrix seu nutrix, cuius nutritio est actio versatur circa alimentum, venenum, & medicamentum. Alimentum autem est corpus quod in sub-

ſtantiam rei viuentis conuertitur, vt panis, ideoque alimentum plus mutatur, quàm mutet, impoſſibileque eſt quod odores nutriant; impoſſibile enim eſt vt accidens viribus naturæ conuerti poſſit in ſubſtantiam; ſi quidem natura non poteſt tranſire de genere in genus, atque adeò nec ex ſubſtantia poteſt facere accidens, nec ex accidente ſubſtantiam. Venenum eſt corpus, vel quod tota ſubſtantia, vel qualitate ita repugnat viuenti, vt id penitus immutet & extinguat. Medicamentum eſt corpus quod qualitate ſua partim immutat viuens, partim mutatur. Etenim ſenna v. g. mutatur quatenus calore noſtro excitatur cùm aſſumitur, mutat verò quatenus qualitate ſua in corpus noſtrum agit. Nutritionis finis eſt vt reſtauretur deperditũ, calor enim naturalis in corpore ſemper agit, & abſumit aliquid tanquàm ignis in lampade oleum. Niſi ergò pars deperdita per alimentum reſarciretur, breui interiret viuens; quandoquidem vita nihil aliud ſit, quàm permanſio calidi in humido, ideoque omne alimentum humidum eſt, non aqueum; hoc enim extingueret calorem, ſicut & aqua extingueret lampadem; ſed aereum, id eſt, humidum calidum, quod calorem nutrit, qualia humida ſunt viſcoſa omnia, & oleaginoſa, vt butyrum, mel, oleum, vinum, lac &c. Verùm quia triplex in nobis exiſtit ſubſtantia, ſcilicet ſolida in partibus continentibus, humida in partibus contentis, ſpiritalis in partibus impellẽtibus; ideo cibo pro primis partibus, pro ſecundis potu, tertijs aere opus eſt. Hinc omnia viuentia ſi non reſpirant, ſaltem perſpirant admittendo aerem, & expirando, quomodo etiam plantæ perſpirant per poros; & vt liberius perſpirare poſſint, liberiore libenter perfruuntur aere. Natura igitur ob hunc finem triplicem veluti nutritionem inſtituit.

Vt nutritioni variæ actiones famulantur, ita etiam variæ ſunt miniſtræ facultates altricis. *Prima* eſt appetens; pro qua diſtingue duplicem appetitum, vnum naturalem, per quem quæuis pars corporis abſque ſenſu, vel cognitione appetit id quo eget ſtirpium more, alius animalis, ſcilicet fames & ſitis. *Secunda* eſt attrahens facultas quæ calore & ſiccitate, ſubſtãtiæ ſimilitudine attrahit alimentum: calorem attrahere conſtat ex electro calefacto attrahente paleam: ſiccitatem attrahere conſtat, quod pluta Sole ſiccata balneo aquæ dulcis ſitim extinguere videamus: tandem ſubſtantiæ ſimilitudine fieri attractionem conſtat, quia ſimile ſimili gaudet, & ſimile attrahit: inde oſſa attrahunt ſanguinem melancholicum, ſitis fellea bilioſum &c. ſitque talis attractio vel per fibras rectas, vel ſine fibris, vt in partibus ſimilaribus. *Tertia* eſt retentrix: niſi enim attractum alimentum retineatur, nunquam conuertetur: igitur tamdiu retinet alimentum donec aſſimiletur, & fit maximè per ſiccitatem: *Quarta* eſt cõcotrix: triplex eſt concoctio, vna in ventriculo, chyloſis; alia in hepate aimatoſis; 3. in quauis parte, omoioſis, ſeu aſſimilatio. *Quinta* eſt ſecretrix, per quam vtile ab inutili, ſimile à diſſimili per calorem ſecernit, vel vt poſtea reijciatur ſi ſit excrementum, vel vt apponatur ſi ſit alimentum. *Sexta* eſt excretrix, quæ per conuenientes ductus alimentum aut excrementum, aut fætum expellit: alimentum ſcilicet chylum ventriculus in inteſtina, & iecur in venas, & venæ in quauis partes expellunt, quemadmodum palatum per gulam in ventriculum propellit: excrementum ſiue vtile vt ſemen, ſiue inutile vt ſudores, & præſertim in morbis, diebus criticis, id quod moleſtum eſt excernunt: fætum vterus excludit. *Septima* eſt apponens ſcilicet alimentum cuiuis parti. *Octaua* eſt agglutinans, in hydrope enim apponitur ſed non agglutinatur alimentum. *Nona* eſt vniens, in lepra enim agglutinatur, ſed non vnitur alimentum.

Secunda animæ vegetantis potentia eſt auctrix, per quam copia humidi radicalis ſolidæ viuentis partes in trinam dimenſionem extenduntur, ſeruata ſpe-

cie,

cie, forma & continuitate. Dicitur copia humidi, inde pueri crescunt, & maiora sunt in mari, quàm in terra animalia: dicitur partes solidæ, vt ossa, nàm eum humores, caro, adeps augentur, nō propria est auctio, quæ quouis tempore fit, auctio verò ossium tantùm certo tempore: dicitur in trinam dimensionē, quia cùm pinguescimus tantùm non in trinam dimensionem augemur: dicitur viuentis partes, aliæ enim crescunt tantùm per appositionem: dicitur seruata specie, manenteque forma, quia materia ita quotidie perit, vt anima humana semper remaneat.

Tertia tandem, & vltima eiusdem animæ vegetantis potentia est generatiua, secundùm quod est productiua substantiæ viuentis, præsertim animalis, beneficio seminis. Viuentia enim quædam sponte nascuntur, vt musca; quædam non sponte vt Leones: quædam vtroque modo, vt mures: quæ non sponte nascuntur, vel à radice, vel surculis, vel ex semine nascuntur; de quo postremo sermo est potissimum inter Philosophos, qui potentiam generatricem definiunt esse vim per quam viuens producit sibi simile, aliud tamen à se, attamen ex se, siue intra siue extra se propter speciei propagationem: hinc mas ex se, sed extra se, fœmina ex se, sed intra se generat. Sic potentia generatiua versatur circa semen & menstruum sanguinem. Semen est excrementum laudabile vltimæ concoctionis. Vtrum tam masculus quàm femella in perfectis animalibus habeant semen ad generationem? controuersia est inter Philosophos & Medicos. Afferunt hi, negant illi femellis inesse vim seminificam. Nam dicunt Medici omnes omnino partes generationi dicatas easdem esse in femellis ac in viris. Sic illos conciliare conantur aliqui. Licet in masculis sint mammæ, non tamen sunt lactificæ propriè: ita licet in femellis sint testiculi latentes, non tamen seminifici propriè. Nihilominus quemadmodum terra calore suo humido semen quasi excitat plantarum ad productionem, ita humiditas quædam analoga est in femellis. Non ab omni parte semen fluere certum est, alias mutili semper generarent mutilos; fluit tantùm à præcipuis, scilicet à iecore & corde per vasa spermatica, duas venas scilicet & duas arterias in testium tunicam propriam, & à cerebro per neruos. In testibus ergò elaboratur semen, in fructibus arborum semina continentur. Animatum est semen anima vegetante, sed anima illic torpet, sicut in hyeme torpet in gliribus, testudinibus alijsque similibus animalibus.

Inter potentiæ generatricis ministras reponuntur vis alteratrix & conformatrix, totumque eius negotium quinque potissimum absoluitur, generatione, conceptione, conformatione, motu, exclusione seu partu. *Generatio* hic est productio rei viuentis ex semine, opera virtutis alteratricis & formatricis. Est naturalissimum opus propter hominem, non autem propter indiuiduum, semen enim emissum accelerat senectutem & mortem, ideò quæ casta sunt diuturniora sunt, sicut & ea quæ semen non ferunt, vt mulus. Conceptio hoc ordine perficitur: 1. est effusio seminis in vterum & receptio, 2. est seminum mixtio, 3. est retentio. 4. clausio vteri, ita vt ne aciculæ mucronem intromittere possis: propriè est viuificatio seminis fœcūdi ad formandum fœtum pendens à proprietate vteri. Sunt quatuor tempora conformationis, quæ fit nempè 30. diebus, summum quinquaginta. *Primum* tempus est 7. dierum: hic semen vtero conceptum excitatur calore materno ad agendum, sicut terra grana verè excitat; ergò excitatum semen intumescit, & tunica circumducitur, quemadmodum panis in furnum iniectus, aut quemadmodum ouum putamine seu cortice induitur: tegitur autem ne spiritus defluat: hæc tunica triplex est, vna chorion siue locus & quasi ædes puelli. Secunda est Allantois ad recipiendam vrinam: tertia amnios ad sudorem. *Secundum* tempus est quo partes principes, iecur, cor &c. simul

ſimul deſignantur, & rudimenta accipiunt: eodem tempore chorion adhæreſcit vtero per oſcula venarum cotyledonum: itaque variæ arteriolæ & venulæ intexuntur chorio. *Tertium* tempus eſt quo arteriolæ illæ, & venulæ in duas arterias vmbilicales, & in venam vnam vmbilicalem deſinunt, cum iam ſanguinē maternū fætus ſugere incipit. *Quartum* tempus eſt quo anima rationalis inducitur poſt formationem cæterarum partium minus præcipuarum, ſcilicet pedum & digitorum, qui poſtremò ſicut folia & ſurculi in ramis formātur. Quod pertinet ad motum, mouetur fætus dupla ratione, id eſt, ſi formatus fuerit triginta diebus, ſexageſimo die mouetur. Motus non tantum eſt plantæ creſcendo nempe, ſed animalis mouendo. Tandem partus ſiue excluſio quadruplex eſt. 1. aquarum contentarum. 2. puelli 3. ſecundinarum 4. lochiorum, ſeu purgamentorum. Maturus ex arbore fructus decidit, ita & fætus ex vtero; maiori alimento indiget, ideo pedibus calcitrat, & reliquo corpore; refrigerio maiori opus habet, ideoque tunicas perrumpit, hinc dolores magni matris, quia diſrumpuntur venulæ in chorio à cotyledonibus.

Semel explicata natura animæ vegetatiuæ vt ſic, & potentiarum eius generaliter ſumptarum; quod pertinet ad eius diuiſionem, vt ſunt innumeræ penè plantarum, ita & animæ vegetantis per illas contractæ differentiæ, & ſpecies, de quibus infra in hiſtoria plantarum.

Secunda animæ ſpecies eſt ſenſitiua, ſic dicta à potentia poriſſima quam habet, etenim non tantùm ſentit, ſed etiam appetit & mouet; ſed quia motus præſupponit appetitum, appetitus verò ſenſum tanquam principem, ideo à ſenſu ſentiens vocatur. Sunt ergò tres potentiæ huius animæ, ſcilicet ſenſitiua, appetitiua, & loco motiua. *Senſitiua* potentia ea eſt qua per ſenſum in ſenſorio, & per ſpecies receptas obiectum percipit. Sunt duplices ſenſus: alij externi, interni alij. Externi dicuntur quorum organa ſunt externa, & apparentia, quique verſantur circa ſenſibile externum; Interni quorum organa latent, & in interiore ſunt corporis receſſu, vt cerebrum, illiuſque variæ cellulæ ſunt organa ſenſuum interiorum, quique verſantur circa ſenſibile vt ſic. Senſus omnis partim eſt actiuus, partim paſſiuus: recipere enim ſpecies eſt pati; item recipere ſenſationem eſt pati: ſed ſentire ſeu efficere ſenſationem V. g. viſionem eſt agere. Notandum eſt primo ſenſibile externū vt ſic, illud nimirum quod à ſenſibus externis percipitur, eſſe triplex: aliud nimirum ſenſibile per accidens, quod ſolùm per accidens, & ratione alterius ſentitur: aliud verò ſenſibile proprium, quod per ſe, & ab vno tantùm ſenſu percipitur: aliud tandem commune quod per ſe, & à pluribus ſenſibus attingitur, & diuiditur in quinque membra, ſcilicet motum, quietem, numerum, figuram, & magnitudinem, & ſi quæ ſunt alia reducuntur ad iſta, quia tempus debet reduci ad motum tanquam affectio eius, & habens eumdem modum eſſendi ſucceſſiuum cum illo: vnitas verò ad numerum, ſitus autem & diſtantia ad magnitudinem, ex eo quod ſitus eſt modus quidam magnitudinis, & ex diuerſo ſitu diuerſa etiam diſtantia oritur. Quæ omnia ſenſibilia communia probabilius eſt non imprimere in ſenſu ſpeciem omninò condiſtinctam, tanquam ſpeciem, & ſpeciem intentionalem ab ſpecie ſenſibilis proprij, ſed ſolum modificare ſpeciem proprij ſenſibilis. Notandum eſt ſecundò ſenſibile immediatè poſitum ſupra ſenſum externum, non poſſe ab eo ſecundum quod eſt immediatè eidem ſuperpoſitum ſentiri, ac proindè quemlibet ſenſum ad ſuam ſenſationem eliciendam requirere aliquid, quod ſit medium inter ipſum, & obiectum ſenſibile. Tertiò omne excedēs ſenſibile ſiue quo ad magnitudinem, ſiue quo ad paruitatem, non ſolum vt agens naturale, ſed etiā vt eſt agens intentionale, & vt præcisè immittit ſpecies, poteſt lædere, aut corrumpere ſenſum. Hinc ſi aliquis ſolem

lem fixus intueatur, læditur, aut si quis nimis minutulas inspiciat litteras. Ratio est, debet esse proportio quædam inter agens, & patiens, quæ non est cum sensibile aut magnitudine, aut paruitate excedit; sicut nec quando immediatè superponitur sensui; etsi enim species immediatè deriuatæ ab obiecto sensibili, sint immaterialiores quam obiectum, nihilominus tamen non sunt ita immateriales, vt habeant debitam proportionem in immaterialitate cum sensu, vnde paulatim suam in medio crassitiem deponere debent. Quarto tandem dicendum est sensum circa sensibilia propria non decipi per se, sed per accidens, etiam si talia sensibilia secundum peculiares rationes considerentur; at circa sensibilia communia, & per accidens posse etiã per se decipi; seu quod idem est circa sensibilia propria, etiam secundum speciales rationes sumpta, nonnisi raro; circa communia verò frequenter, & multò magis circa sensibilia per accidens decipi.

Transeundo à sensibus externis in communi, ad agendum de eisdem in particulari, sunt quinque, Visus, Auditus, Odoratus, Gustus, & Tactus, ratio inter alias hæc adduci potest, quod pro quinque corporibus simplicibus scilicet pro cælo & quatuor elemẽtis sunt quinque organa sensuum: nam per visum spiritusque cælestes, & lucentes in oculo videmus lumen cæleste, coloresque mediante lumine apparentes; quod lumen licet non distinguatur essentialiter à coloribus apparentibus, seu de foris aduenientibus, cùm nihil aliud sint quã ipsummet lumen diuersimode visui apparens secundum diuersum aspectum, distantiam, & situm rei ad corpus luminosum, distinguitur tamen à veris coloribus, quique ab aliquo interiori principio procedunt; qui veri colores vt reâè secundum suam entitatem definiuntur quod sint extremitates perspicui in corpore terminato, ita & in ratione obiecti visibilis, quod sint motiui diaphani secundum actum, id est diaphani habentis proprium actum scilicet lumen; vndè licet ipsa lux non petat per se diaphanum in actu tanquam medium per quod immutet visum, secus tamen color, sic corpora in se fulgentia, non tamen emittentia lumen in medium possunt quidem in tenebris videri, vt lucida sunt, secus verò vt colorata. Similiter licet ad hoc vt color videatur, requiratur lumen ex parte medij, seu diaphani ad hoc, vt reddat illud dispositum in ordine ad recipiendas species intentionales ab eodem colore immissas, non requiritur tamen ex parte ipsius coloris, cum enim color per seipsum sit visibilis, vt satis patet ex hoc quod sit sensibile proprium visus, non potest reddi visibilis per lucem; quoniam quod per se, & ab intrinseco est tale, non redditur tale per formam extrinsecam seu de foris aduenientem. Sic lumen solùm dispositiuè, & in genere causæ materialis, ac tandem ex parte passi se tenendo, in quantum facit diaphanum esse in actu, concurrit ad visionem colorum. Transeundo ab obiecto & medio visus, ad illius subiectum, siue organum, dicendũ est potentiam visiuam subiectari tam in pupilla seu humore crystallino, quam in neruis opticis, seu visorijs, & præcipuè in illa parte, vbi prædicti nerui coniunguntur, quam Græci chiasmum vocant, à littera Græca X, cuius formam prædicti nerui in sua coniunctione referunt.

Auditu percipimus sonum, cuius proprium, potissimumque subiectum est aër. Sonus potest vtcumque describi per hoc quod sit qualitas sensibilis resultans ex forti percussione corporum sonororum, & medij resilientia: ita tamen vt non subiectetur in corporibus se collidentibus, siue sonantibus, sed in solo corpore medio, & ex vi talis collisionis resiliente. Licet solus aër, non verò aqua aut alia corpora eis similia sint apta ad hoc, vt habeant rationem medij, & subiecti respectu generationis soni, & eiusdemmet soni secundum suum esse reale, & naturale sumpti; nam experimur, quod licet plures pisces sub aquis

natent,

natent,nihilominus non causant sonum: at statim vt perueniunt ad superficiem aquæ, & aerem contingunt, sonum causant; attamen si consideretur eiusmodi sonus secundum suum esse intentionale recipitur tanquam in subiecto, & medio non solum in aere, sed etiam in aqua, & illis corporibus similibus habẽtibus sufficientem raritatem ad hoc vt possint esse medium aptum ad species audibiles deferendas; secus verò in corporibus terrestribus, & densissimis quatenus talia sunt; Putant aliqui requiri ad perceptionem soni,quod secundum suum esse reale pertingat vsque ad potentiam auditiuam,siue organum auditus; quando tamen inter ipsum & potentiam mediat aer, qui vt diximus, solus per vtramque immutationem naturalem videlicet, & intentionalem immutari potest; sed alij melius docent, sonum secundum suum esse reale,& naturale communicari quidem posse per medium; & hanc communicationem esse maiorem, vel minorem, iuxta maiorem vel minorem violentiam primæ percussionis; non tamen esse necessariũ ad hoc,vt audiatur,quod secundum prædictum esse pertingat vsque ad auditum. Rursus putant aliqui sonum ab hac sola distantia, in qua desinit secundum suum esse reale, & naturale, incipere effundere species intentionales, ita vt nunquam in eodem medio, in quo sonus secundum suum esse reale fuerit, sit etiam intentionaliter per species; melius tamen cum alijs tenendum est, statim ac producitur, & cum aere resiliente, & eum recipiente mouetur, habere etiam diffundi per species intentionales modo sibi proportionato vsque ad eundem auditum; nàm sonus statim ac producitur, ac proinde vna cum aere resiliente, & eum recipiente mouetur, est proprium per se sensibile auditus igitur eo ipso modo sibi proportionato diffundere debet species sui vsque ad illum, si intra sphæram suæ actiuitatis contineatur, vt supponimus: Si quidem omne agens naturale non impeditum, & approximatum passo rectè dispositio, necessario producit effectum suæ virtuti proportionatum; sonus autem, vt satis per se patet,est agens naturale respectu diffusionis sui per species intentionales,& passum, scilicet mediũ, nec non & auditus sunt rectè dispositæ, & approximata vt supponitur; ergò sonus statim ac producitur, immittet species sui per medium vsque ad auditum, modo sibi proportionato, quod dicitur, quia cùm sonus incipiat per motum, & cum motu, atque adeo successiuè, non potest non successiuè cum primo producitur, se intentionaliter diffundere, quamuis postquam iam productus est, & aliquantulum durat,valeat si intra debitam distantiam sit, immutare instantaneè, & intentionaliter prædictum auditum. Circa sonum reflexum, qui dicitur Echo, præter supradicta quæ sunt illi cum sono directo communia, dicendum est illum fieri per regressionem soni secundum suum esse reale, & naturale, ex eo quod aer motus,& deferens sonum inuenit aliquod corpus, præcipuè si sit concauum, quod ei obsistat,quodque sit causa, vt in contrarium reflectatur: Imo probabile est, quod sicut generato sono reflexo, qui sit sonus realiter distinctus à directo,tũc auditur prędictus sonus, siue Echo absque eo,quòd perueniat secundum suum esse reale ad auditum: ita etiam possit audiri Echo; ac proinde audiri iterum eadem vox, etiam si præter sonum directum, non generetur alius sonus realis, sed auditio illa fiat medijs speciebus reflectentibus ab aliquo corpore obsistente vsque ad auditum. Quod pertinet ad proprium auditus organum, vel subiectum,dicendum est illum residere proximè in substantia illa aerea & spirituosa, animata tamen, quæ intra aures animalis reperitur, soletque nomine aeris insiti insigniri,ita tamen vt prædicta substantia non sit totale & adæquatum auditus subiectum, ex eo quod etiam subiectatur in neruis mollibus inter se continuatis, & à cerebro procedentibus vsque ad prædictam substantiam aeream in vtroque tym-

tympano aurium existentem.

Per odoratum spiritusque igneos olfacimus res calidas in sicco, & calido potissimũ existentes. Natura ergò odoris potest vtcumque explicari, per hoc quod sit qualitas secunda ex certo temperamento primarum, in qua siccum comprehendit humidum, causata; experientia enim constat, quod si res odorifera igni apponatur, tunc maiorem, & iucundiorem odorem solet spirare, non alia certè ratione, nisi quia per calorem magis excitatur, & augetur eius siccitas ex eo, quod ex vi prædicti caloris fit maior decoctio, & resolutio humidi in proportione tamen debita, sicut etiam quia calor plus in æstate, quam hyeme viget, ideo prædicta corpora odorifera solent in æstate magis redolere. Cum sit certum inter Philosophos, odoratum necessario petere medium aliquod intercedens inter ipsum, & rem odorabilem; rursus medium hoc in ordine ad immutationem intentionalem esse aerem, aut aquam, vt satis patet per hoc, quod animalia aquatica odorem sentiunt, non solum illa, quæ habent sanguinem, sed etiam illa quæ sanguine carent; & ex animalibus quæ sunt in aëre, quædam eorum de longinquo veniunt ad alimentum, quod non posset esse nisi in quantum prouocantur ab odore; tertio tandem cum sit certum odorem secundum suum esse reale, & naturale non posse diffundi per aërem aut aquam, nisi mediante fumosa euaporatione, seu exhalatione, quam corpus odoriferum spirat; cùm, inquam, hæc omnia sint certa inter omnes ferè Philosophos, dubitatur quomodo odor media hac quasi fumosa exhalatione diffundatur ad hoc vt possit per odoratum sentiri? An nimirum sit necessarium, quod media prædicta exhalatione secundum suum esse reale, vsque ad odoratum, vel vsque ad certam aliquam distantiam diffundatur? an verò sufficiat, quod solùm intentionaliter, non verò secundum suum esse reale immutet medium, & potentiam? Pro quo breuiter dico posse quidem odorẽ media illa fumosa exhalatione diffundi secundum suum esse reale & naturale per medium, vnde iuxta magnitudinem, vel paruitatem rei odoriferæ, & alias circũstantias tunc occurrentes, vt quod flante vento nimium agitetur prędicta euaporatio, poterit hæc diffusio esse ad maiorem, vel minorem distantiam, vt ex se patet: Nihilominus tamen ad hoc, vt olfactus percipiat vtcumque odorem, probabilius est non requiri necessariò hanc realem, & naturalem diffusionem. sed intentionalem dumtaxat, & ita odor intentionaliter se diffundit vsque ad olfactum, vt per illum sentiatur; quoniam plura odorabilia aquæ immersa solent percipi tam ab animalibus existentibus intra aquam, quàm extra aquas, cum tamen in eo euentu nullam fumosam exhalationem spirent, vt experiẽtia docet, alioqui appareret ibidem aliqua commotio aquarum, cuius oppositum experimur; insuper vt rectè notauit Diuus Thomas 2. de anima lect. 20. Cum odor cadaueris vsque ad quingenta milliaria, vel ampliùs à vulturibus sentitur, impossibile esset, quod aliqua corporalis euaporatio cadaueris, vsque ad tantum spatium diffunderetur, præcipuè cum sensibile immutet medium vndique secundum eamdem distantiam, nisi impediatur, non autem sufficeret ad occupandum tantum spatium, etiam si totum cadauer resolueretur in fumalem euaporationem &c. Etsi organum auditus, sicut & aliorum sensuum pluribus constet partibus; inter quas prima est nasus, secunda quoddam os ad radicem nasi positum, ac foraminibus quibusdã distinctum, vndè à Medicis vocatur cribrum; tertia duo quasi canales à cerebro, vsque ad ossa foraminosa narium, per quos descendunt duo nerui egredientes ab interiori parte cerebri, quarta tandem duæ mollities carneæ similes capitibus mamillarum fœminæ lactantis, & ob hanc causam appellantur ab anathomistis processus mamillares, quæ quidem mollities, seu processus mamillares, sunt affixæ prædictis neruis, vt ex vsu

vſu anathomicæ artis conſtat; dicimus tamen immediatum organum auditus, cui ipſe proximè inhæret eſſe prædictos dumtaxat proceſſus mamillares.

Per guſtum percipimus ſapores, qui potiſſimum in humido & in aqueo ſentiuntur. Vnde Sapor ad odoris diſtinctionē deſcribi poteſt, quod ſit qualitas ſecunda, ita cauſata ex commixtione humidi & ſicci, vt tamen humidum in illa comprehendat ſiccum; quia autem datur duplex ſiccitas: alia ignea: alia terrea; ſicut & duplex humiditas: alia nimirum aerea, & alia aquea. Sapor cauſatur ex humiditate aquea, & ex ſiccitate terrea, quæ nutrimentalis dicitur; cū enim ignea ſiccitas ſit in materia valde tenui, & ideo euanida ſit, ac parum apta ad nutriendum, conſequenter etiam inepta iudicanda eſt ad ſaporem vt ſic dicam nutrimentalem cauſandum. Licet autem ſpecies ſaporum ſint quampluri-mæ, attamen omnes, vel ferè omnes poſſunt ad ſeptem reduci; Dulcem, in melle, in ficubus, vuis maturis & alijs eiuſmodi; Amarum in opio, abſynthio, felle. Pinguem in rebus vnctuoſis, vt pinguedine, medulla lacte. Salſum in ſale, in aqua maris. Acetoſum in aceto, & aliquibus putrefactis. Auſterum in fructibus ante maturitatem. Ponticum in limonijs. Quorum ſaporum ſpecies extremæ, ſeu quod idem eſt, ſpecies ſimplices, ſiue inter ſe contrariæ ad quas contrarietas aliarum reducitur, ſunt dulce & amarum. Quemadmodum enim ideò album, & nigrum ſunt colores extremi, & contrarij ad quorum contrarietatem contrarietas cæterorum colorum reducitur, quia cæteri colores, ſcilicet medij generantur ex commixtione albi & nigri, vel ipſorum ſecundum ſe, vel ex mixtione cauſarum eiuſdem albi & nigri; ita etiam cum alij ſapores generentur ex mixtione dulcis & amari, vel ipſorum ſecundum ſe vt ſatis experientia patet, vel ex mixtione cauſarum prædictorum ſaporum dulcis, & amari; nam ſicut calidum perfectè digerens humidum cauſat ſaporem dulcem, priuatio autem humidi perfectè digeſti eſt cauſa amaritudinis, ita alij ſapores cauſantur, ſecundum quod humidum medio modo ſe habet, nec totaliter eſt digeſtum, nec totaliter eſt indigeſtum, & iuxta maiorem vel minorem decoctionem, & digeſtionem, aut indigeſtionem iam dictā reſultant diuerſi ſapores medij; cùm, inquam res ita ſe habeat, dulce & amarum cenſendi ſunt ſapores extremi, & maximè contrarij ad quos contrarietas aliorum reducitur. Quia ab obiecto alicuius ſenſus ad ſenſum ipſum deueniēdo ſtatim poſt obiectum primò ſe offert medium, ideo poſt obiectum guſtus, de medio illius primo loco agendo, notandum eſt duplex eſſe medium, aliud extrinſecum, ſiue extraneum; aliud verò intrinſecum, ſiue intraneum, aut coniunctum; ex quibus extrinſecū eſt aliquod corpus, quod non ſit vera pars animalis ſentientis, ſed corpus extraneum interiectum inter organum ſenſus, & obiectum percipiendum, vt contingit in ſenſu viſus, & auditus, qui vt dictum fuit per intermedium aerem, vel aquam ſua percipiunt obiecta; medium verò intrinſecum, ſeu intraneum & coniunctum eſt aliqua pars animalis ſentientis intercedens inter ſenſum & obiectum, quia obiectum nonniſi mediante aliqua parte animalis inter ipſum, & organum valet percipi. Iam ad rem dicendum eſt medium per ſe petitum à guſtu non eſſe medium extraneum, ſeu extrinſecum, ſed intraneum, & intrinſecum ſcilicet carnem illam, ſiue partem animalis, qua tegitur proprium organum guſtus; nec refert quod inter rem ſapidam, & guſtū mediet ſaliua, quæ eſt corpus extraneū; hoc, inquam, non refert, ſaliua enim non habet rationem medij, ſed eſt potius quaſi condimentum omnium ſaporum. Porro ſicut organum viſus debet eſſe in potentia coloratum, & lucidum, quia eius obiectum eſt lucidum coloratum, & ſimiliter organum odoratus debet eſſe potentia ſiccum, ſiue actu humidum, quia illius obiectū ſcilicet odorabile eſt actu ſiccum, ita etiam organū

guſtus

gustus debet esse potentia humidum, siue actu siccum, ita vt hæc sit peculiaris, & maximè propria eius qualitas loquẽdo de sicco terreo; sic lingua est organũ gustus, non secundum omnes sui partes, sed secundum neruum quemdam mollem à cerebro descendentẽ, & per eamdem sparsum; ita tamen, vt in linguæ cuspide magis vigeat vis gustatiua, & aliquid talium neruorum ad palatum vsque descendat,& ibidem gustus etiam resideat, sed minus perfectè: quia neruus gustatorius in cuspide linguæ est melius dispositus, & attemperatus, quã in radice linguæ: vbi adeo bonam temperiem non habet, & præ copia saliuæ propè illam existentis aliqualiter obtunditur, & hebetatur in ordine ad gustandum.

Tandem per tactum maximè sentimus frigiditatem & siccitatem; & quia contrariorum eadem est scientia & sensus; ideò cum tactus frigiditatem & siccitatem terrestrem sentiat, etiam oppositum calorem,& humiditatem, cęterasque qualitates tangibiles in illis fundatas percipiet. Quia autem quoties sensatio tactus fit: toties plures qualitates tangibiles ibidem inueniuntur. Nam in primis organum tactus constat ex quadam naturali temperie primarum qualitatum ex se tangibilium, per quam disponitur in ordine ad recipiendum prædictum sensum: & insuper solet alterari per qualitates tangibiles, & ita dum sentit calorẽ calefit ab illo, & dum percipit frigiditatem frigefit ab ea; hinc aliqui putant vtramque qualitatem scilicet illam, quæ est in organo, & eam quæ est in obiecto per eamdem partem organi sentiri: ita tamen vt prior illa ratione sui, & sine hac posteriori possit aliquo modo sentiri: hæc verò posterior sentiatur per eam quę in organo est. Nihilominus tamen cum alijs melius dicendum est, quod etsi qualitas tangibilis, V. g. calor possit percipi à parte viciniori paululum tamen distanti, dummodò prædicta qualitas sit intensior; non posse tamen percipi ab ea parte organi in qua inhæret; atque adeo loquendo de qualitatibus sensibilibus, quę ei directè correspondent, solùm percipiuntur per tactum qualitates existentes in obiecto externo debitè ei approximato; præterquam quod enim sensibile positum supra sensum, id est contiguũ ipsi, impedit sensationem, atque adeo multo magis sensibile inhærens sensui; qualitas tangibilis V. g. calor inhærens in vna parte organi non potest eam denuò alterare, aut magis calefacere, vt satis per se patet; Vnde etiam non potest ab eadem parte organi per tactum sentiri; nam qualitates tangibiles non sentiuntur per tactum nisi prius immutent illum alteratione physica, & naturali, vt statim diximus (quamuis id non oriatur ex eo, quod calor externus, V. g. per internum tanquam per formalem rationem sentiẽdi percipiatur, sed aliunde) quare si calor inhærens in organo non potest physicè & naturaliter immutare partem illam organi in qua reperitur, nequibit per illam sentiri.

Rursus cum inter qualitates tangibiles debitè in ratione obiecti approximatas modo statim dicto, dentur aliquę non solùm excellentiores, aut exuperantiores, sed etiam æquales, aut minoris intensionis, ac est ea, quæ in simili qualitate in organo inhęrente reperitur, dicendum tamen est, tactum solùm sentire excellentias, seu exuperantias obiecti tangibilis, non verò gradus, aut quasi gradus æquales, aut inferiores, Nam organum tactus debet esse in potentia ad qualitates tangibiles, quas percepturus est, quando quidem vnumquodque patitur secundùm quod est in potentia, nõ verò secundum quod est in actu; non potest ergò percipere eas qualitates, secundum quas est in actu, sed solùm eas, ad quas est in potentia: ac proindè si organum sit in actu per calorem, vt quatuor V. g. nequibit sentire calorem vt quatuor, aut aliquid prædictæ intensionis, sed solùm exuperantias, ad quas solùm est in potentia. Vnde quia proprium est tactus, vt distincti ab alijs sen-

sensibus saltem externis, quod solùm respiciat exuperantias tangibilium, tanquam quid in actu exercito sentiendū: propterea etiam proprium est illius, vt solus ipse inter alios sensus iam dictos sit per se loquendo denudatus ab exuperantijs obiecti tangibilis; non tamen à tota latitudine eius. Componitur enim ex elementis quorum calidum, & frigidum, humidum, & siccum sunt propriæ qualitates: sic igitur fit in potentia organum tactus ad sua obiecta, in quantum est medium inter contraria; mediū enim est in potentia ad extrema, & propter hoc quando animal habet complexionem magis reductam ad medium, tantò habet meliorem tactum, vnde homo inter alia animalia est melioris tactus.

Iam circa modum quo obiectum tangibile immutat intentionaliter tactū; an nimirum ad illud requiratur, quod obiectum tangibile immutet etiam per immutationem naturalem & physicam organum tactus, ad hoc vt speciem intentionalem sui immittat; an verò possit absque dependentia à prædicta immutatione naturali, & physica immutare intentionaliter potentiam tactiuam; putant aliqui non esse per se necessariam immutationem naturalem, & physicam caussatam ab obiecto tangibili, sed satis esse realem & materialem contactum inter illud, & organum tactus. Melius tamen alij docent, non solùm qualitates primas tangibiles, scilicet calorem, frigiditatem, humiditatem, & siccitatem, sed etiam secundas vt duritiem, & mollitiem per se, & necessariò debere immutare organum tactus, physicè, & naturaliter, ad hoc vt eumdem tactum per species intentionales immutent: aliter tamen, & aliter nam primæ qualitates alterant, siue immutant physicè organū producendo sibi simile secundum speciem, nimirum alterum calorem, vel frigiditatem; secundæ verò qualitates, vt durities, producendo quandam qualitatem innominatam, cuius signum aliquale est, quod durum contrectatum, secundum quam rationem sentitur, & imprimit sui speciem, exasperat manum V.g. tangentem illud, cum tamen oppositum contingat dum molle per tactum sentitur, seu ab illo intentionaliter immutatur. Vndè, cum dicitur communiter has qualitates secundas, & tangibiles non esse actiuas debet intelligi de actiuitate, per quam producantur aliæ similes qualitates secundum speciem, & quod ob rationem generalem qualitatum secundarum, non conueniat eis prædicta actiuitas, non verò, quod prorsus sint expertes totius actiuitatis naturalis, pro vt hæc actiuitas ad productionem cuiusuis qualitatis ad ordinem naturalem spectantis extenditur. Loquendo de medio tactus, & si per accidens possit habere medium extrinsecum, vt satis patet dum quis percutitur mediante clypeo, ita vt tam clypeus, quàm animal eo munitum percutiatur; tamen per se debet habere medium intrinsecum, seu partem aliquam animalis per illum sentientis. Sicut enim alij sensus visus, auditus, & olfactus per se petunt mediū extrinsecum, vnde visibile & audibile mouent per se extrinsecum medium, & iterum medium mouet vel visum, vel auditum; ita gustus & tactus per se petunt medium intrinsecum; vnde etiam quādo per accidens mediat aliquod corpus, seu medium extrinsecum, tangibile non mouet medium extraneum, & iterum medium illud mouet tactum; sed tangibile mouet vtrumque simul; siue quod idem est tangibilia sentimus per medium extraneum, non quasi moti à medio extraneo, sed simul cum medio mouemur à sensibili: vt patet in exemplo allato de eo, qui percutitur per clypeum, non enim accidit sic, quod clypeus percussus percutiat, sed simul accidit vtrumque percuti: vbi cum dicitur, *simul*, non est intelligendum, inquit D. Thomas lib. 2. de anima lect. 23. secundum ordinem temporis tantum, quia etiam in visu simul mouetur mediū ab obiecto, & sensus à medio: fit enim visio sine successione. Perceptio autem

soni

soni, aut odoris cum successione: sed hoc referendum est ad ordinem causæ: in alijs enim sensibus immutatio medij est causa quod immutetur sensus,non autem in tactu: nam in alijs sensibus immutatio medij est causa quod immutetur sensus non autem in tactu. Quod pertinet ad organum, seu sensorium tactus putant aliqui esse carnem, nec non & neruos: reliquaque alia, quæ ad carnem reducuntur; quod vltimum addunt, vt excludant ossa, & alias corporis partes eis valde similes,quia sunt nimis terrestres, & maximè frigidæ. Melius tamen alij docent carnem vt condistinctam à neruo esse medium tactus,nõ verò organum, sed hoc esse aliquid aliud intus, seu intra eam existens, quẽdam scilicet neruum, quem Medici tactuum appellant; quique, vt ex dissectionibus anatomicis constat, suo modo carne inuolutus dispersus est per totum corpus, ita vt animal sit eo, veluti rete quodam per totum corpus disperso munitum & septum, vt vndique quàm citissimè præsentiat, quid nociuum, quidve vtile sit toti animali. Si inquirat aliquis in quanam parte huius nerui, tactus vigeat. Respondet D. Thomas in 4. sentent.distinct.23.quæst.2.artic.3. quæstiunc.2.quod in nobis viget in pulpis digitorum, de cæteris enim animalibus non ita id experimento cognitum est.

Præter quinque sensus externos statim explicatos, dantur quatuor interni, videlicet sensus communis, imaginatio, siue phantasia, æstimatiua, & memoria; tot enim, & non plures nec pauciores debent dari actiones aut potentiæ, quot ad vitam animalis perfecti requiruntur; cum igitur prǽter quinque sensus externos sufficiat animali perfecto,quod cognoscat, vel versetur circa rationes sensatas, & insensatas tam præsentes,quàm absentes, sufficient etiam quatuor enumeratæ potentiæ,vel actiones circa prǽdicta versantes. Notandum est tamen æstimatiuam in homine, & memoriam alia nomina sortiri, quam in cæteris animantibus. In hominibus enim *æstimatiua* dicitur *cogitatiua*, vel *ratio particularis*; memoria verò vocatur *reminiscentia*.

Differt enim æstimatiua bruti,& cogitatiua hominis, quod illa cognoscit rationes insensatas, vt inimicitiam,conuenientiam &c. naturali instinctu, & absque aliquo discursu, V. g. auicula naturali instinctu cognoscit per æstimatiuam hanc paleam sibi conuenire ad nidificandum, & ouis hanc herbam esse sibi conuenientem ad cibum, illam autem nociuam. At cogitatiua in homine ex coniunctione ad rationem habet aliqualem discursum, & ideo non solùm ex instinctu naturæ, sed cum aliquo discursu (circa sola tamen particularia eodem modo, & ordine, quo operatur intellectus circa eadem, aut circa vniuersalia ab eis abstracta) apprehendit eiusmodi rationes insensatas, siue non sensatas. V.g. faciendo hunc syllogismum, *Hic est mihi inimicus, & hic est Petrus, ergo Petrus est mihi inimicus*. Præterea cogitatiua hominis est quæ causat iudicia temeraria in illo, vt V.g. quando ex leui iniuria, vel negatione alicuius leuis obsequij concludit inimicitiã inter aliquos, vel è contra ex insufficientibus indicijs colligit amicitiam; & ideo nisi reguletur per rationem cognoscentem terminos formaliter, multoties irrationaliter mouet appetitum tam irascibilem, quam concupiscibilem.

Similiter memoria in homine dicitur reminiscentia, quia propter coniunctionem quam habet cum ratione habet maiorem aliquam perfectionem, quàm in brutis, nimirum quamdam collationem intentionum indiuidualium. Cum enim intellectus non solùm circa præsentia sensibilia discurrat, sed etiam circa prǽterita iam ab externis sensibus sensata, seu percepta, necessarium est tribuere homini virtutem sensitiuam internam, comitantem intellectum circa prǽteritas sensationes externorum sensuum, & sensibilia vt iam per eos sensata, non quidem modo simplici, vt memo-

memoria circa præterita versatur, sed cũ quadam quasi indagatione vnius ex altero, quodamque discursũ imperfecto, & hæc vocatur reminiscentia. Ex quibus sequitur, quod eadem potentia secundum rem est in homine æstimatiua & cogitatiua, memoria, & reminiscentia, licet propter coniunctionem ad rationem habeant aliquas operationes altiores, non enim habent illas ex vi propriæ lineæ & per se, sed materialiter per affinitatem ad rationem vniuersalem, semper enim virtus inferior fortificatur ex coniunctione sui cũ virtute superiori, ex eo quod supremum naturæ inferioris attingit infimum naturæ superioris, vt docet D. Dionysius, & ideo eum discurrere circa singularia modo explicato sit infimum rationis nõ mirum, quod participetur ab æstimatiua & memoria cum intellectu in homine coniunctis licet id non habeant in cæteris animalibus, vbi non reperitur talis coniunctio.

Etsi aliqui Philosophi putent quatuor prædictas potentias non esse inter se realiter distinctas; melius tamen oppositum tenent alij; illæ enim potentiæ realiter inter se debent distingui, quæ habent diuersa obiecta formalia, diuersa media, diuersa organa, diuersosque modos agendi, sed vt patebit statim discurrendo per singulas quatuor enumeratas potentias sic se habent. Primùm enim sensus communis versatur circa omnia sensibilia externa, quæ a sensibus externis percipiũtur, ac proinde discernit inter illa (si quidem sensus ille qui cognoscit ipsa, non potest non percipere, esse inter se diuersa) insuper percipit sensationes sensuum externorũ; quæ duo sanè munera sensibus externis competere non possunt; sic igitur sensus iste interior non dicitur communis, ex eo quod per se primò solum terminetur ad sensibilia communia de quibus supra; aut per prædicationem sicut genus; sed sicut communis radix, & principium externorum sensuum, quatenus scilicet deriuãtur ab ipso sensus animales vniuscuiusque sensus proprij, quantùm verò ad apprehensionem & renuntiationem vicissim sensus communis fit in actu per illos, quia nihil apprehenderet, nisi per hoc quod sensus proprij redeunt ad ipsum cum suis lucris. Vnde propriũ sensus communis organum est prima cellula cerebri, quæ est supra frontem in qua radicantur omnes nerui descendentes ad organa sensuum exteriorum, siue quibus sunt affixi sensus externi.

Cum sensus communis versetur modo statim dicto circa sensibilia externa, & discernat inter illa dumtaxat pro vt sunt præsentia; phantasia, siue imaginatio versatur circa illa quatenus absentia, vel vt suo modo abstrahunt à præsentia, & absentia; quod est versari circa obiectum magis abstractum, magisque immateriale, quippè quod abstrahit ab existentia. Hinc de sensu communi dicitur, quod sit potentia facilè receptiua, & malè retentiua, de phantasia verò, quod sit malè receptiua, bene autem retentiua, eo enim ipso quod sensus communis versetur circa sensibile vt præsẽs, non potest non esse facilè mutabilis & apprehensiua potentia, sicut per oppositum eo ipso quod imaginatio terminetur ad eadem sensibilia pro vt absentia, non potest non esse specierum bene retentiua. Sic sensus communis situatur, vt statim diximus in prima parte cerebri super frontem, vbi est multa humiditas & mollities, cuius proprium est benè & facilè recipere, malè autem retinere, vt satis patet in cera molli, quæ figuram sigilli facilè quidem recipit, sed malè retinet, facilè est enim illam delere: at Phantasia situatur in secunda parte anterioris capitis, quę cum sit magis sicca & dura, licet difficilius recipiat, melius tamen retinet, & conseruat species, vnde Phãtasia rectè vocatur à Philosophis thesaurus specierum sensatarum, sicut memoria specierum non sensatarum, vt statim dicemus. Porrò medium in quo producuntur species impressæ horum sensuum internorum ab externis, eorumque obiectis, sunt spiritus animales val-

valdè similes aeri externo, qui per concauitates internas corporis diffusi sũt, vt species in se recipientes quasi deferant, & ab his speciebus in eis receptis multiplicentur aliæ in potentia; vnde etiam deficientibus huiusmodi spiritibus, vel impeditis vijs, per quas transire, ac moueri possint, cessant operationes sensuum internorum.

Aestimatiua non solùm recipit species sensatas à sensu communi, aut phantasia, per quas res ab illis iam perceptas cognoscat, sed insuper vtitur speciebus insensatis ad cognoscendas easdem res sensatas, seu à sensu communi, & phantasia iam perceptas sub noua ratione conuenientis, aut disconuenientis non sensata. Pro cuius intelligentia notandum est rem, quæ obijcitur sensibus internis dupliciter posse cognosci ab aliquo ex illis, primò quidem quo ad rationem illam, quæ per sensus percipitur, ita vt hæc sit præcipua ratio percepta; & nõ modus illius, & propter hanc causam solet appellari sensata. Secundò potest cognosci quo ad rationem quamdam à sensibus externis nõ perceptam, vt V.g. quoad rationem conuenientiæ & discõuenientiæ, amicitiæ aut inimicitiæ, & hæc solet appellari insensata, quia à nullo sensu est antea cognita. Proprium igitur æstimatiuæ munus, pro vt à cæteris potentijs sensitiuis distinguitur, dicimus esse, quod eliciat sensationes per species insensatas, hoc est ab alio sensu non receptas, siue quod idem est, non repręsentantes obiecta vt ab eo sensata & percepta. Sed quia Doctor Angelicus D.Thomas 1. par. quæst.78. duplicem distinguit conuenientiam aut disconuenientiam, vnam secundum sensũ, secundùm quod vel delectatur, vel cõtristatur animal secundum sensum, certum est ad illam non requiri potentiam æstimatiuam, sed sufficere apprehensionem formarum quas percipit sensus, in quibus delectatur, aut horret. Verùm quia necessarium est animali, vt quærat aliqua, vel fugiat, non solùm quia sunt conuenientia, vel non conuenientia ad sentiendum, sed etiam propter aliquas alias commoditates, vel incommoditates, sicut ouis, V.g. videns lupum venientem fugit, non propter indecentiã coloris, vel figuræ, sed quasi inimicum naturæ; & similiter auis colligit paleam, non quia delectat sensum, sed quia est vtilis ad nidificandum, ideo ad huiusmodi rationes, siue intentiones percipiendas ponitur sensus internus, qui dicitur æstimatiua. Quas tamen rationes animalia non cognoscunt per quamdã collationem, aut rationis inuestigationem, vt contingit in homine modo superius explicato, sed per instinctum naturæ; qui naturalis instinctus est ipsa naturalis ęstimatio, quæ proprius est actus æstimatiuę. Etenim ipso quod animalia vitali modo, & quatenus viuunt vita sensitiua fugiunt, aut prosequuntur prædicta obiecta quo ad rationes insensatas, debent media eadem cognitione moueri ad illa fugienda & prosequenda, cum sit proprium motus vitalis & progressiui, vt fiat directione æstimatiuæ, & impulsu appetitus, qui etiam moueri non potest, nisi præuia cognitione illi proportionata. Insuper pro diuersitate obiectorum habentium conuenientiam, vel disconuenientiam solent in animalium appetitibus diuersi affectus timoris, odij, lætitiæ, tristitiæ, &c. excitari, signum est ergò præcedere in illis diuersam eorumdem obiectorum apprehensionem. Huius potentiæ organum situatur in homine in media parte cerebri, consequenter post phantasiã, quod organum magis etiam de humiditate petit, quam de siccitate, licet diuersimodè, & excellentiori ratione, quàm in sensu communi, cum habeat excellentiori modo recipere, quàm ipse.

Iam superest breuiter explicare, à quanam causa producantur species insensatæ ęstimatiuæ deseruientes, & quonam modo: circa hoc enim diuersa sunt Philosophorum placita; aliqui enim existimant eiusmodi species produci immediatè à Deo, vel in principio generationis animalium, vel ad præsentiam obie-

obiectorum, seu specierum sensatarum, quas ab inferiori sensu recipit æstimatiua; verum hæc sententia secundum vtrumque modũ eam defendendi communiter doctoribus displicet propter duo. *Primò* quidem, quia potentię sensitiuæ ex propria natura immutantur à suis obiectis per immissionem specierũ, sine fundamento ergò recurritur ad primam causam, dum de æstimatiua agitur ex eo solũ quod ignoretur modus quo illa possit eiusmodi species recipere. *Secundò* quia omnes potentiæ sensitiuæ subordinatæ sunt, ita vt superiores, ac perfectiores accipiant species obiectorum ab inferioribus tãquam à ministris, igitur æstimatiua etiam iuxta naturalem illum ordinem debet recipere species suo modo ab inferioribus sensibus,& nõ à solo Deo.

Melius ergò dicendum est species insensatas produci in æstimatiua ab obiecto medijs tamen sensatis quas recipit à sensu communi,vel phantasia. Modus autem quo id fiat colligi debet ex doctrina D. Thomæ 1. p. q. 78. artic. 4. ad 2. vbi tanquam fundamentum huius rei præsupponit, quod in eodem obiecto cognito ab inferiori & superiori potentia, longè plura melioriq; modo cognoscit potentia superior, quam inferior si quidem eo ipso quod sit perfectior,& vniuersalior, debet habere obiectum, ac rationem formalem illius vniuersaliorẽ, pluraque sub se comprehendentem. Sic ad præsens institutum virtus æstimatiua, cum sit altior potentia à cæteris sensibus, vniuersalius obiectum habet, quia non solum attingit in eadem re rationẽ sensibilis proprij & communis, sicut sensus externi, nec solum rationem sensati, vt sensus communis, sed etiam rationem conuenientis & disconuenientis præsupponentem alias, & addentem aliquid super illas, quod à nullo alio sẽsu inferiori percipi potest. Vnde licet species sensata directè quidem & formaliter dumtaxat repræsentet externa accidentia, V.g. Lupi, vt colorem, figurã, magnitudinem, & motum illius, habet tamen aliquid ibidem, ratione cuius est veluti semen, & virtus instrumentaria obiecti, in ordine ad producendam aliã speciem altiorem & insensatam, quæ quidem ratio virtualis non est sufficiẽs, vt eliciatur species eius ab inferiori potentia, sufficit tamen vt eliciatur à superiori excellentioris virtutis, & efficaciæ; & ideo potest æstimatiua semel informata specie impressa sensata elicere ex ea expressam talis rationis non sensatæ, & per hanc expressam imprimere sibi aliam repræsentantem eamdem rationẽ reseruandam in memoria pro futuris vsibus, aut operationibus circa eamdem rationem, vel obiectum.

Secundò potest explicari præsens difficultas dicendo, speciem illam insensatam produci ab obiecto, & non vtcumque, hoc est virtualiter ratione sensatæ, vt modo explicuimus, sed ita vt à Lupo, V. g. duplex species essentialiter & realiter distincta immediatè procedat vna quidem sensata, altera insensata. Quoniam lupus licet in esse rei sit vnus & idem, attamen in esse obiecti est multiplex, & ita multiplex vt quædam ex his rationibus obiectiuis sit sensata, alia verò insensata; vnde non est mirum, quod ab eo duplex huiusmodi species possit immediatè procedere; sicut nõ est mirum, quod prædictum obiectum immittat diuersas species insensatas conuenientiæ, aut disconuenientiæ respectu diuersarum æstimatiuarum. Istæ enim rationes nõ conueniunt rebus absolutè; sed solùm relatiuè, & per ordinem ad alia. Per quod facilè intelligitur quomodo determinatio æstimatiuę in animalibus ad cognoscendũ aliquod obiectum sub ratione conuenientis, vel disconuenientis, non prouenit omnimodè à tali obiecto, sed partialiter tantùm, concurrente ex altera parte natura animalis, in qua talis æstimatiua radicatur, V.g. ęstimatiua ouis quo ad hoc, vt percipiat lupum, vt inimicum, ita determinatur ab eodem lupo mediante specie quam immittit, vt tamen illum non attingat, vt sibi in particulari inimicum,

nisi

nisi ad hoc insuper determinetur, & instigetur ex coniunctione ad propriam naturam, radicationeque in illa. Nam sicut lupus est disconueniens naturæ ouis: ita æstimatiua ipsius ratione prædictæ radicationis, supposita semel specie iam dicta, naturaliter est determinata ad apprehendendum lupum vt sibi inimicum. Et hac ratione S. Thomas q. 18. de veritate artic. 7. ad 7. docet quod animalia bruta in sui principio accipiunt naturalem æstimationem ad cognoscendum nociuum & conueniens; determinatione videlicet se tenente ex parte potentiæ, nam ex parte obiecti illam tantum habent per species in tempore acquisitas, vt diximus supra.

Quarta tandem, & vltima potentia sensitiua est memoria, cuius est retinere, & conseruare species non sensatas, versarique proindè circa illas vt absentes, vel vt abstrahunt à præsentia, & absentia, sicut de imaginatione supra diximus; vnde ea ratione, qua diximus sensum cõmunem in ordine ad species sensatas esse facile receptiuum, & male retentiuum, imaginationem verò esse male receptiuam, bene autem retentiuam; sic in ordine ad species insensatas, æstimatiua quidem est facilè receptiua, male retentiua, memoria vero bene retentiua, & male receptiua; Vnde secundum Auicennam & alios situatur in posteriore parte capitis, post æstimatiuam, quæ præ alijs est magis sicca, & ideò bene retentiua.

Post sensus tàm externos, quam internos sequitur potentia appetens siue appetitus qui vt in homine dicitur rationalis, seu intellectiuus, ita in brutis, animalis, seu sensitiuus, nihilq; est aliud quam potentia passiua, vitalis tamen, quæ nata est moueri ab apprehenso per sensum: vnde appetibile apprehensum per sensum est mouens, non motum, appetitus autem mouens motum; quo satis patet nomine potentiæ passiuæ non intelligi potentiam passiuam qualemcũque, sed potentiam passiuam eleuatiorẽ, quæ sit potẽtia passiua vitalis, id est (quo ad præsens institutum) quæ ita moueatur ab apprehenso, vt ipsa etiam se moueat ad illud. Hic appetitus diuiditur in concupiscibilem, & irascibilem; quæ diuisio non est in duo munera tantum eiusdem potentiæ appetitiuæ, vt volunt aliqui, sicut dum intellectus in practicum, & speculatiuum diuiditur: sed in duas vires, & potentias appetitiuas realiter inter se distinctas; cum respiciant diuersa obiecta formalia, habeantque distinctos etiam realiter actus: quia obiectum concupiscibilis est bonum delectabile secundum sensum: obiectum verò irascibilis est bonum arduũ, quod quidẽ multoties est conueniens animali secundum alias commoditates; licet nõ sit delectabile secundum sensum; appetit enim irascibilis ea, quæ conducunt ad conseruationem, & defensionem animalis, licet non sint delectabilia. Vndè irascibilis respicit ea quæ impediunt bonũ sensibile, non quidem fugiendo ea; ad hoc enim sufficit concupiscibilis, sed potius resistendo illis, & contranitendo. Vnde respicit illa impedimenta, tanquã mala, quæ sunt impugnanda, & vincenda: & hac ratione respicit illa tanquàm ardua, & difficilia. Et quoniam impugnare, & vincere huiusmodi impedimẽta habet rationem boni; idcirco absolutè dicitur, quod irascibilis habet pro obiecto bonum arduum, & per hoc distinguitur à concupiscibili. Quod insuper hi duo appetitus habeant actus adæquatos realiter distinctos, non solùm patet ex eo, quod irascibilis subsequitur ad æstimatiuam, & mediante eius apprehensione ducitur in suum obiectum, scilicet in bonum arduum: concupiscibilis verò subsequitur ad imaginatiuã, & mediante eius apprehensione habet duci in suũ obiectum, nimirum in bonum delectabile secundum sensum: sed etiam ex eo quod concupiscibilis habet se ad instar potentiæ passiuæ, tendendo ad suũ obiectum quasi per modum recipientis; irascibilis verò ad instar potẽtiæ purè actiuæ, quia tendentia actualis, & in actu secundo illius est per modum actionis, id est

id est acquirendo victoriam super id, quod est aduersum naturæ, debellando, & propulsando malum, quod impedit bonum illius; & propterea D. Thomas 1. p. q.81. artic.2. & quæst.25. de verit. artic.2. ait, quod secundum Auicennã, ad irascibilem pertinet fortitudo, & debilitas cordis, quasi virtuti ordinatæ ad agendum: ad concupiscibilem autem dilatatio, & constrictio ipsius, quasi virtuti ordinatæ ad recipiendum.

Tertia tandem & vltima animæ sentientis potentia, est potẽtia motrix; quia autem in animantibus duplex, imò triplex reperitur vis motrix, vna naturalis, alia animalis, seu spontanea, & tertia media; ita vt naturalis dicatur ea, quæ solo naturæ impetu agit, nec antecedentem apprehensionem requirit, cuiusmodi est vis pulsitilis, quæ cor dilatationis, & constrictionis motu ciet, & arterias pulsat, habetque in corde originem. Animalis, quæ præeuntem notitiam sequitur, eiusque motus spontaneus vocari consueuit; media tandem, respiratio, quæ ex inspiratione & expiratione componitur, naturalis enim est quo ad rem, sed quo ad modum est sponranea, nam citò aut tardè pro voluntate respirare possumus. Agimus tantum in præsenti de virtute motrice secundo modo, quam alij virtutem locomotiuam solent appellare; quæ iterum est duplex imperfecta scilicet, & perfecta; cùm enim eorum, quæ animali motu mouentur, duo sint genera. Primum eorum quæ solo tactu & gustu pollent, mouenturque duntaxat intra se, diducendo & contrahendo intus membra, cum alioqui secũdum se tota stabili sede vitam degant, vt conchylia. Secundum eorum, quæ vim sensitricem perfectam habent, nec solum pręsentia & quæ tactu explorant, sed etiam absentia dignoscunt; in primo genere reponitur potentia loco motiua imperfecta, quæ vocatur dilatatiua, seu constrictiua; in secundo verò perfecta, quæ vocatur progressiua, vt mouentur homines ambulando, pisces natando, aues volando, vermes rependo, serpentes serpendo &c.

Sed est grauis difficultas inter doctores an hæc potentia loco motiua præsertim perfecta, quæque est secundum motum progressionis sit realiter distincta à potentia cognoscitiua, & appetitiua; pro cuius intelligentia notandum est ad huiusmodi motum progressiuum animaliũ triplex veluti principium posse concurrere. Primum est, quod vocatur principium directiuum motus, quod in homine est ratio, in brutis verò animantibus imaginatiua, vel æstimatiua. Cum enim motus progressiuus fuerit à natura institutus ad conuenientia inuestiganda, & declinanda aduersa, hoc præstari nequaquam potest, nisi detur vis aliqua repræsentans istiusmodi obiecta appetitui, ipsumque pro re nata in hanc, aut illam partem inflectens: præsertim cum appetitus ex se indiscriminatim se habeat ad hoc illudue prosequendum, aut vitandum: hanc autem vim satis constat esse in homine rationem, in cæteris verò animantibus perfectis imaginationem, vel æstimatiuam. Secundum principium est quasi impulsiuũ ipsius motus, quod in homine est volũtas, quæ cæteras potentias mouet quo ad exercitium, in animalibus verò est appetitus sẽsitiuus; & vtrumque principium tam directiuũ quàm impulsiuũ D. Thomas 1.p. q.78. artic.1. ad 4. dicit esse imperatiuũ motus. Tertium principium est ipsa vis executrix motus. Iam ergò vt certa ab incertis separemus, non est difficultas in præsenti de potentia dirigente, aut impellente motum; qualis sit; satis enim constat illam distingui non posse à potentia cognoscitiua, aut appetitiua. Similiter fatentur omnes pręter duplicem facultatem; alteram motum dirigentem, alteram imperantem, dandam esse virtutem quamdam inhærentem membris realiter ab vtraque distinctam, quæ motum proximè exequatur; quod colligitur ex D. Thoma loco statim citato ad 4. Tota ergò difficultas in hoc consistit an hæc potentia, vel virtus executiua motus localis, sit verè potentia actiua, & eli-

& elicitiua illius, an verò solùm passiua. Aliqui enim docent talem potentiam executiuam, esse verè actiuam, siue elicitiuam motus localis, realiterque distingui tam ab appetitiua quàm à cognoscitiua potentia, licet vtrique subordinetur. Quæ sententia est valde probabilis & fundari potest in diuersis locis S. Thomæ quæst. vnica de anima art. 13. ad 13. de potentia quæst. 6. art. 3. ad 2. 1. p. quæst. 78. artic. 1. ad 4. Alij verò putant, quod eiusmodi potentia motiua corporea, quam executiuam motus appellamus, non sit potentia verè actiua, sed passiua dumtaxat, solasque proinde potentias cognoscitiuam, & appetitiuã esse principiũ actiuè, & efficienter executiuum motus; ita vt illemet actus, quo appetitus v. g. absolutè & efficaciter ex præexistenti cognitione appetit motum localem membrorum animalis, vt hic & nunc executioni mandandum, sit virtualiter transiens, & ita eo mediante eliciat prædictum motum, & motus iste ad eumdem appetitum, non quidem tanquam actio ad agens, sed tanquam effectus ad idemmet agens comparetur. Sic in ista sententia potẽtia passiua executiua motus realiter quidem distinguitur à potentia tàm cognoscitiua, quam appetitiua, sic enim sumpta nihil est aliud, quam vel ipsa membra corporis, vel melius vis quædam illa præparans, reddensque apta & obedientia ad excipiendum motum, quem efficit appetitus. At potentia actiua motus, non est realiter distincta à potentia cognoscitiua, vel appetitiua, sed tantum virtualiter. Quatenus idemmet actus v. g. appetitus, vt est immanẽs, & appetitio obiecti correspondet potentiæ appetitiuæ vt tali, vt autem habet ille idem actus efficacitatem ad mouenda membra, & ratione illius est virtualiter transiens, ac proindè connotat motum localem animalis, vt effectũ eiusdem appetitus, debet ipsi correspondere vt potentiæ locomotiuæ actiuæ. Cui sententiæ apertius fauet D. Thomas tùm libro 2. contra Gentes, cap. 82. in fine vbi dicit, non mouet anima brutalis nisi per sensum, & appetitũ, nam virtus quæ dicitur exequens motũ facit membra esse obedientia imperio appetitus, vnde magis sunt virtutes perficientes corpus ad moueri, quam virtutes mouentes. Tum etiam 1. p. quæst. 75. artic. 3. ad 3. Vis motiua, inquit, exequẽs motum est, per quam membra corporis redduntur habilia ad obediendum appetitui, cuius actus non est mouere, sed moueri. Quod explicari potest exemplo cæli, in quo dicimus esse potentiam passiuam naturalem, ad hoc vt moueatur ab intelligentia tanquàm à principio actiuo; ita similiter proprius actus illius potentiæ executiuæ motus, non est mouere, sed moueri; & ideo appetitus ipse mouet illam immediatè, sicut Angelus per suam voluntatẽ est principiũ immediatè elicitiuum motus localis in cælo.

Vt potentia appetitiua suam in corde sedem habet, ita potentia motrix, siue efficienter, siue dispositiuè dumtaxat ad motum concurrat, secundum diuersitatem opinionũ, in musculis toto corpore extensis, tanquam in proprio organo; ad idoneum enim motus instrumentum duæ requiruntur conditiones; vna vt sensu polleat; alia vt impulsum edat, quarum neutra sine altera potest consistere; quoniam autem ad mouendum necessaria est firmitas, & consistẽtia, ad sentiendum verò mollitudo (vnde ea, quæ prædura sunt, vel nullum, vel certè nimis hebetem, & obtusum sensum gerunt) excogitauit solers natura rationẽ, qua vtramque mirificè coagmentaret: coniunxit enim ligamentum, quod aliquantulum est durius, cum neruo, qui mollior est, & vtrumque id est ligamentum & neruum in minutas partes quasi secuit, & carne, neruis arterijsque implicuit; quæ coaceruatio musculus dicitur; atque hic à Philosophis & Medicis traditur instrumentum virtutis motiuæ, quod tam latè in animantium corporibus diffunditur, quàm latè patent membra, quæ ad arbitrarium mo-

tum fubeundum idonea funt. Nequit tamen motoria facultas hoc vti inftrumento, nifi id congruis qualitatibus imbutum fit, quarum defectu interdum membra exarefcunt, motuque omni deftituuntur; opus etiam eft, vt membra perenni animalium fpirituum affluxu foueantur. Cuius rei illud, præter alia indicium habetur, quod in animi deliquio, & timore vehementi corpus fuftinere nequimus, animali fpiritu, qui membra fulciebat, ex toto corpore ad cerebrum confluente. Quod etiam in caufa eft, vt qui in gyrum aguntur fubitò concidant, atque interdum fopiantur: quia nimirum fpiritus per neruos rectà deducendi circulari illo flexu à neruorum initijs aberrantes alio vergunt. Tandem notandum eft, hanc vim motum exequentem ita effe per totum animantis corpus diffufam, vt tamen à cerebro deriuetur; cuius rei vel illud eft argumentum, quod indè mouentes nerui ortum habent. Itē quia obftrictà eiufmodi via confeftim ceffat membrorum motio, obftupefcente toto corpore.

Poft confiderationē animæ fentientis vt fic & eius potentiarum generaliter fumptarum fupereffet ad complementum doctrinæ varias illius diuifiones adducere in fuas fpecies, ac differētias, verum cum de illis infra in hiftoria animalium acturi fumus, ad explicationem animæ rationalis, rerumque ad illam pertinentium tranfimus. Primum ergò dicendum eft animam rationalem effe pure fpiritualem; ita tamen vt fit forma, & natura hominis; etfi enim formam effe in alio tanquàm in fubiecto inhæfionis tollat ab illa quod fit ex fe fubfiftens, vel fpiritualis, hoc tamen non aufert effe in alio tanquàm in fubiecto puræ informationis abfque inhærentia, vt in anima rationali contingit; quia hoc quod eft effe in alio tanquàm in fubiecto informationis, tantum petit vnionem fubftantialem per modū actus, & potentiæ, non verò quod actus pendeat à fubiecto, vt à fuftentante, quin potius fi prædictus actus fuerit eminēs, trahet materiam ad hoc, vt per exiftentiam, & fubfiftentiam propriam illius coexiftat, & confubfiftat. Verumtamen eft quod anima rationalis præcisè quatenus rationalis, diciturque talis ab operationibus intelligendi, & volendi, non fit forma corporis organici; nec enim ad huiufmodi motus fpiritales vllo corpore vtitur nifi præparando, fed anima recipit illos in feipfa, non autem corpus, alias fi corpus fufciperet, poffemus dicere, corpus ratiocinatur, quemadmodum dicimus corpus videt; hoc autem dicere non poffumus; cum ergo motus fpiritalis ratiocinationis non communicetur corpori, anima rationalis quatenus rationalis, fiue à præcipua facultate fcilicet ratione denominatur, non erit actus corporis organici; dixi præcisè quatenus à præcipua facultate ratiocinandi & volendi denominatur rationalis, quia cum anima rationalis vt fic, nō folum fit propter operationes intelligēdi, & volendi, quæ non exercentur per organum corporeum, fed etiam propter alias operationes ipfius proprias, quæ per illud exerceri debent, vt propter rifum & fletum, nihil prohibet dicere illam effe abfolutè formam corporis organici; per quod facilè conciliari poffunt duæ oppofitæ fententiæ.

Quia autem principales animæ rationalis potentiæ funt intellectus, & voluntas quibus miniftrant, & deferuiunt potentiæ fenfitiuæ, de illis dumtaxat hic agemus. Itaque intellectus eft facultas qua res fpiritales cognofcimus, vt Deū, & Angelos, aut res corporales, fed fpiritali modo, fcilicet abftrahendo ab omni corpore, ab omni figura, cæterifque conditionibus indiuiduantibus. Duplex eft intellectus, vnus agens, alter patiēs, feu poffibilis; à quo vltimo incipiendo, primum examinandum eft quodnam fit illius obiectum, & quia duplex eft obiectum adæquatum alicuius potentiæ cognofcitiuæ. Aliud adæquatum extenfiuè, vel vt alij dicunt terminatiuum; ad

quod

quod secundum omnes suas partes potentia aliquo modo extenditur, non verò extra illud, & ita nuncupatur obiectum adæquatum extensionis, quia est id in ordine ad quod potentia modo dicto ita extenditur, vt ad illud, non verò vltra ipsum extendi valeat: & similiter dicitur terminatiuum, quia totam eius vim terminat, ac proinde est terminus totius, vt sic dicam, extensionis, & sphæræ potentiæ. Aliud verò adæquatum intensiuè, vel vt alij loquuntur in ratione obiecti proportionati, seu in ratione obiecti motiui, ad quod non solum petitur, vt potentia possit vtcunque circa illud versari secundum omnia quæ continet; sed insuper, quod virtute sua naturali, absque necessitate additionis nouarum virium, ac tandem perfectè, vt in obiectum connaturale possit in illud ferri. Hoc autem obiectum dicitur adæquatum intensiuè, quia potentia suis viribus relicta habet sufficientem, vt ita dicam, intensionem, seu efficacitatem ad illud secundum omnia ea, quæ continet attingendum: sicut etiam ob eamdem rationem nuncupatur proportionatum, quia prædictis viribus, & efficacitati potentiæ ita proportionatur, vt illa non excedat, & tandem appellatur motiuum, ex eo quod potest per se primò intentionaliter immutare potentiam, & illi connaturaliter vniri. Quia, inquam, datur hoc duplex obiectum adequatum alicuius potentiæ cognoscitiuæ; dicendum est primò obiectum adæquatum extensiuè nostri intellectus esse ens, aut verum in tota sua latitudine, si quidem noster intellectus potest vtcunque extendi ad ens, siue verum in tota sua latitudine, non verò vltra illud; at loquendo de obiecto adæquato intensiuè, cum intellectus possibilis possit sumi tripliciter, scilicet, vel pro hoc statu, vel pro statu separationis, vel tandem secundum se, pro vt præscindit ab vtroque statu; dicendum est secundò intellectum pro hoc statu habere pro obiecto proportionato, seu adæquato intensiuè, solā quidditatem materialem, seu ens quidditate materiali concretum, ac proindè, solam eam, vt abstractam à conditionibus materialibus indiuiduantibus; pro statu verò separationis habet pro obiecto proportionato, & per se primo quidditates rerum spiritualium conuenientium cum eo in eodē gradu immaterialitatis, quales sunt v. g. anima rationalis, nec non & cæteræ aliæ animæ rationales, non verò substantiæ angelicæ: Tandem si loquamur de intellectu pro vt abstrahit ab vtroque statu prædicto, dicendum est tertio quod etiam præscindit ab obiecto proportionato: quia potentia non habet obiectum proportionatū nisi, vt est sub suo modo essendi; quandoquidem nonnisi, vt est sub suo modo essendi, potest proximè, & efficaciter operari circa illud, & nonnisi quatenus habet prædictā efficacitatem proximam, correspondet ei obiectum proportionatum.

Insuper cum obiectum intellectus, nonnisi medijs speciebus intelligibilibus reddatur intelligibile, & influat in intellectionē, ideò postquam statuimus, quodnam sit obiectum intellectus, iam breuiter agendum de speciebus intelligibilibus. Igitur sicut materia prima ex eo quod est pura potentia in genere entis, seu in ordine naturali, non potest concurrere ad operationē modo illi sibi proprio, scilicet constituendo suppositum operans, nisi actuetur per formam sibi proportionatam, ita, cum intellectus pro hoc statu habeat rationem puræ potentiæ in ordine intelligibili, sitque de se indifferens ad intelligendū hoc obiectum potius quam istud, non potest intelligibiliter operari suas cognitiones eliciendo, nisi prius actuetur per formas in eodem ordine proportionatas, scilicet per species intelligibiles; tanquam per imagines in quibus obiectorum cognoscendorum natura splendet, & repræsentatur formaliter. Etsi enim aliqui Philosophi existimēt species impressas tàm sensibiles, quàm intelligibiles non repræsentare formaliter sed solum virtualiter obiecta etiam primaria, probabilior tamen est opposita sententia de repræsentatione

ratione formali; eo enim ipso quod species impressæ per se primo sunt institutæ ad repræsentandum suum obiectum primarium, non possunt non esse formales illius similitudines. Imò secundùm opinionem adhuc probabiliorem tanta hæc est similitudo, vt species intentionales sint eiusdem rationis ex parte formæ & naturæ cum suis obiectis; non quidē absolutè, & simpliciter, seu, quod in idem redit, sub modo essendi naturali, sed quodammodo, id est in esse intentionali; vndè illamet numero natura albedinis v.g. quæ est in pariete sub modo essendi naturali, est in specie visibili intentionaliter, siue repræsentatiuè, & illamet essentia hominis, quæ est in homine sub modo essendi entitatiuo, siue naturali, reperitur etiam in specie intelligibili illius sub modo essendi repræsentatiuo; cum enim similitudo fundetur in vnitate, & identitate naturæ, si quidem ideò vnum est simile alteri, quia habet id ipsum quod in alio est; & species dicant relationem similitudinis ad sua obiecta quorum sunt formaliter repræsentatiua, debent necessario habere vnitatem naturæ cum illis sub diuerso modo essendi. Vtrum iam potentia cognoscitiua, adeo intimè vniatur cum specie intentionali formaliter sumpta, vt in esse cognoscibili fiat per identitatem ipsamet species, & obiectum per illam repræsentatū, seu vt melius loquamur, natura obiecti è negatiuam partem sequuntur aliqui; melius tamen cum alijs pars affirmatiua tenenda est, non solum iuxta commune pronuntiatum Philosophorum ex Auerroe desumptum quo asseritur ex potētia cognoscitiua, & specie fieri magis vnum, quam ex subiecto & accidenti, aut ex materia & forma substantiali; sed etiā ex eo maximè quod intellectus denominatur in esse intelligibili ab obiecto, dum intelligēdo lapidem, vel leonem, dicitur esse lapis, vel Leo; quod non potest fieri absque aliqua identificatione, qua obiectum mediante specie transformet in seipsum intellectum. Similiter probabilius est eādem speciem impressam non solùm desiderari ad hoc, vt disponat, siue determinet, aut excitet potentiam in ordine ad cognitionem, sed etiam vt actiuè cōcurrat ad illam: quoniam id, quod se habet per modum formæ in aliquo ordine, influit actiuè in operationem eius, quod ab illo informatur; vndè cum species, v.g. intelligibilis, habeat se vt forma, & actus in ordine intelligibili respectu intellectus; debet influere actiuè in operationem eius.

Licet si ratio memoriæ sumatur pro potentia terminata ad obiectum, vt præteritum, non solum in esse cogniti; sed etiam in esse rei, tunc in parte intellectiua non sit admittenda memoria, sed solum in sensitiua: ac proinde memoria propriè, & in rigore solum sit in parte sensitiua; attamen si memoria extenso quodam vocabulo sumatur pro potentia spirituali habente: tùm virtutem conseruatiuam specierum intelligibilium, tùm etiam vim ad attingendum obiectum intelligibile, vt antea cognitum; reuera in parte intellectiua danda est memoria; non distinguitur tamē ab intellectu possibili, sed est eadem prorsus potentia cum illo; eadem enim potentia, quæ sufficit ad intelligendum ens in tota sua latitudine, sufficit etiam ad intelligendum idem ens in esse intellecti, siquidem ens in esse intellecti continetur sub ratione entis vt sic: vnde cùm intellectus possibilis versetur circa ens in communi, potest etiam absque vlla alia virtute superaddita versari circa illud in esse intellecti, quod, vt statim dicebatur, est proprium officium memoriæ intellectiuæ.

Semel explicata natura intellectus possibilis, & alijs ad ipsum spectantibus, nunc de intellectu agente breuiter disserendum est, circa quem magna fuit authorum tàm veterum, quàm recentium, tàm Græcorum, quam Latinorum, & Arabum discrepantia; quidam enim arbitrati sunt dari intellectum agentem, non tamen animæ nostræ insitum, sed separatum; alij eum vt minimè necessarium,

rium, ac superuacaneum omninò sustulerunt. Verum quod in anima humana necessario dandus sit intellectus agens, communis est, veraque assertio peripateticæ Sholæ; quia cum intellectus possibilis, siue patiens à principio sit veluti tabula rasa, nec vllam habeat rerũ congenitam imaginem, cuius interuentu intelligendi actiones eliciat, nec vero eiusmodi imagines solius phantasmatis ministerio gigni queant, quia sunt alterius ordinis, nempè immaterialis, ad quem natura corporea vi sua pertingere non valet; necessario danda est aliqua spiritalis potentia, cui id munus tanquàm principali animæ instrumento, incumbat; ea verò potentia est intellectus agens. Quod verò hic intellectus non sit extra animam, sed ei insitus, vt naturalis eius potentia; & quod non sit vnus tantùm omniũ phantasmatibus assistens eaque illustrãs, sed quod in singulis hominibus singuli dentur demonstrat præter alios D.Thomas 1. p. quæst. 79. art. 4. & 5. ex eo potissimum quod nihil vitaliter operetur nisi per formam sibi inhærentem.

Iam vtrum intellectus agens reipsa, an formaliter tantùm à patiente differat. Vtraque pars assertores habet, prior tamen D.Thomæ 1. parte quæst. 54. & 79. artic. 10. præferenda est: quoniam potentiæ habẽtes diuersos realiter actus, & diuersa obiecta formalia non possunt nõ distingui realiter: sed intellectus agens & possibilis sunt huiusmodi. Nam actus intellectus agentis, est productio speciei intelligibilis per abstractionem à phantasmatibus, actus verò intellectus possibilis est pati ab speciebus intelligibilibus, & medijs illis intelligere: constat autem hos duos actus intellectus agentis, & possibilis realiter inter se distingui. Et deindè obiectum intellectus agentis est obiectum intelligibile, quatenus ex intelligibili in potentia faciendum est intelligibile actu, obiectum verò intellectus possibilis est idem intelligibile, vt mediante specie est iam intelligibile in actu, quæ duæ rationes non possunt non diuersificare formaliter obiecta prædictorum intellectuum. Vnde vt optimè notauit D. Thomas loco cit. dum Philosophi ponunt quatuor intellectus scilicet intellectum agentem, possibilem, & in habitu, & adeptum. Horum quatuor intellectus agens & possibilis sunt diuersæ tantùm potentiæ, sicut in omnibus est alia potentia actiua, & alia passiua. Alia verò tria distinguntur secundum tres status intellectus possibilis, qui quãdoque est in potentia tantùm, & sic dicitur possibilis: quandoque autem in actu primo, qui est scientia, & sic dicitur intellectus in habitu: quandoque autem in actu secundo, qui est considerare, & sic dicitur intellectus in actu, siue intellectus adeptus.

Cum certum sit apud omnes Philosophos intellectum agentem concurrere ad productionem speciei intelligibilis; & similiter phantasma desiderari etiã in ordine ad talem productionem; quoniam alioqui non esset cur intellectus agens ab initio suæ productionis non produceret in intellectu possibili omnes species intelligibiles, quas decursu temporis in eo efficit: si quidem si non desideratur phantasma ad talẽ productionem, solum erunt necessarij in ordine ad illam intellectus agens, & possibilis, & ille operatur per modum causæ naturalis, iste verò esset sufficienter dispositus ad recipiendam quamlibet speciem intelligibilem, cuius est naturaliter capax. Cum hæc, inquam, sint certa, dubitatur de modo quo vtrumque concurrit: aliqui enim asserunt phantasma non concurrere vllo modo efficienter in ordine ad productionem speciei intelligibilis, sed solum in genere causæ materialis à qua educitur species; melius tamen alij cum D. Thoma docent species intelligibiles, quæ immediatè fiunt per abstractionem à phantasmatibus actiuè causari ab intellectu agente, & à phantasmatibus: ab illo quidem vt à ratione agendi principali: ab istis verò vt ab instrumento, siue virtute instrumentali: & ideò vt bene notat D. Thomas de veritate

tate quæſt. 10. attic. 6. ad 7. actionis effectus relinquitur in intellectu poſsibili ſecundum conditionem vtriuſque, & nõ ſecundum conditionem alterius tantũ; nam intellectus poſſibilis recipit formas vt intelligibiles actu, ex virtute intellectus agentis; vt ſimilitudines verò determinatarum rerum ex cognitione phantaſmatum.

Quia intellectio ita eſt proprius actus intellectus poſſibilis, vt etiam ab intellectu agente tanquam ab effectrici ſpecierum cauſa dependeat; ideo poſtquam breuiter egimus de vtroque intellectu ſecundum ea, quæ pertinent ad ipſos in actu primo conſideratos, nec non, & de actu correſpondente intellectui agenti; reſtat vt de intellectione, quæ correſpondet intellectui poſſibili diſſeramus. Dicendumque eſt primò, quod licet iuxta probabiliorem ſententiam intellectio non ſit actio de prædicamento actionis, ſiue cum motu, nihilominus tamen eſt vera, & propria actio quæ eſt idem quod operatio: ac proinde eſt vera operatio, & actio ad genus qualitatis ſpectans, & in prima illius ſpecie, ſcilicet diſpoſitione collocatur. Vnde diuiſum illius diuiſionis, qua diuiditur actio in tranſeuntem, & immanentem, non eſt diuiſio actionis de prędicamento actionis, ſed ratio quædam analoga, & ſuperior reſpectu prædictæ actionis. Non ſolùm intellectio non conſiſtit in verbo mentali, ſeu ſpecie expreſſa, vt volunt aliqui, ſed etiam realiter ab illo diſtinguitur per modum rei, & rei, ita vt nullo modo inter ſe identificentur; videturque colligi ex diſcrimine, quod intercedit inter intellectionem, & actiones tranſeuntes; nam intellectio poteſt dari ſine verbo, vt ſtatim dicemus, & ita quæuis intellectio, quantum eſt ex parte perfectionis ſiue entitatis, & conſiſtentiæ illius, poteſt ſeparari ab illo, & per conſequens eſſe qualitatem valdè perfectã; licet ex alijs capitibus ferè ſemper contingat, vt nequeat ſeparari ab illo, ex eo quod obiectum, vel non exiſtit intra intellectum: vel ſi exiſtit, non habet ſufficientem actualitatem, & immaterialitatem ad hoc vt poſsit vniri cum illo in ratione obiecti actu terminantis intellectionem. Cęterum actio de prædicamento actionis, & tranſiens, ex vi imperfectionis ſuæ entitatis, & debilis conſiſtentię illius, habet quod nequeat dari ſine termino: & ita implicat eſſe ſine illo. Vnde etiam intelligere non eſt modus aut formalitas termini, ſeu verbi, nec è contra verbum poteſt eſſe modus, aut formalitas intellectionis, quia etiam eſt qualitas valde perfecta, ac proinde debent per modum rei, & rei inter ſe non identificatarum diſtingui; ſicut actio de prædicamento actionis, & cum motu identificata poteſt propter oppoſitam rationem eſſe modus, aut formalitas termini producti.

Et ſi aliqui aſſerant dictionem & intellectionem eſſe duas operationes formaliter & ex ęquo inter ſe diſtinctas, ad inuicem ſe excludẽtes, ita vt apud ipſos dicere, ſeu verbum producere non ſit intelligere, quamuis ſit actus intellectus ipſi enim præter intellectionem putant dari aliam actionem diuerſam, quæ vocetur dictio. Nihilominus tamen verior, doctrinæque Diui Thomæ conformior opinio eſt, dictionem non eſſe aliam operationem formaliter & ex æquo diſtinctam ab intellectione, ſed eſſe ipſam intellectionem vt fęcundam, ſiue cum quodam modo vel formalitate modali productionis; ita vt dictio & intellectio ſe habeant ſicut ratio quędam ſuperior, & inferior, vel melius tanquam includens & incluſum, quia omnis dictio eſſentialiter eſt intellectio, licet non omnis intellectio abſolutè ſit dictio, vt ſatis patet tam in intellectione eſſentiali Dei communi tribus perſonis SS. Trinitatis, quam in viſione beatifica, & ipſa intellectio conſequenter includitur eſſentialiter in dictione, & dictio addit ſupra illam modum cauſalitatis ſpeciei, ſeu verbi, vel ex fæcunditate pura, vt cõtingit in diuinis, vel ex indigentia, vt contingit in creatis, vbi obiecta non

habet

habent sufficientem immaterialitatem, aut præsentiam cum intellectu; sic rectè docet D.Thomas quæst. 4. de veritate artic. 2. quod dicere non solùm significat intelligere, sed intelligere cum hoc quod est de se exprimere aliquam conceptionem, vbi intelligere vt idem docet D.Thomas 1. p. quæst. 34. artic. 1. ad 3. ex suo conceptu essentiali non dicit rationem originis, sed solùm est informatio quędam in nostro intellectu. Nec inde sequitur dictionem veluti inadæquatè consideratam esse nobiliorem intellectione; nam licet hoc posit esse verum, quando aliquid est includens per modum differentiæ, & aliud inclusum per modum generis, aut potentiæ, secus quando est quid dumtaxat coniunctum cum aliquo modo. Et si non sit necessarium, vt in omni intellectione creata formetur verbum supposito ex dictis, quod verbum sit qualitas non solum formaliter, sed etiam realiter ab intellectione distincta, quoniam visio beatorū, per quam videtur Deus pro vt est in se, est vera, & propria intellectio: imo inter intellectiones creatas est omnium perfectissima: & tamen in ea non producitur verbum; nihilominus tamen per omnes alias intellectiones creatas, præterquam per visionem beatificam producitur verbum, non ex eo quod intellectio ipsa ex defectu, & debilitate suæ entitatis petat necessario terminū productum, cum quo identificetur; vel à quo fulciatur, & confortetur, vt in rerū natura sit, & consistat, vt in actionibus de prædicamento actionis contingere diximus, sed ex eo quod obiectum, vel non est secundum se intra intellectum, vel non est intra illum cum sufficienti immaterialitate, & actualitate ad hoc, vt per modum obiecti ad intra sit obiectum terminans intellectionem; vt in Deo clarè viso à beatis contingit.

Superest iam ad plenam cognitionē naturæ humani intellectus pro præsenti statu, breuiter agere tam de modo, quā de ordine intelligendi illius. Circa primum, licet non defuerint plures innuētes intellectionem huius status nō pendere ex natura rei ab operatione phantasiæ, melius tamen oppositum docent alij cum Aristotele, sumendo phantasiā, non pro vt præcisè nominat sensum illum internum, de quo supra, quique realiter distinguitur, tum à sensu communi, tum etiam ab æstimatiua, & memoria; sed pro vt nominat sensum internum generalius sumptum, illum nimirum, qui potest ferri in res absentes, ac proindè pro vt comprehendit omnes sensus internos cognoscitiuos præter sensum communem. Si enim intellectus secundum præsentis vitæ statum, quo passibili corpori coniungitur, aliquid intelligeret in actu, independenter ab operatione phantasiæ sic sumptæ, siue quod idē est, sine conuersione ad phantasmata, primò non esset ratio propter quam læsa phantasia, vt in amentibus, aut impedita, vt in dormientibus contingit, impediretur vsus, aut rectus vsus rationis: quandoquidē essent tunc omnia, quæ ad intelligendum, & ad rectè intelligendum desiderantur. Secundò nō esset cur quoties intelligimus aliquod obiectum, toties formaremus interius quoddam corporeum idolum, vt satis experimur; hoc enim apertè indicat intellectum nostrum à phantasiæ operatione dependentiam habere, maximè quia non solum cum corporea, sed etiam cum spiritualia intelligimus, solemus tale idolum efformare. Vt enim passim docet Diuus Thomas etiam incorporea quorum non sunt phantasmata, cognoscuntur à nobis per comparationem ad corpora sensibilia, quorum sunt phantasmata: sicut veritatem intelligimus ex consideratione rei, circa quam veritatem speculamur; & ideo cum de substantijs etiā incorporeis aliquid intelligimus, necesse habemus conuerti ad phantasmata corporū, licet ipsarum nō sint phantasmata. Hæc tamen dependentia quam habet anima & intellectus in operando, seu intelligendo ab operatione phantasię, ita vt nequeat dari naturaliter intellectio, quin simul

simul adsit operatio phantasiæ non tollit quin tam ipsa, quam intellectus sit secundum suam substantiam spiritualis, & secundum suum esse independens à corpore, sed solum arguit minimam dependentiam ab illo, quæ quidem cohærere potest cum hoc quod anima, licet sit quid spirituale, habeat tamen esse formam corporis, pendereque ab illo dumtaxat quoad vnionem, & informationem, qua mediante est in materia: quandoquidem omnis, & sola forma, quæ per organum corporeum tantummodo operatur, est materialis, & dependens in suo esse à corpore.

Circa ordinem intelligendi, cum talis ordo sit multiplex, agitur in præsenti tantum de illo, qui sit menti humanæ naturalis & necessarius, qualem potissimè in simplicium rudi, & confusa apprehensione existere manifestum est, apprehendere enim in phantasmate rem hanc prius, illam verò posterius, si primam rudium habituum acquisitionem spectemus, non est arbitrij, sed naturæ; quia autem in phantasmate, quod offertur menti nostræ, res singularis repræsentatur, in qua inest etiam natura communis, & ipsum vniuersale, considerandum primo loco est, vtrum prius à mente nostra cognoscatur singulare, an vniuersale; deinde verò inter vniuersalia an prius apprehendantur vniuersaliora, quam minus vniuersalia, an è contrario hæc prius quam illa. Aliqui igitur putant intellectum, cum primo cognoscit aliquod singulare, prius illud cognoscere, quàm vniuersale, siue quod idem est, species intelligibiles, quæ fiūt nulla præcedente intellectione obiecti per illas repræsentati, atque adeo per abstractionem, & virtutem intellectus agentis, prius repræsentare formaliter, & directè singularia materialia, quam vniuersalia; melius tamen cum Diuo Thoma tenendum est prius intelligi vniuersale, deinde singulare, loquendo de prima, quam intellectus de illo habet cognitione; de qua solum est difficultas; Igitur intellectus oblato phantasmate, primum intelligit vniuersale quod proprium ipsius obiectum est, deinde reflectitur ad phantasma considerandum, & animaduertendo illud esse productum à re singulari, ita secundario cognoscit etiam singulare.

Similiter cum sint diuersa Philosophorum placita, circa ordinem intelligendi vniuersalia, de quibus vide Iacobum Zabarellam libro de ordine intelligendi, præferenda est sententia D. Thomę asserentis magis vniuersalia ordine executionis & generationis, prius cognosci cognitione confusa & imperfecta quam minus vniuersalia; V. g. supponendo quod primum obiectum, quod se offert infanti, quando debet exercere primam suam intellectionem sit Petrus, in quo reperitur, quod sit hoc indiuiduum, quod sit homo, quod sit animal, quod sit corpus, quod sit substantia, quod sit ens, dicimus cum D. Thoma illud quod primo in illa intellectione apprehensiua infans intelligit, non esse hoc indiuiduum, siue quod idem est, hunc hominem, id est Petrum, neque conceptum hominis, aut animalis, sed esse conceptum entis: omnis enim potentia, omnisque habitus prius fertur in obiectum suum formale adæquatum, quam in cætera quę sub illo sunt contenta; quia obiectum formale adequatum est obiectum specificatiuum formaliter, & consequēter debet esse id quod primò attingitur à potentia, vel habitu, cum sit id ratione cuius cętera attingūtur; sed vt notauimus supra obiectum formale adæquatum intellectus nostri est ens: ergò illud quod primo se obijcit cognoscendum intellectui est conceptus entis, & non conceptus speciei athomæ, siue quod idem est conceptus magis vniuersalis, & non minus vniuersalis. Deinde illud quod est notius quo ad nos, prius cognoscitur, conceptus autem magis vniuersales, vt potè communiores, sunt notiores quoad nos; ergò à nobis prius cognoscuntur. Intellectus igitur noster pro pręsenti statu intelligendo imitatur naturam; vnde vt natu-

ta prius producit ea quę sunt imperfectiora, & per ea ad perfectiora aditum sibi parat; prius enim effingit embrionē, quam animal,& animal quam hominē, & hominem quam Socratem: ita intellectus intelligēdo prius procedit ad cognitionem imperfectam, qualis est vniuersalium cognitio,quam in cognitionē perfectam minus vniuersalium: sed de his vide prefatum authorem Iacobum Zabarellam loco citato, vbi ad hominē vrget contra Scotum maiorem esse speciei abstractionem, quam generis, ac proindè difficilioris intellectionis: cùm enim abstrahere sit aliqua accipere dimissis alijs, certum est difficultatem abstractionis consistere in accipiendo plura, relinquendo pauca,nō in accipiendo pauca relinquendo plura: proinde in abstractione speciei vltimæ, verum est id, quod Scotus dicit, pauca relinqui: sed hoc non facit abstractionem faciliorem, vt ipse sumit, sed potius difficiliorem: nam si pauca relinquuntur, pluta sumuntur; quoniam igitur in infima specie sunt coniunctæ plurimæ differētiæ, & conditiones, in supremo autem genere paucæ, ideo difficillima est abstractio infimæ speciei, summi verò generis facillima:in eo igitur deceptus est Scotus, quod putauerit intellectum abstrahentem hoc ab alijs, debere cognoscere illa alia, à quibus abstrahit: sic enim videtur abstractionis difficultas consistere in multitudine eorum, quæ relinquuntur: sed id minimè verum est, & aduersatur propriæ naturæ abstractionis præsertim potentialis, & significationi huius nominis abstrahere; nihil enim aliud est abstrahere, de quo agitur in præsenti,nisi apprehendere vnum nō apprehensis alijs: vt abstrahere animal ab homine, nil aliud est, quam solam animalis naturam in homine contemplari, propria hominis natura non considerata; est igitur necessaria abstractionis conditio, vt in ipso abstrahendi actu reliqua non cognoscantur,& id solum, quod apprehenditur intelligatur, quia si in illo actu alia quoque cognoscantur nulla sit abstractio; sed de potentia intellectiua satis, nunc ad volitiuam transeamus.

Secunda animæ rationalis potentia est voluntas,siue appetitus intellectiuus realiter ab animali, seu sensitiuo distinctus. Potentia enim appetitiua est potentia passiua, quæ nata est moueri ab apprehenso: passiua autem & mobilia distinguntur secundum distinctionem actiuorum & motiuorum, quia oportet motiuum esse proportionatum mobili, & actiuum passiuo, & ipsa potentia passiua propriam rationem habet ex ordine ad suum actiuum. Quia igitur est alterius generis apprehensum per intellectum, & apprehensum per sensum; consequens est,quod appetitus intellectiuus sit alia potentia à sensitiuo. Qui appetitus est etiam potentia purè spiritualis, nam appetitus debet esse eiusdem rationis, vel ordinis cum potentia cognoscitiua, per quam immediatè dirigitur: vnde sicut intellectus,per quem immediatè dirigitur, est purè spiritualis; ita etiā voluntas. Similiter cum intellectus, & voluntas debeant sibi mutuo in obiectis adæquatis correspondere, sicut intellectus adæquatè sumptus habet pro obiecto adęquato ens, vt verum generalissimè sumptum; ita obiectum adęquatum voluntatis debet esse idem ens, vt bonū generalissimè etiam acceptum, adeo vt semper ad illud, & nunquam ad malum vt malum,vel quid indifferens ad bonū, & malum ferri possit. Et si autem apprehensio habeat ita indispensabiliter, saltem per modum cognitionis requiri ad hoc, vt bonum moueat voluntatem, vt implicet contradictionem dari volitionem boni,absque præuia cognitione, eiusmodi tamen cognitio seu apprehensio boni non spectat ad rationem motiuam, seu obiectiuam voluntatis, sed solum requiritur vt conditio, siue quod idem est,bonum terminat formaliter voluntatem secundum suum esse reale, nō verò secundum suum esse apprehensum.

Sola voluntas est libera formaliter, siue

siue quod idem est, radix libertatis sicut subiectum, sed sicut causa est ratio: ex hoc enim voluntas liberè potest ad diuersa ferri; quia ratio potest habere diuersas conceptiones boni, & non est determinata ad vnum: & ideo Philosophi definiunt liberum arbitrium; quod est liberum de ratione iudicium, quasi ratio sit causa libertatis. Datur autem duplex libertas; alia quoad exercitium, siue contradictionis, quæ in hoc consistit: vt nimirum voluntas possit habere actum, & cessare ab illo: alia quoad specificationem, siue contrarietatis, quæ sita est in hoc, quod possit habere hunc actum, vel cõtrarium illius, vt amorem & odiũ: vel in hoc, quod possit amare hoc, vel eius oppositum. Non est tamen necessarium quod voluntas in omnibus suis actibus habeat libertatem, sed in aliquibus etiam potest habere rationem naturæ, siue ferri necessariò ad aliqua obiecta; V.g. circa beatitudinem, seu bonum in communi necessitatur quoad specificationem, licet non quo ad exercitium: ita enim potest suspendere actum suum circa bonum, seu beatitudinem in communi; vt tamen si velit illum exercere, non possit non elicere speciem certam actus, nimirum amorem, & non odium: quod quidem est esse necessitatum quo ad specificationem respectu illius. Sicut dantur duo appetitus sensitiui realiter inter se distincti, ita etiam distinguere possumus duplicem veluti voluntatem virtualiter illis correspondentem, scilicet irascibilem, & concupiscibilem, in quarum prima suæ sunt etiam quinque passiones, scilicet spes, & desperatio circa bonum possibile, vel impossibile, timor & audacia circa malum vincendũ, vel non vincendum, ira circa malum præsens, & imminens. Sex autem sunt in concupiscibili, scilicet, amor & odiũ quæ respiciunt bonum, & malum absolutè, desiderium & fuga, quæ respiciunt bonum, & malum absens; delectatio, & tristitia, quæ respiciunt bonum, & malum præsens. Verùm quia tam horum, quam cæterorum plurium, quæ ad voluntatem spectant, qualia sunt multiplicitas actuum in esse morali sumptorum, & habituum, tam virtutum, quam vitiorum, qui in illa recipiuntur, & aliorum similium consideratio pertinet ad philosophiam moralẽ; superest tantùm vt breuiter videamus an facta collatione inter intellectum & voluntatem, voluntas supereminear intellectui, vel è contra. Scotus enim affirmatiuam partem tuetur; melius tamen cum Diuo Thoma dicendum est intellectum secundum suum esse physicum esse perfectiorem, quam voluntatem eodem modo consideratam. Obiectum enim intellectus, inquit D. Thomas 1. p. q. 81. est simplicius, & magis absolutum, quam obiectũ voluntatis, nam obiectum intellectus est ipsa ratio boni appetibilis, bonum autẽ appetibile, cuius ratio est in intellectu, est obiectum voluntatis: quantò autem aliquid est simplicius & abstractius, tanto secundum se est nobilius, & altius, & ideo obiectum intellectus est altius, quã obiectum voluntatis: cum ergo propria ratio potentię secundum suum esse physicum consideratæ sit secundum ordinẽ ad obiectum, sequitur quod secundum se, & simpliciter intellectus sit altior, & nobilior voluntate. Insuper voluntas ita mouet intellectum quo ad exercitium, vt tamen intellectus præstantiori modo scilicet quo ad specificationem moueat voluntatem: deinde voluntas solùm mouet applicando: intellectus autem præcipiendo; & tandẽ plures sunt actus intellectus, qui non sunt ex motione voluntatis, nimirum necessarij, inter quos potissimus est clara Dei visio: sed nullus est actus voluntatis qui non sit ex motione intellectus quoad specificationẽ, & adhuc quando voluntas mouet intellectum quo ad exercitium, dirigitur ab intellectu respectu talis motionis.

Licet consideratio eorum, quę ad animã præcisè, vt extra corpus est, spectant, Metaphysici potius, quàm Physiologi sit; quia tamen scientia de anima sine hoc quasi supplemento absolutionem suam adipisci non potest; aliqua

bre-

breuiter hic de illa attingemus. Primum igitur, homine intereunte, animam rationalem non extingui, sed esse immortalem, non solùm fides docet, sed antiqui etiam Philosophi demonstratione, euidentique ratione assecuti sunt: vt videre est apud authores. Iam ergo loquendo de eiusmodi statu, quem separationis dicimus, tria solent inquiri, primò in quonam is status consistat. Secundò, an animæ rationali naturalis sit. Tertiò an in eo existens anima, propendeat nihilominus ad statum informationis. Circa primum communis est Philosophorum sensus, animæ rationalis statum extra corpus, separationemve, si formaliter spectetur, priuationem esse actus secundi eiusdem animæ, id est, informationis seu vnionis erga corpus, & quod hinc sequitur ipsius relationis ac præsentiæ, tum ad idem corpus, tum ad cætera, quibus ratione corporis fiebat præsens: omnis denique concursus, quē per proprias facultates solebat exhibere; quo fit, vt quærenti an per separationem anima rationalis mutetur, respondendum sit, mutationem quidem subire, sed tamen priuatiuam. Quo ad secundum docet D.Thomas non semel, præsertim 1.p. q. 89. artic.1. separationem animæ à corpore, tum in fieri, tum in facto esse, non esse ei naturalem, aut consentaneam; Vnde consequenter ad tertium dicendum est inesse animæ separatæ naturalem quemdam appetitum administrandi corporis; quod intelligēdum est de appetitu vel inclinatione naturali ex parte termini, qualiter & ipsa vnio etiam est naturalis; pro cuius intelligentia nota ex eodem D. Thoma in 4. sentent. distinct.43. artic.1. naturale, & supernaturale dupliciter dici. Primò absolutè, & simpliciter, quando aliquid scilicet, est naturale tam ex parte termini producti, quàm ex parte principij, & modi, quo producitur, vt equus ab alio equo generatus: supernaturale autem; vt charitas, quæ in se supernaturalis est, & nonnisi per principium supernaturale produci potest. Secundo modo dicitur aliquid naturale secundum quid nempè ex parte termini producti: supernaturale autem ex parte principij, vt illuminatio cæci, quæ quidem terminatur ad visum, qui naturalis est secundum suum esse; principium autem producens illum est supernaturale. Quando ergo D.Thomas ait animam separatam habere naturalem inclinationem & aptitudinem ad vnionem cum corpore, est intelligendus de inclinatione naturali ex parte termini, qualiter & ipsa vnio, vt statim diximus etiam est naturalis, licet sit supernaturalis propter principiū supernaturale, à quo tantum fieri potest: vnde etiam potentia ad illam est obedientialis non autem propriè, & in rigore naturalis.

His breuiter adnotatis, quæ ad animam separatam quo ad esse spectant, consequens est, vt eadem breuitate ea attingamus, quæ ad illius referuntur operationem, primum immanentem, qualis est cognitio: deinde transeuntem, aut quasi transeuntem; cuiusmodi est sui ipsius, aut aliorum etiam motio per loca. Primum igitur dicendum est intellectum & voluntatem animam separatā quidem comitari, reliquas autem potentias sensitiuas perire, non solùm quoad actum, vt fatentur omnes sed etiā quoad ipsarum entitatem; eo enim ipso quod huiusmodi potētię corporeę sunt, non possunt animam extra corpus comitari. Similiter in anima separata inueniuntur tum species, tum habitus partis intellectiuæ, & quidquid in eadem anima ante separationem inerat, nisi verò (quod ad habitus attinet) aut per cōtrarium actum pellantur, vt fieri potuit ante eamdem separationem, aut etiam ratione status gloriæ, vel damnationis quippiam istorum à Deo detrahatur. Inueniuntur, inquam, quo ad entitatem, et si quo ad vsum aliqui vacent, quia deest fortasse materia, vti temperantiæ, liberalitati, fortitudini, alijsque eiusmodi habitibus acquisitis, seu à Deo infusis. Præter species hinc exportatas: item præter illam scientiam, quam infusam

per

per se vocant, qua pleræque animæ separatæ à Deo exornantur, naturalibus insuper ac nouis speciebus cõsignantur, quas tamen ab obiectis non abstrahunt, sed probabilius est quod à Deo easdem recipiant. Tandem animam separatam actum cognitionis re vera exercere, supposita semel eius immortalitate, negari non potest. Quis enim tàm impiè desipiat, vt torpentes credat sepulcorum animas, totque sæculis otiari, dum reuiuiscant ipsi? In quam sententiam Diuus Hieronymus ad Pammachium, incorporalem, inquit, & æternam animam, in modum glirium immobilem, torpentemque sentire non possumus. Quia tradita doctrina de cognitione ad appetitum accommodari potest per analogiam, superest vt aliquid de motu animæ separatæ dicamus, non tantùm per quem corpus mouet, sed etiam per quẽ seipsam mouet post separationem corporis; circa primum docet D. Thomas 1.p. quæst.217. artic.4. animam separatam, sua naturali virtute, non posse mouere aliquod corpus. Anima enim coniuncta non potest mouere nisi corpus à se viuificatum, vnde videmus, quod si aliquod membrum corporis viuificati mortificatur, tale membrum non obedit amplius animæ ad localem motum. Sed anima separata vt supponitur nullum corpus viuificat. Igitur anima separata, virtute suæ naturæ, non potest mouere aliquod corpus, nisi aliquid ei virtute diuina conferatur supra suam naturam. Circa secundum iuxta eamdem D. Thomæ doctrinam dicendum est, animam nostram, relictam præcisè suæ naturæ, & separatam à corpore non posse seipsam mouere: quia solum habet vim ad mouendum corpus ab ipsa viuificatum, & ideo solum est in loco per passionem, qua alligatur alicui loco.

Vnde ad illud quod solet obijci de motu animæ descẽdentis ad inferos, aut ascendentis ad cælum dicendum neque ascendere, neque descendere per motũ; sed animæ iustorum nihil habentes purgandum, in eo instanti, in quo iusti decedunt, habent per mutationem quamdam instantaneam, & discretam transire non quidem à loco in locum, aut per medium, sed à non esse in cælo, ad esse in illo: quia operantur virtute qualitatum gloriæ in cælo in illo eodem instanti absque operatione in medio. Animæ verò eorum qui habent aliquid purgandum, vel damnantur, habent per mutationem instantaneam, & discretam transire, non à loco in locum, aut per medium, sed à non esse in inferis, ad esse ibidem; & hoc per actionẽ Dei vt causæ principalis, & fortè ignis inferorum vt instrumenti, qui per actionem quamdam, vt sic dicam, discretam, virtute tamen diuinæ eleuationis, actiuè facit, vt in eo instanti prædictæ animæ transeant à non esse alligatas ibidem, ad esse alligatas, & concludi à prædicto loco: vt rectè docet Collegium nostrum Salmãticense tract. de Angelis disput.2. n. 89.

Superest iam paucis attingere, quantùm referat ad sacræ doctrinæ studium, naturę viuẽtis, seu corporis animati cõsideratio: Incipiendo enim I. à viuente vegetatiuo facilè intelligitur cur Apostolus 1. Corinth. cap.15. productionem plantæ viuificationem appellauerit; *tu quod seminas, non viuificatur, nisi prius moriatur*: ex Philosophia enim habemus, quod forma vegetatiua per se, & separata à sensitiua habeat veram rationem animæ, principijque vitæ; vnde D. August. lib.1. de ciuitate Dei cap.20. ait: Hoc genus rerum (id est plantarum) quamuis non sentiat, viuit, ac per hoc potest mori & occidi: adiungitque illud Psalmi 77. *& occidit in grandine vineas eorum*. II. circa potentias animæ vegetantis, qualis est primum nutritiua, occurrit illud; Genes. 9. *omne quod mouetur, & viuit erit vobis in cibum &c.* quatenus magis proprium, magisque saltem ordinarium omnium viuentium alimentum debet esse viuens: vnde super illud Genes. 3. vbi Dominus ad serpentem ait; *terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ*; si sumantur eiusmodi verba in sensu litterali, & non in sensu spirituali, vt

illa

illa rectè interpretatur Caietanus, dicendum est non posse intelligi de terra secundum quod est purum elementum; etsi enim nihil prohibeat aliqua elemēta extra naturalem statum posita, & inuicem confusa effici quorumdam viuētium alimentum; siquidem constat herbas, stirpesque terra & aqua inuicem coniunctis enutriri; nullum tamen elementum per se, & in suo naturali statu constitutum potest esse alicuius rei viuentis alimentum. III. cur Ecclesiast. 29. dicatur *principium vitæ hominis panis & aqua*: cùm enim panis & aqua minus nutriant, quam vinum & carnes; potest dici ad vitam hominis sustentandam in viuido illo suo, primæuoque vigore sufficisse panem & aquam; quo postea imminuto, volens omnipotens Deus hominum vitæ ac saluti consulere, liberè concessit loco statim citato Genes. 9. carnium edendarum vsum, non aliter atque olerum; de quo vide Fernādum in Genesim. Vnde non est audiendus Petronius dicens aquam magis nutrire quam vinum, quia, inquit, apparet celerius eos concoquere, qui aquam potant: merè enim per accidens est, quod celerius concoquant qui aquam potāt; nam non fit hoc ex aliqua vi cōcoctoria aquæ, sed quod minor fit concoctio, & nutritio, ita videtur celerior: sic potores aquæ videmus appetere celerius cibum, quam potores vini; nam illi minus nutriuntur, hi magis, atque ita magis robusti, illi minus. Vide Paulum Vecchi obseruatione medica 123. in sacram Scripturam. IV. dum Prouerbior. 25. dicitur, *Aqua frigida animæ sitienti*; habemus quàm rectè; ex definitione sitis, quod sit appetitus frigidi & humidi, cuiusmodi est aqua; lege Latinum de fame & siti. V. ad illud Genes. 3. *Nunc ergo ne fortè mittat manum suam, & sumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & viuat in æternum, emisit eum Dominus de paradiso voluptatis*; valet illa quæstio philosophica, nùm cibi vllius bonitas sufficere possit, quo vllum viuentium, sine interitu semetur in æternum, an semper viuere, viuentium ex alimento naturæ repugnet. Si enim hoc natura rerum non fert, dicendum est benedictionem fuisse in ligno vitæ, vt qui eius fructu vteretur, in æternum viueret, aut illud æternum, longum potius significare, quam nunquam finiendum tempus, sin autem fert, dicendum fuisse naturam, de quo vide Valesium de sacra Philosophia cap. 6. VI. ad plura Scripturę loca 1. Reg. cap. 3. Esth. cap. 4. Tobiæ 3. Dan. 14. vbi fit mentio inediæ plurium dierum, valet similiter quæstio philosophica, vltra quot dies citra miraculum possit homo inediam tolerare, de quo vide Mendosam lib. 4. viridarij problemate 24.

Quod attinet modo ad viuentium generationem. VII. patet ex his quæ physici circa illius naturam docent, quā rectè in sacris eloquijs ad femora referatur: vt & Iacob in Iudæ benedictione dixerit: *non auferetur sceptrum de Iuda, neque dux de femore eius.* & Numer. c. 5. inter adulteræ maledictiones, illud pręcipuè præceptum fuerit Sacerdotem dicere: *Ingrediantur aquæ multæ in ventrem tuum, & vtero putrescente putrescat femur.* Nimirum vasa seminalia, quæ meliorem ac puriorem deferunt sanguinem in testes, vt in ipsis semen fiat, sunt venæ quædam, quæ ortæ ex venis, quæ in lumbis discisæ in crura iam descendunt, antequam in tres ramos, qui per crura decurrunt, distribuantur, recurrūt per femora in testes in viris; & in mulieribus in vterum. VIII. *ad illud Iob 10. & sicut caseum me coagulasti.* Sapient. 7. *coagulatus sum in sanguine, ex semine hominis*; valet doctrina Philosophica de duobus principijs generationis humanæ, semine nimirum virili, & sanguine materno; quilibet enim nostrum à parentum genitalibus emulgetur in semine sicut lac, & in vtero coagulatur sicut caseus. Eiusmodi similitudine coaguli in lacte ad explicandū, quomodo sanguis firmetur, vt impressionem possit accipere ex semine, vtuntur Galenus lib. 2. de semin. ipsa prima embrionis generatio coagu-

coagulatio est, vt casei ex lacte; & Aristotel. cap. 21. de generatione animaliũ; velut in lactis coagulatione corpus quidem ipsum lac est, succus autem coagulum, quod habet principium coagulandi, ita quod à viro in muliere secernitur. IX. dum dicitur Ezech. 16. *Non est præcisus vmbilicus tuus*; sensus germanus illius loci alludit ad doctrinam Philosophicam de nutritione infantis in vtero per vmbilicum; vmbilicus enim ex Hippocr. libro de alimento, & lib. de octim. part. est veluti os fætus, ex quo dum est in vtero, fugit alimentum ex materno sanguine, non ex ore, neque ex toto corpore, quasi spongia; vndè *non est præcisus vmbilicus tuus*, est quasi diceret adhuc materno sanguine veluti nutriris, maternos mores sequendo, mater tua Cæthea, pater tuus Amorrheus, improperat scilicet illi materna, & paterna vitia idololatriæ &c. X. ad illud Genes. 30. *Agni Iacob orti sunt diuersicolores aspectu virgarum*; valet doctrina physica de viribus imaginationis ad formandum fætum: de qua vide Valesium cap. 11. & Paulum Vecchi obseruatione Medica 32. XI. in illo Paralipom. 2. cap. 13. *Roboam filius Salomonis rudis erat*, & Eccles. 47. *Imminutus à prudentia Roboam*; occultatur doctrina philosophica lib. 1. problem. 28. cur parentes optimi, & sapientes filios insipientes & rudes generent? XII. ad illa Genes. 21. *ecce Gemini in vtero eius*; & Rom. 8. *Vnico concubitu concepit*; conducit doctrina de geminorum generatione, XIII. ad illa 2. Machab. 7. *Nouem mensibus te in vtero portaui*, Sap. 7. *Decem mensium tempore &c.* pertinent ea quæ Philosophi docent de fætus formationis tempore, deque varietate humani partus: nimirum vt Aristoteles 7. de historia animal. pluribusque alijs locis docet; cum cætera animalia omnia, singulari ac simplici modo partum suum perficiant, certum enim pariendi tempus statutum est singulis generibus, homini vni datum multiplex, nam & ante septimum mensem, & septimo, & octauo, & nono parere potest, & quod plurimum decimo, nonnullæ etiam & vndecimum tangunt: de quibus vide Valesium cap. 18. & Paulũ Vecchi obseruat. 50. referuntur etiam partus tredecimestres, 14. mensium, & 16. apud Maiolum dierum Canicul. colloquio 3. sed de his satis.

Iam circa animam sentientem I. ad illud Psalmi 16. *custodi me, vt pupillam oculi*, iuuat ex Philosophia scire quot tunicis, & humoribus valletur pupilla; II. ad illa Apocalips. 1. & Psalm. 17. *Vt viderem vocem &c. clamor meus introiuit in aures eius*; valet Aristotelis sententia, visionem fieri sola receptione, nõ emissione; cum enim sensio omnis sit quædam passio, sola receptione fieri debet, sic odoratus odorum, gustus saporum, tactus qualitatum tactilium, & quod loco proposito tangitur, auditus soni sola receptione fiunt, ideo enim dicitur clamor introiuit in aures eius, & vt visionis quoque similem naturam explicaret, dictum est, vt viderem vocem. III. ad innumera penè diuinarum Scripturarum loca rectè intelligenda, in quibus agitur de singulis sensibus externis, eorumque actibus & obiectis tàm in genere, quàm in specie, non possunt non iuuare, quæ de illis docent Philosophi. IV. ad illud Danielis cap. 2. *Somnium tuum & visiones capitis tui. tu rex cogitare cæpisti*: valent pariter quæ tradunt Philosophi de potentiarum sensitiuarum internarum organo, seu loco in capite, & cerebro: & sic de alijs. V. ex doctrina Philosophica quod motus à sensu non separetur; quibus enim omnes sensus, & imaginatio bona, ea & progrediuntur; quibus autem vnus & alter, gustus scilicet & tactus, ea contrahuntur ac dilatantur; patet quam rectè Propheta Baruch c. 6. argumentatus sit, dicens, *quasi possint sentire qui non habent motum*. Et si enim sensus possit esse sine motu perfecto, qualis est progressiuus; secus tamen sine imperfecto, qualis est motus contractionis, & dilatationis. VI. ad illud Leuitici 17. *Anima omnis carnis in sanguine est*: valet doctrina Philosophica de anima-

animatione sanguinis; etsi enim verum sit quod sanguis nutrimentalis non informetur anima illius compositi in quo est, sed alia forma substantiali, ac proinde non sit vera pars animalis; tamen loquẽdo de sanguine naturali probabilius est illum informari saltem imperfectè, id est, secundum esse vegetabile anima totius viuentis in quo est. Sic Matth. 16. ad Galat. 1. ad Ephes. 6. ad Hebræos 2. homo etiam solet appellari caro & sanguis acceptis partibus pro ipso toto, vt expositores, & præcipuè D. Thomas adnotarunt. Vndè sicut caro est actu pars hominis, & propterea anima rationali illius informatur: ita hoc idem de sanguine naturali cum proportione dicendum est: modo statim dicto.

Tandem ex doctrina philosophica de animæ rationalis spiritualitate, & incorruptibilitate I. rectè intelligitur cur Genes. 2. dicatur Deus inspirasse in faciem Adami spiraculum vitæ, *inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ*; ea enim phrasis causam habet naturalem in animæ rationalis spiritualitate, & incorruptibilitate, quæ proindè non potest educi ex potentia materiæ, sed necessario extrinsecus aduenire debet. II. ad illud Exodi 21. *Si percusserit mulierem in vẽtre habentem, & egressus fuerit infans eius figuratus, dabit animam pro anima*: valet doctrina Philosophica communis de dispositione necessaria organizationis, tanquam prærequisita ad introductionem animæ rationalis: vnde ex loco citato norant Conimbricenses opinionem dicentium animam citissimè, & ante organizationem infundi falsam & erroneã esse; ideo enim percussor iubetur dare animam pro anima, cum est fœtus organizatus, vel figuratus, quia tunc fœtus est animatus, & percussor tunc perdit animam eius. III. ad illud Sapient. 7. *In ventre matris meæ figuratus sum caro*; patet etiam ex Philosophia, quàm absurdè & ridiculè introducta sit à Paracelso hominis procreatio per seminis putrefactionem in ampulla vitrea reconditam, & in fimo collocatam, ex qua fabulosus homunculi partus nascatur extra vterũ muliebrem, si scilicet semen in ampulla lutata in equino ventre per dies 50. putrefactione summa putrefiat, dum moueatur, hunc si humano sanguine quotidie prudenter cibes, & in equabili vẽtris equini calore conserues atque foueas, membris omnibus ornatus apparebit: de quo vide Mersennium in Genesim; dum ad libros de paruis naturalibus transeo.

CAPVT XII.

Quantum referant ad sacræ doctrinæ studium libri de paruis naturalibus.

Libri Aristotelis, qui communiter parua naturalia, id est, parua de rebus naturæ opuscula inscribũtur, supplementa quędam sunt librorum de anima. Continent enim explicationẽ quarumdam affectionum, quæ aut omnibus viuentibus conueniunt vt mors & vita: aut solis animantibus; vt vigilia, somnus, respiratio &c. de quibus tantùm in præsenti breuiter agemus: quod enim ad libros de sensu, & sensili, inter parua naturalia annumeratos pertinet, in quibus Aristoteles agit de sensuum organis, eorumque obiectis potissimum differit; satis patet ex dictis superiori capite quid de illis statuendum sit: Igitur incipiendo ab eo quod est communius; Vita definitur ab Aristotele, permansio animæ vegetraticis cum calore; ad cuius definitionis intelligentiam notandum est in primis, non definiri & explicari in ea vitam in toto ambitu; sed eam tantùm, quæ corporibus competit: cum alioqui etiã substantijs separatis vitæ notio propriè conueniat. Licet verò multi sint corporum viuentium gradus, nempe intelligens, sentiens, locomouens, vegetans: Philosophus tamen per hunc postremum gradum vitam definijt, quia nullum sit corpus vita præditum, quod eo careat. Quo fit vt prædicta definitio communem omnium viuentium vitam complectatur. Secundo additur *cum calore*;

lore; quia licet absque primarum qualitatum, caloris, frigoris, humoris, & siccitatis permixtione neutiquam possit consistere; peculiariter tamen in calore sita esse perhibetur: quia anima tamdiu corpus informat, quamdiu in eo vitæ munia obire potest: præcipuus autem administer vitalium functionum est calor, non peregrinus aut ascititius, sed internus, & pro cuiusque membri natura & conditione per totum corpus diffusus: adeo vt ad actiones vitales non cõcurrat frigus per se, sed ex accidente dũtaxat, hoc est, quatenus calorem modificat, eiusque vim attemperat: vndè si absq; frigore moderatus calor dari posset, nulla omnino esse frigoris necessitas. Quoniam autem prædicti caloris pabulum humiditas est non aquea, sed aërea & pinguis, dicitur etiam vita tùm ab Aristotele, tùm ab alijs Philosophis in calido, & humido consistere; hoc est à calore & humiditate in corpore coalitis, per se ac potissimum dependere.

Sic cum vtrumque in viuente continuò absumatur; prouidit natura quo pacto vtriusque etiam dispendia resarciri possent. Ad restaurandum enim humidum instituit alimenti haustũ, illiusque in viuentis substantiam conuersionem; si quidẽ loco humidi primogenij, quod radicale vocamus, succedit humidũ alimentitium. Ad calorem verò seruandum, reficiendumque oportuit, locum in animali esse aliquem veluti focum, qui naturæ fomites, & primordia ignis natiui contineret, foueretque. Hic autem locus cor est in medio pectoris seu thoracis constitutum, ita tamen vt parte sua ampliori & gibba superiora corporis spectet; parte verò extrema in acutum se colligat, exeatque penè in mucronẽ: Galenus enim lib. 6. de vsu part. cap. 7. docet, cor etsi rotundam habeat effigiẽ, non tamen esse vsquequaque rotundũ, sed ab ampla, & orbiculari superna vasi, quod caput eius dicitur, exorsum, indè paulatim gracilescere, ac ima parte in angustum acutumque desinere: quo loco istiusmodi figuræ causas reddit, quia figura rotunda, quæ nobilissima habetur, decet nobilissimum membrum. Itẽ, quia rotunditas iuuat ad capacitatem, quæ cordi ad recipiendum sanguinem, spiritusque formandos necessaria est. Angularis autem figura, quæ in cordis mucrone cernitur, facit ad concoctionem, quia calor cuspidis angustijs pressus maiorem habet acrimoniam. Habet igitur cor sic descriptum insitum à natura calorem, cuius opera quamdam sanguinis portionem sibi à iecore transmissam exactius decoquit, & in vitales spiritus attenuat; quorum vehiculo in omnes partes corporis quasi subsidio calorem mittit, quo membra omnia seruantur, ac fouentur, vitæque munia exercent. Quin & ipsum hepar ad elaborandum sanguinem, influentis à corde caloris adminiculo non parum iuuatur. Eademque communi beneficentia fruitur cerebrum: quandoquidem à corde recipit spiritus vitales, quorum præsentia innatam frigiditatem remittit, & ad animales functiones obeundas idoneum redditur: Vndè apparet quam rectè à Philosophis cor fons vitæ dicatur, videlicet quia ab eo, vt à fonte, vitales operationes dimanant; sic delegant cõmuniter vim naturalem hepati, animalem cerebro, vitalem cordi. Quod si dicas, si cor vitæ fons est, quo pacto veritati consonat, quod ait Aristoteles in libro de vita & morte, insecta & testitudines auulso corde viuere? Respondetur quia vt docet idẽ Philosophus lib. 4. de partib. animal. cap. 6. istiusmodi animalia, sicuti imperfecta sunt, ita non vni tantùm loco addictum habent vitæ principium, adeoque dempto corde adhuc in eis relinquitur, quod vitalibus actionibus obeundis præsit. Quod ab Aegyptijs traditum scripsit Censorinus in lib. de natali die Roman. & Plinius lib. 11. natur. Histor. cap. 37. videlicet augeri cor per singulos annos in homine, ac binas drachmas ponderis ad quinquagesimum annum excedere: deindè tantundem ab eo detrahi, ideoque non viuere hominem vltra centesimum annũ defe-

defectu cordis; fictitium planè videri debet, & à veritate alienum: cum neque anatomycæ obseruationis experientia, nec physica ratione, nec idonea philosophantium authoritate comprobetur.

Circa longitudinem & breuitatem vitæ dicendum est, quod, quemadmodum vita in calido & humido consistit, ex statim dictis: ita causa longioris æui in hisce duobus optimè temperatis, idoneamque inter se proportionem habentibus sita sit; & è conuerso causa vitæ breuioris in eisdem parum aptè commistis. Censentur verò hæc optimè temperata, cum humidum illud, quod aëreum & tenax ac bene cohærens esse oportet, haud nimis præualet: alioquì calorem obtundet & extinguet; non secus ac oleum sic se effundens ellychnij flammam abolet. Item, cum calor non ita excellit & dominatur, vt humidum sua voracitate citius, quàm par est, depascat, & absumat. Sic è quatuor temperamentis ad vitæ diuturnitatē aptius est; quod obtinent ij, quibus sanguinea complexio est. Hæc enim optimam calidi, & humidi permixtionem sortitur; cum in cæteris alijs qualitatum permixtio ad prorogandam vitam minus commoda videatur: vt calor & siccitas in temperie biliosa; humiditas & frigus in phlegmatica; frigus & siccitas in melancholica. Insuper, cum semper id, quod in locum innati humidi reponitur, deterius sit, habeatq; se ad illud veluti aqua ad vinum, quod sui permixtione decolorat & debilitat; hinc sequitur humidum innatum beneficio humidi nutrimentitij non posse ex æquo resarciri, atque in multa sæcula hominum vitam ita prorogari. Sed præter dictam humidi & calidi temperationem ac symmetriā, aliæ quoque sunt extrinsecus aduenientes causæ, quæ ad vitæ diuturnitatem & breuitatem non parum conferunt: vt cælestium corporum influxus, syderumque aspectus, & irradiatio, tàm ea quam quisque in genitura & ortu suo habuit, quam quæ ad regionem in qua versatur pertinet; soli quoque & regionis bonitas aut inclementia, nec non ratio victus secundum omnes suas circumstantias: sic bibones, & qui se frequenter vino ingurgitant, mortem sibi accelerant; quia ascititio calore humidum primigenium celeriter absumunt, ipsumque natiuum calorem euanescente eius pabulo dissipant. Secus accidit ijs, qui moderato vtuntur vino, quo natiuus calor iuuatur, & ciborum decoctio promouetur. Quod vt plurimum dentium raritas inter breuioris vitæ indicia numeretur, ratio est ex Aristot. in problemat. sect. 10. q. 47. quia eiusmodi raritas significat densum esse os capitis, vt pote in cuius substantiam abierit dentiū materia; atque adeò testatur cerebrum inualidum esse, quia minus sit respirationibus opportunum: proindeque facilè putrefactum iri, cum sua natura humidum sit. Nam & reliqua etiam, dum non mouentur, & torpent, neque exhalant, facilè vitium contrahunt, & tabescunt. His adde dentes raros materiæ imbecillitatem aut paucitatem arguere, quod debilioris naturæ signum quoddam est.

Tandem etsi non vniuersim frequētius tamen contingit, vt longiori vita fruantur animalia, quæ grandiora sunt, & sanguine prædita, & terrestria; quàm minora & exsanguia, quæque in aquis degunt: vt plurimum etiam diuturniora sunt quæ in calidis, quàm quæ in frigidis locis incolunt; & mares quàm fæminæ. Et verò quædam ex animantibus insignem vitæ breuitatem sortiuntur, de vno, quod vltra diem non superest; vnde Hemerobion græcè vocatur, testatur Plinius lib. 11. cap. 36. & ante illum Aristotel. lib. 5. de natura animal. cap. 19. alia præ cæteris longæua sunt, vt cerui, & elephanti, quippe ceruos post centū annos viuere deprehensum est ex eodē Plinio lib. 8. cap. 32. Elephantos verò ducentis annis, & quosdam tercentis superstites esse refert Aristoteles lib. 8. de histor. animal. cap. 9. Homines mediam veluti viam tenent; vel melius cum cætera

tera ferè animalia determinatum vitæ tempus habeãt vni homini est valdè incertum. Solon terminum vitæ humanę 70. annos esse ait apud Diogenẽ Laertium. Herodotus perfectissimum viuendi spatium 80. Iuristæ 100. quare si post tot effluxos de vita alicnius dubitetur, præsumetur mortuus, secus si non effluxerint centum anni, quia præsumitur viuere.

Huius quoque humanæ vitæ varia & multiplex est in suas ętates distinctio: Aliqui enim ex mutatione calidi & humidi, quibus animantium vitam contineri superius diximus, tria ętatum discrimina constituunt, pueritiam, iuuentutem, seu floridam ætatem, & senectutẽ. Ad pueritiam pertinet calidum & humidum affluens & copiosum: ad iuuentutem calidum, & humidum apptimè temperatum: ad senectutem calidum & humidum iam diminutum, & in occasum vergens; adeo vt licet vita senum in calido & humido, vt communis omnium animantium viuendi ratio consistat; superiorum tamen ætatum comparatione senectus frigida & sicca iudicetur. Diuidunt quoque has tres ætates in alias minutiores. Nimirum primam ętatem, quæ anno ferè quinto, & vigesimo terminatur, in infantiam, pueritiam, pubertatem, & adolescentiam. Infantia ad tertium, quartumve annum extenditur: hinc pueritia ad decimum: hinc pubertas ad decimum octauum: inde ad vigesimum quintum adolescentia. Aetas media diuiditur in iuuentutem & virilem ætatem. Iuuentus à vigesimo quinto ad trigesimum quintũ, aut quadragesimum porrigitur: inde virilis ętas ad annum quinquagesimum excurrit. Tertia ætas continet primam, & vltimã senectutem. Senectus prima à quinquagesimo ad quintum & sexagesimũ porrigitur: vltima seu decrepita senectus vitam claudit. Alij cum Pitagora vitam quadripartito diuidunt in pueritiam, iuuentutem, virilem ætatem, senectam; & hanc quadripartitam diuisionem, seu varietatem cum quatuor anni temporibus proportione quadam conferunt, aientes pueritiam Veri assimilem esse, in quo omnia virent, & humoris vbertate adolescunt: Iuuentutem Aestati propter animi robur, quo corpora pollent, & quasi efflorescunt: Virilem ætatem Autumno, quod tunc post varia superioris vitæ pericula cuiusque ingenij dotibus, tanquã naturæ fructibus, accedat tempestiuitas, & sua quædam maturitas: Senectutem Hyemi gelidæ, & molestæ, qualis esse extrema ætas consueuit. Medici veteres recensent quinque hominũ ætates, sed ita vt singulæ rursus tripartito diuidantur, quarum prima pars viridis, secunda adulta, tertia præceps dicatur; hinc senectus cruda, & viridis, & senectus triplex *Galeno*, vnde distinctio senum à senioribus, nomen seniorum vltimæ ætati tribuentes. Alij pro ratione sex dierum creationis tot ætates posuerunt. Alij septem pro ratione septem planetarum; putant enim Astrologi, vt videre est apud Proclum in lib. de anima & dęmone, singulis ætatibus præesse vnum planetam, ob peculiarem influxum: Infantiæ Lunã: Pueritiæ Mercurium: Adolescentiæ Venerẽ: Iuuentuti Solem: Virili ætati Martem: Senili Iouem: Decrepitæ Saturnum. Huiusceque dominij rationem & causam sic explicant. Luna, inquiunt, primam illam infantiæ teneritudinem blando quodam officio permulcet, & benigno vberique humore fouet: Mercurius pueritiam ad lusiones, sermonem, & disciplinas afflatu suo promouet: Venus adolescentiam accendit: Sol iuuentuti vigorem addit, & ad altiora erigit: Mars virili ætati animositatem affert, & pugnandi studium excitat: Iupiter senectuti grauitatem & maturam benignitatem indit: Saturnus decrepitæ ętati fragilitatem & morositatem.

Alij denique longè plures ętatum portiones assignant, per septennia videlicet, vel nouennia hominum vitam distinguendo, videmus enim singulis septenis vel nouenis annis, euidentem aliquam temperamenti mutationẽ; hæc autem

autem propriè est ætas,scilicet vitæ curriculum; in quo pro temperamenti mutatione, corporis & animi peculiares vigent actiones, vt corporis & animi cõstitutio per se mutetur. Hos annos clymactericos Græcè, id est latinè scalares, vocauit antiquitas, quod sint illi anni, velut gradus quidam scalæ humanæ vitæ, non absimiles diebus decretorijs morborum. Nimirum vt Plato in dialogo de natura docet (quod ab eo desumpsit etiam Galenus) habent morbi suas ætates, similes ętatibus hominum, atque suos etiam naturales gradus & terminos seu fines. Vt igitur sunt duplices morbi, alij acuti, alij chronici, quorum vtrique suos habẽt decretorios siue criticos, non tamen eosdem, sed acutorum decretorij sunt dies impares præcipuè septenarij; Chronicorum vigesimi, vt sexagesimi, octogesimi, centesimi: ita sunt duplices vitæ productiones, quædam plurimis communes, quędam paucis, iisque viuacissimis, contingentes. Vtraque habent suos clymactericos, seu mauis dicere decretorios annos, prioribus quidem sunt, qui per septennia numerantur, & per nouennia, quorum præcipui sunt, quadragesimus nonus, qui constat septem septennijs, & sexagesimus tertius, qui constat nouem septennijs: post hunc septuagesimus, quia decem septennijs: postremus octogesimus primus, quia constat nouem nouennijs. Posterioribus sunt decretorij, qui numerantur per decennia, vt centesimus, quorum postremus est vigesimus supra centesimum, neque certè huic numero exigua vis inest, neque vanum est in naturalibus rebus numerorum habere rationem, si quidem fecit Deus omnia, in numero pondere, & mẽsura; vt fusius infra dicetur agendo de Arithmetica.

Cum contrariorum contrariæ sint causę, facilè ex dictis colligi potest quid sit mors, quamque rectè definiatur absentia, discessusve animæ à corpore, ob defectum innati caloris; quemadmodũ enim vitæ causa est calor, vna cum humore, quo pascitur, non secus ac flamma oleo, ita mortis causa est frigus, seu quod eodem recidit, innati caloris defectus. Vnde & à Galeno lib.2. de temper. cap.2. definitur mors, extinctio caloris naturalis; & quia vt diximus, cor natiui caloris fons est, solet etiã nonnunquam mors definiri, frigiditas cordis ex humidi copia. Quibus ex definitionibus colligi possunt mortis causæ. Sunt enim excedens frigus & siccitas: imo & humiditas superabundans, quæ calorem suffocat; & nimia vis caloris extranei, quę non humidum solummodo absumit, sed ipsum etiam calorem innatũ resoluta substantia dissipat. Sic, si euẽtus fortuiti spectentur, licet innumerabilia sint mortis genera: attamen si causæ per se expendantur, definito numero continentur; rectèque diuiditur mors ab Aristotele in violentam & naturalem. Violenta est, quæ à contrario fit: naturalis, quæ ex caloris marcore prouenit. Quia verò natiuum calorem, vt statim attigimus, tam frigus, quam calor extraneus, & humor interimunt, tripliciter violenta mors accidere potest: nempè vel ob nimiam frigiditatem, aut extraneum calorem, quæ calorem natiuũ extingunt, vel ob immodicam humiditatem quæ eumdem præfocat. Naturalis autem mors contingit, ob caloris paulatim flaccescentis defectum. Nam cum calor agat in humidum, ipsumque resoluat ac dissipet, oportet calorem ipsum pariter imminui, manereque terrestres partes frigore & siccitate concretas: proindeque deficiente humido calorem extingui, & mortem subsequi: quæ in plantis vocatur ariditas, in animalibus senectus & mors. Notandum est tamen, quod cum omnis corruptio à contrario fiat, etiam eam viuentium mortem, quę naturalis dicitur, re vera à contrario fieri debere: dicitur tamen non fieri à contrario, vt violenta, quia quasi spontè naturæ accidit: quatenus non aduenit ab externo contrario, magna & aperta vi oppugnante.

Transcundo iam ad explicationem cæte-

cæterarum affectionum, quæ non omnibus viuentibus, sed solis animantibus conueniunt, tria supersunt breuiter considerandà, primum quid sit vigilia; secundum quid sit somnus, & somnia illum concomitantia, tertium quid respiratio. Est ergo vigilia omnium externorum sensuum, aut saltem aliquorũ, solutio & libertas. Sic cum somnus priuatio quædam sit vigiliæ, & omnis priuatio per formam oppositam, siue quam negat, innotescere ac definiri debeat, relictis varijs somni definitionibus, quas Stoici, Epicurei, Anaxagoras, & alij ex antiquis Philosophis inuexerũt apud Tertullianũ in suo lib. de anima rectius definiri non potest, quam ligatio omniũ sensuum externorum, ad animantium quietem, & salutem instituta. Dicitur omnium sensuum externorum, quia si vel vnus sensus non sit consopitus, sed vigilet, hoc cum in opus, & actionem incumbat, non somnus, sed vigilia dicetur; vnde nomen ratioque somni plus negat, quam vigilia exigat. Additur nõ omnium absolutè, sed externorũ dumtaxat sensuum: quia vt animal dormire dicatur, non opus est ligari etiam sensus internos. Adijcitur, ad animantium quietem &c. quia cum sensus obtorpescunt, & morbi alicuius vi feriuntur (vt contingit in illis, qui ex lipothymia, epilepsia, præfocatione, & id genus alijs penè mortui iacent) eiusmodi quies nõ ritè somnus vocatur; quia non est instituto naturæ inducta in bonum animalis, sed ad eius ruinam aliundè inuecta: Quod pertinet ad causam somni efficiẽtem, relictis varijs tum Philosophorũ tum etiam Medicorũ sententijs; dicendum est cum Aristotele somnum induci euaporatione, & obstructione meatuũ, per quos spiritus animales excurrũt: cuius rei non obscura sunt argumenta, primò quod quædam edulia & potiones, vt lactucæ, buglossæ, papauer, lac, vinũ aliaque eiusmodi, ideo somnifera dicuntur, quia plurimum vaporem sursum efferunt & humenti, suauique halitu cerebrum irrigant. Secundo, quia idcircò infantes & phlegmatici somniculosi sũt senes verò & melancholici peruigiles, quia illi humore fumeo, hi siccitate abundant; Tertiò, quia multi ob inediã insomnes noctes traducunt; & è contrario post cibum facilè somnum ineunt: non alia certè ratione, nisi quia vapores suppeditat cibi copia, negat inopia. Non videtur tamen negandum, concurrere simul ad inducendum soporem reuocationem spirituum ad cerebrum: si enim per solam viarum obstructionem illorum communicatio impediretur, nõ tanta suauitate, sed quasi per vim somnus aduenirer, obsistentibus ad ostia sensus communis, & conantibus quadata porta erumpere more suo spiritibus. Atque ita causa soporem inuehens non videtur sola meatuum obturatio, sed spirituum detentio seu reductio; potest enim virtus attractoria, cerebro incidens, ad conciliandum somnum, naturali instinctu spiritus animales introrsum reuocare, siue apud se retinere.

Finalis causa somni, seu finis ob quẽ natura somnum instituit, sunt commoda quæ illius beneficio animalibus obueniunt. Hæc quam multa sint, summatim complexus est Tertullianus in lib. de anima cap. 43. hisce verbis: Somnus est recreator corporum, redintegrator virium, probator valetudinum, pacator operum, medicus laborum, cui legitimè fruendo dies cedit, nox legem facit. Notandum est tamen quod sicut vigilia, si modum excedit, magnam affert corpori noxam; vt probat experientia, similiter somnus nisi moderatus sit, & tempestiuè adhibeatur, non parum officit valetudini: cum autem salubris somni ratio multis constet rebus, nihil ad id tantoperè curandum, quàm vt temporis ratio habeatur. Est autem aptissimum somno tempus nocturnum, propterea quod ipsum noctis silentium quietem aduocat, & circumfusi aëris frigiditate innatus calor facilius se se colligit, & ad interiora reuocat. Quare rectè Seneca lib. 22. epist. 123. eos reprehendit, qui, vt quidã in eadem vrbe Antipodes no-

ctes

ctes vigilant, dies dormiunt: quos appellat lycnobios, id est, lucernarios: atque eiusmodi homines contra naturam viuere.

Quod somnus omnibus animantibus etiam aquatilibus competat, persuadet tum communis eius necessitas, tum authoritas Philosophorum, ipsaque experientia: docet tamen Aristoteles lib. 5. de generat. animal. cap. 1. hominem primæ ætatis ingressu plusquam cæteros animantes somno deditum esse: quod aliqui asserunt homines à somno, alij à vigilia vitam ordiri; neutrum propriè dicitur; cum enim non dicatur propriè somnus, nisi à quo quis expergisci potest, & infantes intra matrum viscera primis diebus propter humiditatis affluentiam, organi imperfectionem, sensiumque hebetudinem, expergisci nequeant, non potest dici propriè eos dormire: proindeque hominis vita nec à vigilia, nec à somno propriè accepto inchoatur: sed à torpore illo, per quem ad vigiliam quasi per medium transit. Probabilius etiam docet D. Thom. 1. p. quæst. 94. artic. 4. etiam in statu innocentiæ fuisse dandum somno locum: nō ei, qui ex lassitudine aut morbo oriretur (is enim defectum argueret) sed quem dumtaxat pura & suauis alimenti euaporatio alliceret. Est enim hæc genuina, & naturalis affectio ad totius animantis perfectionem attinens. Itaque licet somnus in nostra hac mortali vita comparetur, obseruiatque ad virium iacturam resarciendam, in illa tamen felicitate in qua homines multis diuinis muneribus supra naturæ conditionem fruerentur, ad solam oblectationem, & sinceram voluptatem obdormiscerent, cum vellent.

Circa cessationem à somno, dicendum est animal dupliciter expergisci; videlicet aut sponte sua, tuncque propriè dicitur expergisci; aut aliena vi, & interpellatione. Primi modi vniuersalior & communis causa est, quādo panduntur meatus, per quos spiritus animales transmeant: panduntur autem ordinariè, si animal rectè ac probè se habeat, postquam vapores, qui eos occludebant, calore cerebri consumpti sunt. Secundo modo cessatio à somno fit, ex eo quod instrumenta externorū sensuum in dormientibus non omnino priuantur influxu cerebri, nec ita deseruntur à spiritibus animalibus, vt non eis aliqui suppetant, quorum opera saltem vehementia sensibilia percipere valeat dormiēs; vnde cū quis eum inclamat, anima appulsu soni, & auditoriæ imaginis stimulata, ad audiendi actum cōcurrit, sonumque dignoscit; primò quidem obscurè & quasi per vmbram; mox clarius ac distinctius subindeque expultrici vi conatum faciēs maiorem immittit spirituum copiam, quorum irruptione sensus communis aditus, viæque ad sensoria, pariter reserantur, atque ita qui antea consopitus erat euigilat.

De ijs, qui dormientes obambulant, siue qui sopore affecti è lecto surgūt, & huc illuc oberrant, quæri solet, num simpliciter experrecti dici debeant, an dormientes? cum enim sui compotes non sint, dormire vtique videntur; è cōtrario tamen quod non dormiant suadere videtur eorum motus. Ex communi sententia respondendum est, cum ad somnum requiratur omniū sensuum externorum ligatio, & ad vigiliam sufficiat vel vnius solutio, vt superius dictū est; ijs qui prædicto modo è lecto surgunt, non simpliciter inesse somnum, sed modum quemdam somni imperfectum, & quasi dimidiatum, quandoquidem nō est negandum semper eos aliquo tactu, etsi obscuro, vti, terram pulsando, se vestiendo, fores pandendo, arma corripiendo, vtcumque circa aliorum sensuū functiones se se habeant. Ratio autem, cur ij qui dormientes ambulant, et si nullo sensu externo perfectè vtantur, nihilominus actum virtutis motricis gnauiter, perfectèque aliquando exerceant est, quia via, per quam cerebri facultas ad motum pectoris & artuum influit, alia est & laxior ea, per quam in sensuū externorū officinas illabitur. Hinc enim fit,

fit, vt non æqualiter potentia motiua, & sensitiua exterior, à suis functionibus somno impediatur; præsertim cum imaginatio, quæ appetitum ad motionem excitat, sæpe in dormientibus vehementior sit, vt potè cui tunc ratio non obsistat. Notandum etiam magna ex parte huiusmodi ambulones suopte ingenio inquietos esse, agiles, & multis se negotijs immiscentes, quos ardeliones vocant. Vnde ex natiua sensuum viuacitate cursitatio illa exoriri potest.

. Cum somnia sint quędam veluti affectiones somni, postquam in superioribus breuiter de illo egimus, continuata rerum series postulat, vt de somnijs eadem breuitate disseramus; vnde incipiendo à definitione, somnium definiri potest, esse visum quod in somno apparet: seu quod eodem recidit, esse apparitionem exhibitam per internum sensum, in ijs, qui somno consopiti sunt: dicitur per internum sensum; vt reijciātur notiones intellectualis potentiæ, quas dormientes interdum efformant: quæ non ritè somnia vocantur. Interim igitur, dum adhuc præclusi sunt meatus, per quos animales spiritus ad externos sensus inuehuntur, non rarò accidit vt soluantur, & quasi vinculo liberentur interni sensus, sedata videlicet magna ex parte (nam ex toto dum somnus perseuerat cohiberi non potest) vaporum agitatione & tumultu. Produnt enim se se, quæ antea omnino latuerant, rerū imagines, per quas interni sensus operantur; idque clarius, aut obscurius, pro halituum paucitate, vel multitudine, tenuitate, aut crassitie: quod cum accidit, somniare animal dicitur. Multique putant somnia pertinere ad omnes sensus internos, secundum quod per illa res sensatas, vel insensatas apprehendimus.

Auctor libri de spiritu & anima, siue is sit Hugo Victorinus, siue alius, cap. 25. eius operis quinque somniorū genera enarrat: videlicet oraculum, visionem, somnium, insomnium, phantasma. D. Gregorius lib. 8. Moral. c. 13. sex genera somniorum ex totidem causis orta commemorat. Alijs per quam opposita videtur somniorum diuisio, in Diuina, Dæmoniaca, Naturalia, & Animalia. Diuina sunt quæ à Deo inspirantur: siue id fiat immediatè à Deo; siue Angelorum interuentu; horum multa continent exempla diuinę litterę, tam veteris, quam noui testamenti. Dęmoniaca dicuntur ea quæ à Dęmonibus inducuntur; qui duo potissimum in illis assequi nituntur. Alterum est, hominum, si mentes non possint, saltem corpora obscænis cogitationibus, & voluptatis illecebra contaminare. Qua de re piè conqueritur D. August. lib. 10. confess. cap. 30. idemque luculenter pertractat S. Iustinus in libello quæst. à gentibus propositarum Christianis q. 21. Alterum est: ignaros homines vana superstitione imbuere, si eos aliquorum somniorum euentu ad irrogandam ijs fidē pellexerint. Quo artificio pluribus exemplis constat Ethnicos multipliciter fuisse delusos, & in impietate obfirmatos. Naturalia somnia vocantur, quæ ex affectione corporum, temperamento, humorum inuersionibus, alijsque eiusmodi nascuntur. Nam ij, quos melancholia infestat, somnia tristia; vt funera, caliginem tenebras. Qui flaua bili redundant, rixas, iurgia, inimicitias. In quibus est sanguinis redundantia, videre sibi videntur rubentia, ignes, vstiones. In quibus multum insidet pituitę, aquas portus, natationes, pluuiam & similia. Rursus quibus animalis vis humorum multitudine premitur, grauia quædam ferre onera sibi videntur: & contra, qui tenui leuique temperamento sunt, nunc tranare præpetibus pennis aërem, nunc velocissimo cursu ferri se putant. Hinc vt dicemus infra de medicina, admonent Medici notanda & expendēda esse ægrotantium insomnia, ad eorū morbos dignoscendos curandosque. Tandem animalia somnia dicuntur, quæ versantur circa res eas, quibus per diem occupati fuimus. Horum namque simulachra vt sunt recentia, ita plerum-

que

que magis mouent. Ad idem genus pertinent somnia rerum aut personarum in quas odio, amore, timore, aut spe, vehementer afficimur.

Quod pertinet modo ad artem diuinandi, seu præsagiendi futura ex insomnijs, quam Somnispiciam vocant, relictis varijs Etnicorum Philosophorum placitis, quid de illa revera sentiri oporteat repetendum est ex D. Thoma 22. quæst. 95. vbi primum docet, ea tantùm somnia, quæ à Deo, siue ab Angelis immituntur, constanti & certa veritate futuros euentus prænuntiare. Et si enim nonnunquam etiam Dæmonibus fortuita euenta diuinitus innotescant, vt ex D. Augustino testatur idē D. Thomas 22. quæst. 172. artic. 6. futurorum tamen significatio, quam nonnunquam somniantibus Dæmones inijciunt, certa non est; quia cum veritatem odio prosequantur, & mendaciorum omnium architecti sint, nihil ab eis solidum aut verum, sed vanitatis fuco illitum & ad deceptionem compositū, expectari debet. Secundò ait, per ea somnia, quæ ex affectu corporis, vel cælesti influxu obueniunt, posse probabilem coniecturam capi aliquorum effectuum: at vanum esse & superstitiosum, velle quidpiam scire per insomnia à Dæmone inïecta: vel etiam per ea, quæ aliundè nobis incidunt: si quis diuinationem extendat vltra id, ad quod virtus causæ somnij pertingit.

Superest iam vt aliquid de respiratione dicamus; & incipiendo ab eius causis efficientibus dicendum est primò cum respiratio sit vitalis operatio, principalem causam effectricem illius post ipsum animal (cui vt supposito omnes actiones primario deferri debent) esse animam: deinde instrumentariam, esse vim motricem corpori inhærentem: instrumenta, quorum ministerio, & interuentu hęc motio perficitur, esse eas partes corporis, ad quas spectat deductio, seu transuectio externi aeris ad cor; si quidem respiratio nihil est aliud, quam attractio aëris ad cor. Hæc instrumenta sunt cor, pulmones, diaphragma, arteria venosa, arteria vocalis. Vnde relictis antiquorum sententijs, statuendum est, respirationem hunc in modum fieri: attrahitur ab animali externus aer per arteriam vocalem interuentu diaphragmatis ad pulmones: hi se se dilatando quasi folles aerem attractum in cor effundunt, frigidam ei qualitatem impertientes; sed mox reciproca vicissitudine eundem aerem æstu cordis calefactum se contrahendo foras eijciunt. Quo fit vt respirationis duæ sint partes: inspiratio, qua aër attrahitur; expiratio, qua emittitur. Obseruit etiam arteria venosa ad respirationē, quatenus per eam cor pulmonis aerem ad se allicit. Cum autem pulmones nō moueantur ad motum cordis, primùm, quia non est idem concentus respirationis, & motus cordis; si quidem vni respirationi plures arteriarum & cordis pulsationes respondent; secundò, quia respirationem possumus aliquantulum inhibere, & tardiorem celerioremve efficere; non autem cordis motum; dicendum est motum pulmonum ita pendere à corde, tanquam à communi fonte natiui caloris; tum priuatim, quatenus pulmones à dextro cordis ventriculo sanguinem hauriunt, quo pariter incalescunt aluntur que; dicendum est, inquam, motum pulmonum ita modo explicato à corde dependere, nec non etiam à motu diaphragmatis, & musculorum pectoris, vt tamen etiam pulmones ad attrahendū, pellendumve aerem propria virtute cōcitentur; cum enim pulmonibus respirandi officium natura commiserit, certè consentaneum fuit, vt etiam illis propriam vim motricem ad eum motum administrandum impertiretur. Notauimus supra hunc motū partim voluntarium, partim naturalem esse: num autem magis voluntarius, quam naturalis dicendus sit? disputant inter se doctores; plerique enim Medicorum magis voluntarium appellandum censent; melius tamen cum alijs appellandus est magis naturalis, quam voluntarius: pre-

pterea quod citra omnem liberi arbitrij actionem, & vigiliæ, & somni tempore exerceatur.

Respirationis finem Aristoteles docet esse cordis refrigerationem, & quæ inde subsequitur tutela natiui caloris: duabus enim potissimum causis perit calor: eoque abolito ruit in perniciem viuens; nimirum vel quia eiusmodi calor immodici frigoris appulsu extinguitur; vel quia marcescit,& suffocatur defectu aeris refrigerantis. Addunt etiam Medici ex Galeno lib. 7. de vsu part. cap. 7. & Fernelio lib. 6. Physiologiæ cap. 18. comparatam fuisse à natura respirationem ad nutriendos spiritus vitales. Licet autem solis animantibus, non tamen omnibus competit respiratio; sed ijs dũtaxat, quæ sanguinea sunt,& pulmonem habent. Sic docuit Aristoteles non omne piscium genus respirare, contra Anaxagoram & Diogenem, quorum opinio fuit pisces, etsi plerique pulmone carēat,nihilominus respirare omnes; quorum sententiã nouissimè tuitus est Rondeletius lib. 4. de piscibus cap. 9. Sed de his satis, nunc videamus quanta sit istorum vtilitas ad sacræ doctrinæ studium.

I. ad illud Leuit. 17. *Anima omnis carnis in sanguine est*; valet definitio vitæ, quod sit permansio animæ cum calore; non solum enim anima dicitur esse in sanguine per informationem, aut per potentiam, & operationem, quia nulla alia in re manifestius operatur, vt patet cum feruet per iram,fugit per timorem, per mæstitiam pigrescit, per gaudium effunditur, per pudorem in faciem occurrit; sanguis enim, & vitales spiritus moti ab anima hos effectus mouent; nõ solum, inquam, duobus his modis anima dicitur esse in sanguine; sed etiam quia calor naturalis ad viuentis conseruationem requisitus perseuerantiam obtinet ratione sanguinis, quia fouet calorem sanguine præditorum, vt potè quæ effusione sanguinis refrigerantur. II. ad illa Psal. *Vita hominis septuaginta anni, in potentatibus octoginta, amplius labor & dolor*. Ecclesiastici 18. *Numerus dierum vitæ hominum, vt multum centum anni*. Genes. cap. 6. *Eruntque dies hominis centum viginti annorum*; ad illa inquam & similia Scripturę loca iuuat doctrina de longitudine vitæ, ætatumque distinctione. III. ad illud Ecclesiast. cap. 12. *Memento creatoris tui, in diebus iuuentutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis tuæ, & appropinquent anni, de quibus dicas, non mihi placent &c.* potissimum valet doctrina philosophica de senectute: ibi enim metaphoricis locutionibus continetur optima senectutis ingruentis, & ad extremum vsque procedentis, atque adeò ipsius interitus, periphrasis, de qua vide Valesium de sacra Philosoph. cap. 66. IV. ad illud Exodi 20. *Non loquatur nobis dominus ne forte moriamur*, & Deuteron. 5. *Quid est omnis caro,vt audiat vocem Dei loquẽtis de medio ignis, sicut nos audiuimus, & possit viuere*; valet quæstio Philosophica an voces virtutem habeant naturalem ad vitam prorogandam,vel mortem maturandam. De qua vide Mendoçam in viridario lib. 4. problem. 8. Nec non Gasparem Francum in campo Elisio iucund. quæst. 22. V. ad illud Psalmi 102. *Renouabitur vt aquila iuuentus tua*: & Isaiæ 40. *Qui autem sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas, vt aquilæ, volabunt & non deficient*; vtilis est controuersia, an viribus naturæ possit iuuenta senibus redire: de qua vide eundem Mendoçam loco citato, problemate 17. VI. ad illud Ecclesi. 31. *Somnus sanitatis in homine parco.* & Ioãnis 11. *Si dormit saluus est*: iuuat ea quæ docent Philosophi de multiplici somni vtilitate, si moderatus sit. VII. ad illud Cantic. 5. *Ego dormio, & cor meum vigilat*; valet doctrina de somni natura, ad quem ita requiritur omnium sensuum externorum ligatio, vt tamen non opus sit ligari etiam sensus internos: vide Mendoçam loco citato problem. 16. vtrũ dormientes propria vigilantium opera moliantur. VIII. ex his quæ docẽt Philosophi circa somniorum naturalium & animalium causas, facilè intelligitur cur

Isaiæ

Isaiæ 29. dicatur: *Vt somniat famelicus se comedere*. Sicut enim liberales & benefici somniant, se alijs largiri: mendici, petere: cantores, canere: Philosophi, disputare: auari, pecuniam congerere: ita & famelici, se comedere. Item illud Ecclesi. cap. 5. v. 2. *Multas curas sequuntur somnia*.

CAPVT XIII.

Quantum referant ad sacra doctrina studium Magia Naturalis singulæque eius partes.

MAgia vniuersim sumpta definiri potest, *Ars, seu facultas vi creata, & non supernaturali quædam mira, & insolita efficiens, quorum ratio sensum, & communem hominum captum superat*. Magiæ sic latè sumptæ diuisio peti potest ex causis tàm efficiente, quàm finali. Ab efficiente ducitur diuisio in naturalem, artificiosam, siue humanam, & diabolicam; quia cuncti effectus eius adscribendi sunt, vel insitæ rebus naturæ, vel humanæ industriæ, vel cacodæmonis malitiæ. A finali causa rectè diuiditur primò in bonam, si bona intentione & licitis medijs procedat, & in malam, cuius nempe finis, vel media quibus vtitur sunt praua, finique acquirendo omnino improportionata. Et hæc peculiaris est Magia prohibita, quam idololatriam tacitam, & superstitionis speciem, falsi videlicet cultus, ad distinctionem superstitionis indebiti cultus, Theologi communiter appellant.

Quæ prohibita Magia proinde definiri solet, *Ars, seu facultas, qua vi pacti cum dæmonibus initi mira quædam, & communem hominum captum excedentia efficiuntur*. Dicitur, *vi pacti*, quoniam omnis Magiæ huius vis, pacto tacito vel expresso cum dæmone semper innititur. Tacita etiam vocatur idolatria; quia ex vi talis pacti, vt plurimũ non tam intendunt Magi, cultum exhibere dæmoni, vel creaturæ, vt Deo; quàm vt benefactori cuidam munifico, à quo aliquid consequantur. Quæ intentio ratione multiplicis obiecti, licet innumeras quasi species huius tacitæ idololatriæ, seu prohibitę Magię gignere posset, ad quatuor tamen principales solent reduci, Magiaque reproba diuidi, in Magiam specialem, diuinationem, maleficium, & vanam obseruantiã. Fit enim aliquando vt extraordinarij dumtaxat & miri effectus cognitio vel operatio quęratur, & tunc sibi nomen *Magia specialis* vendicat; aliquando fit vt quis nitatur cognoscere res futuras, vel etiam præteritas, aut præsentes, sed occultas, & arcanas; conatus iste *diuinatio* vocatur; aliquando desiderat instrui, & iuuari, non vt profit, sed vt noceat alijs, vel vltionem sumat: huic sceleri *maleficium* est nomen. Sunt denique aliquando, quibus decretum est sine noxa vel damno cæterorum, sibi vel alijs hoc opere prodesse vtilitate, vel voluptate; & hoc Theologi vocant *nugatoriam*, seu *vanam obseruantiam*. His breuiter adnotatis circa Magiam eiusque diuisionem in cõmuni, superest vt breuiter de singulis eius speciebus agamus, cum earum disquisitio & notitia non parum etiam cõducat ad perfectam sacræ doctrinæ pluriumque rerum ab ea traditarum intelligentiam.

De Magia naturali, seu physica.

MAgia naturalis, seu physica, nihil aliud est, quàm accuratior quędam arcanorum naturæ cognitio, qua cælorum ac syderum cursu, & influxu, sympathijs atque antipathijs rerum singularum obseruatis, suo tempore, loco & modo, res rebus applicantur, & mirifica quædam hoc pacto perficiuntur, quæ causarum ignaris præstigiosa, vel miraculosa videntur. Veluti cum Tobiæ 7. Tobias iunior paternam cæcitatem felle piscis discussit; quam vim Callyonimo pisci tribuunt cũ Galeno *lib. 1. simpl. Medicament.* Plinius, Aelianus & alij. Naturalis huius Magiæ cognitionem vna cum cæteris scientijs Protoparenti

renti Adamo fuisse infusam minimè dubitandum: huius quoque peritissimum fuisse Regem Salomonem facilè crediderim, Vndè quæ de morbis ab eodem Rege curatis incantatione Flauius Iosephus refert lib.8. Antiquit. ea vel falsa sunt, vel in illud referenda tempus, quo iam se idololatriæ, & omni superstitioni immerserat.

Naturalis Magia diuiditur in operatricem & diuinatricem; hæc in abditis & futuris coniectandis versatur; illa miros effectus producit. Loquendo iam de Magia naturali operatrice, ad Magicos illius effectus cęli aspectum & influxum plurimum valere, & conferre putant aliqui; quæcumque enim per characteres, figuras, ac numeros ipsi perficiunt, ea produci volunt à virtute ijs figuris communicata ab alijs figuris sublimioribus, ex sympathia quadam naturali rerum inter se similium, quatenus hæ figuræ ad amussim inuicem coaptantur. Nihilominus tamen Theologi cum D.Thoma 2. 2. quæst.96. art.2. & lib.4. contra Gentes, alijque plures tam iurisconsulti quam periti Medici, existimant, errorem esse in fide, & philosophia naturali, veraque astronomia asserere, quod Imagines ex metallo, vel cera, vel alia quacumque materia, ad certas constellationes fabricatæ, vel certo charactere, aut figura efformatæ, aut etiam baptizatæ, exorcizatæ, consecratæ vel potius execratæ, secundum artem, & sub certis diebus habeant virtutes mirabiles, quæ in superstitiosis aliquorum libris recitantur. Sed de his consule Pererium *lib. de diuina astrologia* Ioann. Baptist. Condronchum Medicum *lib.2. de morbis veneficis*, Laurentium Ananiam *lib.4. de natura dæmonum*; Barthol. Sybillam *in peregrinis quæstionibus*; Martinum Delrio *lib.1.* disquisitionum Magicarũ.

Alij volunt effectus Magicos huiusmodi, miraculis similes, oriri posse, ex naturali hominis complexione, sicque impij non tantum Magi, sed & Fulginas Medicus ausi sunt asserere, huius temperamenti, quod ad pondus vocatur, virtute, Christum Dominum, tot miraculis coruscasse. Verum hoc totum protsus ridiculũ esse ostendit Condronchus Medicus vbi supra; impium verò Michael Medina lib.2. de recta in Deũ fide cap.7.

Tertio alij effectus hosce miros viribus imaginationis tribuunt, quam putant posse etiam remotiores fascinare, vel sanare, & res loco mouere, & fulgura, & pluuias cælo deducere; ita Auicenna *lib. de anima sect.4.* & alij, qui tamen in modo id explicandi inter se dissentiunt; quidam enim hoc posse imaginationem volunt, per certos, quos ipsi somniant gradus; ita Alkindus *lib. de Imaginibus*; alij per spiritus ex corpore vi imaginationis expulsos, vt Paracelsus, Pomponatius, Andreas Catanæus *lib. de mirab. effect. causis.* Cæteri cum Auicenna & Fulginate, solo animæ præstantioris imperio.

Verum licet in eo conueniat sacra doctrina, quod vis imaginationis plurimum valeat in propriũ imaginantis corpus, quo ad ea omnia, quæ naturalem habent cum imaginatione coordinationẽ, vt sunt motus locales in dormientibus, de quibus extat Andreæ Libanij liber; vt sunt alterationes, per frigus & calorem, & quæ has alterationes consequuntur. Insuper licet sit satis verisimile, per accidens posse aliquid imaginationem in corpus vicinum, arcta quapiam coniunctione vel contactu ei copulatum; si tamen & imaginatio sit valdè intensa, & vicinum corpus ad eam affectionem valde dispositum. Ad quod probandum conducere potest artificiũ Iacobi Genes.30. de quo vide Pererium ibidem. Nihilominus imaginatio nullam vim obtinet ad alias proprij corporis dispositiones, quæ naturalem cum illa non habent coordinationem, vt puta ad figuram manus, vel pedis; vel vt quis adijciat staturæ suæ palmum vnũ, & quæ sunt similia; Vide D. Thom. *3. parte q.13. artic.3. ad 3. & lib.3. contra Gentes cap.103.* Similiter in corpus alienum disiunctum, omninoque separatũ ab

ab imaginante, anima humana, neque per imaginationem, neque per aliam potentiam, mediantibus vllis radijs, spiritibus, vel speciebus, vlla mirifica huiusmodi potest efficere. Quod ex Theologis rectè probat Michael Medina vbi supra, & ex Medicis Condronchus, Valesius *lib. sacra Philosoph. cap. 68.*

Quartò tandem volunt alij solo contactu, visu, voce, afflatu, osculo, vel nudi lintei applicatione, vulnera & morbos sanari, & alia mira huiusmodi naturaliter perfici posse; sed hoc etiam vanitate plenissimum esse pluribus demonstrat Martinus Delrio lib. 1. disquisit. Magic. cap. 3. q. 4. Donum enim conferendæ sanitatis, siue curationis est donum supernaturale, & gratia gratis à Deo data 1. Corinth. cap. 10. quare si nihil superstitionis in huiusmodi curationibus accedat, illæ omnes virtuti diuinæ adscribendæ sunt.

At dicet aliquis ex Pomponatio lib. de incant. cap. 3. sicut in herbis, lapidibus & animantibus inueniuntur virtutes sanandi; ita nihil repugnare, quod in tota humana specie similes etiam vires reperiantur; vt in vno homine sit virtus talis lapidis, in alio talis plantæ, vel animalis. Quod ergò planta hæc, vel lapis ille possit, idem hominem etiā hunc & illum naturæ vi effecturum.

Respondetur tàm lapidibus, quàm plantis, in ordine ad plures effectus miros, occultam quidem vim à natura insitam esse; quæ tamen naturaliter hominibus inesse nequit. Nec ratione specifica, quia non omnes habent; nec indiuiduali, quia conditiones indiuiduales, non producunt talem effectū. Quare si hoc accidat absque vllo remediorum naturalium vsu, dicendum est fieri aut per gratiam gratis à Deo datam; aut per pactum cum dæmone; quod est ex circumstantijs diiudicandum. Superesset aliquid dicere *de Magia naturali diuinatrice*, sed quia connexione doctrinæ commodius de illa agendum est infra, cùm de diuinatione prohibita, ideo ad *Magiam artificialem* transeo.

De Magia artificiali.

Magia artificialis est illa quæ mira quædam perficit hominum industria; tantū enim in præsenti est sermo de Magia artificiali operatrice, quæ rursus diuiditur in *Mathematicā*, & *Præstigiatoriam*. Mathematica dicitur, quæ nititur principijs Arithmeticis, Geometricis, vel Astronomicis; alij Taumaturgicam illam appellant. Nihil tamen efficere potest, quod rerum naturæ repugnet, quin imo indiget ope causarum naturalium certo motu, & dimensionibus applicatarum, vt satis patet in speculis vstorijs, hydraulicis nostris, & alijs huiusmodi rebus. Quare si quis effectus proponatur, causarum naturalium vim & efficaciam superans, ille ad præstigiosos referri debet. Hinc sequitur *Magiam artificialem* siue *Taumaturgicam*, vt & *naturalem* siue *physicam*, per se bonas ac licitas esse, vt omnes artes per se sunt bonæ. Quamuis per accidens vtraque illicita esse possit. 1. per relationem in malum finem. 2. quando scandalum oriretur, eo quod putarentur hæc fieri dæmonum opera. 3. si quod indè spirituale vel temporale damnum corporis aut animæ immineret ipsi circulatori, vel spectatoribus; Vide Syluestrum & fumum Verbo *ars*.

Ad hanc materiam de magia artificiali operatrice I. pertinet, an vis characterum, annulorum, sigillorum, aut imaginum sit, qualem Magi contendūt? II. An numeris Arithmeticis aut Musicis magica vis aliqua insit? III. An verbis & incantationibus vis insit morbos sanandi, aut alia mirifica perficiendi. IV. An amuletis & periaptis. V. tandem & vltimò an aurum vel argentum hac arte, quam Alchimiam vocant, confici possit: quibus omnibus breuiter respondeo per sequentia dicta.

Primum dico, characteribus, annulis, sigillis aut imaginibus, nullam penitus virtutem inesse, in ordine ad producendos aliquos magicos, vel mirabiles effe-

effectus. Quare si quandò aliquis talis effectus sequitur vsum huiusmodi rerũ, quod fieri interdum videtur; id totum ex constituto fit, dumtaxat quia dæmones hæc sibi signa cõstituerunt,& quasdam quasi tesseras militares, aut pacta conuenta; vt homines solent verborum certas formulas. Ita Theologi cum Diuo Thoma 22. q. 96. ex Medicis Condronchus *lib. 3. de morbis venef.* Bokelius *de philtris*, & alij quos refert & sequitur Martinus Delrio; contra Pomponatium, Ludouicũ Dulcem libro Italico *de gemmis* in quo fictitij Salomonis & Hermetis sigilla in lucem edidit.

Secundò dico, numerum, qua numerus est præcisè, nullam neque naturalem, neque supernaturalem vim operandi continere. Id probant optimè Andreas Laurentius lib. 8. Histor. Anatom. quæst. 10. Vairus lib. 2. de fascino c. 11. Quod autem adduci solet in contrariũ, de anno climacterico, qui homini solet esse lethalis, de diebus criticis, de octimestri partu minimè vitali, nullius est momenti; Andreas enim Laurentius libro citato cap. 9. & q. 3. optimè demonstrat annorum climactericorum rationem, vt & criticorum dierum potissimũ pendere ab humorum, & complexionũ, quæ in hominibus sunt, ratione ac periodo quadam naturali. Quo ad partum vero octimestrem semper ferè lethalem, id accidit, quia semen humanum multiplex est. Quoddam perficit fætum septimo mense, & tunc fætus post sextum mensem conatur exire: quod si non reperit magnam resistentiam, tunc validus erit & robustus: si verò reperit, continua illa mensis pugna debilitatur, & octauo mense debilis, atque inualidus admodum producit in lucem, vnde moritur. Aliud semen perficit fætum nono tantum mense, & tunc fætus ante hunc mensem non conatur exire, solerque adeò robustus esse, vt cuncta impedimenta contraria, vel ei non resistant, vel per resistentiam, quando mater vterum fert diutius, non admodum debilitetur. Vide Hippocrat. *lib. de octimestri partu*; qui tutius ac in re sequi potest ac debet, quam Academici ad numerorum vim superstitiosè cõfugientes; quorum dicta refert Fabius Paulinus lib. 6. Hebdomad. cap. 4. Quod spectat ad numeri sonori, seu Musicæ, cuius est obiectum, vim & efficaciam suo loco infra dicetur, vbi de Musica.

Tertiò dico, nulla vocabula, vim habere naturalem vulnera, vel morbos sanandi, vel noxas alias depellendi; dicitur *nulla*, ad excludendum quoduis verborum genus; dicitur *vim naturalẽ*, quia Zelotypiæ illa adiuratio, & lex *Thorathkina* numeror. cap. 5. quidquid habebat efficacitatis, de sursum habebat; ferè modo, quo hodie preces Ecclesiasticæ, formulæ sacramentorum, & sacramentalium, & exocismorum, vim habent supernaturalem ex Dei institutione, vel gratioso concurrendi modo. Vnde, quod pro tota hac materia valde notandum est, *naturale* hic non sumitur, pro vt opponitur operi animali, vel libero, vel violento; sed vt opponitur artificiali, prodigioso, & miraculoso, tresque illos ordines excludit. Vide Petrum Ciruelum Darocensem in quæst. de Cabala & Magia Iudæorum, quæ est vltima inter eius paradoxas quæstiones, & Martinum Delrio lib. 1. disquis. cap. 4. quæst. 1.

Quarto dico, Amuleta huiusmodi, quæ collo dependent, nullam vim obtinere naturalem ratione verborum, characterum, vel figuræ, vel constellationis; sed dumtaxat ratione materiæ, si quæ illi antipathiæ, vel sympathiæ vis naturalis inexistat. Quare si quis effectus producatur, cuius causa nequit esse virtus, vel facultas naturalis subiecti, effectus ille prodigiosus erit, & amuletum superstitiosum, qualia multa congessit Costa Benlucas Iudæus *lib. de ligaturis*. Quandò tamen in ipsis verbis, modo scriptionis, certo crucium numero, figura vel similibus spes non ponitur; pium & sanctum est, reuerentiæ causa, Sanctorum reliquias, cereas agni Dei effigies, Euangelium Sancti Ioannis, Psalmos Dauidicos,

dictos, & similia sacræ Scripturæ loca secum gestare collo appensa; sed effectus, qui inde oritur, erit supernaturalis, Dei beneficentiæ adscribendus. Alijs autem ligaturis vti, quas vel vsus Ecclesiæ catholicæ, vel proborum Medicorum ars non commendat, omnino est prohibitum. Tales sunt nefariæ illæ precum formulæ, quas contra vulnera, & pericula ignis, aquæ & alia, quidam per mendacium adscribunt B. Leoni, & alijs Sanctis. Huc etiam pertinent formulæ omnes quibus immiscentur nomina ignota Angelorum, hoc est alia, præter Michael, Gabriel, Raphael; sic in Concilio Romano sub Zacharia Papa ad damnandos errores Aldeberti & Clementis hæreticorum Germaniam turbantium congregato, cum lecta fuisset Aldeberti oratio, in qua continebantur hæc verba: *Supplico vos, Angelus Vriel, Angelus Raguel, Angelus Michael, Angelus Adimis, Angelus Tubnas, Angelus Sabaoth, Angelus Simihel*; Patres Concilij damnandum Aldebertum pronuntiarunt vt Hæreticum: causa vero subditur, & ipsum Concilij decretum his verbis. *Octo enim nomina Angelorum, quæ in sua oratione inuocauit Aldebertus, non Angelorũ, præter Michaelis, sed magis dæmonum nomina sunt, quos ad præstandum sibi auxiliũ inuocauit. Nos autem vt à nostro Sancto Apostolatu edocemur, & diuina tradit authoritas, non plusquam trium Angelorum nomina agnoscimus; id est, Michael, Gabriel, Raphael*. Cui decreto non obstat quod lib. 4. Esdræ c. 4. nominetur Vriel, & Ieremiel; liber enim ille Canonicus non est, nec tantæ dignitatis, vt suo loco diximus. De Vriel vide Nicolaum Serrarium in cap. 12. Tobiæ quęst. 10. & sequentibus.

Illud quoque attendendum, & ex suis circumstantijs diiudicandum, ne ipsis veris Angelorum nominibus vtentes, ea malis accommodarint. Cur enim id non ausint, qui ausi sic abuti nominibus Dei. Qua in re libet audire Procopium in Leuit. contra quosdam curiosos hoc vtentes prætextu, his verbis agentem. *Attamen obijciunt quidam, inuocant Sabaoth. Quid tum? impiè hoc faciunt. Nam illam appellationem non Deo, sed dęmonibus tribuunt, & plerumque illi dæmoniaci vsurpant nomina diuina, dum ea imponunt dęmonibus, quorum ambitioni seruiunt*. Hoc fit in precibus Magorum, quibus inserta *magna*, sic vocant, *nomina*. Quia de Alchimia separatim agemus infra cap. 16. huius sectionis, commodius etiam ibi agemus an per illam artem possit fieri verum aurum, vel argentum.

Altera Magiæ artificialis species dicitur *Pręstigiatrix* alij *Ludicram* siue *deceptoriam* vocant: quod eius effectus nõ sint quales, aut qui videntur. Ad eam pertinent multa quæ ab agyrtis, circulatoribus, mirionibus, funambulis & alijs huiusmodi personis credũtur patrari incantationibus, cum tamen agilitate manuum vel pedum fiant. Aduertendum est tamen eos aliquando solere decem magicis præstigijs vnum subtilitatis seu agilitatis artificiosæ actum miscere; vt quæcumque ab ipsis præstantur, persuadeant citra præstigium, sola dexteritate & arte fieri.

De Magia dęmoniaca, eiusque prima specie, quę vocatur Goëtia, siue Magia specialis & nigra.

QVi dæmones negant, etiam aliquã Magiam dæmoniacã esse negant. Dæmones tamen esse, & dæmoniacam Magiam, quæ nec industria aut artificio hominum, nec naturalibus causis, sed immateriali quapiam, & separata virtute nititur, pluribus sacræ Scripturæ testimonijs tam lib. Iob, quam Exodi cõpertum est. Pro quorum intelligentia non parum proderit præsentis materiæ notitia. Prima igitur Magiæ Dæmoniacæ species vocatur Magia specialis, siue nigra, eiusque consideratio ad duo potissimum capita reduci potest; primum continet ea quæ dæmones, vel Magi eorum ope actiuè possunt in res creatas, secundum ea quæ ipsimet dæmones ab illis

illis pati possunt. Ita tamen vt omnium operationum magicarum veluti basis & fundamentum sit pactum per magos cũ dæmone initum; quod pactum est duplex, vnum expressum, alterum tacitũ; iterum pacti expressi triplex est modus. Primus fit solemnitate varia, & ipsi Cacodæmoni visibiliter in corporea aliqua forma apparenti, coram testibus, fidelitas, & homagium promittitur. Aliquando etiam id fit per libellum supplicem, qui diabolo præsentatur. Alius modus priori similis est cætera, nisi quod sine testibus peragitur. Tertius per vicarium initur, magum videlicet, vel tertium aliquem, cum paciscens dæmonis aspectum vel colloquium reformidat.

Pactum tacitum duplex est etiam. Primum quando quis sciens ac volens, superstitiosis vtitur signis, quibus vti solent Magi: estque semper peccatũ mortale. Secundum quando quis ignorans magicis vtitur signis, quia nescit esse mala & à dæmone instituta; & hoc vel nullum, vel leuissimum est peccatum, si duæ conditiones accedant. Prima si ignorantia sit probabilis, V. g. eorum qui hoc scire non tenentur. Secunda vt ignorans ista paratus sit, quando fuerit admonitus, huiusmodi superstitionem relinquere.

Quod spectat modo ad actiuam dæmonum potestatem, docent primò omnes Theologi 1. parte illos operari vel actione immediata per motum localem, vel mediata, idque dupliciter, vel illudendo sensibus, vel applicando actiua passiuis per alterationem veram. Est etiam communis Theologorum sententia miracula propriè dicta non posse à dæmonibus fieri; quamuis Deo permittente multa mirabilia secundum quid, seu respectu nostri præstare possint. Quia autem plura etiam ex illis à Deo, vel etiam naturaliter & beneficio artis patrari possunt ab hominibus, non desunt sua signa & indicia ad discernendum tales effectus magiæ ex pacto ab effectibus physicis, & miraculosis & artificiosis. I. Nimia loci distantia: II. Si adhibeantur verba ignota, falsa, absurda, nihil cohærentia, aut sacra sed detorta ad sensus alienos, aut ad quem non sunt instituta. III. Quando vis collocatur in obseruantijs alijs planè superfluis, & indifferentibus; his, inquam, omnibus, vel aliquo istorum & similium concurrentibus ad alicuius rei effectionem, meritò plusquam suspecta esse debet, præsertim cum medium adhibitum non est proportionatum ad effectum producẽdum: sicut è contra quando huiusmodi effectus miri consequuntur, à quocumque, & quotiescumque hoc applicatur, sine alijs ceremonijs, vel obseruationibus vanis, meritò iudicamus effectum esse naturalem.

Insuper quia ex effectibus miris tam dæmonibus, quam magis eorum ope possibilibus, quidam sunt veri, quidam præstigiatorij, aut ex vtrisque mixti. Verorum exempla sunt secundum plerosque, incantatio serpentum, de qua Regius Propheta Psal. 37. *Furor illis secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ, & obturantis aures suas. Quæ non exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis sapienter*: item signa & prodigia pseudoprophetarũ in Euangelio S. Matth. cap. 24. Inter præstigiatorios verò seu apparentes effectus annumerant alij suscitatum per Pythonissam Samuelem 1. Samuel. cap. 28. ita vt non ipsa Samuelis anima, sed dæmon laruatus ac subdititius apparuerit; vel si ipsa fuerit vera Samuelis anima, vt videntur alij docere cum D. Augustino *lib. de cura pro mortuis cap. 15.* falsitas tamen siue deceptio sensuum in eo saltem reperitur, quod visa obtemperare voci Pythonissæ, cum tamen non vi carminis magici euocata, sed Dei imperio aduenerit, vt impiũ regem corriperet, eumque ad pœnitentiam, denuntiatę mortis metu prouocaret; item quia verum suũ corpus, aut veram syndonem non attulerat, vt videbatur, saltem quantùm ad hoc illusorijs effectibus annumerandus videtur.

Ad hos, inquam, veros & sinceros effe-

effectus à fucatis dijudicandos, suæ etiã sunt leges ac regulæ. I. Si effectus magicus eiuscemodi sit, vt potentiam dæmonis superet, qualia sunt miracula soli diuinæ omnipotentiæ reseruata, V.g. suscitatio mortui, tunc effectus censeri debet præstigiatorius. II. Quando non constat effectum esse superiorẽ viribus dæmonis, res planè dubia est, & oportet recurrere ad circumstantias. Ratio dubij est, quia nec Dæmoni Deus semper permittit, facere quidquid posset; nec dæmon ipse semper vult facere, quidquid facere permittitur, sed gaudet præstigiator hominum deceptione, quia mendacij pater est.

Iam quantum ad effectus in particulari, ad quos actiua demonum potentia valet se se extendere, vel non, sicut datur triplex illorum operandi modus, per motum localem, per alterationem, & per delusionem; ita etiam ad tres illos modos facilè reduci possũt omnes quæstiones, quæ de dæmonum potentia & virtute agitari solent. Vt quid possint circa leges naturæ & ordinem vniuersi? ad illud Apostoli ad Hebręos cap. 2. v. 5. *Non subiecit Deus Angelis orbem terrę futurum*: II. Quid in orbes cęlestes, sydera, & elementa? ad diuersa Sacræ Scripturæ loca, præsertim Iobi cap. 1. vbi Sathan facit ignem de cælo decidere, & absumere seruos, ac pecua Iobi; excitat quoque ventum validum & vehementem, qui filios ac filias illius conuiuantes ruina oppressit: deinde Exodi cap. 9. vbi grando, qua Aegyptij puniti, expressè dicitur per malos Angelos immissa. Denique ab Apostolo multoties vocantur dæmones principes aeris huius? potissimum propter magnam quam habent in aerem potestatem. III. Quid valeant circa externa, seu fortunæ bona, greges & armenta perimendo, igne domos absumendo, conuiuia exhibendo, captiuos carceribus & vinculis eripiendo, vrbes obsidione liberando, expugnandas prębendo, ad dignitates & honores promouendo, diuitias ac thesauros conferendo; ad illud potissimum Matth. 4. vbi Christo Domino ausus est dicere; *Hæc omnia dabo tibi, si procidens adoraueris me*. IV. An valeant incantare animalia bruta; ad illud Psal. 37. *Sicut aspidis surdæ, & obturantis aures suas quæ non exaudiet vocem incantantiũ & venefici incantantis sapienter*.

V. An possint aliqua mixta perfecta præsertim sensibilia producere arte sua? ad illud quod exodi 7. & 8. legitur de Magis Aegyptijs. VI. An sint vnquam dæmones incubi, & succubæ, & an ex tali congressu proles nasci queat? ad illud Genes. cap. 6. *Gigantes autem erant super terram in diebus illis. Postquam enim ingressi sunt filij Dei ad filias hominum, illæque genuerunt, isti sunt potentes à sæculo viri famosi*. VI. De nocturnis sagarum conuentibus, & an vera sit earum translatio de loco ad locum? ad illud Leuitici cap. 19. *Non facietis experimenta per figuras, per baculos, &c.* vbi per baculum aliqui intelligunt virgam, aut arundinem, seu scopæ hastam, cui inequitant transferendi ad diabolicos conuentus. VII. An possit dæmon quantitatem corporum sic mutare, vt penetratio partium sequatur, siue duo corpora in vno & eodem loco penetratiuè collocare? ad illud Danielis cap. 7. & 14. vbi legitur fuisse Habacuc ab Angelo demissum, & reductum ex lacu clauso, sigillis integris permanentibus. VIII. An corpora ex vna in aliam speciem queant transformare, facere bestias loqui, & an intelligant voces illarum? ad illud Genes. 3. vbi fit mentio serpentis mulierem alloquentis. IX. An intelligentiam discursiuam possint brutis largiri? quod dependet ab alia quæstione an bruta aliqua ratione sit prædita; nam si semel ita sunt, facilè pręstabit dæmon, vt sublatis impedimentis discurrant, & scienter intelligant: si non sunt, id præstare non posse certum est. X. An possint dæmones facere, vt homo non sentiat actu, quod natura sensibile est, V.g. ne crucietur quæstioni subditus, vel vt longissimo tempore dormiat, aut inediam perferat. XI. An magicis artibus opera

dæmonum sexus mutari queat? vbi non agitur de membrorum ablatione, sed de ipsa sexus virilis in fæmineum, aut fæminci in virilem commutatione; quam naturalem ex medicis huius sæculi fatetur Gemma Cosmographiæ 1. XII. An possit dęmon seni iuuentam reddere: ita vt qui defecta iam & decrepita curuatur ætate, vires resumat, & habitum nitorẽque iuuenilem, mutentur cani in colorem meliorem, frigus in teporem, torpor in agilitatem, cæteraque corpus recipiat, quæ senium abstulerat; ad illud Psal. 102. *Renouabitur, vt aquilæ iuuentus sua*.

XIII. Post considerationem eorum, quæ ad animam vegetatiuam, & etiam ad sensitiuam quo ad sensus exteriores pertinent illos potissimum decipiendo; quæritur quid possint dæmones circa animam corpori iunctam, idque informantem; sensus internos immutando, memoriam iuuando, vel debilitando; intellectum subtiliorem & meliorem, quo ad functiones ingenij, & iudicij reddendo, per commodiores organi dispositiones; artes atque scientias docendo; voluntatem mouendo; respectu cuius longè restrictior est Magiæ, dæmonumque potentia; nequeunt enim voluntatem mouere aliter, quam obiecto, tanquam odibili, vel amabili proposito; vel excitatis imaginarijs visionibus, & cogitationibus; vel allecta & inclinata voluntate, per passiones in parte sensitiua inflammatas. Ex quo multa sacræ Scripturæ loca de viribus dæmonum in hominibus tendandis, deque hominum libertate in consentiendo vel non, facilè intelliguntur 1. Corint. 10. *Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari vltra id quod potestis; sed faciet etiam cum tentatione prouentum, vt possitis sustinere*. XIV. De extasi, siue raptu, quem Diabolus potest in homine efficere ligando, vel soluendo sensus exteriores, idque duobus modis. Prior est, quando illos tramites obstruit, quibus à cerebro spiritus animales siue sensitiui ad exteriores sensus deferuntur, veluti contingit somniantibus: posterior quando eosdem spiritus sensitiuos, ab exterioribus sensibus ad interni sensus organa attrahit, ibique retinet, ne rursus ad externorum sensuum organa queant descendere. Ita enim contingit, vt in raptu ob nimiam internarum virium sensitiuarũ applicationem, & spirituum sensibilium ad externi sensus organa confluxum impeditum; adco impediantur sensuum exteriorum munia, vt corpus viuum cadaueris mortui, & immobilis speciem præ se ferat. Porrò naturalis huius raptus diaboli vires non excedentis discernendi ab illo supernaturali, de quo ratiocinatur Apostolus ad Corinthios nullum ferè est efficacius indicium, quam si huiusmodi raptus sint voluntarij, & pro libito illius qui rapitur; facit enim hoc procul dubio dæmon ex fœdere.

XV. Quid possint dæmones circa mortuorum cadauera, ea induendo, & in ijs apparendo, diu incorrupta seruando, neque putrescant, dissoluantur, aut incinerentur; quia hoc naturaliter, vel ex vnguentis, vel ex loci natura, imo & ex corporis temperamento potest prouenire, vel etiam ex mortis genere. XVI. An ope dæmonum fieri possit, vt defunctorum animæ, seu spiritus viuentibus appareant, quod potissimum facit ad intelligentiam illius loci 1. Reg. cap. 28. vbi legitur mulieris Pythonissæ incantationibus animam Samuelis apparuisse Sauli. Aliqui enim inde contendunt ope dæmonum, seu vi carminis Magici fieri posse, vt defunctorum animæ, seu spiritus viuentibus appareant. Melius tamen dicendũ est Magos non posse opera dæmonum veras defunctorum animas nobis ostendere, ita D. Thomas 1. p. q. 117. artic. 4. ad 2. fusèque probat Alphonsus Mendoza quæst. 5. quodlibet. scholast. quia Sanctorum animæ in manu Dei sunt, & soli Deo obediunt: damnatorum verò nequit diabolus sinere egressum, sine nutu Dei, sine quo nec ipse id potest; quod idem habet locum in animabus, quæ igne purgatorij ex-

expiantur. Ideo solent ipsi dæmones has vices subire, qui per mūdum adhuc vagantur; neque id mirandum, cum in Angelum quoque lucis, imo & in ipsū Christum Dominum quandoq; se transfigurare audeant. In casu igitur, quo vi carminis magici, seu virtute dæmonum Samuel apparuisse Sauli dicitur; respondent aliqui Sancti Patres non fuisse veram, sed præstigiosam tantùm apparitionem; imò ex tali suppositione, qua illam apparitionem tribuebant magiæ Pythonissæ, necessariò eo delapsi fuere, vt negarent aliud quàm dæmonem apparuisse; adeo impossibile crediderunt, ope dæmonum fieri posse, vt veræ defunctorum animæ apparerent.

Verùm quia hæc suppositio non est necessaria ad Scripturæ veritatem, nec etiam absolutè vera, siquidem D. Augustinus *lib. de cura pro mortuis cap.15.* quem plerique cum Tostato & Lyrano sequuntur, affirmanter docet veram Samuelis animam apparuisse Sauli; quod etiam apertè significare videntur verba Ecclesiastici cap.46. vbi de Samuele ista legimus: *Et post hæc dormiuit, & notum fecit regi, & ostendit illi finem vitæ suæ, & exaltauit vocem eius de terra in prophetia delere impietatem gentis.* Dicendum est valde inter se distingui has duas propositiones; *Samuel verè apparuit in assūpto corpore vi carminis magici, seu virtute dæmonis;* &, *Samuel verè apparuit in corpore assumpto iussu ac imperio Dei, deceptis Saule & Pithonissa, qui putabant magica hoc confectum euocatione.* Primam enim propositionem duntaxat Patres negarunt, idque meritissimè; secundam autem non. Vera igitur Samuelis anima apparuit Sauli non vi carminis magici euocata, sed Dei imperio aduentans, vt impium regem corriperet. Quænam autem sint regulæ, vel signa discernendi veras, imperioque Dei factas defunctorum apparitiones à falsis & fucatis dæmonum præstigijs; de his consule Iacobum de Chusa Theologum in integro opere *de apparitionibus Spirituum*; Peltanum *de Purgatorio*; Thyræum *de apparitionibus Spirituum.* Ex his sequitur primò prorsus esse superstitiosum, quod ex quorumdam delira opinione retulit Ananias lib. 3. de nat. Dæm. animas eorum, quibus expirantibus dexteram porrexerint, & vicissim porrectam receperint, ipsis post obitum apparituras. Secundò periculosum esse pacisci cum moriente, vt appareat post mortem, superstitemque de suo statu certiorem faciat. Præterquam quod enim sic paciscentes vt plurimum se deludendos dæmoni propinant, & illi subiacent cōminationi, *qui amat periculum peribit in illo*; pactio etiam ipsa vix fieri potest vt curiositatis peccato vacet. Notandum est tamen Deum id aliquādo permisisse, maioris boni causa, cuius aliqua adducit exempla Detrio lib.3. quęst.26. sect.7.

XVII. An diabolus possit facere, vt homo semel mortuus resurgat. XVIII. De dæmonum apparitionibus, siue de spectris, quæ dæmones nobis obijciunt. Etsi enim multa habeantur pro spectris, quæ naturalia sunt, vel artificialia; item quæ sensuum vitio, aut imbecillitate vitiatæ phantasiæ, talia videntur esse cum nō sint qualia videntur, de quibus agit Petrus Leloyerius *lib. 1. de spectris*; attamen solet etiam diabolus hisce vt plurimum se adiungere, & hominum procliuitate abuti. Hinc vt variç dęmonum operationes, & libidines, sic etiam varia eorum genera solent distingui. 1. cęlestium siue æthereorum, & igneorum. 2. aëreorum. 3. terrestrium. 4. aquaticorum, seu fluuialium, qui quoties corpus visibile assumunt, sicut in sexu fæmineo frequentius apparent, ita qui habitant in locis siccioribus, & subaridis sæpius in viros se transformare dicuntur. 5. subterraneorum. 6. lucifugorum. 7. meridianorum: quorum omnia accurata notitia valde est necessaria ad intelligentiam plurium locorum Sacræ Scripturæ, in quibus eiusmodi dæmonum, seu spectrorum fit mentio. Psal.90. *Non timebis à timore nocturno, à sagitta volante in die, à negotio perambulante in te-*

Biblioth. Theol. Tom. IV. Mm 2

tenebris, ab incursu, & dæmonio meridiano. Leuitici cap. 17. vocantur pilosi *Sahhirim*, vbi noster vertit dæmonia. Isaias cap. 2. v. 20. vocat dæmones talpas, & vespertiliones. Ephes. 6. & Luc. 22 legimus illis propriam noctem, & potestatem tenebrarum. Ex his etiam nocturnis est Asmodæus Tobiæ cap. 6. Dauid Psal. 103. dæmones vocat *bestias Syluæ*. Iob cap. 1. v. 19. spiritum ab eremo venientem, sacri etiam vates Hieremias Thren. cap. 4. & Isaias cap. 13. meminerunt *Lamiarum*, quas vera dæmonum ludibria, siue spectra fuisse Sancti Patres docent; & sic de alijs.

XIX. Quomodo possit Dæmon se corporeis oculis, cum sit incorporeus, visibilem præbere; cadauer aliquod assumendo humanum, vel ferinum, & illud mouendo ac impellendo motu non vitali, sed locali tantum; aliquando etiā sibi elementare corpus circumdando, vel ex solo aëre condensato, vel vt alij volunt, partibus aëris commiscendo terreas & aquas nubiū, vaporum exhalationumve, vt & colores facilius hac mixtione exprimat, & facilius membra conglutinet, condenserque, & ea non solum visibilia, sed etiam palpabilia, & solida exhibeat. Licet autem, si maiore potestate non impediantur dæmones, possint qua velint apparere forma, humanamque perfectam, & omni ex parte pulchram exhibere; quia tamen solet ei obstare Dei voluntas, certis animalium formis dæmonia nondum vti permisit, vt colūbæ, ouiculæ seu agni; fortè quod agnus verus sit Christus, vt in columbę specie Spiritus Sanctus solitus sit apparere; & quia etiam hæc animalia dolo carent, nullumque inferre solent damnum. Libentius igitur induit animalia in quibus aliqua sunt, quæ meritò culpes. Hirci forma, seu capri, quod animalis huius salacitas, superbia, & alia vitia, actiones dæmonum referant, vel quia hircorum, qui à sinistris locādi caput est, hæc, inquam, forma ei antiqua est, quando adorandum se se proponit; etsi enim quando pactum expressum init, soleat offerre se conspicuum forma virili; post pactum tamen, quando homagium illi reddi debet, semper in forma hirci apparet, vt satis deducitur ex diuinis scripturis Leuit. cap. 17. Isaiæ cap. 13. v. 21. & cap. 34. v. 14. vbi ideo dæmones vocantur Sahhirim, hoc est pilosi, seu hirsuti, vt solet aliquando B. Hieronymus vertere, quia olim in forma hirci adorati fuere. Nam *Sahir* Hebræis hircus, quasi hirtus, dicitur, vt Latinis à pilis & horrore; vnde fors etiam Satyri nomen deductum. Quod confirmat R. Kimchi *in radic.* dum scribit *Sahir* vocari diabolum, quia solitus hirci efficie se conspicendum præbere.

Item quando vult familiaritatis & fidei specimen prębere, catti vel canis sumit effigiem, si quis aliquando deuehendus, equum induit; si per locum angustum, vel rimam subiturus, vespertilio, musculus, vel mustella fit. Si qui præsentes sint, colloquium impedituri, vel quos velit latere, muscam induit, & partes auribus vicinas occupans, quæ vult insusurrat. Si ad malum, specie boni, velit inducere, apparet forma Christi; denique, vt innumera testantur exempla, sæpè sępius formam capit, quę instituto maximè sit accommodata, & quia ad omnia ferè idonea est humana, hanc plurimum effingit, non eodem tamen modo. Sanè morituris solere maximè terrifica apparere specie plures testantur historiæ, B. Martini, Odilonis, Opportunæ, & aliorum. Cuius rei rationem Angelus reddidit B. Aichardo, hoc à Deo permitti, vt hic terror tam terribilis visionis expiet in Sāctis, si quid adhuc expiandum in illis esset reliquū, vt scribit Fulbertus in eius vita apud Surium mense Septembri. Porro dæmonē non posse tam accuratè corpus effingere, vt nullo signo queat dignosci, vel vt aliquas vitales actiones verè comedendi, bibendi aut loquendi exerceat; probant verba Angeli Tobiæ 12. v. 23. cum ergo loqui videntur dæmones, vel Angeli, non loquuntur propriè, & vitali actione, sed producendo sonum in aere huma-

humanę voci similem, & adstantium auribus insonantem: ad eum fermè modum, quo quis artificiosè, quopiam instrumento, puta tibia, vel tuba sonum vocis humanæ exprimit, de quo vide Tostatum q.11. in exod. c.7.

Procurare deniq; vt dæmones nobis appareant, vel vt defunctorum animas nobis repręsentent, quod illi facere re vera nequeunt, nullo modo licet, imo mortale est peccatum; prohibente Apostolo 1. Cor. cap.10. *Nos socios fieri dæmoniorum*. Amice enim & precario aliquid ab illis recipere vel petere; est in aduersarij castra se recipere, & transfugere à Christi Ecclesia. Nō possumus etiam per modum imperij & compulsionis eos adigere; nisi quatenus sumus ad hoc à Deo delegati, per exorcisticam dignitatem, in cuius exercitio diuinum operatur imperium. Cur autem dæmones antiquis Patribus visibiles apparuerint adeò frequenter, nobis hodie non item: hanc quæstionem olim S. Ioannes Briglintonius apud Surium 10. Octobris proposuit S. Guillelmo Shlegtholmensi, qui respondit: *Antiquorum Patrum animos non fallax splendor, & inanis gloria, sed diuina gratia illustrarat. Itaque facilè illi fraudulentas inimici machinationes prouidentes, seu pugiles inuicti illum fortiter expugnarunt. Quod ille superbus non ferens, difficillima tentationum certamina illis obyciebat, monstruosas formas, & teterrimos impetus eis inferens, vt vi illos protruderet in peccata. Nos verò qui ei facilè obedimus, occultis tentationum iaculis citò prosternit; etiam si nullā nobis tetram speciem repręsentet*. Quibus addi potest Deum id permisisse, quia minus curiositatis tunc erat, & minus periculi ab illusione imminebat. Tantùm de actiua dæmonum potestate, nunc breuiter attingamus ea, quæ Magia possit in ipsos.

Primùm non agimus de potestate illa, qua Sanctos Dei homines frequentissimè dæmones coercuisse innumeræ testantur historiæ; satis enim constat ex diuinarum Scripturarum authoritate, eos virtute supernaturali & à Deo accepta id præstitisse. Quæ etiam virtus sacramentis, sacramentalibus & exorcismis Ecclesiæ Catholicæ semper competijt. Sed potissimum inquirimus, quid Magia rerum naturalium virtute possit in dæmones. Pro quo dico, Magiam, aut Magos nihil penitus in dæmones potestatis habere nisi ex pacto. Fingunt enim dæmones se à Magis cogi, quibus spontè obtemperant, vt plures irretiant, irretitosque retineant. Vnde cum vis omnis Magorum in dæmones pendeat & oriatur ex tali fœdere cum ijs inito, sequitur sanè, si Magus pactū habeat cum dęmone superiore, non posse vim illi facere, posse tamen per ipsū sibi ex pacto famulantem, iuuantemque inferiores cogere, ad aliquid faciendū, omittendumve. Vt enim Angeli boni sibi superioribus spontè & alacriter obtemperant: sic è contrario Cacodæmones superioribus suis, vt praua mancipia duris dominis, aut imbecillior tyranno potentiori, nonnisi inuiti, & malo domiti obediunt. Et si enim, quæ inter dæmones ordinum, ex quibus exciderunt, adhuc rario habetur, non sit vera, propriéque dicta subordinatio; nam ei deest ordinis ratio formalis atque perfectio, quæ per media subordinata in vnum vltimumque finem dirigitur; quo sensu verissimè S. Iob cap.9. asseruit, nullum apud inferos ordinem reperiri. Imperfectam nihilominus, siue materialem ordinum distinctionem inter illos reperiri docent Theologi cum D. Thoma 1. p. quæst. 109. ex verbis Apostoli ad Ephes. capite vltimo, *aduersus principes, & potestates*; ibi enim de dæmonibus agens duos eorum choros nominat. Vnde etiam ex hoc naturali robore, & aliquali ordinis dæmonum præcellentia, nascitur Magorum quorumdam in alios Magos vis atque potestas, qua vel effectus illorum impediunt, vel inuicem arte sua malè se mulctant & necant, Deo id ita permittente.

Nulla igitur verba, nullæque res corporales naturalem habent facultatem

(licet

(licet queant supernaturaliter) directè & per se dæmonē cogendi, vt appareat, accedat, fugiat, aliquid faciat,vel facere desinat. Dicitur directè,quia quæcumque res corporeæ inducere possunt in corpus patientis dispositionem contrariam dispositioni requisitæ ad actionem dæmonis, v.g. purgando humorem melancholicum plurimum dæmonibus optatum; vndè ita directè corporeos humores purgant, & corpoream ægritudinem pellunt naturaliter, vt etiam sint causæ indirectæ, & sine quibus non, cur dæmones fugiant, & corpus illud deserant. Et hac mente licere obsessis à dæmone,petras vel herbas natura efficaces, absque vlla tamen incantatione, habere & gestare communis est Theologorum sententia: Vide Conradum Vvimpinam *lib. 2. de superst. cap.* 10. & Franc. Valesium *lib. de sacra Philosoph. cap.* 15. *&* 18. Sic facilè intelligi potest locus Tobiæ cap. 6. *Cordis eius*, piscis videlicet Callyonimi, *particulam si super carbones ponas, fumus eius extricat omne genus dæmoniorum*; quod & postea factum ibidem legitur: ita enim Angelus Raphael directè dæmonem expulit, & in deserto relegauit, vt colligitur ex cap. 12: vt etiam suffumigatio hęc indirectè dęmonem pellere potuerit. Similiter lib. 1. Regum cap. 16. dulce melos non fugauit directè dæmonem, sed dumtaxat feriente citharam Dauide, leuius Saul se habebat, quoniam ipso concentu Musices delinito, nonnihil sedabantur humores, quibus agitabatur,& propterea vexationi dæmonis minus idoneus reddebatur; vnde tunc temporis ille recedebat, non quod musica vel delectaretur,vel offenderetur, sed quod ægrè ferret hanc sui domicilij quasi turbari possessionem,per huiusmodi humorum temperiem meliorem; de quo vide Abulensem prædicto capite à quæst. 41.



De Maleficio altera Magiæ dęmoniacę, seu nigrę specie.

CVm in diuinis Scripturis maleficiorum, maleficarumque mentio non semel habeatur, ad illarum intelligentiam non parum conducet, huius etiam rei aliqualis disquisitio. Et in primis notandum maleficij nomen non sumi pro damno, seu peccato quouis; sed pro signo effectiuè magico atque superstitioso; quo qui vtitur,maleficus, qui vero læditur, maleficiatus appellatur. Definiri seu describi sic potest. *Maleficium est Magię species,qua quis ope dęmonis alteri damnum parat.* Si enim pactum & fœdus cum dæmone desit,nihil res ad hanc tractationem pertinet, magis quam homicidium ferro peractū, vel raptus Virginis, vel furtum aut latrocinium. Quod spectat ad maleficij diuisionem,potest fieri,vel per ordinem ad causam efficientem, vel ad finalem; vbi per efficientem causam non intelligitur Deus permittens, neque dæmon perficiens, neque praua malefici consentientis & cooperantis libera voluntas, hęc enim tria semper in omni maleficio concurrunt, sed vocantur efficiētes causæ, instrumenta materiaque nocendi, quæ ad nocumentum immediatè concurrūt,quæ sicuti sunt in multiplici differentia, ita etiam varia ac diuersa sunt maleficiorum genera, puluerum, herbarum, vnguentorum, halitus, verborum, aliarumque similium rerum,quarum etsi aliquæ vim necandi, morbosque inferendi naturaliter habere possint,vt si sint virulentæ; plerumque tamen huiusmodi effectus ab illis non manant,sed pendent à pacto cum dæmone inito,eiusque opera dumtaxat præstantur, ita vt pulueres, vel vnguenta,aliaque huiusmodi, tantùm deseruiant declarandæ conuentorum fidei. Cuius manifestum est argumentum,quod nonnunquam,qui pulnis vni medicinam facit, is in alterius strigis potestate lethalis est. Notandum est tamen vnguenta, vel pulueres, qui ne-

necant, atros; qui verò morbum tantùm afferunt cinericei, vel interdum ruffi coloris esse. Contra quo puluere vel vnguento malum tollunt, & medicinam faciunt, is plurimum albus est. Quæ vnguenta vel pulueres, si igni inijciantur fulgorem, strepitũ, nidoremque edunt, cui similem res alia nulla.

Insuper nec rebus sacris maleficos parcere plura comprobant experimenta. Quidam etiam apertius grassantur, qui per dæmonem strangulari, vel præcipitari alium curant, vel puerulos noctu iniecta culcitra præfocant; vel acu post aurem infixa necant. Hoc genus Maleficorum Hebræis & veteribus Latinis, nec non etiam Græcis; illis sub nomine *Lilith*, istis sub nomine *Lamiæ*, fuisse notum, pluribus probat Sebastianus Michaelis *lib. de Pneumatologia*; videturque ad illud sacræ Scripturæ Trenor. 4. & Isaiæ 34. alludere, vbi dicitur; *Nudauerunt Lamiæ mammas suas*: quod illæ necarent infantulos, illis etiam mammas ostentando, quasi eos lactare, & sic fletum compescere voluissent.

Quod spectat ad diuisionem à causa finali desumptam, sicut multiplex finis intendi potest, ita etiam multiplex ab illo maleficij diuisio duci posset; communiter tamen ad tria potissimum genera reduci solet, Somnificum, Amatoriũ, & Hostile. Somnificum vocatur, quando malefici aliquem potione, malo carmine, & certis ritibus soporant, vt interea ei venenum infundant, vel infantulos rapiant, aut necent, vel furto quid subtrahant: faciunt hoc interdum magi, & fieri potest naturalibus venenis soporiferis.

Maleficium amatorium Græcis Philtrum vocatur omne illud quod dicitur, fit, & datur eo fine, vt in amorem quis, Venerisque furias protrahatur. Veteribus enim is videtur communis error, etiam nolentes huiusmodi Philtris in amorem pellici posse. Nihilominus tamen de fide tenendum est hisce philtris, cuiuscumque generis, vel conditionis sint, nullius voluntatem cogi posse, ad quem non vult amandum; sed tantùm posse imaginationem perturbari, humores concitari, & totum corpus interius quasi accendi; adeo vt quis, non tam philtrorum virtute, quam dæmone ad eorum præsentiam varijs tentationum illecebris interius certante, æstro quodã libidinis vexetur, & sic vehementer trahatur ad desiderium copulæ carnalis cũ aliquo in genere. Vndè si tùm temporis maleficus amator accedat, & artibus quibus solent capi mulierculæ, personam amatam instanter vrgeat, vel dæmon de vno illo assiduè memoriã phantasiamque moueat, exhibendo species circumstantiarum, propter quas amore dignus videatur, subtrahendo vero eas quæ indignum redderent, facilè fit, vt in laqueum præda cadat. Huiusmodi Philtrorum, siue amatoriorum maleficiorum habetur mentio in varijs S. Scripturæ locis; Nahum cap. 3. v. 4. *propter multitudinem fornicationum, meretricis speciosæ, & gratæ, & habentis maleficia*; quod Frãciscus Ribera de maleficijs amatorijs interpretatur. Baruch etiam cap. 6. v. 42. *Mulieres autem circũdatæ funibus in vijs sedent, succendentes ossa oliuarum. Cum autem aliqua ex ipsis attracta ab aliquo transeunte dormierit cum eo, proximæ suæ exprobrat: quod ea non sit digna habita, sicut ipsa, neque funis eius diruptus sit*; de quo loco vide interpretes, & Martinum Delrio *lib. 3. disquisit. Magicarum* q. 3. sect. 2. vbi optimè illum explicat.

Quantùm ad horum maleficiorum amatoriorum diuisionẽ Grillandus *lib. 1. de sortilegijs quæst. 3. & 5.* ad duo potissimum capita illa reducit; Amatoria, inquit, Sortilegia vel fiunt intra corpus, vel extra corpus, scilicet maleficiati. In corpore communiter fieri solent per cibum vel potum. Et in his frequenter admiscent (quod vix solet in hostili vel somnifero maleficio) Sacramenta & sacramentalia Ecclesiæ Catholicæ, vt hostiam consecratam &c. Extra corpus autem, siue extra intestina fiunt maleficia amatoria, per aliquas mixturas compositas ex herbarum folijs vel radicibus, me-

metallis, reptilibus terræ &c. & tunc adhibent certas ligaturas, quibus hęc inuoluta consuunt in chlamyde vel tunica maleficiandi, vel abscondunt sub capite lecti, vel inter plumas, vel materatia, super quæ ipse dormit, aut sub limine ostij, vel alterius loci, super quo ipse maleficiandus vir transiturus, aut mulier transitura sit. Vel etiam vt statim ex loco Baruch vidimus, illa comburunt, addendo, sic se amicorum ossa vel cor vrere, vel, in amico suo hęc se adolere, vel tandem precari, vt sic amici earum amore torrerentur. Subdit etiam idem Grillandus tertium quoddam genus huius sortilegij; nimirum deferri quandoque imagines quasdam ad loca sacrificiorum, terra, vel cera, aut gemmis, seu alia quauis mixtura & materia confectas, illasque baptizari prius nomine personæ maleficiandæ, sub inuocatione, & deuotione Diaboli, cum eisdem cęremonijs quibus vti solent nostri Sacerdotes in vero baptismate; quibus adijciuntur quędam verba turpia, & nefanda. His imaginibus quandóque aperiũt pectora, & ipsarum corda ingenti calore ignita reddunt: aut tantum detinent, quod liquefiant, putantes eodem modo cor hominis maleficiãdi aduri, seu mollificari & obediens reddi ad votum sortilegi vel amantis. Maleficos hos Ioannes Salisber. lib. 1. cap. 11. Vultricolos vocat, vel vt corrigit Delrio Vulticolos: *Vultricoli sunt*, inquit, *qui ad affectus hominum immutãdos, in molliori materia, cera, vel forte limo, eorum, quos peruertere nituntur, effigies exprimunt*; cuius illusionis meminerunt etiam Poëtæ, Virgilius in Pharmaceut. *Limus vt hic &c.* & Ouidius lib. Heroid.

Deuouet absentes, simulacraque cerea fingit
Et miserum tenues in iecur vrget acus.

Etsi autem sortilegij amatorij, quod fit intra corpus, materia vt plurimum sint res calidæ, dulces, amęnæ homini, & coadiuuantes naturalem calorem, luxuriandique potentiam; & ideo à lege vocari solent *bona*, vel, *non mala venena*, ad distinctionem maleficij hostilis, in quo, quæ interueniunt, vt plurimum sunt frigida, amara, noxia & naturæ humanæ, hominumque saluti contraria, vnde *mala venena* vocantur: Hęc tamẽ, non solùm menti, quod illis commune est cum philtris extrinsecis, sed etiam corpori vt plurimum valde noxia esse quotidiana docet experientia. Circa huiusmodi Philtrorum seu maleficiorũ amatoriorum remedia, quàm inutilia & vana sunt illa omnia Gentilium, quæ per incantationes aut lustrationes quasdam fiebant: quæ Christianis etiam prorsus illicita sunt. Tàm vtilia sunt & proficua, primò illa omnia quæ SS. Patres ex sacra Scriptura præscribunt, viderique possunt apud Delrium. Secundò naturalia etiam medicamenta, maniam purgantia & ardorem libidinis temperantia, vt agnus castus, & alia huiusmodi, quibus licebit vti, dummodo noxia non sint valetudini; tantùm de maleficio amatorio, nunc ad hostile pergamus.

Maleficium hostile vocatur, quidquid in bonis animi, corporis, & fortunæ damnum infert, aut aptum est inferre, aut idcirco adhibitum fuit à malefico vt inferret; cuius maleficij innumera extant S. Scripturæ testimonia. Iob. c. 2. Diabolus percussit eum vlcere pessimo, à planta pedis vsque ad verticem: Vnde etiam maleficos dęmonum ope morborum irrogatores, seu immissores esse posse, nemini diuinarum Scripturarum authoritatem admittenti dubium esse potest. Saulem etiam dæmon per atram bilem diuexabat; 1. Regum cap. 16. *exagitabat eum Spiritus nequam*, qui pulsante Dauide cytharam, secedebat. In nouo quoque testamento Matth. cap. 17. Marci 9. Lucæ 9. Vnum diabolus auriũ & linguæ vsu priuauit, & simul epilepticum reddidit, quem B. Matthęus Lunaticum vocat; non quod dęmoniacus non esset, sed quod & à dæmone obsideretur, & simul plenilunij temporibus, per dæmonem comitiali morbo grauissimè affligeretur; eo quod tunc cerebrũ humoribus plenum aptius erat exagita-

ri.

ri. Apud S.Lucam cap.8. alium diabolus vexauit illa affectione, quam Lychanthropiam Medici nominant, cuius præcipuum signum, vel indicium est, quod domi nequeant contineri, & in deserta loca se proripiant, circaque sepulchra oberrent. Aliam adflixit conuulsione spinæ dorsi Lucæ cap.13. quo loco dęmon ille vocatur *Spiritus infirmitatis*, eo quod, vt subditur, eam vinxerat Sathanas: nam dęmones in sacra Scriptura nomen habent ab effectu, vt *Spiritus auaritiæ*, qui impellit in auaritiam, *fornicationis*, qui suasor libidinis.

Cur autem per malesicia sic Deus permittat dęmonem grassari, plures adduci possent rationes, etiam ex diuinis Scripturis; sed de his vide Trithemium *lib.8. quæst.5.* Iacquerium *flagell. fascinat. cap. 18.* Delrium & alios. Cur insuper, cum ista damna plerumque diabolus possit per se inferre, malit tamen vti opera maleficorum, in causa est primum, quia hoc pacto maiorem Deo se facere putat iniuriam, sic pluribus nocendo, & creaturis ratione prędìtis, & baptismo ablutis, & chrismate delibutis abutendo,ad creatoris ipsius vilipendiũ. Secundò quia non adeo homines abhorrent à cõuersatione & familiaritate maleficorum, atque odere consortium diaboli. Tertiò quia quędam per homines potest, quæ vel non posset, vel non tam commode posset per semetipsum immediatè perficere; superest iam vt de præcipuis huius maleficij generibus, vel speciebus breuiter agamus.

Primum est *fascinatio*; non phylosophica, seu physica, quæ nonnisi impropriè dici potest fascinatio; propriè verò est contagio seu infectio, quæ fit per venenatam aliquã qualitatem prius manentem in putridis humoribus, aut vitiosa complexione intuentis, postea verò ab illo dimanantem; & aërem proximum inficientem, donec se se oculis lędendi, vel inficiendi insinuet, & ex oculis eius,quæ pars tenerrima citius inficitur,se penetret in corporis partes interiores; de hac, inquam, fascinatione quam naturaliter fieri, docent Philosophi, & Theologi recentiores; non agitur in pręsenti; sed de fascinatione propriè dicta, quæ Poëtica seu vulgaris dicitur, quam ipsa visione cum imaginatione maleuola fieri volunt; illa enim non est aliquid naturale, sed fabulosum superstitiosumque, pendens à dęmonis maleficio, qui strigi vel sortiario ex pacto nocere volenti cooperatur; vndè sic definiri potest, *Fascinum est perniciosa qualitas dæmonum arte illata, ob tacitum vel expressum hominis cum dæmone pactum*: De quo inter alios vide Tostatum *in Genes. quæst.11. & numeror. cap.21. à quæst.9.* & Franciscum Valesium *lib. S. Philosoph.cap.68.* ad illud Sapientiæ c.4. *Fascinatio nugacitatis obscurat bona*; & D. Pauli cap.3. Epistolæ ad Galatas; *O insensati Galatæ, qui vos fascinauit, non obedire veritati?*

Secundum genus est *Veneficium* propriè dictum; etsi enim aliqui nullum agnoscant huiusmodi,quia putant sagos nonnisi vero ac naturali veneno nocere posse; nihilominus tamen permittente Deo suis maleficijs sagos cõplures mortales grauissimis morbis, vel morte afficere, tàm authoritate Patrum,quàm historijs omnium ferè gentium compertissimum habetur. Huiusmodi autem Veneficia contingere, vel introsumptione, vel applicatione exteriore per contactũ inungendo, in faciem insufflando docet Grillandus q.3. & 5. Ad hoc maleficiũ Delrio lib.3. q.4. sect. 2. reducendum putat peculiare quoddam Arabum scelus quod *Scopelismum* vocabant; & de quo fit mentio L. *cum quędam* ff. de extraordin. crimin. cuius hęc sunt verba. In Prouincia Arabiæ scopelismon crimen appellant, cuius rei admissum tale est. Plerique inimicorum solent prædium inimici scopelizein, id est lapides ponere, indicio futuros, si quis eum agrum coluisset, malo letho periturum esse insidijs eorum,qui scopulos posuissent: Sic Vlpianus. Et Pineda commẽtario in Iob de hoc crimine interpretatur illud cap.5. v.23. *Sed cum lapidibus regio-*

regionum pactum tuum. Licet etiam huc referre maleficium vetus *Circi aurigariorum*, de quo B. Hieronymus in vita S. Hilarionis, nec non *Saccularium* crimen de quo Iurisconsultus ait, hoc nomine vocatos, *qui vetitas artes exercentes in sacculos partem subducunt partem subtrahunt*. L. *Saccularij* ff. de extraord. crimin.

Tertium maleficij hostilis genus cōplectitur aborsum, difficilem partum, lactis exsiccationem, quorum plura suppetunt exempla apud Delrium relata. *Quartū* Sagittarios, seu Balistarios, quorum Innocentius III. Papa vocat artem mortiferam & lethalem; nam ex pacto ipsi addicunt dęmoni corporis & animę dominium; & ille vicissim pollicetur se adfuturum, vt quem longissimè dissitum volent, infallibili ictu traijciant: Solemnia seu ritualia istius maleficij refert Delrio loco citato, ex Sprēgero *parte 2. Mallei, quæst. 1. cap. 6.* Meminit etiam Olaus Magnus lib. 3. cap. 17. alterius generis *sagittariorum*, nempe Lappones & Finnos de plumbo conficere iacula magica, digiti longitudine, & ea per quævis dissita loca mittere in eos, de quibus vindictam expetunt; & hos oborto carcinomate in crure vel brachio, intra triduum vehemētia doloris emori. Ab his non multum discrepat genus maleficorum, qui quasdam fabricantur imagines, quas vel acubus pungunt, vel igne liquant, vel confringunt; & sic certum ijs, quos tales imagines designant, interitum tabe, vel alio mortis genere adferunt, ex pacto cum dęmone inito, in cuius nomine solent tales effigies baptizare, & nomen occidendi illis indere.

Quintum maleficij hostilis genus, variorum morborum est illatiuum; etsi enim Auicenna, & aliqui alij negent dęmones morborū irrogatores seu immissores esse posse; quod possint morbi ex naturalibus causis oriri; minus tamen rectam esse hanc ratiocinationem plura demonstrant S. Scripturæ testimonia, quibus dęmonum ope varias infirmitates fuisse inductas superius vidimus; docentque optimi Medici Condronchus, Cęsalpinus, Fernelius, Valesius, alijque plures; quod spectat ad modū quo dæmon morbos inferat, accuratè illum explicat citatus Valesius S. Philosophiæ cap. 28. Quo pacto venefici morbi ab alijs sint dignoscendi, ex parte discutiunt Exorcistæ quidā, sed plenius Medici. Exorcistarum indicia proponit *liber Sacerdotalis Sammarini*; Medicorum vero Ioann. Bapt. Condronchus *lib. 3. de morb. venef. cap. 13.* Vbi docet signa hęc vel communia esse cunctis maleficijs, vel peculiaria quibusdam: Andreas Cęsalpinus *de inuestig. dæm. cap. 22.* Iidem etiam agunt de remedijs naturalibus cōtra maleficia, & ex illis Delrio *lib. 6. disquis. cap. 2. sect. 2. q. 3.* agit de remedijs supernaturalibus diuinis seu Ecclesiasticis, quæ solent carere omni peccato, sineque vllo periculo adhiberi queunt.

Sextum genus omniūque prodigiosissimum est illud, quandò per os, vel imum gutturem eijcit æger spinas, ossa, ligna, saxa, frusta vitrorum, acus, cultros, & alia similia ferramenta; glomos pilorum, pannos, seta, cęteraque huiusmodi, quæ vel comestione, vel aliter in corpus immitti potuisse videtur impossibile: cum tamen quotidiana horum habeamus exempla. Quo igitur modo id fieri possit breuiter explicandum est. Primum consentiunt veteres, nouitijque Medici; quędam in corporibus humanis solere interdum ex prauis humoribus naturaliter coalescere, vt sunt rophi, lapilli, capilli, oscilla, conchylia, spinæ, glomi pilorum, aliaque huiusmodi; cęterum non possunt naturaliter in corpore humano generari ex vlla putrefactione, acus, cultri, forfices, & huiusmodi metallica artificiosè pręsertim informata; vnde necesse est hęc omnia dæmones per maleficos operari. Quod pluribus modis fieri potest, primò per sensuum illusionem, vt quis putet ista in corpus ingeri, vel egeri. Secundò citra fictionem dum res huiusmodi per dæmonem in os occultè ingeruntur, vnde mox eijciantur. Possunt etiam alijs corporeis

poreis partibus inferi, & includi; quod iterum duobus modis fieri posse videtur. Primus est ex Binsfeldio, vt dæmon profundo somno demergat hominem, & sensum doloris eximat; tùm dextrè incidat membrum, & materiam illam duram imponat; denique eadem subtilitate vulnus adeò cōsolidet,vt nulla cicatrix, vel vestigium relinquatur; quod periti Chirurgi nonnunquam faciunt. Alter modus ex Syluestro est, dæmonem peritia pollere, res solidissimas diuidendi, & comminuendi in partes minutissimas, etiam instar pulueris, & eas iterum vniendi, applicatis, sicuti opus, naturalibus actiuis.

Omnium tamen optimus & facillimus id explicandi modus est,si asseratur tales res nūquàm esse tantæ molis, quin dæmonum industria facilè transire possint ad intestina per guttur, stomachique orificium; maximè cum huiusmodi partes vi aliqua adhibita possint etiam extra ordinem dilatari; cuius rei duas historias ad fidem faciendā adhibet testis oculatus, chirurgiæ laude clarus, Ambrosius Paræus *lib.2.chirurg.cap.*17. Prior est de studioso, qui cum spicam germinis deglutiuisset, eam postea illæsus integram expulit. Posterior est de opilione, qui semipedalem cultellum, cui corneum erat manubrium crassitudinis pollicis, in fauces à prædonibus ore aperto adactum sex solidos menses in corpore retinuit; & tandem nata in inguine vomica, inde Chirurgus extraxit; si igitur natura id potuit & casus, cur ex proposito id adnitens nequeat ille mille artifex solertissimus; absque eo quod ad alios difficiliores modos recurramus.

Septimum genus est *maleficium deuouendi*,ex diuinis enim Scripturis,Catholicis omnibus certum est, energumenos à dæmonibus sæpè inuadi, & possideri, vel obsideri; hoc est dæmones in hominum ingredi corpora, & simul potestatem aliquam eos affligendi seu vexādi accipere: ambo enim requiruntur,vt quis sit energumenus; qua de re doctè *Biblioth.Theol. Tom.IV.* post Mengum *in fuste dæm.*& Polydorū *de Exorcis.*Petrus Tyræus disserit *disput. de dæmonib.* *Octauum* est *maleficium ligaminis*,quandò malis verbis homo redditur, vt loquuntur canones, frigidus & maleficiatus, hoc est, ad actum coniugij inidoneus. Ad quod præstandum diabolus vtitur modis seu formis pene infinitis. Sane author *Dęmonomaniæ* plures quinquaginta reperiri scripsit; & Ananias *lib.4. de natur. dæmon.* tam in fæminas, quàm in viros hoc maleficium grassari verè dixit, sed tamen facilius & frequentius in viros cernimus hoc malum serpere; quod aliquando est in diē, aliquando in annum, aliquando etiam in perpetuū; aliquando quo ad omnes, aliquando quo ad vnam dumtaxat personam certam. Quod vocant doctores maleficium respectiuum. Huic maleficij generi videtur annumerandum,quod refert Saxo Grammaticus *lib.14. Histor. Danorum*,his verbis; *Mares in vrbe Korentina, apud Rugianos, cum fæminis in concubitum admissi*, canum exemplo cohęrere solebant: nec ab ipsis morando diuelli poterant. *Nonum* est *maleficium odij & obliuionis*,quo fit vt viri vxores ita negligant, vt videantur earum non meminisse; nec non *incendij*,non enim animum inflammant modo,sed & corpora, & domos & oppida homines malefici.

Quod spectat modo ad personas, quibus malefici queant nocere. Cum draco ille antiquus vsque ad iudicij diē mansurus sit ligatus Apocalips. cap. 20. certum est illum nemini posse nocere, nisi cui Deus permiserit, & quantùm permiserit. Sic Matth.8. vt porcos subiret, à Christo veniam petijt, nec mendaces facere Prophetas Achab. 3. Reg. cap.22. nec Iobum affligere sine diuina potuit permissione. Quare cum per dęmonem damna malefici inferant; sequitur eos illis omnibus nocere posse, quibus ne noceant, Deus non prohibuerit, siue sint homines boni, siue mali, de facto tamen sæpius nocent malis & peccatoribus, quam iustis & bonis. De iudicibus & iustitiæ ministris præcipuè

quæri solet, an & his nocere queant malefici? communis multorum opinio est, ex speciali priuilegio illis concesso, non posse; quod priuilegium alij limitant post rei capturam: prudentius Anan. *lib. 4. de natur. dæm.* ad eos iudices, qui hoc digni nomine, hoc est, qui Deum præ oculis habentes rectè riteque suo funguntur officio.

De nugatoria seu vana obseruantia, tertia Magiæ nigræ, seu dæmoniacæ specie.

Vana obseruantia definiri potest, quod sit, *Magia superstitiosa; qua commodum aliquod speratur ex re, quæ nec supernaturaliter eo pertinet, neque naturaliter id præstare potest.* Vocatur *vana*, quia eius virtute & efficacia vel nequimus consequi finem intentum, vel si consequamur plus noxæ, quam commodi adfert, quia homo illa vtens animæ detrimentum patitur, vt aliquam tantùm vtilitatem in rebus corporeis vel temporalibus percipiat: Et hinc rectè ponitur in eius definitione quod sit *magia superstitiosa*. Dæmones enim medijs inefficacibus se communiter ingerunt, vtendo eis vt instrumentis ad effectus aliquos edendos, ac per consequens implicando his retinaculis hominum mentes. Differt vana obseruantia, à diuinatione in fine, eo quod diuinatio tota refertur ad cognitionem rerum singularium occultarum superstitioso modo consequendam vt dicetur infra; at vana obseruantia licet habeat admixtum aliquid cognitionis, sicut omnes humani actus: cæterum præcipuè ordinatur ad alias commoditates siue animi siue corporis. Hanc aliquando lethale, aliquando etiam veniale peccatum esse docent Theologi 22. quęst. 96.

Quantum ad eius diuisionem solet per ordinem ad causam finalem reduci ad quatuor potissimum quasi species, Prima est quando expectatur commodum in rebus exterioribus seu fortunæ vt in animalibus, segetibus, vineis, bona aeris constitutione &c. Secunda quando expectatur bonum aliquod corporis vt sanitas, liberatio à carcere, hostibus, ferro, igne & aqua, prosperitas in itinerando, & alia huiusmodi. Tertia quandò expectatur bonũ animæ naturale, vt ars, vel scientia aliqua. Quarta quando expectantur bona supernaturalia, vt sunt remissio peccatorum per aliquas certas orationum formulas, nec à Deo, nec ab Ecclesia ad hoc institutas, vel ordinatas. Per ordinem ad causam materialem, siue res, vndè vanæ desumuntur obseruationes, vt sunt innumeræ, ita etiam innumeræ poni possunt vanarum obseruationum species.

Quia autem tota fermè præsentis materiæ difficultas est, vndè dignosci queat, quando sit vana & superstitiosa aliqua obseruantia, huic etiam suæ non desunt regulæ. Primò si constet, quod effectus intentus superet naturæ vires, tunc diligenter examinandum est, an per sacram Scripturam vel Ecclesiæ definitionem, aut approbatam ab ea traditionem talis effectus Deo tribuatur; si enim nihil huiusmodi reperitur, effectus tribuendus est pacto cum Dæmone inito vel tacito, vel expresso, & proinde censenda magica superstitio, vt minimum vanæ obseruantiæ. Secundò, si constet, rem cui tribuitur effectus, hanc vim à Deo vel à natura habere, non est vana obseruantia ex parte effectus, sed posset esse vana, ratione alicuius vanæ circumstantiæ, vt quod fiat tali hora certa, tali loco vel tempore, illa vel illa manu &c.

Ex his duabus regulis infertur esse vanam obseruantiam. Primò si ad productionem effectus requiritur fides in ipsum hominem, qui sanaturus est. II. Si effectus attribuitur magicis imaginibus figuris, sigillis, characteribus, verbis, annulis quos vocant Salomonis, Machabęorum, Elisæi, Zachariæ, Constantini, & aliorum. III. Si quis vtitur certis orationibus sacris, aut operibus pijs in rebus vanis, nec ad Dei cultum directè, vel indirectè pertinentibus. IV. Per

certa

certa ieiunia & orationes sine humano labore, sed secundum instituta cuiusdam artis, quam alij *Notoriam*, alij *Salomonicam* vocant, scientiam infusione acquirere velle, est vana obseruantia; plura contra hanc artem, & aliam Paulinam dictam, nec non Angelicam vel artem spirituum habet Baptista Segnius cap. 7. 8. & 9. de vero studio christiano; Raphael de la Torre 22. q. 96. artic. 10. V. Quando gestantur reliquiæ, vel Euangelium S. Ioannis, aut aliqui versus Psalmorum non ex deuotione tantum, sed adiunctis vanis circumstantijs, V. g. vt vel sic, hoc vel illo tempore, in hac vel illa materia sint scripta. VI. Huc referenda vanissima omniũ klidonistiki animaduersio, de qua B. Chrisostom. homil. 21. ad populum Antiochen. & D. August. lib. 2. de doctr. Christ. cap. 20. vt si membrum aliquod salierit; si iunctim ambulantibus amicis, lapis aut canis, aut puer medius interuenerit; & sic de alijs, quæ ab aurium tinnitu, sternutatione, nomine, fortuitis aliorum verbis, ab ijs quæ domi fiunt, ab ijs quæ in via contingunt desumi solent ad præcognoscendum aliqua fortunia, vel infortunia. VII. Potest nonnunquam vana obseruantia contingere in strenis primo anni die dandis, vt si id faceret quis vt omen vel augurium certum prosperi euentus; nam si animi recreandi, aut amicitiæ conseruandæ causa, pro consuetudine Christianorum illo die, nullum esset crimen: imo si faceret in honorem Circumcisionis Dominicæ, quam tunc celebrat Ecclesia: opus religionis exerceret.

VIII. Ad illud Pauli Galatas reprehendentis cap. 4. *Dies obseruatis, & menses, & tempora & annos; timeo vos, ne fortè sine causa laborauerim in vobis*; dicendum est vanam esse illorum obseruantiam, qui nulla permoti obseruatione motus, & influentiæ cælestis, obseruant dies, menses aut annos, non ad Dei cultum, sed ad directionem negotiorũ suorum, tanquam faustos, vel infaustos, siue quod idem est, tanquam ominosos, siue in bonum, siue in malum. Omnes ferè dies ominosos cunctarum nationũ colligit Alexander ab Alex. *lib. 4. dierum Genial. cap. 20.* Et hos dies vocat D. August. super c. 4. ad Galatas relatus Can. *non obseruetis*, & Can. *qui existimaret*: Aegyptiacos, quare autem sic vocẽtur, putant aliqui, quia in illis Deus plagas intulit Aegyptijs; sed hæc opinio reijcitur ab Abulensi cap. 15. Exodi qu. 15. tum quia non fuerunt tot diebus plagati, neque tot plagis Aegyptij, quot numerantur dies Aegyptiaci. Tum quia fabulosum videtur omnes illos dies plagarum pro omnibus hominibus fuisse à Deo maledictos, & illos funestos effecisse. Melius igitur alij docent dictos fuisse Aegyptiacos, quia ab Aegypto plena superstitionibus, adinuenti fuere. Singulo quoque mense duos Aegyptiacos dies notatos fuisse ait Abulensis vbi supra, & Petrus Brestaius lib. 1. notabil. cap. 53. huiusmodi dicit esse Ianuarij *primum & vigesimum quintum*: Februarij *quartum & vigesimum sextum*: Martij *primum & vigesimum octauum*: Aprilis *decimum & vigesimum*: Maij *tertium & vltimum*: Iunij *decimum, & decimum septimum*; Iulij *decimum tertium, & vigesimum septimum*: Augusti *primum, & vigesimum quartum*: Septembris *tertium, & vigesimum primum*: Octobris *tertium & vigesimũ secundum*. Nouembris *quintum, & vigesimum octauum*: Decembris *septimum & vigesimum secundum*. Exempla plura horum dierum superstitiosorũ suppeditant Sancti Patres: præsertim Ambrosius explicans locum Apostoli ad Galatas cap. 4. D. August. epist. 119. cap. 7. in Enchirid. cap. 79. Ex modernis videri possũt Martius de Arles trac. de superst. Raphael. de la Torre 22. q. 96. artic. 3. disput. 2. Carena tom. 1. de inquisit. Circuelus opere Hispanico de superstit. & alij. IX. tandem & vltimo loco sunt obseruantiæ vanæ in malis depellendis, & morbis sanandis variæ: quibus etiam referendę sunt innumeræ orationum formę, quibus vulgo sanantur vulnera, vel morbi curantur, vel infortunia

tunia arcentur, fures deteguntur, aliaque similia, quę apud Martinum Delrium lib. 3. disquisit. in fine consuli possunt.

De diuinatione quarta, & vltima Magiæ Dæmoniacæ specie.

Satis constat ex titulo præsentis paragraphi non agi in illo, de diuinatione, seu prænotione quæ manat à Deo & in diuinis Scripturis vocatur *prophetia*; cuius etiam duo quasi suprema genera in illis reperiuntur, vnum per Sacerdotes, alterum per Prophetas. Et si enim sæpe, qui Prophetæ, iidem & Sacerdotes erant, aliter tamē futura prædicebant, quatenus Sacerdotes, aliter quatenus Prophetæ. Sacerdotalis enim prophetiæ modus cōsistebat in applicatione Ephod; Prophetarum autē oracula fiebant per visionem & somnum: de quibus vide Alphonsum à Castro in duodecim Prophetas minores, Martinū Delrio, & alios, qui prophetiæ naturam & species exactè describunt, nec non etiam regulas aut signa adducunt, quibus vera prophetia, siue reuelationes diuinæ discernendæ sunt à diuinatione, seu diabolica reuelatione. Non agitur etiam de diuinatione seu prænotione naturali, quæ sumitur ex signis, vel causis naturalibus, quæ vt plurimum vocari solet pręsagium vel coniectatio, strictè sumptis vocabulis; hanc enim esse licitam, quando procedit ex consideratione causarum, signorumve, cum vera prudentia coniunctorū concedunt omnes; sicut per oppositum est illicita & ad dæmoniacam accedens diuinationē quando secus fit, vt videbitur paragrapho subsequenti.

In pręsenti ergò tantum est sermo de prænotione dæmoniaca, quæ deriuatur ex pacto tacito, vel expresso cum dæmonibus, & vocatur simplex *diuinatio*; cuius etiam consideratio facit ad intelligentiam plurium S. Scripturę locorum Leuitici c. 20. v. vlt. Deuteron. 18. v. 11. vbi primum damnatur; *Vir siue mulier in quibus Pythonicus, vel diuinationis fuerit spiritus morte moriantur. Lapidibus obruent eos: Sanguis eorum sit super illos.* Sic Saul 1. Reg. cap. 28. contra hos pęnam mortis sanxit, vel potius à Moyse sancitam executus est. Hinc Theologi docent illicitam esse prorsus, suaque natura lethalem hanc diuinationis speciem; quamuis ex aliquibus circumstantijs fiat aliquando veniabilis apud Valentiam 22. Disput. 6. q. 12. punct. 4. solet definiri, quod *sit significatio occultorum ex pactis conuentis cum dæmone.*

Quantum ad eius diuisionem multiplex potest adduci, primò ratione cognitionis intentæ rerum occultarū, potest diuidi in superstitiosam, & non superstitiosam, siue illicitam tantùm: Diuinatio non tantum illicita, sed etiam superstitiosa est, quādo quæritur cognitio rerum ipsi dæmoni incognitarum, sicuti est certa rerum merè contingentium & liberarum notitia; vt sunt primò quæ dependent absolutè à voluntate Dei cuiusmodi sunt omnia supernaturalia mysteria, nec non in ordine naturali gubernationes & mutationes regnorum ac rerumpublicarum, quia corda principum sunt in manu Dei, qui solus illa immutat vt lubet. Secundò ea, quæ dependent ex arbitrij humani libertate, vt quid cras sim facturus vel cogitaturus. Tertiò quæ sunt omnino & propriè futura contingentia, quamdiu illa non habent certam & determinatam causam. Illicita verò tantùm & non superstitiosa diuinatio est, quando præscisè ab eo quæritur cognitio, quæ demonis scientiam non excedit, si velit verum dicere. Primum enim ex illis, quæ certò nouit, potest dæmon multa probabiliter, & coniecturaliter prædicere. Summam enim diuturna obseruatione sibi experientiam comparauit, & pollet angelico ingenij acumine, & optimè nouit rerū naturalium facultates, & ad quid valeāt, hominum voluntates, mediante appetitu sensitiuo, inclinare: nouit omnium hominum temperamenta affectusque, nouit quid ex his & illis sequi soleat. Vnde contingit, vt sæpè ad amussim præ-

prædicat, quid & quando homines sint facturi, vel etiam quod Deus hunc vel illum populũ sit puniturus, quod princeps sit de solio exturbandus &c.

Secundo potest diabolus certò prædicere quæcumque dependent à causis necessarijs, quæ quidem ab alijs causis naturalibus nequeunt impediri, vt sunt motus cælorum, eclypses, coniunctiones astrorum, & alia eiusmodi; insuper ea, quæ permittente Deo, nouit se facturum; sicut V.g. si Deo permittente ipse pestilentię alicuius auctor & illator fuerit, vi mali cessatura certo die, nouit infallibiliter pestem cessaturam; idque certius adhuc, si ex pacto, ad certi signi alicubi reconditi, vel condicti sublationem morbus desinere debet: poterit certò finem mali scire, illumque prædicere. Item quæ intellexit per reuelationem; siue illa contineantur in sacris litteris, siue aliter dæmoni fuerint manifestata; quo pacto tam multa olim malignos spiritus prædixisse de fidei arcanis legimus.

Tertiò nihil dubitandum præterita dæmonem omnia memoria retinere, quę vel aliena relatione accepit, vel ipso coram gesta fuere; idem dicendum de pręsentibus, nam quæcumque actu exteriore prodita sunt, vt secreta furta, res perditæ, thesauri olim defossi, metalla subterranea, aliaque huiusmodi, quæ hominum cognitionem fugiunt, dæmonibus nota sunt. Et quamuis iuxta probabiliorem D. Thomæ sententiam virtute sua naturali, nullas possint cognoscere affectiones liberas, vel cogitationes spontaneas hominis, sine alicuius manifestatione; tamen si cogitatio vultus, vel membri alicuius motu, aut mutatione, vel alio extrinseco signo prodatur: peritius & solertiùs, quàm exercitatissimi medici ex huiusmodi dęmones indicijs internas animi affectiones deprehendunt. Potest etiam veterator adeò vehementer phantasmatibus immissis hominem turbare, vt vix ad aliud aduertere, vel aliud queat tum cogitare, quam quod ab eo suggestum fuit, vt ita videatur diuinare, quæ homo cogitat. Tandem dæmones qua pollent celeritate, quæ in remotis longo itinerum interuallo regionibus geruntur ea tàm celeriter denuntiare possunt, vt diu ante prædicta ab ignaris putentur.

Iterum cum diuinationis omnis fundamentum, sit implicitum, vel explicitum pactum cum dæmone omnes diuinationis species, quæ sunt penè innumeræ ratione diuersorum instrumentorum ad illam inseruientium, ad duo potissimum capita possunt reduci, quorum primum complectatur eas, in quibus clarè cognoscitur pactũ expressum; posterius cæteras. Primi summa quasi genera sunt duo, *Oraculum*, seu *Dæmonomantia*, & *Mangania*, siue *Goitia*, quorum iterum plurimi sunt modi. Oracula enim aliquando vel ex antris, vel ex statuis, vel ex hominibus reddita fuisse à dęmonibus legimus, & quamuis aliqui non veteres tantum, sed & recentiores viri eruditi huiusmodi oraculorũ causam physicam reddi posse existimauerint, peculiarem videlicet quamdam loci illius è terra exhalationem quæ fanaticos efficiat; nihilominus verior, hoc est Christiana Philosophia, cui Fernelius *lib. de abditarum rerum causa*, & Condronchus *lib. 7. de morb. malef. cap. 8.* duo insignes medici subscribunt, censet effectus tales adscribendos esse dæmoni adsistenti, vel obsidenti hominem, specum, statuamve; & tantum per accidens fieri, vt dæmon potius hæc, quam illa loca, vbi talis non est exhalatio, veluti accommodatiora instituto suo deligat, sicut & libentius obsidet atrabiliariorũ corpora. Quare quod, expurgato medica mentis corpore, vaticinationem aliquando cessasse legatur, hoc inde fit, quia dęmon illa corpora deserebat, in quibus non inueniebat amplius amicas sibi dispositiones. Quod verò prisca omnia cessarint oracula, non tam tribuendum vapori, vel exhalationi deficienti, quam virtuti Saluatoris nostri Iesu Christi, qui superueniens fortior, forti armato hęc deceptionis vasa extorsit.

Man-

Manganiæ similiter, siue *Goitiæ*, plures sunt modi; *Primus* est ille, quem Græca denominatione *Necromantiam*, hoc est diuinationem per mortuos communiter appellamus; de qua non desunt, qui illud Regis Prophetæ intelligant Psal. 105. *Comederunt sacrificia mortuorum*; & illud Isaiæ cap. 8. v. 19. *Num requiret pro viuis à mortuis*. Ingeniosum de hac re edidit opusculum Stephanus Forcatulus Iurifcōsultus. *Secundus* modus est Hydromantia, seu diuinatio per aquam; cuius iterum septem modos, siue species refert Mart. Detrio. *Tertius* λεκανομαντεία, quando in peluim plenam inijciunt cum varijs characteribus pretiosos lapides, auri argentique laminas, tum responsum ex peluis fundo auditur. *Quartus* γαστρομαντεία, quia fit per phialas vitreas ventricosas similiter aqua plenas: & inspectante puro puero, vel prægnante muliere, responsi loco, certę figuræ & imagines apparent. *Quintus* κατοπτρομαντεία, quæ rerum quęsitarum figuras in speculis exhibet politis. *Sextus* non dissimilis præcedenti dicitur κρυσταλλομαντεία; fit in cristalli frustis annulo, alterive vasi inclusis, vel etiam nudis, & in cylindrum aut obclū conformatis; quibus fingit se dæmon inhabitare. *Septimus* est δακτυλομαντεία, quæ diuinat annulis ad certam cęli posituram constructis, vel incantatis, & super tripodem ad certa verba motis. *Octauus* ὀνυμαντεία, siue ὀνυχομαντεία vocatur, quod oleo ac fuligine impolluti pueri vnguis illiniatur, & vngue solē versus obuerso, certum quid submurmurando, videntur quæ cupiuntur. *Nonus* ἀερομαντεία, quæ ex aere coniurato reddit oracula. *Decimus* φαρμακεία, qua vtuntur incantatores, qui diuinant freti solo dæmonis commercio, præter incantationem adhibentes pharmaca.

Vndecimus κοσκινομαντεία, seu diuinatio ex cribro, quia cribrum imponunt forcipi, forcipem binis digitis comprehendunt & eleuant, & præmissis verbis conceptis subijciunt nomina eorum de quibus suspicātur eos furtum, vel aliud occultum crimen patrasse: reum verò indicant illum, quo nominato cribrum nutat, mouetur, vel conuertitur, quasi qui digitis forcipem tenet, arbitratu suo cribrum mouere non possit. *Duodecimus* est ἀξινομαντεία, qua securis rotundo infigitur palo, & ex eius motu fur deprehenditur. *Decimustertius* κεφαλαιονομαντεία dictus, fit asini capite super prunas asso. *Decimusquartus* κλειδομαντεία, per clauem, cui circumdant chartulam inscriptam nomine suspecti; deinde clauem alligant Sacrę Scripturæ codici: hanc virgo sustentat, & verbis certis murmuratis chartula ad nomen criminosi vertitur, moueturque.

Quantum modo ad alias diuinationis species, in quibus vel non est explicitum pactum, vel latens admodum, reuocari possunt ad tria capita, Ariolationem, siue Haruspicium, Augurium siue auspicium, & sortes. Etsi enim ariolatio latissima significatione omnem interdum complectatur diuinationem, hic tantum strictè sumitur, secundum quod Isidorus lib. 8. etymolog. cap. 9. dicit, *Ariolos vocatos propterea, quod circa aras idolorum nefarias preces emittunt, & funesta sacrificia offerunt, ijsque celebritatibus dæmonum responsa accipiunt*. Vnde etiam *Haruspicina* rectè vocari potest, non ab obseruandis horis, vt vult idem Isidorus, sed potius à veteri vocabulo *Haruga*, quod teste Donato hostiam significabat. Sic vtrumque nomen media quadam, & modica latitudine in pręsenti vsurpatur, pro tota ἱεροσκοπεία veterum, siue disciplina diuinandi in sacrificijs Gentilium seruari solita; in qua licet olim semper interuenerit idololatria expressa, non tamen semper pactum explicitum: hodie fieri potest vt neutrum interueniat, sed implicitum dumtaxat pactum.

Primus huius diuinationis modus erat ex viuę adhuc victimę obseruatione. *Victimarius* siue θυματικός dictus. *Secundus*, quo motus & singula mactatę hostiæ mēbra rimabantur, iecur maxime, vnde Græcis dicta ἡπατοσκοπία.

Ter-

Tertius πυρογνωμία, quando pix trita in ignem ſpargebatur, aliquando tedæ pice illitæ accendebantur, & certis characteribus ſignabantur, & ſi flamma tedarum in vnum coibat, proſperum, ſi lambens & diuiſa apparebat, infelicem, ſi tricuſpis aſſurgebat, glorioſum euentũ; ſi variè diſperſa, in ęgro mortem, in ſano morbum, ſi crepitans infortunium, ſi ſubito extincta, ingens periculum ominabatur. *Quartus* eſt nubila καπνομαντεία, hoc eſt fumi obſeruatrix. *Quintus* propriè dicta λιβανομαντεία, ſiue ex thure diuinatio. *Sextus* Τεφραμαντεία, ſiue σποδονομαντεία, qua diuinabant olim ex cineribus ſacrificiorũ. *Septimus* ὑδρομαντεία & οἰνομαντεία, qua conſiderabant colorem vtriuſque laticis in ſacrificio fuſi. *Octauus* ducebatur ab edulibus varijs, vt critomantia, aleunomantia, tiromantia, ichiomantia, & ſic de alijs. *Nonus* eſt κηρομαντεία, cum cera liquatur, & aquæ guttatim inſtillatur, & figuræ inde ortæ obſeruantur. *Decimus* ἀνθρωπομαντεία, quæ rimabatur hominum mactatorum fibras ac viſcera; ad quam commodè reducitur ſacrificiũ filiorum in Tophet, vbi igne abſumebantur in honorẽ Moloch. 4. Reg. c. 23. & Ezechielis cap. 20. ver. 31. *Vndecimus* δαφνομαντεία ex laurei rami combuſtione, proſperum ſignum ſi obſtreperet cũ fragore; infelix ſi taceret. *Duodecimus* βοτανομαντεία, cum ex verbenæ, lunariæ, ſaluiæ, myricę, ficus, & aliorum ſimplicium folijs, ramulisve conſignatis nomine quærentium & quæſtione, cognitio futuri petebatur. *Decimus tertius* ὀμφαλομαντεία obſtetricum propria, quæ per nodulos vmbilico, & ſecundinis adhærentes conijciunt quoties puerpera ſit poſtmodum paritura. *Decimus quartus* ex eodẽ obſtetricia ſchola profectus eſt ἀμνιομαντεία, ex membranis ſcilicet quibus fętus in vtero materno inuoluitur, diuinatio, de cuius vanitate legendus Leuinus Lemnius *lib. 2. de occultis nat. miracul. cap. 8. Decimus quintus* eſt æque ridicula Iudæorum diuinatio per *Ieduim* quoddam animalis genus, de qua ex profeſſo agit Andræas Libanius *par. 2. ſingular. diſputationum. Decimus ſextus* eſt λιθομαντεία, diuinatio ex lapide, de qua aliqui intelligendum putant illud Leuit. 26. v. 1. *Nec titulos erigetis, nec inſignem lapidem ponetis in terra veſtra, vt adoretis eum.* Nam vbi vulgata editio habet *lapidem inſignem*, aliqui vertunt *lapidem imaginationis*, vel *lapidem ſpeculationis*. *Decimus ſeptimus* ῥαβδομαντεία, diuinatio ex virgis, quæ iterum multiplex eſt. *Decimus octauus* λαμπαδομαντεία, quando nonnulli candelam in B. Antonij vel alterius Sancti, honorem accendunt, ſicque ſe res perditas confidunt inuenturos. *Decimus nonus* παρθενομαντεία ſiue diuinatio qua virginitatem puellæ explorabant, & ſic de alijs de quibus vide Michaelem Medinam *lib. 2. de recta in Deum fide*, & Iulium Sirenium de fato lib. 9. cap. 15. & 16. De Virginis explorandæ ratione, an naturaliter haberi poſſit vide Valeſium de ſacra Philoſoph. cap. 25. ad illud Deuteronomij 22. *Si duxerit vir vxorem, poſtea odio habuerit eam* &c. & Paulum Vecchi in obſeruat. medicis ad eumdem locum cap. 141.

Secunda diuinationis implicitam dumtaxat pactionem habentis ſpecies, eſt *auſpicium*, ſiue *augurium*, quæ voces licet aliquando ſtrictius ſumi ſoleant, nunc tamen eo extenduntur, vt ſignificent obſeruationem cunctarum rerum ſubito, & ex inopinato, inſolitoque accidentium, inſtitutam ad cognitionem futurorum, vel occultorum; ſic accepta reduci poteſt ad quinque modos, primũ ex cælo, ſecundum ex auium volatu, vel garritu, tertium ex tripudio pullorum, quartum ex quadrupedibus, quintum ex diris & portentis. Quæ omnia incerta, & illicita eſſe ſatis conſtat ex varijs Sacræ Scripturæ locis, *Leuit.* cap. 19. v. 26. *non augurabimini*. Deuter. c. 18. v. 10. Eccleſiaſt. 34. v. 5. Ieremiæ 27. ver. 9. Vide Vvimpinam lib. de diuinat. cap. 3. & 4. & Raphaelem della Torre 22. q. 96.

Tertia tandem pars, ſiue ſpecies ſunt

fortes. Sors olim dicta *phur*, vt patet ex lib. Esther cap. 9. vers. 26. quam plerique Persicam, vel Susianam vocem esse volunt, melius tamen alij cū Diuo Hieronymo Hebræam. Sors autem ex Diuo Thoma 22. q. 95. artic. 8. triplex est diuinatoria, consultoria, & diuisoria. Diuinatoria vocari solet *κληρομαντεία*: quę ex genere suo prohibita est: talemque fuisse Ionæ sortitionem plures docent; varij sunt eius modi, sicut & aliarum, quæ suum à materia nomen habent: vt sunt *παλομβρτεία*, *πεττιμαντεία*, *κυβομαντεία*, *ἀστραγαλομαντεία*, quibus, bacillis, oscillis, talis, pillulis aut tabellis inscriptis in altum vel in vrnam conijcitur. In sacris litteris inueniuntur alique sortes ad *βιλομαντικὴν*, seu *ῥαβδομαντικὴν* potissimum pertinentes, vt est illa sagittarum de qua Ezechiel cap. 21. *Stetit enim rex Babylonis in biuio, in capite duarum viarum, diuinationem quærens commiscens sagittas interrogauit idola, exta consuluit. Ad dexteram eius facta est diuinatio super Hierusalem.* Cuius diuinationis, siue sortis diuinatoriæ modum & ritum sic explicat D. Hieronym. in comment. huius loci. *Stabit in ipso compito, & ritu gentis suę oraculum consulet, vt mittat sagittas suas in pharetrā, & commisceat eas inscriptas, siue signatas nominibus singulorum, vt videat cuius sagitta exeat, & quam prius ciuitatem debeat oppugnare. Hanc autem Græci βελομαντείαν, siue ῥαβδομαντείαν vocant.*

Altera est Oseæ cap. 4. versu 12. *Populus meus in ligno interrogauit, & baculus eius annuntiauit ei.* Etsi enim hunc locum D. Hieronymus velit intelligi de eodem diuinationis modo, de quo loco statim citato egit Ezechiel: quod etiam sentit Theophilactus in Oseam, licet aliter à D. Hieronymo explicet ipsum ritum; nihilominus apud Hebręos Rabbi Moyses in explicatione præcepti negat. 52. de alio modo hunc locum explicat, cuius ritum sic describit; decorticabant bacillum ligneum vno tantùm ex latere, tùm in aerem proijciebant. Si fortuito casu, primo iactu appatuisset superior pars decorticata; at secūdo iactu superior pars adhuc vestita, prosperum successum augurabatur: sin è contra primum pars vestita, infelicem; si vtroque iactu vestitum vel nudatū latus superius fuisset, mixtum euentū sibi pollicebantur. Sunt qui de hac eadem sortis diuinatoriæ specie intelligant locum Deuteron. cap. 8. ver. 11. *Vecholer chaber*; vbi enim vulgata nostra editio vertit *incantator*, recentiores aliqui vertūt, *iungens iunctionem*, vt exprimant quemdam modum *ξυλομαντείας*, qua per frusta lignorum iterum coeuntia diuinabatur.

Quintus modus est Geomantia, cuius laboriosa industria mentitur artem. Nam sexdecim figurarum in solo, vel abaco nomina *τεχνικὰ* dispungit, ex sexdecim additis diuersis punctorum coordinarionibus, quæ nomina singulis suis astris putant respondere. De cuius vanitate vide Conrad. Vvimpinam lib. de diuinat. cap. 5. & Iulium Sirenium lib. 9. de fato cap. 38. *Sextus* vocatur *στιχομαντεία*: fiebat primū aperto libro Homeri, vel Virgilij, & attento primo, qui obuius inspicienti, versu. *Septimò* loco venit ludus, qui describitur in *ὀδοιπόρος*, & alter quem vocant ludum pastorum, ad cognitionem matrimonij futuri, opum, dignitatum, liberorum &c. *Octauò ἀλεκτρυομαντεία*, quando definitus locus in partes æquales describitur, & vnicuique singulæ alphabeti litteræ inscribūtur: deindè singulis litteris granum frumenti imponitur, postea ad hoc enutritus oscen gallinaceus introducitur, qui grana comedat; tùm notantur litteræ, quarum primum grana depascitur; v. g. litterarum, P. E. T. tunc creditur notari, Petrus, Petronius, Petrucius, & quorum simili modo nomen inchoatur.

Nonus modus est *ὀνομαμαντεία*, quę petitur ex nomine consulentis per elementa nominis diuersimodè collocata, & quasi per anagrammatismum, faustū quid, vel contrarium indicantia. Hoc fuit Pythagoricum commentum. Fortassis

tassis etiam Gentilibus in vsu fuit alius onomamantiæ modus; quando ex ipsa nominis significatione omen accipiebant, vel aliquid futurum diuinabant. Etsi enim expertes sint culpæ, qui sedula diligentia, quędam per Angelos, vel homines Sanctos prophetico spiritu imposita nomina, cum eorum, quibus imposita fuere, munere virtutibus, aut exitu vitæ componunt, & ostendunt illa cum rebus conuenire; ad hoc enim nobis præit Angelus Matth. 1. Lucæ 1. & ipsemet Christus Simoni nomē Cephas imponens. Nihilominus à superstitionis culpa non sunt immunes, qui ex nominibus sic parentum arbitratu impositis, fortunas hominum & euentus futuros existimant dependere, indeque quid futurum sit ratiocinantur: pro vt rectè docet Ioannes Brodęus *lib.7. Miscellan. cap.5*. Vide Mersennium in Genes. cap. 3. vers. 22.

Decimus est ἀριθμαντεία, quæ fuit duplex, vna Gręcorum valorem litterarum considerantium, & futurum victorem augurantium, cuius nomen maiores numeros contineret. Altera Chaldęorum, qui alphabetum distribuunt in tres decades, quibusdam litteris repetitis, & nomina petentium resoluta commutant in numeros, & singulos numeros suis planetis attribuunt. Hac referenda illicita recentiorum Iudęorum Kabala, de qua cum lib.4. sect.7. simus acturi, non est quod in illa explicanda diutius hic immoremur; interim cōsuli potest Segnius *lib. de vero studio Christiano*; & melius Circuclus opere hispanico *in parad. quæstionibus quæst. vltima de Kabala Iudęorum*. Huic autem diuinationis modo confirmando, nihil facit, quod B. Ioannes in Apocalipsi cap. 13. nomen Antichristi per *666.* numerum significauit; tantùm enim numerorum inuolucris arithmeticis prophetiam cōtexit: quod & nobis liceret Spiritu Sancto id inspirante. Ipsis autem numeris vim aliquam diuinam, vel naturalem proprietatem tribuere, erroneum est.

Vndecimus, quem etiam Pythagoræ tribuit Plinius, est considerare in nominibus proprijs vocalium numerum; parem esse prosperum; imparem verò, orbitatis claudicationisue indicium. Circumfertur de his & similibus nugis liber Alchindrinæ, quem fingunt fuisse Aristotelis discipulum, superstitiosus planè, & flammis dignissimus. Ad hunc eumdem, vel etiam præcedentem modum referenda est communis illa circularis figura, in cuius media inter semilunas area, varij numeri Arithmetici ponuntur; tum in proximo circulo inscribuntur verba, *Vita, bona fortuna, mala fortuna, mors, morbus, sanitas*: in sequenti nomina planetarum cum certis numeris; in tertio Alphabetum latinis litteris capitalibus; in quarto denique certi rursus Arithmetici numeri; pro vt illam describit Georgius Pictorius in Epitome de Magia. *Duodecimus* tandem & vltimus modus poni potest ex Ioanne Leone diligenti rerum Africanarū scriptore lib.8. Hist. ὀρνιθομαντεία quędam sortiaria. In capsula abaculi forma cōstructa, quędam aluntur auiculæ, ad has veniunt, qui consilium quærunt, & obolum offerunt: auicula stipem accipit, inque capsulam infert rostro; deindè regreditur & responsum in chartula refert consultori. Tantùm de superstitiosis sortibus, partim diuinatorijs, partim consultorijs, quale autem peccatum sit illis vti, cum sit extra præsens nostrum institutum, consuli possunt Theologi 22. ad quęst.95. D.Thomæ, vbi de illis agit.

De coniectatione, & primum de Physica, siue naturali, eiusque speciebus.

Nter prænotionem prorsus licitam, seu diuinam, qualis est prophetica, & prorsus illicitam, qualis est ope dæmonum intenta occultarum diuinatio; medium veluti tenet illa, quæ aliquandò licita, aliquandò illicita esse potest, quā ad aliarum distinctionē vocamus *coniectationem*. Hęc vel est physica, seu naturalis; vel politica, seu ciuilis, quæ sortis nomen retinet. De prima nunc agimus

mus ad intelligentiam plurium S. Scripturæ locorum perneceſſaria; & ad illam reducimus, quæcumque ſignis & cauſis naturalibus innituntur, vel ſaltem ea non improbabiliter omnino prætexunt; cuiuſmodi ſunt Agricolarum, Paſtorum, Nautarum, Architectorum, Medicorum, Phyſiognomorum, Chiromātarum, Aſtrologorum, & Oniropolarum coniectationes, de quibus omnibus breuiter agemus, per ordinem ad ſigna & cauſas quibus fiunt.

Primum ergò occurrit coniectatio, ſiue iudiciaria ex aſtris Matheſis; cuius duæ ſunt ſpecies, prior omnino licita, poſterior aliquando licita, aliquando illicita. Prima ſpecies eſt *Aſtronomia*, quę nititur vniuerſalibus, veris & incommutabilibus principijs, & ſcientiam conſequitur futurorum artis ſuæ; veluti reuolutionis annorum, curſus ſyderum, diſtinctionis eorum, item naturæ Solis & planetarum, eclipſium, ſtationum, retrogradationum, aſpectuum, coniunctionum, oppoſitionum, & ſimilium de quibus infra; vnde de hac intelligitur illud Geneſ. cap. 1. de luminaribus cæli: *Et ſint in ſigna, & tempora, & dies & annos.* Signa, videlicet, quibus ordo ac diuiſio temporum notaretur, hoc eſt, vndè meridies, ac diei noctiſque horæ ſignarentur, item veris, æſtatis, autumni, & hiemis diuerſitas.

Altera ſpecies eſt Aſtrologia ad vitæ humanæ vſum potiſſimum accommodata, diſquirit enim in ordine ad illam aſtrorum qualitates, & paſſiones, quoſque euentus in his inferioribus decernant; vnde etiam iuxta quatuor principaliora, quæ ad vitam humanam ſpectanr, diuiditur in quatuor partes principales. *Prima* eſt Aſtrologia Medicinalis, ab alijs Iatromathematica dicta, omnino licita. Sicut enim humores noſtri corporis à cæleſtibus influxibus, ſuperioribuſque cauſis geniti, ab iiſdem ſuſcipiunt alterationem; nullus negare poteſt, quin eorum vires & motus, quā maximi ſint momenti in curandis corporibus. De quo vide Argolum in *lib. de diebus criticis, & ęgrorum decubitu.* Vndè non immeritò Alexander de Ales 2. parte Summæ, eos vocat Aromatarios, non Medicos, qui aſtrologiæ ignari ſunt. *Secunda* pars continet Aſtrologicas obſeruationes circa Agriculturam, reique ruſticæ œconomiam; quæ etiam eſt licita; quia vti rebus ad eos effectus, ad quos cauſandos naturalem habēt facultatem, vel quouis modo naturaliter conducere poſſunt, licitum eſt; certum eſt autem apud omnes cęlorum influxus plurimum valere in multis ad agriculturam, reique ruſticæ œconomiam pertinentibus; tunc ergò eos obſeruare non eſt illicitum. Sic in cędendis arboribus, vel lignis poteſt obſeruari lunæ decrementum, ne ligna cæſa in nouilunio, carie inficiantur. Vndè Columella lib. 14. *Omnis materia in ędificia, ſuccidi debet luna decreſcente, à vigeſima vſque in trigeſimam, quia ſic cæſa, iudicatur carie non infeſtari.* Item Agricolæ licitè obſeruāt quoſdam dies, propter influentiam ſyderum, & poſitionem, aptos, aut ineptos, his, vel illis effectibus: V.g. ad ferendū attenditur quod Sol in Scorpione, vel in principio Sagittarij: ad ſeminandas fabas in Tauro: ad ferendum hordeum, quod fit in Libra, vel in principio Scorpionis. Idem dicito de paſtoribus ad miſcendas mares fæminis, ad tondenda vellera, ad greges paſcendos & ſimilia. Notandum eſt tamen, hęc nimis attendere, ſi non ſuperſtitioſum, ſaltem noxium eſſe poſſe, iuxta illud Eccleſiaſt. 5. *Qui obſeruat ventum non ſeminat.* Tertia pars etiam licita complectitur Aſtrologiæ præcepta de nauigatione: obſeruationes enim extant quam plurimæ ab antiquis experimento comprobatæ, in quibus lunæ conſtitutio, cęterorumque planetarum aſpectus veniunt conſiderandi, antequam irer ſumatur per aquas.

Quarta tandem & vltima pars eſt illa, quæ per antonomaſiam prognoſtica, iudiciariaque vocatur; non ſolum enim iudicat de rebus inſignioribus, quę ſub orbe Lunæ eueniunt, puta de legum mutatione, aut fundatione, de euerſione,

ne, aut ſtabilimento regnorum, de bellorum ſucceſsibus aliiſque huiuſmodi; ſed inſuper inſpecto cuiuslibet hominis in particulari horoſcopo, id eſt, hora natiuitatis, & ea collocata ad ſyderum, & cæterorum corporum cęleſtium poſituram, & faciem, iudicat de complexione naſcentis, de ſtatu, fama, honoribus, dignitatibus, officijs, diuitijs, paupertate, nuptijs, ſobole, inimicitijs, direptionibus, furtis, morbis, morte ac denique de omnibus eius fortunijs & infortunijs. Et hęc Aſtrologiæ pars, partim eſt licita, partim illicita; ſi enim ex natalitia conſtellatione prædicat tantùm natorũ propenſiones, vel inclinationes v.g. ad litterarum ſtudia, ad tales virtutes, taliaque vitia; ſi, inquam, talis prædictio intra hos limites contineatur, non eſt illicita & vana, ſed ad vnam Philoſophiæ & Aſtronomiæ naturalis partem reducenda. Ratio eſt quia pręfatæ propenſiones, pręcipuè ab aſtris, & ſtellarum ſitu, vt à cauſa proficiſcuntur, vt multis in locis docet D.Thomas 22. quęſt.95. artic.5. ad 2. 1.p. quęſt.115. art.4. ad 3. ſed coniectare, ſiue cognitionem ſumere effectuum ex ſuis cauſis, ad veram ſcientiam pertinet, nec in ſe aliquid abſurdi continet, cùm hoc beneficium à Deo collatum ſit hominibus, vt ex cauſis procedant ad cognitionem ſuorum effectuum; ergò non poteſt eſſe illicitum. Quin imo ex eodem D.Thoma locis citatis, effectuum actualium, maximè mere contingentium, quales ſunt caſuales & fortuiti, & actus humani, leuem quamdam coniecturã poteſt deſumere Aſtrologus ex ſyderum poſitione & ſitu: nam vt ſtatim diximus, ex aſtrorum, ac ſyderum poſitione diuerſa, diuerſæ dimanant propenſiones & inclinationes in hęc inferiora, etiam in homines: hic ad Venerea inclinatur, ille ad rixas &c. Sed quæ eſt hominum procliuitas ad malũ, ferè omnes ſequuntur ſuas inclinationes, & paſſiones: ergo Aſtrologus, qui eas inclinationes ſemel agnouerit, ex cęlorum ac ſyderum poſitura, poterit aliqualiter coniectare de futuris euentibus actualibus etiam voluntarijs hominum, qui occaſionaliter ad eas inclinationes, tàm malas, quàm bonas conſequuntur. Quo ſenſu debet intelligi locus D.Thomæ 2. de Generatione: Qui ſciret virtutes cælorum, ſtellarumque in eis poſitarum, dum res aliqua naſcitur, poſſet iudicare de tota vita rei generatæ, licet hoc neceſſitatem non ponat & poſſit impediri per accidens. Verum quia raro aut leui coniectura, deſumpta ex experientia, orta etiam ex coniectura, & multis obuoluta erroribus, cognoſcuntur eiuſmodi virtutes; ideo etiam cognitio ab ea deſumpta perexigua eſt, & vix nomen coniecturæ meretur, vt benè conſiderauit Caietãnus 22. quęſt.95. artic.5.

Quod ergò in Aſtrologia Iudiciaria eſt omnino vanum, & illicitum, eſt velle ex ſyderũ obſeruationibus certò prędicere priuſquam eueniant, non ſolum naturaliter, & neceſſario euentura, ſed etiam ea quæ à caſu & fortuito, vt quod à lapide cadente interficietur homo, vel animali aliquo terram effodiente manifeſtabitur Theſaurus, imò & quæ ex humana libertate totaliter dependent. Hoc enim multis in locis ſacræ Scripturæ apertè damnatur. Iſaiæ 47. Ad populum Hebreũ qui Aſtrologos Iudiciarios conſulebat, Deus comminatur dicens: *Defeciſti in multitudine conſiliorum tuorum, ſtent, & ſaluent te augures cæli* (Septuag. *Aſtrologi cæli) qui contemplabantur ſydera & ſupputabant menſes vt ex eis annũtiarent ventura tibi: ecce facti ſunt quaſi ſtipula &c.* Et cap.44. *Ego ſum Dominus irrita faciens ſigna diuinorum, & ariolos in furorem vertens: conuertens ſapientes retrorſum, & ſcientiam eorum ſtultam faciens.* Et Hierem. 10. *Iuxta vias gentium nolite diſcere, & à ſignis cæli nolite metuere, quæ timent gentes: quia leges populorum vanæ ſunt*; quæ loca ſufficit ad præſens inſtitutum noſtrum inſinuaſſe; horum enim prolixior tractatio videri poteſt, apud Ioannem Picum Mirandulanum in opuſculo erudito, & prolixo, quod de hac materia ſcripſit, & in duodecim

decim libros diuisit, Benedictum Pererium *in opusculo de Magia lib.3.* Michaelem Medina *lib.2. de recta in Deum fide cap.2.* Iulium Cęsarem Bulingerũ in opusculis de hac re; Raphaelem de la Torre & alios plures ad 22. D.Thomæ q.95.

Quod autem obijciunt aliqui, Astrologorum prædictiones sæpe esse eisdem futuris euentibus consentaneas, ita vt magna ex parte sic contingant, sicut ab eis prænuntiantur. Respondetur primò hoc esse falsum; pro vno enim vero dicto possent mille mendacia notari, vt experientia docet; vndè si quid aliquãdo veri prædicunt, id temere, vel casu faciunt; *Quis enim*, ait Cicero lib.2. de diuinatione, *tota die iaculatur, qui non aliquando collimet.* Itaque quia ex multis prænuntiationibus, difficile est, quin vnum aut alterum casu eueniat; cum Astrologi multa nimis quotidie prædicant, plura coincidere possunt cum his quæ ex alijs causis eueniunt, licet casu respectu prænuntiationum eorum. Quia autem notant homines ob curiositatem, quod semel verum per accidens enuntiarunt, non verò quoties fallaces fuerint eorum prædictiones, ideo apud illos dicuntur veritatem euentuum futurorum certò præuidere; quo tamen nihil stultius absurdiusque dici potest. Secundò gratis admisso, Astrologos ferè semper vera prędicere, & in vno aut altero tantum deficere, dicendum est, nequaquam id accidere propter artẽ astrologicam ex inspectione syderum, sed alijs de causis. Prima ex occulta diuinæ prouidentiæ dispensatione, vt ait D. August. *in 4. & 7. lib. Confession.* Secunda ex pacto & societate inita ab Astrologo cum Dæmone, vt docet idem D. August. *lib.5. de ciuitate Dei cap.7.* & libro de Genesi ad litteram cap.17. Tertia ex sola prouidentia moralis prudentiæ: sũt etenim homines quidam, tàm exercitatione sagaces, vt ex hominum temperantis, inclinationibus, virtutibus, ac vitijs, tùm facultatibus, negotijs, studijs & occasionibus, multa eis ventura prænuntient. Quarta denique causa prędicendi vera, est credulitas stulta, qua interrogantes consultoribus suis facilè de his credunt, quæ ipsi vel maximè prosequuntur, vel fugiunt. Solet enim ea credulitas immittere credulis consulentium animis spem fælicitatis à diuinatore promissæ, aut metum calamitatis ab eo prænuntiatæ. Hi autem duo affectus potentissimi, sæpè efficiunt, aut certè multum prosunt, vt humana negotia optatos fines consequantur. Etenim vehemens quædam spes, ardensque desiderium incitant homines, vt ad bona sibi promissa comparanda diligentissimè accingantur, & omnibus suis viribus cõtendant, quo fit vt ea sæpè comparent. E contrario verò, metus, ac pauor prædictorum malorum sæpè faciunt homines inconstanter, ac timidè negotia aggredi, ac negligenter prosequi, & quocumque occurrente impedimento, turpiter & infeliciter deserere, eaque ratione in prænuntiata illis mala incidere: quorum plura exempla videri possunt apud citatos authores; præter illa quæ quotidiana suggerit experientia.

Secunda veluti species coniectationis Physicæ, seu naturalis aliquando licitæ, aliquando illicitæ, est diuinatio, quæ fit per somnia; si quis enim illis vtatur ad pręcognoscenda futura, secundum quod somnia procedunt ex reuelatione diuina, quorum in diuinis Scripturis plura habemus exempla, vel ex causa naturali intrinseca, vel extrinseca, quantùm potest talis virtus se extendere, tunc non erit illicita aut superstitiosa diuinatio; secus autem si causetur ex reuelatione dæmonum, cum quibus pacta habentur expressa, quia ad hoc inuocantur; vel tacita, quia huiusmodi diuinatio extenditur ad quod se non potest extendere. Quorum maior explicatio videri potest apud Raphaelem de la Torre 22. q.95. art.6. vbi eruditè hanc materiã pertractat multis disputationibus, ostenditque artem interpretandi somnia de qua antiqui quidam & ex recentioribus plures gloriantur, esse futilem, & hominum otiosorum.

Tertia

Tertia species, est diuinatio, siue coniectatio Physionomica, quæ communiter accepta extenditur ad omnem coniectationem sumptam ex consideratione constitutionis, & dispositionis omnium partium humanarum, puta capitis, pectoris, dorsi, &c. sed potissimè sumitur ex cõsideratione faciei;eo quod sensuum organis constat, & mentem valde prodit: deinde ex manuum consideratione, post faciei contemplationē; eo quod manus humana est organū organorum, vt cum Aristotele, & Galeno testatur omnis Philosophorum schola. Vnde sub hac ratione communi diuidere possumus coniectationem Physionomicam, in *Spatulomantiam*, quæ considerat signa, & lineas repertas in armo animalium: ad quam reducitur omnis consideratio signorum in quocumque mēbro corporis, excepta facie & manu: Et in Chiromantiam, quæ considerat constitutionem, & lineas manuum: & in *Physionomiam* specialiter acceptam, quæ considerat faciem, & hæc pars, quia nobilior retinuit sibi nomen commune: quamuis alij vocent illam *Metoscopiam*. Loquendo ergo primum de illa; certum est esse licitam, si in prædicendis corporis, seu animæ sensitiuæ affectionibus & propensionibus, intra limites naturales contineatur, & fundamentis dumtaxat naturalibus vtatur; licet enim perfectā certitudinem non habeat; probabilitate tamen aliqua non caret; & ideo ea vti cum formidine aliqua veritatis non est illicitum. Explicatur dictum adducendo fundamenta, quibus nituntur Physionomi, non superstitiosi, sed principijs naturalibus, aut moralibus inhærentes. Primum fundamentum ducitur à quadā cum cęteris animantibus similitudine. V.g. qui paruis sunt oculis inuidiæ passione affici censentur; quia simiæ inuidę sunt: qui magnis, stupidi, sicut boues & asini. Huius fundamenti ratio est; quia natura dedit instrumenta cuique animalium apta, & proportionata ad exequendas suas propensiones, & inclinationes: ferocibus vt Leoni, apro, tauro, vngues, dentes, cornua: timidis, vt lepori & ceruo mēbra celeri fugæ adaptata; & sic de alijs. Vnde quasi ex signo, & à posteriori colligimus animaliū propensiones, ex ipsis corporeis instrumentis, quibus à natura ornantur: & præcipuè hæc signa, & instrumenta in facie elucent, vbi sunt omnia sensuum organa. Quod si his adiungatur, in animantibus brutis has propensiones magis elucere ac vigere, quam in hominibus: quia illa suas propensiones sine fræno sequuntur, hi verò sæpè occultāt illis resistentes: colligetur probabiliter ex similitudine & analogia instrumentorum & signorum, quæ reperiuntur in animalibus brutis, idem iudicium proferendum esse de hominum, quod de brutorum propensionibus.

Secundum fundamentum desumitur à moribus gentium, atque Prouinciarum, quæ cum discriminentur corporis habitu, & temperatura, vt plurimū discrepare etiam ingenijs ac moribus experientia constat: v.g. Physionomi dicunt nimis fuscos, stupidos ac pertinaces esse, quia Aethiopes tales sunt. Tertium fundamentum sumitur à sexu: V.g. quia mulieres, vt plurimum candidæ sunt, & molli cute, eędemque sunt timidæ, atque inconstantes: idcircò coniecturare licet de viris candido vultu, ac molli cute, timidos esse ac leues. Quartum fundamentum desumitur facta argumentatione ab immutatione membrorum maximè faciei, ad animæ sensitiuæ passiones seu propensiones; verbi gratia à toruo aspectu iudicamus animū crudelem, fixo & immoto iracundum &c. Hæc sunt fundamenta quibus secretior hæc Philosophiæ pars suas depromit coniectationes, non per certitudinem, sed per quamdam probabilitatē maiorem aut minorem, qualis in eisdē fundamentis, & illatione ex ipsis reperitur. Cui feliciter comparandæ inseruire possūt ex Antiquis Aristoteles, Galenus, Hippocrates; ex modernis à Michael Medina lib. 2. Parenes. Christianæ cap. 2. laudatur quidam Petrus Motius lib.

lib. de multiplici temperamento, & cognoscendis hominibus; quibus addo opus correctum Ioannis Baptistę Portæ de Physionomia, & Vlissem Aldrouandum in egregio quod pluribus tomis conscripsit opere de animalibus; vbi de primo à nobis superius iacto physionomię fũdamento egregiè discurrit.

Ad hunc sensum debent intelligi, & expendi multa Sacræ Scripturæ loca, in quibus de Physionomia agitur Ecclesiast. 19. *Ex visu cognoscitur vir, & ex occursu faciei cognoscitur sensatus*. 1. Paralip. cap. 12. habetur modus physiognomisandi ex similitudine, & conformatione membrorum animalium; *Viri Gaddi, viri robustissimi, facies eorum quasi facies leonis*. In epistol. ad Galat. cap. 3. modus phisiognomisandi à certis moribus regionum, *ô insensati Galatæ*. Genes. 2. modus physiognomisandi ex repræsentatione fœminini, vel masculini sexus; *vocabitur virago, quia de viro sumpta est*. & sic de alijs pluribus locis Sacræ Scripturæ, quorum centum & quinque expendit iuxta principia physionomica, Paulus Vecchi *in opusculo obseruationum omnigenæ eruditionis in diuinam Scripturam lib. 1.*

At si loquamur de illis rebus, quæ pendent ex libero arbitrio, aut casuales, vel fortuitæ sunt. Cuiusmodi sunt omnes actus humani liberi, aut permixti actibus humanis: V. g. ira actualis, accessus ad fœminas &c. Dona Dei gratuita, quæ Deus distribuit singulis pro vt vult; externa hominis bona, vel mala, vt opes, honores, nuptiæ, officia, vitæ status, mors violenta & similia; si loquamur inquam de his rebus; etsi ex vultu & partibus eius, atque ex alijs mẽbrorum humanorũ dispositionibus possit exilis aliqua & exigua sumi illorum coniectura; quatenus suis propensionibus, solent homines sæpe succumbere nisi ratione cohibeantur; attamen peccarum est mortale ex genere suo, pertinens ad inuocationem tacitam dæmonum, certa illarum prædictio: si quidẽ ea signa ad talem diuinationem non se valent extendere; & ideo permittente Deo, dæmon se ingerit huiusmodi diuinationibus, vt veros euentus aliundè sibi notos enunciet. Etenim in potestate hominum est suis malis propensiònibus resistere duce ratione, & præcipuè si diuina adiuuentur gratia. Vnde egregiè Socrates Zopiro Physionomo diuinanti ex lineamentis faciei, cum esse bardum, stupidum, & mulierosum, respondit; ita futurus essem, nisi me Philosophia liberasset, vt refert Cicero *lib. de fato*, & Alexaud. Aphrod. *lib. 4. de fato*. Notandum est tamen velle diuinare ex vultu aut alijs membris propensiones hominum per certitudinem, aut actus alios qui non pendent ex libero arbitrio, peccatum quidem esse iudicij vani, & temerarij, sed dumtaxat veniale.


Verùm, quia multi Iurisconsulti post Baldum in l. 2. n. 5. c. *quorum appellatio non recipitur*, asserunt ex mala physionomia sumi posse contra reos indiciũ; & quod quando plures de aliquo crimine accusati capiuntur, primum torqueri debet ille, qui facie est deformior; inquiret hic aliquis an re vera licitum sit vti hac diuinatione physionomica sumpta ex dispositione vultus in actibus forensibus? Huic quæsito respondent cõmuniter Theologi, in actibus arbitrarijs, quos quis habet in sua potestate, licitum esse quidem hunc alteri præferre, quia hic deformior, ille verò vultu venerabilior; perniciosum verò esse, & peccatum mortale iniustitię attendere ad pręsagia ex Physionomia in obseruatione legum iustitiæ vindicatiuæ & distributiuæ, V. g. beneficia communia, officia & dignitates distribuere, pulchriori illa dando, & deformioris faciei negando; similiter velle deprehendere reum, vel punire ex iudicio deformitatis, aut alio simili. Sed quid si indicia violenta de homicidio contra duos clamarent? esset ne licitum prius subijcere torturę deformiorem? respondetur licere: non quia deformior, ne iudex admisceat vanitatẽ suis actibus, sed quia in eius potestate est, hunc vel illum prius torquere. Vnde

ad

ad Iurisperitos citatos,dicendum est decipi in hac re, sicut in multis alijs erga reos, auiditate eos iudicandi, & sibi nomen prudentiæ aucupandi, vt prudenter notauit Raphael de la Torre 22. qu.95. artic.7. disput.3.

Quod pertinet ad Chiromantiam, id est, diuinationem sumptam ex manuum humanarum dispositionibus,puta lineis, & similibus; vt est duplex; vna quæ de propensionibus, & affectibus conijcit, altera, quæ de omnibus euentibus, & vita hominum. Prior licita est, eatenusque ars vera, quatenus lineę manus, siue aliæ dispositiones eiusdem originem ducunt ab eadem temperie corporali, à qua ipsæ propensiones naturales; vnde huic principio innixi quidam Chiromantici religiosi & sapientes docent; manum magnam, multis lineis descriptam, neque omnino glabram,neque pilosam, & longos digitos ad naturalem proportionem inæquales, qui facilè & adducantur, sapientiam indicare, & bonam indolem: maximè enim humana est talis manus. Curtam verò, rotundam, breuibus digitis & æqualibus, glabram nimis, aut valdè pilosam, aut vngues habentes curuos & longos, & multis aut paucissimis lineis distinctam, has omnes belluinas esse, & ad aliqua brutorum genera referendas: Quare pilosa manus,qualis in Scriptura dicitur fuisse Esau, significat hominem agrestē & ferum instar vrsi. Vngues curui, rapacem more accipitris. Rotunda ac breuis sine lineis, stupidum:qualia quadrupedum plurima. Hæ & similes coniectationes desumuntur ex primo fundamento pro diuinatione Physionomica naturali superius allato. Item à secundo & tertio conijci potest, eos qui contractas semper gerunt manus,timidos & auaros esse: contra qui extentas, audaces & liberales: qui pendentes aut demissas, aut aliam super aliam,desides & ignaros: qui elatas, aut mobiles sollicitos, & negotiosos: qui ad faciem, aut os adducunt cogitabundos. Notandum est tamen non tam certam,aut probabilem coniecturam duci posse ex manuū, sicut ex vultus dispositionibus; eo quod animæ sensitiuæ passiones magis luceāt in vultu; nec non & temperies ac complexio vnde nascuntur, quam in lineis manuum. Ad hanc Chiromantiæ partē referri potest, quod legitur Exodi 13. *Et erit quasi signū in manu tua*.Et Iob 37 *Qui*, Deus, *in manu omnium hominum signat, vt norint singuli opera eius*; si semel eiusmodi loca de diuinatione Chiromantica debeant intelligi; plures enim aliæ possent adduci explicationes; de quibus vide sacros interpretes.

At posterior pars Chiromantiæ,quę conatur ex figura, lineis, & huiusmodi quæ ad manus pertinent; de omnibus cuiusque hominis euētibus,certò conijcere quid futurum sit, vana omnino & superstitiosa est; vt satis patet ex fundamentis risu potius, quàm refutatione dignis, quibus ars ista innititur. Diuidit enim primò palmam manus in certos monticulos,seu colliculos, deinde areolas, & lineas, suos singulis planetas, & astra præficiens, & horum vulgo creditos effectus attribuens. Pollicis tuber à Venere regitur, mons indicis à Ioue, colliculus medij à Saturno: annularis mons à Sole; & auricularis à Mercurio: Pars verò protuberans, quæ est in inferiore manus parte, percussione dicta, Lunæ subijcitur: denique Triangulus manus à linea vitæ seu cordis, linea hepatis, atque capitis productus Marti dicatur; vt vnusquisque per se videre potest in sequenti schemate.



In quo linea cordis, ſeu vitæ notatur per littam *a*; linea cerebri, vel capitis per *b*: linea hepatis eſt *d*: linea Martialis, ſiue Martis, & ſoror vitæ, eſt *e*: Triangulus Martis ita notatur ♂: menſa ſeu thorus, aut etiam quadrangulus, *f*. Mons Lunę ſeu manus percuſſio ☾: Mons Iouis ♃: Mons Saturni ♄: Mons Solis ☼: Mons Mercurij ☿: Mons Veneris aut ſecundum alios Martis ♀. Lineam vitæ in 100. partes diuidunt Chiroſcopi ea ratione, qua in ſiniſtra manu factum eſſe vides, vt ex varijs notis, punctis, coloribus, ſectionibus, & figuris, in illa linea & ſingulis illius partibus deprehenſis, de morbis cum præteritis, tum futuris dijudicent. Prima verò decade pueri ætatem vſque ad decennium; ſecunda, tertia, quarta & reliquis decadibus ſequentes annos ætatis ſignificant, adeò vt ſi character Chiroſcopicus quartanæ vel epitritæ febris, aut alterius morbi circa primam decadem exiſtat, homini 15. annorum reſpondeant morbum illum præteritum; ſi verò character ad tertiam, aut quartam decadem vergat futurum eſſe dicant: viderint Medici anatomici, num ſignorum illorum, & characterum aliqua cauſa naturalis aſſignari poſſit. Superſtitioſę huic & vanæ Chiromātiæ parti incubuere aliquot antiqui: & ex recentioribus Ioannes de Indagine Lutheranus (non quidam Carthuſianus eiuſdem nominis) Ioannes Tataiſnerus Athenſis, Antonius Cermiſonus, Bartholomęus Cocles, Michael Sauanarola, Petrus de Arca, Marcellus Saya, Andręas Tricaſius, Michael Scotus, Rodulphus Gocleuius filius, Ioannes Rothmannus, Robertus Flud, & alij, quorum libri vt potè ſuperſtitionibus pleni, prohibitæ ſunt lectionis; contra quos breuiter, ſed neruosè agit Merſennius in Geneſ. cap. 3. verſicul. 1. His etiam annumerari debent Geloroſcopia Proſperi Aldoriſij, & eiuſdem Ideagraphia; Epiſtolaris diuinatio Camilli Baldi, & libri Melampi, Ioannis Baptiſtę Portæ, ac Ludouici de Næuis, aliorumque de maculis vnguiū, & onychomantia; quandoquidem iſthæc omnia ad ludicras potius, quam vere conie-

auratrices scientias referenda sint, & ipsæ vel solo nomine tales dici debeant, vt præter vigilantiũ somnia, nihil quicquam continere possint.

Quia autem inter signa etiam crisis Physiognomicæ reponuntur gestuum atque actionum significationes, de his multa habent, & egregia omnino Nicolaus Caussinus in Parallelis eloquentiæ; & Cardanus in libris de sapientia, & de vtilitate capienda ex aduersis. Sed artem integram feliciter absoluit auctor quidã Italus in curioso volumine in quarto, cui appellationem ipse fecit, ex operis subiecto, atque materia desumptam, Arte de'Cenni. Sciendum tamen id ab illis ingenij potius in re quadam ludicra ostendandi, quam vtilitatis gratia, aut quasi certa inde coniectatio fieri posset, fuisse excogitatum.

De Coniectatione politica, siue de Sortibus.

Coniectatio, seu sors politica dicitur, quæ iure ac legibus probis fuit aliquando recepta, vt sors diuisoria, sortium contractus, canonica purgatio; de quibus singulis breuiter agendum, ad intelligentiam eorum, quę in sacra Scriptura de sortibus leguntur. Nam in veteri lege, Deus inter alias cæremonias, hanc quoque instituerat, qua in sortitione vterentur, eamque sorti præmitterent, quæ, etsi qualis fuerit, non satis constet, videtur tamen fuisse quædam mentis ad Deum eleuatio cum oratione ad hoc instituta; vt colligitur ex Leuit. cap. 16. v. 7. vbi de capri emissarij sortitione sic legitur. *Duos hircos stare faciet coram Domino in ostio tabernaculi testimonij: mittensque super vtrumque sortem, vnam Domino, & alteram capro emissario; cuius exierit sors domino offeret illum pro peccato; cuius autem in caprum emissarium, statuet eum viuum coram domino, vt fundat preces super eum, & emittat eum in solitudinem.* Et S. Lucas de sortitione Apostolatus actor. 2. scribens, postquam narrauit duos ab Apostolis coram Deo statutos fuisse Mathiam & Barnabam, ait: *Et omnes orantes dixerunt, tu Domine qui corda nosti omnium, ostende quem elegeris ex his duobus vnum, accipere locum ministerij huius, & Apostolatus de quo prævaricatus est Iudas, vt abiret in locum suum. Et dederunt sortes eis, & cecidit sors super Matthiam.* Primum igitur statuebantur sortituri coram Deo, oratio fundebatur, tertiò sortes singulis dabantur; eæ miscebantur in sinu, vrna, vel alio vase; cuius sors exibat, super eũ cadere dicebatur; certè missas aliquando fuisse sortes in sinum patet ex prouerb. cap. 16. *Sortes mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur;* interdum in calicem, quem sinu continebant, ex Psal. 15. *Dominus pars hæreditatis meę & calicis mei;* vbi secundum nonnullos calix significat sortem; ad plenam quorum intelligentiam non parum conducet legere, quæ de Gentilium sortitione cæteris plura, meliorique methodo scripserunt Iunius Hornanus *lib. 2. animaduers. cap. 5.* Iulius Cæsar Bulengerus *in opusc. de sortibus,* Ioãnes Arboreus *lib. 17. Theosophiæ cap. 13. & in comment. cap. 1. Prouerbior.*

Igitur quod spectat ad diuisoriam sortem, cum hoc totum negotium cęremoniale fuerit, meritò legis veteris cæremoniarum abrogatione, etiam hæc sortitionis cæremonia cessauit, iureque Canonico prohibitum fuit l. Can. 47. C. *de Episcopis,* sortiri Episcopum, vel aliã quamuis dignitatem, aut beneficium Ecclesiasticum, Apostolorum exemplo; vt enim Venerabilis Beda in cap. 1. act. Apost. rectè obseruauit, Apostoli antè Spiritum Sanctum acceptum, in electione B. Mathiæ adhuc legali cæremonia vsi fuere, post Spiritum verò Sanctum acceptum, non amplius sortem adhibuerunt, sed sola vsi sunt oratione ad Deum, & ieiunio adiuncto; sic enim leguntur elegisse septẽ Diaconos, & Presbyteros act. cap. 6. & 14. Quia tamen adhuc in cęteris dignitatibus, & officijs, actionibus & pænis rebusque alijs, diuisoria sors, qua quęritur quid cuique tri-

tribuendum, prohibita non est, vt patet ex Can. primo 26. quęst. 2. qui canon de hac tantum diuisoria sorte debet intelligi; vt in illa nullum intercedat peccatum, quatuor conditiones seruandas docet D. Thomas 2. 2. quęst. 95. artic. 8. *Primò* debet euentus à Deo expectari, & non à casu, vel fortuna, vel astris, quare & Deus inuocandus iuxta illud Scripturæ Psalmo 30. *in manu tua fortes meę*. Ita vt si quis certò euentum expectaret ab astris, vel fato sumpto, vt sumunt Stoici & Astrologi, mortaliter peccaret; si à casu vel fortuna, fortunam non vt Gentiles, nam tunc esset etiam peccatū mortale idololatricum, sed vt Christiani sumunt Philosophi, accipiendo, in re graui foret veniale; in re leui, vix esset peccatum. *Secundo* debet adhiberi simplex fors, sine vlla superstitione, vel abusu rerum sacrarum, aut Scripturæ sacræ. *Tertio* necesse est, vt illi qui sortiuntur, æquali iure nitantur: alias enim esset iniusta sortitio: & quidem grauior, si de bono publico, reque graui ageretur, v.g. si de officijs publicis digni & indigni sortes mitterent. Sors enim posset indigno fauere, cum damno reipublicæ, & iniuria dignorum. *Quarto* vt principalis intentio mittentium sortes nō sit inquirere voluntatem Dei modo extraordinario (quia talis modus est omnino incertus) sed vt auferantur lites, discordiæ, querulæ, inuidiæ pro vt nos docuit Salomon Prouerb. cap. 18. v. 18. *Contradictiones*, inquit, *comprimit sors, & inter potentes quoque diiudicat*. quare si aliter concordia posset iniri, res sorti non esset committenda; sin aliter nequit discordia sopiri, bonum pacis sortem permittit seruatis prædictis conditionibus.

Secundò ad sortem politicam, spectat cōtractus Sortis, siue Lotheriæ qui est in vsu frequenti Europæ, verum cum nullum habeamus Scripturæ locum, qui illius expresſè mentionem faciat, remitto lectorem ad ea, quæ Theologi Morales de iustitia & iniustitia huius contractus scripsere, Briardus *Quodlib.* 5. Conradus *de Contractibus tract.* 3. *qu.* 71. Franciscus Garsias *de contract. cap.* 26. Lopes *cap.* 23. Alcocer *de Ludo cap.* 49. Molina 2. par. *de iustit. & iur.* disp. 509. & alij plures.

Tertiò ad coniectationem seu sortem politicam reducitur purgatio Canonica, cuius cum expressam legem habeamus numer. cap. 5. v. 14. in poculo zelotypiæ; paulo latius, quid purgatio canonica, quid vulgaris, discutiemus; præmissis prius sacri textus verbis. *Locutusque est Dominus ad Moysen dicens: loquere ad filios Israel, & dices ad eos. Vir, cuius vxor errauerit, maritumque contemnens dormierit cum altero viro, & hoc maritus deprehendere non quiuerit, sed latet adulterium, & testibus argui non potest, quia non est inuenta in stupro. Si spiritus zelotypiæ concitauerit virum contra vxorem suam, quæ vel polluta est, vel falsa suspicione appetitur, adducet eam ad Sacerdotem, & offeret oblationem pro illa decimam partem sati farinæ hordeaceæ: non fundet super eam oleum, nec imponet thus: quia sacrificium zelotypiæ est, & oblatio inuestigans adulterium. Offeret igitur eam Sacerdos, & statuet coram domino; assumetque aquam sanctam in vase fictili, & pauxillum terræ de pauimento tabernaculi mittet in eam. Cumque steterit mulier in conspectu Domini, discooperiet caput eius, & ponet super manus illius sacrificium recordationis, & oblationem zelotypię: ipse autem tenebit aquas amarissimas, in quibus cum execratione maledicta congessit; adiurabitque eam & dicet: si non dormiuit vir alienus tecum, & si non polluta es deserto mariti thoro, non te nocebunt aquę istę amarissimę, in quas maledicta cōgessi. Sin autem declinasti à viro tuo, atque polluta es, & concubuisti cum altero viro, his maledictionibus subiacebis. Det te Dominus in maledictionem exemplumque cunctorum in populo suo: putrescere faciat femur tuum, & tumens vterus tuus disrumpatur: ingrediantur aquę maledictę in vētrem tuum, & vtero tumescente putrescat femur. Et respondebit mulier Amen, Amē. Scribetque Sacerdos in libello ista maledicta, & delebit ea aquis amarissimis, in*

quas

quas maledicta congessit, & dabit ei bibere. Quas cum exhauserit, tollet Sacerdos de manu eius sacrificium zelotypiæ, & eleuabit illud coram Domino, imponetque illud super altare: ita duntaxat vt prius pugillum sacrificij tollat de eo, quod offertur, & incendat super altare: & sic potum det mulieri aquas amarissimas. Quas cum biberit, si polluta est, & contempto viro adulterij rea, pertransibunt eam aquę maledictionis, & inflato ventre computrescet femur: eritque mulier in maledictionem, & in exemplum omni populo. Quod si polluta non fuerit, erit innoxia & faciet liberos. Ista est lex Zelotypię, si declinauerit mulier à viro suo, & si polluta fuerit, maritusque zelotypię spiritu concitatus adduxerit eam in conspectu domini, & fecerit ei Sacerdos iuxta omnia quæ scripta sunt: maritus absque culpa erit, & illa recipiet iniquitatem suam.

Itaque pro intelligentia istius legis, quatenus est quędam purgationis species, notandum est duplicem esse purgationem, secundum quod ad coniectationem politicam pertinet: vna Canonica, altera Vulgaris. Canonica purgatio dicitur, quæ regulis Ecclesiastici iuris consentanea est, qualis fuit in veteri testamento lex illa zelotypiæ, seu purgatio adulterij: in statu autem noui testamenti duplicem aliam reperio, vnam per iusiurandum, in qua nihil est fortis; alteram per venerabilis Eucharistiæ Sacramenti sumptionem, ab Ecclesiastico Iudice competente iniunctam *cap. si Episcopo*; cuius etiam aliqua habemus exēpla in historia Ecclesiastica Sigeberti anno 870. Lamberti Schaffnaburgensis anno 1077. de Henrico Imperatore: Sublatam tamen aliquando fuisse hanc purgationis speciem, eo quod suspectis non est danda Eucharistia, habemus *cap. dilecti de purgat: Can. cap. tribus de consec. distinct.* 2. Secundò in sortium Politicarum numero censentur miræ quædam iudiciariæ disquisitiones, quibus fortuito euentui veritas culpæ vel innocentiæ decidenda permittitur. Vulgares vocantur purgationes, quæ vt nomē ipsum significat, nullo legitimo vsu, sed vulgi quadam vsurpatione & obseruatione superstitiosa fuerunt introductæ, vnde etiam pleręque iure canonico fuerunt expresse vetitæ; cū soleat ijs Deus tentari potius, quàm voluntas eius explorari; vndè & exploratoriæ purgationes latinè dicuntur, fueruntque diuersi illarum modi.

Primus, prouocatio ad diuinum iudicium ob iniuriam acceptam, quam si citra odij aut vindictæ cupiditatem, aut aliam vitiosam affectionem, per iniustitiam oppressus quis faciat bono fine, v. g. vt innocentia eius appareat, nec infamia grauetur familia, aut vt liberetur mundus tali tyranno, aut vt resipiscat, & terrore perculsus pœniteat, desinatque ab oppressione & concussione miserorū, licitam esse plura ostendunt exempla Sanctorum hominum in diuinis etiam Scripturis contenta. Sic enim Sara Genes. 16. dixit Abrahæ, *Iudicet Dominus inter me, & te*. Sic Dauid ad Saulem 1. Reg. cap. 24. *Iudicet Dominus inter me & te, & vlciscatur me dominus ex te*. Et 2. Paralip. cap. 24. Zacharias filius Ioiadæ cum iussu Ioas regis interficeretur similia protulit. *Videat Dominus & requirat*. Nec alia mens septem Machabęorum Martyrum fuit lib. 2. cap. 7. quorum propheria vim habuit imprecationis & citationis, vt illæ priores duæ. Et in nouo testamento Apost. 2. Timoth. cap. 4. Alexandro ærario impunitam esse non debere censuit iniustitiam eius, cum diceret: *Reddet illi Dominus secundum opera sua*. Denique SS. Martyres Apocal. 6. clamant ad Deum, *vsquequo Domine non iudicas, & non vindicas sanguinem nostrum de his qui habitant in terra*. *Secundus* modus fuit purgatio monomachiæ siue duelli, qua nulla fuit quondam frequentior, nam quotiescumque criminis notitia, seu probatio obscura erat; vel actor reum prouocabat, vel reus ipse offerebat se, aut suo loco alium. Hanc tamen repugnare omni iuri diuino & humano docent optimè Ioannes Baptista Susius *lib. de iniustitia duelli*, Petrus

Messias 4. *part. variar. lection. cap.* 9. ex omnibus locis quibus prohibemur Deũ tentare, & homicidium committere.

Tertius modus fuit purgatio per ignẽ, quæ triplex fuit, per rogum, per prunas, per ferrum, hoc est vomeres, seu lateres, seu conticulas vel chirothecas candentes. Innocentia probabatur, si illęsus quis abiret; secus, nocens habebatur. Quorum omnium plura antiqua exempla reperiuntur apud Delrium lib. 4. disquisit. cap. 4. q. 4. sect. 3. *Quartus* per aquam vel calidam, vel frigidam, cuius formulas prædictus author refert; videnturque irrepsisse per malam imitationem poculi zelotypiæ, cuius legem supra retulimus ex Scriptura; sed illæ suasu diaboli introductæ, istud vero poculum herbarum amaricantium à Deo fuit institutum; qui solus occulta cordis nouit, & indicat; & nequit cum ea indicat mentiri, & sic se indicaturũ veritatem promisit Moysi; qualis sponsio, vel pactum diuinum, cum in purgatione per ignem, & aquam alijsque eiusmodi, non habeatur, rectè sacri canones, illas omnes, tanquàm quid prauo more, & pręposterа imitatione per abusum introductum strictissimè prohibuerunt: de quo vide Rechium *lib. de probat. aquæ frigidæ*; & iam citatum Delrium. Hæc enim tam de magia in communi, quam de singulis eius speciebus sufficiunt pro instituti nostri ratione, qua ex citatis sacræ Scripturæ locis ostendere volui, etiam huius rei notitiam esse vtilem ac necessariam ad perfectam sacræ doctrinæ, rerumque in ea, & ab ea traditarum intelligentiam; nunc ad Medicinæ considerationem accedamus.

CAPVT XIV.

Quantum referat ad sacræ doctrinę studium Medicina.

MEderi, medela, remedium, Medicus, Medicina, si nominis etymologia spectetur, à medio dicitur. Primò, quia medicamenta sunt media inter alimenta, & venena: nec enim nutriunt, vt alimenta, nec delent vt deleteria, sed purgant & immutant. Secundò, quia mederi medijs, id est, temperatis rebus oportet: extrema enim omnia sunt naturæ inimica, ideoque remedium adhibetur in certa quantitate, gradu, modo &c. habita ratione loci laborantis, causæ, ætatis, temporis, regionis, & virium ægrotantis. Tertiò, quia Medicina est adiectio necessariorum, & detractio superfluorum, ideoque medium obtinet, ne quid nimis. Quartò, quia sanitas, quam Medicus efficit, est in media proportione seu analogia humorum & qualitatum; vel vt Hippocrates & Galenus docent, sita est in medio quodã victus, & laboris; vnde vt statim diximus, definitur ablatio eorum quæ superant, & appositio eorum quæ desunt. Quintò denique, quia sanitas summa, periculosa est, qualis est athletarum, vnde ad mediocritatem reducenda est.

Quod pertinet modo ad definitionẽ quid rei Medicinæ; primo potest definiri veluti theoreticè, quod *sit scientia naturalium, non naturalium, & eorũ quę sunt contra naturam*: naturalia cõstruunt & constituunt hominem, contra naturã destruunt, vt morbi: non naturalia benè vtenti bona sunt, male vtenti mala, vt cibus, & potus. Secundo practicè definiri potest, 1. à materia, *Scientia salubrium, insalubrium & neutrorum, id est, indifferentium*; vel à fine, *Scientia sanitatis restituendę, & pręsentis seruandę, & à morbis pręseruandę*: Cum autem alia sit hominum, & alia cęterorum animalium medendi ratio; sic etiam Medicina, & Medici distinguntur; ita vt prima ratione nobilioris subiecti, quod est homo, per antonomasiam Medicina, & ab illa Medici dicantur; alij autem qui cętera dumtaxat curant animalia, veterinarij appellentur, & ab illis Veterinaria Medicina. Sub qua comprehenduntur non tantùm ea, quæ pertinent ad curanda animalia vehendis rebus inseruiẽtia, cuiusmodi sunt iumenta, equi, muli &c. Sed etiam per similitudinem remedio-

rum

rum & morborum ea, quæ ad armentalia, pecora, canes, aues cæteraque huiusmodi animantia spectant. Sunt etiam qui ad plantas illam extendant.

Porro humanæ Medicinæ, Medicorumque, de quibus in præsenti solùm agimus, tres sunt præcipui gradus, vel sectę secundum quod tripliciter mederi possumus, ratione, exemplo siue experientia, & vtroque simul. In primo & inferiori gradu ponuntur *Empirici* sic dicti, quia solam experientiam sequuntur; omni posthabita indicatione, contentique sunt obseruatione in accidentibus, per eorum quæ admouentur experientiam facta; sic à compertis ad incomperta, sed tamen similia secundum apparentem speciem transeuntes. In secundo gradu collocantur *Methodici*, qui solum ad κοινότητας, seu communia morborum symptomata respiciunt. Omnes enim particulares affectus ad generales tres reducunt, aut astrictum, aut laxum, aut ex his compositum: voluntque vnicam esse indicationem, quæ ab affectu desumatur, ab astrictis naturalibus excrementis laxationem, à laxitate astrictionem, ab vtrisque mixtam curationem. In tertio tandem & vltimo gradu sunt perfecti Medici, nempè *Rationales*, & *Dogmatici*, qui rationem experientiæ iungunt, naturæ rationē habent, causas morborum inquirunt, spectatisque omnibus circumstantiarum modis, & varietate temperamentorum, ætatum, sexuum, virium, locorum, temporum & victus consuetudine, artem administrāt. Et huius iterum Dogmaticæ, vel rationalis Medicinæ, seu dogmaticorum Medicorum variæ sunt sectæ natione tantum, non modo medendi differentes; Iudęorum, Aegyptiorum, Græcorum, Latinorum, & Arabum; solum notandum est Galenicam, & Paracelsicam sic à suis authoribus denominatas inter se differre Medicinas, vt prima contrarijs, secunda vero similibus curet.

Dum aliqui diuidunt Medicinam in speculatiuam siue theoricam, & practicam, talis diuisio non tàm debet attendi secundum finem, sic enim tota medicina est practica, vt potè ad operandum destinata; quàm secundum quod aliqua tractantur in ea, quæ sunt magis propinqua, vel remota ab operatione. Vnde ea potissimum Medicinæ pars, quæ maximè vniuersalia, resque simplices veluti causas rerum compositarum tanquam effectuũ cōsiderat, solet appellari Theorica, vt Phisiologia, & Pathologia; practica verò illa quæ circa res compositas simplicibus versatur, vt Hygieine, Therapeutica, & prophylactica &c. Cũ Medicinæ, sicut & alterius cuiuscumque scientiæ, vel artis duplex sit obiectum materiale vnum, formale alterum; loquendo de obiecto materiali præcipuo seu attributionis est homo: cætera verò sunt minus præcipua, vt quæ tractantur de aëre, de plantis, & animalibus, propter hominem enim tractantur. Obiectum verò formale est sanitas, deindè morbus, & status neuter: nam eadem est disciplina de oppositis: vndè sicut Dialecticus verum, tũm falsum, & neutrum, seu probabile tractat: ita cum sanitati morbus, & status etiam neuter sit oppositus, de his agit Medicina.

Iam per ordinē ad huiusmodi obiecta facile est exactissimam Medicinæ in suas veluti partes diuisionem adducere. Circa obiectum enim materiale, scilicet hominem, est *Physiologia*, & *Anatome*: circa formale obiectum, *Hygieine*, *prophylactica*, & *Terapeutica*: cum enim corpus humanum viuens, non quidem in se, sed in ordine ad finem, quatenus nempè medicabile est, triplex sit, vel perfectè bonum & salubre, vt diximus, vel perfectè malum, & insalubre, vel tandem imperfectè salubrè, & insalubre, quod neutrum dicitur; circa illud primò modo consideratum versatur *Hygieine*, id est, sanatrix, cuius potissimum tres sunt partes, prima *Pędotrophia*, id est, nutricaria puerorum: secunda *Eneetica*, id est, procuratrix boni habitus: tertia est *Gymnastica*, id est, exercitatrix. Circa corpus neutrum versatur *prophylactica*; cuius iterum duæ sunt partes secun-

ſecundùm quod corporis neutri duplex eſt ſtatus, vnus nempè decidentiæ, cum aliquis æger fieri incipit, & à priſtina valetudine decidit: alter conualeſcentiæ; circa primum eſt *prophylactica* propriè dicta, id eſt, præcautrix, & præſeruatrix: circa ſecundum *Analeptica*, id eſt, reſtauratrix: ſub ijs ambabus continetur *Gerocomia*, quæ curam ſenum habet: hi enim nec ſunt ſani, nec malè habent. Tandem circa morbum, vel corpus perfectè malũ, & inſalubre occupatur *Therapeutica*, cuius etiam duplex eſt pars, vna theoretica modo ſuperius adnotato, alia practica, quæ retento nomine generis, vt plurimũ contingit in alijs rebus, vocatur *Therapeutica*. *Theoretica* partes ſunt *Pathologia*, id eſt, ſermo de morbis, ſeu morbidis affectibus: ſecundò *Aitiologia*, id eſt ſermo de cauſis morborum: tertiò *ſemeiotica*, id eſt, ſermo de ſignis & accidentibus ſiue ſymptomatibus morborum; & quia triplicia ſunt ſigna, nempè per quæ præterita noſcimus, aut præſentia, aut futura, circa priora ſigna eſt *anamniſtica*, id eſt rememoratiua: circa præſentia *diagnoſtica*, id eſt cognoſcens: circa futura *prognoſtica*, id eſt prænoſciua. Tandem Practicæ quæ ſimpliciter dicitur Therapeutica ſunt quinque partes; prima eſt *Diætetica*, quæ victu curat: ſecũda *Pharmaceutica*, quæ medicamentis curat: tertia eſt *Chirurgica*, quæ manu adhibita curat, ſub qua comprehenduntur *aleiptica*, & *hydrotica*, id eſt vnctoria, & ſudorifica: deindè *odontica*, id eſt dentium curatrix, & *lithotomica*, quæ calculos exſcindit: denique *trichotomica*, quæ pilos euellit & tondet. Quarta eſt *Clinica*, quæ nẽpè ægris occubat, miniſtrat &c. quinta eſt *coſmetica* & *commetica*, ornatrix & fucatrix. Supereſt iam vt de ſingulis his partibus breuiter agamus, erunt enim quaſi locorum communium inſtar, in quos omnia quæ legentur, referri tanquam in indicem poterunt ab artis medicinæ ſtudioſo.

De Phyſiologia.

Phyſiologia eſt illa Medicinæ pars, quæ occupatur circa cognitionem rerum naturalium humanam naturam conſtituentium: quæ res naturales ſunt ſeptem: primùm Elementa ſub quibus continentur quatuor primæ qualitates: ſecundo temperamenta, quæ ex elemẽtorum, & qualitatum harmonia exſurgunt: tertio humores qui temperamenta ſequuntur: quartò ſpiritus, qui vt plurimum, excepto ſpiritu cæleſti, ſunt ſubtiliores humores: quinto partes: ſexto facultates, quæuis enim pars innatã habet facultatem: ſeptimò functiones, quia facultates propter actiones sũt datæ: ſingula breuiter perſtringamus; & quia iam de elementis ſuo loco ſufficiẽter egimus: incipiendo à temperamentis, circa nomen aduertendum eſt, temperamentum idem eſſe ac temperiem, complexionem, Græcè craſim & crama. Definitur *harmonia, proportio, & mediocritas primarum qualitatum*; vel, *confuſio primarum qualitatum per ipſarum remiſſionem*; nec enim qualitates ſummæ tẽperari poſſunt. Temperamentum primò diuiditur in intemperatum, & temperatum; intemperatum dicitur, cum vna aut duæ qualitates prædominantur viribus, ſi vna qualitas excellit, eſt intemperatum ſimplex, & eſt quadruplex, vt cum ſolus calor dominatur eſt temperamentum calidum, ſi frigus frigidum, ſi humor humidum, ſi ſola ſiccitas excellat, eſt temperamentũ ſiccũ. Si duæ qualitates prædominantur eſt intemperatũ compoſitum, quod etiã eſt quadruplex, calidum ſiccum in cholericis, calidum humidum in ſanguineis, frigidum humidum in phlegmaticis, frigidum ſiccum in melancholicis. Temperamentum temperatum eſt, in quo nulla qualitas dominatur, ſed æqualiter omnes ſunt temperatæ, & eſt duplex, vnum ad pondus ſeu æquilibrium, cùm omnes qualitates in eodem ſunt gradu, id eſt quot ſunt partes & gradus caloris, vt toti-

totidem sint frigoris, humoris, & siccitatis. Alterum est ad iustitiam seu proportionem, quod absolutè quidem est intemperatum, sed temperatum videtur; quia naturæ conueniens & commensuratum est; sic temperamentum v. g. leonis, quia Leoni conuenit, temperatū est ad iustitiam. Secundò temperamentum vel est innatum, & per se, sic lana est siccissima, vel est influens aliundè & per accidens, sic lana aliundè humida, sic pinguedo per se frigida, calida aliunde. Temperatorum iudex est homo mediante sensu tactus, cuius obiectum sunt qualitates primæ; signa verò iudicium ferendi de illis sunt sequentia. Molles sunt humidi: densa & dura cute sunt sicci: Pulsus vehemens, procliuitas ad libidinem, ad iram, magnus animus, solertia, ingenium, celeres motus animi, graciles, villosi, flauo & nigro capillitio, dentibus crebris, oculis glaucis; ea & similia sunt argumenta calidi temperamenti: contrarium frigidi. Temperamenta denique partium, humorum, & temporum sic se habent. Partes albæ sunt frigidæ, rubræ calidæ, duræ siccæ, & molles sunt humidæ. Cerebrum per se frigidum & humidū est; vt est viuens est calidum: cor per se est frigidum; vt est viuens est calidum: pulmo per se est siccus; vt est viuens est humidus. Adolescentia, Ver, sanguis sunt calida humida. Virilis ætas, bilis, ignis, sunt calida sicca. Inclinans ætas, melancholia, autumnus sunt frigida sicca. Senectus, pituita, hyemps sunt frigida humida.

Humor generalissimè loquendo est vna ex qualitatibus primis: generaliter est corpus liquidum & fluxile, vt argentum viuum. Propriè est corpus liquidum natum ex elementis, seu sit in plantis, seu in animalibus: magis propriè tantùm in sanguineis reperitur, seu humectet vt sanguis, seu non humectet, bilis enim humor est, & tamen siccat. Humorum alius est contra naturam, nempè causa morborum, ad Pathologiam spectans: alius naturalis conseruans, & constituens naturam, de quo agimus in præsenti; qui rursus est multiplex: vnus nutritius seu alimentarius, alius excremētitius; sub nutritio seu alimentario continentur sanguis, bilis, melancholia, pituita, quorum causa efficiens est hepatis calor, vt enim Solis calor pro diuersitate materiæ varia efficit: ita hepar ex alimento seu chili parte terrestri melācholiam, ex aërea sanguinem &c. efficit: quo ad propriam vniuscuiusque sedem vel locum; pituita in ventriculo, sanguis in hepate & venis, bilis in vesica, melancholia in liene potissimum dominantur: sicut si spectetur tempus anni, vel diei, vere sanguis, æstate bilis, autumno melancholia, hyeme pituita abundat: noctu pituita, matutino tempore sanguis, meridie flaua bilis, vespere atra bilis, seu melancholia: iam cuius horum humorum plus sit? sic dicendū puto; plurimum esse sanguinis, plures enim sunt partes carnosæ quæ sanguine constituuntur & nutriuntur. Secundas tenet pituita, quæ parum à sanguine distat. Deinde plus est melancholiæ, siue atræ quàm flauæ bilis, quia omnia ossa melancholia nutriuntur. Excrementitij pariter humores, quique à natura excernuntur tanquàm superflui aut molesti, sunt in multiplici differentia, secundum quod superflui vel sola sunt quantitate, vt menstrua, & semen, vel qualitate. etiam peccāt; & ij adhuc vel sunt vtiles, vt fel, limus, serum, vel inutiles, vrina, sudor, fæces, sordes. Menstrua sunt in fœminis lunaris purgatio, sic dicta quia Luna est causa huius purgationis, seu affluxus & refluxus mēstrui, sanguis enim ad extremitates fluit, & indè in fundum vteri defluit. fluunt menses à 14. ad 50. annum, quo tempore aptæ sunt mulieres conceptioni. Otiosis 3. septimanis. viraginibus 4. mediocribus medio tempore redeunt menses: viragines biduo purgantur, quatuor aut quinque diebus medioctes, septem mollissimæ. Et quia nouem menses ordinariè gerunt vterum ideo tot diebus sunt in puerperijs purgamentis, quot fuissent, si singulis mensibus menstruales fuissent, hinc viraginibus,

nibus, quia duo sunt dies menstruales, decem & octo sunt in purgamentis, & quibus sunt tres dies menstruales 27. diebus sunt in purgamentis. Semen est corpus humidum, calidum, spumosum, album, ex reliquijs alimenti vltimi & spirituum permixtione ad animalis generationem, vt mammæ dealbant sanguinem, ita & testes semen. Humores ob qualitatem superflui vtiles tamen, scilicet fel, limus, & serum nihil aliud sunt, quam excrementa trium humorũ. Fel est excrementum bilis ab hepate ad cystim seu vesiculam fellis delegatum, & inde ad intestina, vt irritet potentiam excretricem stercoris, mucum abluat intestinorum, & fæces tingat, quæ alias albæ forent, vt in ijs qui aurigine laborant. Limus est excrementum acidum melancholiæ ab hepate ad lienem amãdatum, & hinc in ventriculum, vt concoctionem iuuet ventriculi, quia acida conducunt. Serum est excrementum tenuius & subtilius humorum quidem omnium, sed maximè pituitę factum in hepate, & inde per omnes venas dispersum, vt distributionem sanguinis, qui lentus & pinguis est, iuuet, & sit sanguini instar vehiculi: vt autem prædicti tres humores vtiles, sunt excrementa trium humorum; ita & inutiles trium concoctionum; fæces chilosæos in ventriculo factæ, vrina hæmatoseos in hepate factę; sudor verò & sordes homoioseos, cum gluten in cambium vertitur.

Spiritus secundum quod de illo agimus in præsenti, diciturque pars constituens naturam, nihil est aliud quàm corpus tenuissimum, calidissimum, perpetuò mobile, ex sanguine, & vapore genitum, facultatum animæ vehiculum & instrumentum. Materia duplex est spirituum, vna, sanguis benignior, tenuior & purior, vndè merito ab aliquibus vocatur quinta sanguinis essẽtia; alia est vapor tenuior, ex quibus vtrisque fit spiritus tenuissimus. Forma est quod sit perpetuò mobilis, vel à se, vel aliunde, à se mouetur sursum, quia calidus & tenuis est, deorsum verò ratione pabuli sicut ignis: aliunde mouetur, vel quia pellitur ab hepate, corde, cerebro & imaginatione, vel quia trahitur ab arterijs, venis, alijsque partibus. Finis vt sit vehiculum facultatum animæ: scilicet ad motum, ad sensum, ad vitam, nam si vinciantur vasa, nerui, arteriæ, perit vita, motus, sensus, intercepto spiritu. Efficiens pręcipuum semen, hepar, cor cerebrum. Cum autem proprium sit spiritus habere adiunctum calorem natiuũ ideo tot sunt spiritus, quotuplex est calor natiuus, calor autem natiuus alius est infixus cuiuis parti, alius influens à præcipuis partibus, vndè etiam spiritus, vel est infixus, vel influens. Calor & spiritus infixus est instrumẽtum nutritionis, scilicet attrahendi, retinendi, concoquẽdi, assimilandi alimentum, separandi & reijciendi excrementa. Calor & spiritus influens triplex est ex tribus vitæ fontibus, nempè naturalis ab hepate per venas, vitalis à corde per arterias, animalis à cerebro per neruos. Animalis duplex, vnus sensorius qui à syncipite defluit per neruos molles in oculos, aures, &c. alius est motorius, qui ab occipite per medullam & neruos duros ad musculos defluit. Naturalis vel est genitor ex omnium spirituum confluxu ad testes vel est nutritor ex omnibus partibus. Vitalis, pulsus & respirationis causa est. Hi omnes spiritus specie non differunt, sed tantum secundum perfectum & imperfectum, spiritus enim naturalis, qui est subtilior sanguis, illiusque veluti vapor & exhalatio, delatus ad cor perficitur, & fit vitalis, qui delatus ad cerebrũ fit animalis.

De quinto, sexto & septimo, nimirum de partibus, earumque facultatibus & functionibus, sufficienter iam actum est, vbi supra de anima, corporeque viuente, vnde ad alteram medicinæ partem transeundum est.

De

De Hygieine.

HYgieine in genere, cuius rurſus veluti ſpecies ſunt hygieine in ſpecie, prophilactica earumque partes, eſt medicinę pars modum ſanitatem per rerum non naturalium adminiſtrationẽ tuendi præſcribens. Vbi res non naturales illas vocamus, quæ etſi in naturalium cenſu ſint, imò neceſſariò tum ad tuendam ſanitatem ſi adeſt, tum ad recuperandam ſi abeſt, requirantur; corporis tamen viuentis eſſentiam, ſiue naturam non conſtituunt, quinimo corpus humanum afficiunt, illiuſque ſanitatem lædere poſſunt. Vnde ſalubrium, & inſalubrium titulum à quibuſdam accepere, ab alijs verò indifferentiũ, quod bonum benè, malum malè vtentibus ſint. Porrò huiuſmodi rerum non naturalium quatuor veluti claſſes ſunt. I. Illa quæ aſſumuntur, continer. II. Ea quæ geruntur. III. Ea quæ foris corpori adueniunt. IV. Ea quæ excernuntur, complectitur.

Res non naturales quæ aſſumuntur ſunt aer, cibus, & potus. Aer eſt res nõ naturalis, corpus humanum ambiens, eique ſe per certos meatus inſinuans. circa quem quatuor ſunt obſeruanda. Primò, neceſſarium ad ſanitatem eſſe, ſecundò corpus humanum afficere, tertio differentias varias habere à quantitate, qualitate, & ſubſtantia; ratione enim quantitatis eſt copioſus, paucus, plenus; qualitatis calidus, qui bilem auget, humores liquat, concoctionem imminuit, & diſſipato calore natiuo vitam imminuit; frigidus, humidior, ſiccior, vitioſus, qui vel nimis in primis qualitatibus excedit, vel vaporibus è ſtagnis vel paludibus inquinatur, vel flatibus ventorum agitari nequit, & optimus, qui ab omnibus his eſt purus: ratione ſubſtãtiæ craſſus, turbidus, tenuis, putris & ſincerus dici poteſt. Quartum denique circa aërem obſeruandum eſt, mutationibus varijs obnoxium eſſe, quas à decem potiſſimum rebus accipit; 1. ab aſtris, 2. ab anni temporibus tàm maioribus, cuiuſmodi ſunt Ver, Aeſtas, Autumnus, & Hyemps, quam minoribus, menſibus nempè, ſeptimanis, & diebus. Ver enim eſt humidum, & calidum. Aeſtas calida, & ſicca. Autumnus frigidus & ſiccus. Hyemps frigida & humida. Menſium qualitates ex ſigno Zodiaci in ipſis dominãte ſumi debent. Septimanarum ex quadris lunæ deducuntur; quarum prima humida eſt, ſecunda calida, tertia ſicca, quarta frigida. Dierum à partibus, quarum matutina vernalis quodammodo eſt, meridiana æſtiua, veſpertina autumnalis, nocturna hyemalis. 3. à ventis tam communibus, quam proprijs; 4. ab alijs meteoris; 5. à Zonis; 6. à climatibus; 7. à regionibus mundi cardinalibus; 8. à mundi partibus, regnis & prouincijs; 9. à ciuitatibus & ædibus; 10. à particulari locorum conſtitutione, elatorum, decliuium, planorum, petroſorum, apertorum, montoſorum, ſyluoſorum, fluuijs vicinorum, paluſtrium, marinorum, & thermis ſcatentium.

Cibus eſt res non naturalis ſubſtantiam corporis humani reſtaurans, & augens: circa eum ſex potiſſimum conſiderat medicina, primò differentias varias, ſecundò genera, tertiò condimenta, quartò panem ipſum, quintò tempus ſumendi. Differentiæ igitur ciborum ſunt varię, vt ratione ſubſtantię eſt durus, mollis, grauis, viſcidus, firmus, infirmus, difficilis, vel facilis cõcoctu, difficilis, vel facilis corrumpi. Ratione quãtitatis eſt nimius, paucus, moderatus; ratione qualitatum eſt calidus, frigidus, humidus, ſiccus, dulcis, ſalſus, amarus, acris, acidus, acerbus & auſterus, boni vel mali ſucci &c. ratione præparationis eſt crudus, aſſus, roſtus, frixus, elixus, ſuffocatus, conditus, vel non. Genera ciborum ſumuntur ex plantis, auibus, quadrupedibus, piſcibus, & exſanguibus, V. g. oſtreis, cochleis, & cancris. Tertium quod circa cibos explicandum venit ſunt condimenta, quorũ etiam & differentia, & materia ſeu ge-

nera sunt diuersa: quartò similiter panis ratione materiæ, & præparationis variæ sunt differentiæ: quinto tandem tempus cibi sumendi pro ratione nationum varium est: sicut & ordo secundũ diuersa medicorum placita.

Potus est res non naturalis humidã corporis humani substãtiam instaurans, & sitim sedans. Duo circa eum obseruant Medici necessitatem ad sanitatem, & genera; necessitas exinde patet, quod potus humidam corporis substantiam, quæ in dies absumitur instauret, sitim naturalem sedet, humidum pingue, crassumque per angustos meatus deferat, ciborum in ventriculo misturam, cocturam, & fusionem faciat, & pinguis illius alendo corpori humano destinati inflammationem prohibeat. Genera potus ordinariè sunt aqua, vinum, cereuisia, mulsa, liquores quidam è pomis, pyris & similibus parati, quorum omnium rursus variæ sunt differentiæ, & qualitates.

Res non naturales quę geruntur, sunt affectus animi, motus & quies corporis, somnus & vigilia, magna ad sanitatem seu conseruandam, seu violandã momenta. Res non naturales extrinsecus adhibitę sunt balnea, inunctiones, frictiones, & vestes seu operimenta. Tandem res non naturales, quæ excernuntur, & retinentur sunt, tum illæ, quas in nutritione corporis humani, natura, ad restaurandum id quod absumptum est, retinet; tum illæ, quas tanquam inutiles separat & exercet; porrò hæc ad sanitatem necessaria esse patet, cum videamus, inculpatam hanc si commodò excernantur; lędi verò, si vel retineantur, vel intempestiuè eijciantur. De eis obseruandum in genere, quędam esse simpliciter talia, vt vrina, vapor internus, fuligo, furfures, sudor, medor, ichor, lachrymæ, lemæ, menstruum, hęmorroides, sputa, mucus, corysa, styrię, aurium sordes, fæces alui: quædam prolis causa, vt lac, semen, sanguis maternus; trium potissimum rationem habent Medici excrementorum nempè alui, vrinæ, & veneris.

Sic ergo vt Hygieine in genere est pars medicinæ, quæ modum tuendi sanitatem per legitimum supradictarum rerum non naturalium vsum in genere præscribit; ita Hygieine veluti in specie dicenda est illa, quæ docet quomodo in specie sanitas, vel benehabitorum, vel intemperatorum conseruari possit; siue sint *infantes*, tam nondum nati, quàm recens in lucem editi, siue pueri, siue puberes, siue mediæ ætatis homines, siue senes.

De Therapeutica contemplatrice, eiusque speciebus.

CVm ex dictis supra duplex sit Therapeutica, vna contemplatrix, alia practica, siue curatrix dicta simpliciter Therapeutica, primum agemus de contemplatrice, eiusque speciebus, vel potius partibus Pathologica, nimirum, Aetiologica, & Semeiotica, secundum quod vel in genere, vel in specie considerat affectus humano corpori, præter naturam infestos, siue morborum naturam, eorumque causas & signa. Generatim ergo loquendo de istis; Morbus quasi μοιρα βίου, id est, Fatum, & Parca vitæ; vel etiam πάθος, id est affectio & passio, quia ab omni morbo malè afficimur, & patimur; definitur ab aliquibus, *partium viuentium corporis humani ad actiones naturales exercendas, ex præternaturali earum constitutione, exorta impotentia*. Ab alijs, affectus contra naturam corpori insidens, vel actionem primò lædens; dicitur affectus ad distinctionem affectionis, quia morbus seu affectus est effectus affectionis, id est, mutationis, seu motus & passionis contra naturam, vt à ferro, dum adigitur in corpus, patimur & malè afficimur; hæc tamen affectio non est morbus, sed vlcus aut vulnus, quod inde prouenit, morbus seu affectus est. Dicitur, actionem primò lædens, id est, immediatè, nam etiam causa morbi lædit actionem, sed inter causam morbi, & actionem læsam intercedit morbus: deindè læsa

actio-

actione non læditur propterea facultas, licet morbi sint qui vtrumque lędant, vt cæcitas, surditas, &c.

Quod pertinet ad causas morbi generatim consideratas: causa materialis morbi, seu subiectum, est corpus, verum quia in corpore tria sunt, pars continens vt vena, contenta vt sunt humores omnes, & spiritus, tertiò actio; in parte continente est morbus, in contentis causa morbi, in actione symptoma morbi. Sic ratione subiecti triplex est morbus, similaris in parte similari, eius temperamentum destruens: organicus in parte instrumentaria, eius symmetriam euertens: morbus communis, seu solutio continui, continuitatem partium dissoluens, vt vulnus. Formalis causa morbi, est vel habitus, vel dispositio: vnde datur duplex morbus, vnus hecticus, seu habitus diu manens non facilè mobilis, vt podagra, febris hectica: alius est morbus schetieus, id est, in dispositione, vt febris diaria vnius diei. Causa finalis, siue effectus morbi sunt, vel auferre, vel minuere, vel augere, vel peruertere actionem; aufert, vt lethargus actionem sensuum; minuit, vt leuis inflammatio; auget, vt pauores in insomnijs; peruertit, vt melācholia, phrenesis. Tandem causa morborum efficiens est duplex, vna externa, alia interna, seu abdita. *Externa* est quæ extrinsecus corpori vim infert, vt aqua, aer, cælum, & vocatur θεῖον, id est, diuinum: hæc est vel necessaria & ineuitabilis vt aer, aqua in specie, sine quibus vita non constat: vel est non necessaria, & euitabilis, quæ est vel naturalis, vt hic aër, hæc aqua in indiuiduo: vel est fortuita, vt gladius morsus bestiarum &c. *Interna* est, quæ in ipso corpore existit: estque rursus duplex, vel antecedens, vel coniuncta, siue proxima, immediata, & continens. Antecedens est quæ primo mouet, & fouet morbum, scilicet plethora, & cacochimia, abundantia scilicet, & malignitas humorum. Coniuncta est quæ immediatè morbum efficit, & ei parti in qua morbus est, impacta est; quæ iterū vel est congenita, vel postgenita. Congenita vel est naturalis, vel præter naturam: naturalis est contrarietas elemētariarum qualitatum ex quibus constamus, quæ in se mutuo agunt, seque mutuò tandem debilitant & conficiunt: vnde senium, morbus & mors. Congenita præter naturam est vitium seminis prętertim paterni, & vitium sanguinis materni; hinc morbi hæreditarij in filios: hinc mater grauida, quibus affectibus afficitur, eosdē in fœtum transfundit. Postgenita est, quæ iam natis euenit, vt calculus, putredo &c.

Insuper omnis morbus sua habet symptomata, & signa. Symptoma est id quod morbo aduenit, quod à morbo profectum est, & eum sequitur dummodo actionem non lædat: nam aliquādo à morbo nascitur aliquid, quod actionem non lædit, vt fœdus calor, & est symptoma; aliquando actionem lædit, & est non symptoma, sed morbus consequens; vt ex intemperie iecoris, nata intemperies stomachi, morbus est, quia actionem lædit. Symptoma diuiditur præcipuè trifariam. *Primò* aliud est morbi, quod morbum proximè, nullo effectu præter naturam interueniente, sequitur. Aliud causæ, cum à causa aliqua morbifica actio læditur. Aliud symptomatis, quod aliud symptoma præcedens sequitur. *Secundò* aliud est actionis læsæ, seu hæc sit abolita, seu imminuta, deprauata, vel aucta. Fit id vel facultatis vitio, quando instrumentum proximè malè affectum est; quo spiritus & caloris influentis absentia refertur, vel erroris externi causa, quando illa cum quibus fiunt, aut sine quibus non fiunt actiones, fallunt. Aliud excretorum, & retentorum; aliud qualitatum mutatarum, quæ ex actionum læsionibus, & ab ijs prouenientibus humoribus dependent. *Tertiò* aliud est facultatis naturalis nimirum nutritiuæ, augmentatiuæ; & generatiuæ. Aliud facultatis vitalis: aliud facultatis animalis, quo pertinent symptomata sensuum externorum, internorū, potentię motricis, &c.

Etsi

Etsi autem omne symptoma in morbis signum sit, non tamen vice versa, omne signum est symptoma; causa enim antecedens, vt aer pestilens, signum morbi est, non tamen symptoma. Cum signum vel sit sanitatis, vel morbi, vel neutrum. Hic tantum de signis morbi loquimur, scilicet insalubribus, quę partem ægram, morbi causam & speciem, morbique euentum significant. Eiusmodi signa sunt in duplici differentia, vnum syllogisticum, seu pathognomonicum, siue necessarium, quod cum morbo incipit, morbum comitatur, & cum eo desinit; est autem hoc signum collectio, siuè syndromè multorum accidentium, vt enim in Physiognomia stultum est credere vni signo, ita in morbo: alia sunt signa verosimilia, seu incidentia, & sunt accidentia quæ non semper morbum comitantur. Porrò vtrumque signum ex istis est triplex vnum Anamnisticum, id est, rememoratiuum præteritarum; alterum diagnosticum, id est demonstrariuum præsentis morbi, vt pulsus vehemens caloris fabrilis; tertium est prognosticum signum euentus morbi.

Tantùm de morbis eorumque causis symptomatibus & signis in genere, nunc ad eorum considerationem in specie descendendo; cum ex dictis ratione subiecti prlmariæ & essentiales morborũ differentiæ sint, quibus morbi distinguuntur, in morbos partium similarium, partium organicarum, & vtriusque cõmunes. Morbus similaris rursus est triplex, vnus materiæ, & vocatur immoderatio materiæ, cum nimis dura, aut mollis, densa aut laxa, rara aut tenuis est. Alius est temperamenti, id est, intemperies, quæ est duplex: vna simplex, cum vna qualitas excedit, vt intemperies calida: alia est intemperies composita, cũ duæ qualitates excedunt, vt intemperies calida & sicca simul: iterum intemperies est nuda, quæ peccat sola qualitate, vt cum solus calor abundat, & vocatut phlogosis: alia est cum qualitas simul cum materia abundat; V. g. calor cum sanguine putrescente, & est phlegmone. Tertius morbus similaris est formæ corruptela, seu morbus totius, qui calidum innatum, facultates, & formam per se destruit. Hic morbus, vel est manifestus, vt vlcus malignum, vel est occultus à causis abditis, & hic est triplex, primus pestilens ex aëre aut aqua, tum aliunde, tum maximè à maligno syderũ aspectu, & luminum defectu illatus. Secundus est contagiosus, à contagione seu contactu alicuius veneni externi, vt lues venerea. Tertius venenatus est, vel ex veneno in nobis genito, vt à semine aut menstruo corrupto, vel à veneno assumpto.

Species morbi organici sunt quatuor prima magnitudinis, aut paruitatis, vt maiori capite sunt stolidi, minore sunt indociles. Secunda est numeri abundantis, aut deficientis, vt hermaphroditæ numero abundant, Poliphemus, monoculus numero deficit: Tertia in situ, vt labeones labris nimium propendẽribus. Quarta est conformationis, & primò in figura, vt simitas, secundò in meatu, vt mulieres vix perforatæ ad conceptum: tertiò cum pars asperior aut lænior est. Morbus communis cum sit solutio continui, pro vt varijs in partibus varia est huiusmodi solutio, variè etiam diuiditur. Primò sunt tumores, vulnera, & vlcera in carnosis partibus. Secundò caries & fractura in ossibus. Tertio laxitas & luxatio articulorum. Quartò in neruis conuulsio, in ligamento diuulsio. Quintò excoriatio in cuticula.

Pręter supradictas veluti essentiales morborum diuisiones in specie, plures sunt etiam accidentales. Primò enim morbus vel est dispositus, vel communis, & hic vel communis est vni familię aut genti, & dicitur endemius: vel est communis omnibus, & vocatur epidemius, vt pestis. Secundò morbus vel est idiopathia, scilicet morbus primarius, & primo insidẽs parti, vel est sympathia, seu morbus per consensum, qui alterius partis laborãtis vitio factus est; tum quia aliquid in partem influit quod

non

non deberet, vt cum ex ventriculo tetri vapores in cerebrum affluunt: tum quia aliquid non influit, quod deberet, propter obstructionem, vt cum cerebro laborante oculus non videt, quia neruus obstruitur. Tertiò tandem morbi, vel sunt externi, vel interni. Illi sunt tumores, cutis affectiones, capillorum vitia, vlcera, luxationes, & fracturæ; quæ omnia rursum sunt in multiplici differentia; tumores enim alij sunt à sanguine, vt nimia corpulentia, inflammatio, bubo, phygetlon, phyma, furunculus, parotis paronychia, perniones, ecchymosis, carbunculus. Alij à bile, vt erysipelas, & herpes. Alij à pituita, vt oedema. Alij ab humore melancholico, vt scirrhus & cancer. Alij ab humoribus serosis, salsis & biliosis inter se mixtis, vt scabies, lepra Græcorum, phlyctenæ, sudamina, sirones, vari, epinyctides, alphus, leuce, impetigo, & gutta rosacea. Alij in quibus humor peculiari membrana concluditur, vt strumæ seu scrofulæ, & gauglion. Alij à solida substantia, vt verrucæ, claui & calli. Alij à partibus solidis aliò incumbentibus vt aneurisma, varix, elephantiasis Arabū. Alij denique tumores maligni sunt, vt bubones, carbunculi, morbilli, varioli, elephantiasis, quæ & leontiasis, & satgriasis & lepra dicitur.

Sub cutis affectibus cōprehenduntur, lentigines, ephelides, næui materni, maculæ infantum, maculæ hepaticæ, pruritus, & malus odor. Sub capillorum vitijs, casus, canicies, porrigo, & plica. Sub vlceribus, gangræna, seu ignis SS. Marcelli & Antonij, sphacelus, & ambustio. Sub luxationibus, luxationes superiorum artuum, vel inferiorum. Ad illas pertinent luxatio mandibulæ, claviculæ, vertebrarum, humeri, cubiti, radij & digitorum. Ad istas, luxationes femoris, genu & tali. Sub fracturis denique comprehenduntur fracturæ ossium; quæ aut sunt frequentiores, aut minus frequentes. Ad frequentiores fracturas pertinent, brachij, humeri, cruris & femoris fracturę, ad minus autem frequentes, fractura nasi, maxillæ inferioris, clauiculæ, scapulæ, sterni, costarum, spinæ dorsi, patellæ & ossium pedis. Tantùm de varijs morborum externorum speciebus: nunc de internis eadem breuitate dicendum est.

Internorum igitur morborum alij sunt vniuersales, qui totum corpus afficiunt; alij particulares, qui aliquas partes. Vniuersalis morbus est febris; cuius variæ sunt species, ephemera, synocha simplex, synochus putrida, causus, febris continua tertiana, febris cōtinua quotidiana, continua quartana, continua symptomatica, tertiana intermittens, quotidiana intermittens, quartana intermittens, febres compositæ, febris hectica, febres malignæ continē es sub se febres cum variolis, morbillis, & hisce similibus, febres petechiales, sudorem Anglicum, morbum Hungaricum, febrem cum spasmo, & febrem cum catarrho & tussi, febres pestilentes. Morbi interni particulares, pro diuersitate partium, quas etiam diuersimodè afficiunt, sunt penè innumeri; claritatis tamen gratia possunt reduci ad tres classes; nimirum ad morbos capitis, medij & infimi ventris. Morbi capitis sunt vel cerebri, vel oculorum, vel aurium, vel narium, vel linguæ, vel labiorum, vel faciei, vel oris, vel dentium, vel gingiuarum, vel maxillarum, vel gurgulionis, vel tansillarum. Ad morbos cerebri referuntur intemperies, meatuum angustia, commotio, inflammatio, hydrocephalus, contusio, vulnera & fracturæ. Morbi medij ventris sub se continent affectus faucium, gutturis, asperę arteriæ, pulmonum, thoracis, mamillarū, & cordis. Infimi verò ventris morbi comprehendunt sub se affectus Oesophagi, ventriculi, intestinorum, ani, mesenterij, hepatis, lienis, renum, vesicæ, partium genitalium in viris, partiū genitalium in mulieribus, vmbilici, & abdominis.

Loquendo iam de causis morborū in specie, cum ex dictis aliæ sint externæ, aliæ internæ; rursus externæ, vel sunt

sunt supra naturam, scilicet Deus, qui morbos sæpè immittit; vel quasi supra naturam, vt dęmones, incantamenta, magicæ artes; vel sunt naturales scilicet cęlum, elementa siue aer, & aqua; item alimenta, excreta & retenta, labor & quies, somnus & vigilia, passiones animi. Species causarum internarum quadruplex est, corruptela, alteratio, inanitio, repletio. Corruptela formam qualitate occulta destruit, sicut venena. Alteratio qualitate aperta temperamentum destruit vt calor, frigus. Inanitio est hominis nimia euacuatio, seu vtilium, seu inutilium humorum. Repletio est triplex prima est in prima regione corporis ab ore vsque ad iecur: sic in ventriculo est cruditas chyli, deindè saburra in mesenterio. Alia repletio est in venis & iecore, & arterijs; estque duplex, vna malignorum humorum cacochimia, alia abundantia bonorum humorum, & est plethora, siue sit vniuersalis omnium humorum, siue sit particularis, vnius scilicet aut alterius humoris: plethora vel est ad vasa, cum ob plenitudinem periculum est ruptionis; altera est ad vires, quam vires ferre non possunt. In tertia regione, quæ est in singulis partibus, est humor infusus aut impactus comitans morbum. Species causarum morbi similaris & organici non sunt aliæ, quàm causæ iam dictæ siue externæ, siue internæ. Tantum de morbis, eorumque causis in specie sufficiat; nunc ad eorum signa gradum faciamus.

Diagnosticorum igitur signorum alia sunt, quæ idęam morbi significant, siue quæ morbi speciem, causam morbi, & sedem significant, seu partem affectam. Alia sunt ἐπιγινόμενα, id est, superuenientia, quæ morbi magnitudinem significant: V. g. superueniens pleuritidi phrenitis. Alia sunt ἐπιφαινόμενα, id est, apparentia, quæ nempe exeuntia manifestè se produnt, vt excrementa, vt sputum in pleuritide. Prognostica vero signa, quæ finem pręsignificant sunt quadruplicia, id est, pathognomica, eadem enim, quæ morbum, sæpe euentum modi significant: alia sunt peptica, id est signa coctionis & cruditatis, vtrum materia morbifica cocta sit an non. Alia sunt signa crisima, id est, decretoria vel potius secretoria & excretoria humoris morbifici. Morbi enim longi seu chronici tolluntur λύσει, id est, paulatim & insensibiliter euacuata materia: morbi autem acuti κρίσει, id est, repentina & magna naturæ euacuatione; Vnde crisis definitur, repentina in morbis mutatio ad salutem vel mortem, siue humoris morbifici repente facta excretio à natura. Vna est bona, & duplex est, vel critica & perfecta, quæ fit die critico, vacuato penitus humore; alia imperfecta non omnino vacuato humore, quæ morbum non tollit, sed minuit, aut recidiuum facit. Altera crisis est mala, seu symptomatica, quæ non fit à natura, sed propter violentiam morbi, aut copiam humoris morbici, quæ mortem accelerat, aut quæ morbum auget. Crisis iterum vel est excretio seu effluxus humoris mali, vel est abscessus, seu decubitus humoris ab vna parte in aliam. Excretionis species sunt hęmorragia, id est effluuium sanguinis, sudor, vomitus, diarræa, perirræa, id est, fęcum aut vrinæ profluuium. Dies morborũ alij sunt critici, seu iudices, seu fęcundi scilicet 7. 14. 20. 21. 40. 60. 80. 100. post quos non amplius per dies, sed per 7. menses numeramus, postea per annos. Alij dies sunt indices, seu aliquando critici, seu contemplabiles, scilicet indicant, quid diebus fęcundis futurum sit, & sunt 4. index 7. 11. 14. 17. 20. aut 21. Sunt intercidentes, seu prouitantes naturã scilicet in prima septimana 3. & 5. in secunda 9. & 13. in tertia 19. Alij præter istos sunt vacui & medicinales, inter quos pessimus est 6. ideoque tyrannus dierum dictus.

Vt autem huiusmodi signorum, alia sunt quæ crisim aut præcedunt, aut prænuntiant, aut comitantur, aut sequuntur; ita etiam dantur signa critica antecedentia, concomitantia, & subsequentia:

tia: Antecedentia sunt quæ significant aut speciem crisis, aut diem crisis futuræ, vel propinquè vel remotè: propinque quidem, nox præcedens crisium, quæ solito est inquietior, grauior & difficilior. Remotè verò sunt cruditatis & coctionis signa apparentia, vel ipsamet morbi species: morbi enim peracuti 4. & 7. die crisim habent, acuti vero 14. Signa quæ speciem crisis futuram significant sunt quatuor. 1. morbi acuti per excretionem, cronici soluuntur per abscessum. 2. species partis ægrotantis, nam si venticulus laboret inflammatione per vomitum, aut fluxum alui crisis erit &c. 3. ætas, quia iuuenibus per hęmorragiam, senibus per alui profluuium ordinariè fit crisis. 4. secundum consuetudinem, si enim aliquis vomitui assuefactus sit, fiet crisis ordinariè per vomitum. Signa crisim concomitantia sunt illa, quæ cum ipsa crisi apparent, & bonam & malam esse indicant. Excretio bona requirit quatuor. 1. qualitatem vt peccans & coctus humor excludatur. 2. quantitatem, vt totus eijciatur: hinc exigui vomitus aut exigui sudores parum proficiunt. 3. debitum tempus & diem: morbi enim sunt quatuor tempora, principium, augmentum, vigor seu status & declinatio. crisis in statu fieri debet. Dies critici iam supra præscripti sunt. 4. modum, id est, vt è directo fiat, vt per naturales ductus conuenientes. Abscessus tria requirit. 1. vt fiat in partem ignobiliorem & remotam à parte affecta, vt à pulmone, pulmonis inflammatione si fiant parotides. 2. vt fiat secundum rectitudinem partium. 3. vt propter quod fiat constet. Signa crisim sequentia tria sunt. 1. facies bene colorata, & si anteà intumuerat, iam detumescat. 2. vt actiones sanorum similes sint. 3. vt excrementa sint similia sanorum.

Quarta tandem & vltima signorum prognosticorum species, est signorum absolutè talium, quæ mortem aut sanitatem futuram præuuntiant: quæ iterū sunt vel ordinaria, & regularia, vel extraordinaria, & quasi præter naturam, videlicet pediculi aufugientes ab ægro signum mortis, vrtica in vrinam ægri immissa si marcescat signum mortis, si laridum pedi ęgrotantis applicitum canis non comedat signum mortis. Ordinaria sumuntur ex actionibus, id est ex vitalibus scilicet ex pulsu & vocantur spigmica, vnde spigmice. 2. ex animalibus actionibus præcipuè ex somnijs & vocantur ὀνειρομαντικα vnde ὀνειρομαντία: 3. ex naturalibus præsertim eiectionibus; quæ pars medicinæ est triplex, scatomantia ex fęcibus, auromantia ex vrinis, hydromantia ex sudoribus prædicens.

De Therapeutica curatrice, siue practica, eiusque partibus.

Therapeutica curatrix siue practica est illa, quæ inuenit per indicationes auxilia corporis humani sanabilis, quod dum fit exacta victus ratione in morbis seruanda, secundum vniuscuiusque naturam *Diætetica* vocatur; *pharmaceutica* vero dùm medicamentis, quæ vel in genere, vel in specie & suis differentijs spectari possunt. Medicamentū in genere est omne id quod corpori ægro applicatum, illud à statu pręternaturali ad naturalem, per facultates suas, reducere aptum est. Quatuor potissimum in medicamentis considerari possunt 1. *diuersæ eorum facultates.* 2. *dosis*, quia nullum medicamentum rectè agit nisi in sua quantitate exhibitum; mensuratur apud nos grano, scrupulo, drachma, vncia, libra, cochleari &c. apud veteres mystro, cyatho, acetabulo, quartario, hemyna vel cotyla, sextario, congio, vrna, amphora, & culeo. 3. *adulteratio*, quæ in medicamentis exoticis v.g. Moscho, ambra & similibus sępè locum habet. 4. *substitutio*, cuius occasio sumitur ex indigentia, sic calamus Aromaticus succedit acoro; absinthio abrotanum; abrotano origanum, & sic de alijs de quibus videndi authores qui de his scripsere.

Medicamenta in specie considerata variè diuiduntur: præcipuæ tamen differentiæ illæ sunt, quæ à constitutione, qualitatibus & viribus, partibus corporis humani, Planetis & signis zodiaci sumuntur: constitutionis respectu medicamenta sunt vel simplicia vel composita: simplicia ea vocantur, quæ talia sunt qualia natura produxit, quæque nullam ab arte compositionem sortiuntur, compositionem tamen artefactorũ, sunt autem vel *fossilia*, sub quibus continentur terræ, succi concreti, bitumina, lapides, metalla; vel *vegetabilia*, sub quibus continentur arbores, frutices, & herbæ; quatenus illæ remouendis corporis humani affectibus, vel totæ, vel partibus suis, radicibus nempe, lignis, corticibus, folijs, cimis, floribus, fructibus, & humoribus inseruiunt; vel *animalia*, quæ sunt in quintuplici differentia, iuxta quinque prima animalium genera; sunt enim, vel aues, vel quadrupedes, vel pisces, vel reptilia, vel exsanguia. Vel tandem microcosma, sic appellantur medicamenta simplicia, quæ ex corpore humano, ad depellendas humani corporis affectus desumuntur: de quibus consule Danielem Becherum in Medico Microcosmo, & Ioannem Hartmannum. Sequuntur medicamenta composita, quæ vel à natura, vel ab arte sunt talia. Illa sunt Acidulæ, siue aquæ, quæ sapore acido, & viribus alijs à mineralibus imbutæ, morbos cõuenienter adhibitæ depellunt. Et thermæ, quæ similiter sunt aquæ calidæ, quæ à terra perpetuo prosiliunt, ab igne subterraneo efferuescũt, & morbos vires à fossilibus sortitæ depellunt, si conuenienter adhibeantur. Medicamenta cõposita artificialia sunt, quæ ab arte ex simplicibus, præuia aliqua præparatione componuntur, & in aliquam formam rediguntur. Suntque vel interna, quia per os intra corpus sumuntur, vel externa, quia extrinsecus dumtaxat adhibentur: diuiduntur que ambo in fluida, solida & media; medicamenta interna fluida, sunt omnia decocta, infusa, potiones, vina medicata, cereuisiæ medicatæ, oxymel, aqua hordei, acetum medicatum, aquæ destillatæ, syrupus, iulepus, emulsio, essentiæ, spiritus, tincturæ, olea. Medicamenta interna solida sunt, pulueres, salia, croci, flores, præcipitata, vitra, fecutæ, confecta, rotulæ, morsuli, trochisci, & pillulæ. Medicamenta interna media inter fluida & solida habent sub se extracta, resinas, conseruas, condita, rob, electuaria, eclegmata, saponeas & bolos. Medicamenta externa fluida sunt clysteres, diaclismata, gargarismi, olea, epithemata, stillicidia, lotiones. Solida sunt glandes, pessi, emplastra, cerata, cauteria. Media sunt balsama, linimenta, vnguenta, cataplasmata; quibus adiungi possunt indifferentia sic dicta, quia aliquãdò parantur liquida, aliquando solida, aliquando media; suntque apophlegmatezantia, dentifricia, errhina, ptarmica, odoramenta, smegmata, suffitus, collyria. Tantum de medicamentis respectu constitutionis.

Medicamenta à facultatibus denominata vel sunt alterantia, vel motum conciliantia, vel aliquid producentia, vel aliquid corrumpentia, vel aliquid auferentia, vel venenis resistentia. Sub alterantibus medicamentis sunt temperata, calefacientia, frigefacientia, humectantia, siccantia, digerentia, emollientia, indurantia, laxantia, rarefacientia, condensantia, stegnotica, anastomatica, attenuantia, aperientia, incrassantia, emplastica, ecphractica, abstergentia, anodyna, & narcotica. Medicamenta motum conciliantia sunt vel attrahẽtia, vel repellentia, vel adstringentia. Medicamenta aliquid generãtia sunt in sextuplici differẽtia, maturantia, seu pus generantia, sarcotica, glutinantia, cicatricem inducentia, lactis generantia, & semen producentia. Medicamenta corrumpentia sunt, rubefacientia, vesicantia, crustam inducentia, adurentia, corrodentia, putrefacientia, psilothra, lac absumentia, semen extinguentia. Medicamenta aliquid è corpore auferentia sunt, purgantia, vomitoria, diuretica,

dydro-

hydrotica, diaphoretica, cerebrum purgantia & expectorantia. Tantùm de medicamentorum à facultatibus denominatorum ſerie.

Tertio ſequuntur medicamenta, quę à partibus corporis humani appellationem ſuam habent, quæ iiſdem tota ſubſtantia & ſpecifiea proprietate conueniunt; ſunt vero hęc, cephalica, ophtalmica, thoracica, cardiaca, ſtomachica, hepatica, ſplenetica, nephritica, & vterina. Et hęc vel calida, vel frigida, vel interna, vel externa; v.g. Cephalica calefaciẽtia interna ſunt 1. ex ſimplicibus; radices pæoniæ, Cariophyllatæ &c. ab animalibus Moſchus caſtoreum; ex cõpoſitis, aqua ceraſorum nigrorum, liliorum conuallium &c. Cephalica calefacientia externa ſunt 1. ex ſimplicibus, folia rutæ, ſerpilli; ex compoſitis, olea rutaceum, nardinum, laurinum &c. & ſic de reliquis.

Vltimò tandem ſunt medicamenta planetaria ſic dicta, quia ſecundum quorumdam placitum, à planetis appellationes ſuas ſortitæ, ab iiſdem vires ſuas accepiſſe, & in operando pendere exiſtimantur; vndè ſunt totuplicia, quot planetæ numerantur; Saturnina nempe, Iouialia, Martialia, Solaria, Venerea, Mercurialia, lunaria. *Saturnina* illa vocantur, quæ ſunt adſpectu horrido, odore ingrato vel etiam venenato, ſapore ſtiptico, forma macilenta; & creſcunt in vliginoſis, ſordidis, nemoroſis, ſolitarijs & tenebricoſis locis; ſuntque ex his aconitum, agnus caſtus, Apium &c. *Iouialia* illa ſunt, quæ ſaporem & odorem habent gratum, florem rubeum vel cæruleum, ſubſtantiam oleaginoſam, folia plana, & gaudent locis pinguibus, vt ſunt Caryophilli, ceraſa, fraga &c. *Martialia* ſunt forma aculeata & aſpera, ſapore cauſtico, colore ad rubedinem tendente, locaque amant ſicca, vt ſunt vrtica, carduorum genera &c. *Solaria* ſunt forma regali, colore florũ flauo vel fuluo, odore fragrante, ſapore grato, & loca amant aprica ac meridionalia; vt sũt heliotropium, crocus, chelidonia &c. *Venerea* ſunt, quæ habent florem albũ, humorem lentum, ſaporem dulcem, odorem laſciuum, formam foliorum glabram non laciniatam, vt ſunt piſa vulgaria, ſatyria, boletus ceruinus &c. *Mercurialia* ſunt, quæ varium florum colorem habent, ſiliquas gerunt, & loco plerumque arenoſo naſcuntur; vt ſunt fabæ, trifolium, bellis, iuniperus &c. *Lunaria* ſunt quæ folia habent craſſa, ſucculenta, ſaporis aquei vel ſubdulcis, cito in iuſtam magnitudinem creſcunt, & loca paluſtria, & aquatica amant; vt ſunt braſſica, cucurbita, melones, pepones &c.

Vltima tandem Medicinæ curatricis pars eſt Chirurgica, quæ manu adhibita, ſiue inſtrumentis externis vtitur, diuerſis pro diuerſitate morborum. Tantum de Medicina, ſingulíſque eius partibus, nunc videndum eſt quantum referat ad ſacræ doctrinæ ſtudium.

I. quod de Medicinæ laudibus paſſim aſſeritur; facile ex eo intelligitur cur Eccleſiaſt. 38. dicatur *Altiſſimus creauit Medicinam de terra*. II. quod de eiuſdem neceſſitate & vtilitate docent Medici, conducit ad intelligendum locum Eccleſiaſt. eodem capite; *honora medicum propter neceſſitatem, etenim illũ creauit altiſſimus*. III. quod Phyſiologia docet circa res naturales humanam potiſſimum naturam conſtituentes, iuuat ad plura Scripturæ loca explicanda, in quibus de illis fit mentio, Iob. 1. *pelle & carnibus veſtiſti me, oſſibus & neruis compegiſti me*. Ioannis 19. *exiuit ex latere aqua:* Aquam enim pericardij in omni animali viuẽti reperiri docet Hippocrates *lib. pericard.* adeſt, inquit, in ipſa tunica humor modicus velut vrina, vt videatur cor in veſica diuerſari; ita etiam Galenus *de vſu partium*, ſi enim viua ſecueris animalia, humoris modicum in pericardio reperies, cordis inuolucro: vſus autem huius aquæ, vt eo ſemper maderet cor, ne forte ardore aſſiduo, ob perennes motus tereretur; fit autem ex Hippoc. *lib. de corde*, humoris huius generatio, vt ſanum cor in cuſtodia floreſcat; refrigerandi & humectandi

di cordis gratia. Poteſt verò hic humor è vaporibus denſatis generari, è vaporũ ſero exſudante, & è potius parte in thoracem, tanquàm rore illabente. IV. quod ab Higieine præſcribitur circa modum tuendi ſanitatem per rerum non naturalium adminiſtrationẽ, inſeruit ad eruendum legitimum ſenſum plurium locorum ſacræ Scripturæ, in quibus de illis agitur; v.g. ſobrietatem eſſe neceſſariam tuendæ ſanitati; ad illud Eccleſ. 37. *propter crapulam multi perierunt, qui autem abſtinens eſt adýciet vitam*; varium cibũ eſſe moleſtum ad illud Eſter 6. *Aſſuerus noctem duxit inſomnem*; & Eccleſ. 37. *in multis eſcis erit infirmitas*; Vinum modicè ſumptum eſſe tanquam medicamentum ad illud 1. Timoth. 5. *Vtere modico vino propter ſtomacum, & tuas frequentes infirmitates*. Immodicè vero plura afferre incommoda ad illud Epheſ. 5. *Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria*. Aquæ potũ magis eſſe aptum ad ſpeculationes ad illud Eccleſ. 23. *Cogitaui abſtrahere à vino carnem meam, vt animum meum transferrem ad ſapientiam*; exercitationem corpoream eſſe vtilem ad illud Eccleſ. 31. *in omnibus operibus tuis eſto velox, & omnis infirmitas non appropinquabit tibi*; Somnus quomodo vtilis; ad illud Eccleſ. 31. *Somnus ſanitatis in homine parco*, & Ioannis 11. *Si dormit ſaluus eſt*; Lętitia corpus efflorescere ad illud Pſal. 27. *Refloruit caro mea*, Hebraicè, *exultauit cor meum*; triſtitia verò deſiccari ad illud Prouerb. 17. *Spiritus triſtis deſiccat oſſa*: Animi moleſtias ſenium accelerare, ad illud Pſalm. 6. *Inueteraui inter omnes inimicos meos*: Triſtitiam eſſe noxiam ſanitati, ad illud Prouerb. 23. *Sicut tinea veſtimento, & vermis ligno ita triſtitia viri nocet cordi*; tantùm de his, quæ ex hac Medicinæ parte conducunt ad Scripturæ intelligentiam. V. ſequitur Terapeutica contemplatrix, cuius etiam notitia apprimè neceſſaria eſt ad intelligẽda plura Scripturæ loca in quibus de diuerſis morbis, eorumque cauſis agitur; v.g. ad illud Iſaiæ 47. *contaminaui hæreditatem meam*; quod traditur in ea de morbis hæreditarijs & ex proſapia; Ad illud *famem patientur vt canes*; quod de fame canina; ad illud 2. Reg. 13. *ita vt propter amorem eius ægrotaret annum*; quod de pulſu amatorio; ad illud Geneſ. 11. *oſtium domus inuenire non poterant*; quod de Aoriſia, quæ eſt ſpecies cęcitatis, qua videntes alia, quędam non vident. Ad illud Lucæ 4. *Socrus Simonis tenebatur magnis febribus*; quod de febribus earumque differẽtijs; Ad illud Iob 20. *Oſſa eius implebuntur vitijs adoleſcentiæ eius*; quod de lue venerea, cuius in prędicto loco videtur fieri mentio; Ad illud 1. Reg. 4. *Fractis ceruicibus perýt*; quod de vulnerum capitis difficili curatione; ad illud 2. Regum 12. *Filius Bethſabee ſeptimo die mortuus eſt*; quod de diebus criticis & iudicatorijs; & ſic de alijs pluribus, ſed ſufficit hęc inſinuaſſe. VI. tandem Therapeuticæ curatricis ſiue practicæ notitia ad eumdem etiam finẽ conducit; v.g. Ad illud Apocalipſeos, *quia tepidus es, incipiam te euomere*; quod ab ea traditur de vomitorijs; ad illud Eccleſ. 10. *Si fueris ad cibos coactus &c. euome & conquieſcas*; quod de vomitus vtilitate ad immoderatam repletionem; Ad illud Geneſ. 30. *Da mihi mandragoras*; quod de earum virtute ad fęcunditatem; Ad illud Iſaiæ 38. *Vlcus Ezechiæ ſanatum eſt cataplaſmate ex ficis*; quod de caricarum virtute ad extergendum, & calefaciendum; Ad illud Tobiæ 2. *cum calida ſtercora inciderent in oculos ſuos, fel &c.* quod de fellis virtute ad diſcutiendas inueteratas albugines oculorum; Ad illud Lucæ 10. *Infundens oleum & vinum*, quod de vtilitate olei & vini ad vlcera; Ad illud Iſaiæ 1. *Plaga tumens, non eſt circũligata*; quod de colligatione fractorum docet chirurgia: En quantum Medicinæ, ſingularumque eius partium notitia conducit ad diuinarum Scripturarum intelligentiam. De quo vide Medicum Politico Catholicum, ſeu medicinæ ſacræ tùm cognoſcendæ tùm faciundæ Idęam, auctore Hieronymo Bardo Genuæ in 8. 1648. Item eiuſdem Iatrochymiam

miam sacram; Valesij sactam Philosophiam, Guillelmum Aderumde Aegrot. Euangelicis, & Theoricam Medicinæ sacræ Scripturæ locis illustratam,auctore Hyacintho Iordano Ord.Prędic. item quęstiones Medico legales Zachiæ.

CAPVT XV.

Quantum referat ad sacræ doctrinæ studium Chymia, seu Alchymia.

CHymia, quam & Chemiam,& Alchymiam appellanr alij, non sumitur hic pręcisè,pro ea parte,quæ pręscribit modum conficiendi aurum, vel argentum ex alio metallo aut ære, quæ Chrysopoeia siue aurifactoria dicitur; de qua agemus in fine huius capitis; sed sumitur latius pro ea arte, vel Philosophiæ naturalis parte, quæ vi & beneficio ignis naruralem actionem æmulatur corpora heterogenea soluendo, homogenea coagulãdo; propterea Theophrastus Paracelsus Spagiricam artem nuncupauit, quandoquidem ἐν τῷ σπᾶν καὶ ἀγείρειν in extrahendo, siue separando, & cougregando, siue coagulando tota occupatur; vndè etiam communiter illi assignatur pro obiecto, corpus naturale dissolubile,& coagulabile. Inter duo igitur extrema aliquorum nimio studio censentium hanc artem solam Philosophiæ appellatione dignandam, & aliorum inconsulto sectæ odio arcanis naturæ scrutatoribus vix inter lixas, & ciniflones, & Carbonarios locum concedentium; media via incedendum puto, Chymiam videlicet esse artẽ laude dignam; quæque non modo inter practicas, sed etiã inter speculatiuas iure merito referri potest. Etenim non solum circa suum occupatur obiectum: ignem vegetando, aquam eliciendo: lapides conflando, vniones, gemmas ad naruræ imitationem effingendo; metalla depurando, segregando, perficiendo: stirpes producendo, transformando: animalia generando, fęcundando, medendo; sed insuper multa de eodẽ obiecto per suas causas, naturaliaque principia demonstratiuè cognoscit; Vnde etiam speculatiua simpliciter, physicaque scientia dicenda est, ex manus verò operatione, mechanica, siue practica per accidens. Quod pertinet ad illius diuisionem; etsi respectu finis, cuius causa suscipitur ab artifice, qui ignoratis principijs, & naturalibus causis, ex rerum præparandarum vsu dumtaxar arrem tenet, & Metallariorum, & Aurifabrorum, & Vitrariorum, in primis vero Medicorum non honoraria tantùm sed etiam vicaria pedissequa esse videatur; tamen respectu subiecti circa quod versatur, & ratione cuius Physicæ subalternatur, rectè diuiditur tanquam in suas partes in lapidariam, Metallicam, Vegetatiuam,& Animalem. Inter quas quia potissimum apud homines tenet locum Metallaria, pro eo quod Chrysopoeia, siue aurifactoria esse creditur; breuirer hic aliquid de illa attingemus.

An ergò possibile sit per artem,pręsidio rerum naturalium adiutam,verum aurum ex non auro produci? Duæ sunt oppositæ senrentiæ: prima omnino negat: ita Abulensis Exodi 7. quęst. 10. alijque plures; secunda vero affirmat posse re vera effici aurum interuentu Alchymiæ; quod probat fusissimè Robertus Vallensis *cap.1. operis de veritate, & antiquitate artis Chymicæ*; argumentando non solùm ab authoritate humana omnis generis, Poetarum, Philosophorum, Iurisperitorum, Theologorũ, sed etiam à sacra diuinarum Scripturarum: Primoque loco affert testimonium Esdræ lib.4. cap. 8. *Dicam autem coram te Esdra. Quomodo autem interrogabis terram, & dicet tibi, quoniam dabit terrã multam, magis vnde fiat fictile; paruum autem puluerem vndè aurum fit.* Quod ille censet esse explicatissimam assertionem Alchymiæ. Verum quia ille liber Esdræ inter agiograpba non annumeratur; addit illud Ecclesiastici cap.38. *Altissimus creauit de terra medicinam,& vir prudens non abhorrebit eam.* Item illud Dauidis Psalmo 12. *Eloquia Domini, eloquia*


quia casta, argentum igne examinatum, probatum ter, purgatum sextuplum. Quē locū duplici alia lectione illustrat. Prior est, eloquia Domini, eloquia munda, argentum igne examinatum in vase terreo, purgatum septies. Posterior verò est, huiusmodi. Verba Dei, verba pura, argentum in Aludele exustum, in terrā, seu puluerem refusum septies. Est *Aludel* vox Arabica, latinè sonans sublimatorium, aut vas, in quo fit sublimatio Chymica, de qua Geber *lib. 2. cap. 43.* Quod ergò sublimatione per ignem lentum facta, septiesque iterata, argentum quouis auro perfectius reddatur, inde Dauid puritatem, & nitorem diuinæ legis supra quod vis vulgare aurum, expressit ea comparatione argenti, in Aludele per fusionem Chymicam repurgati. Quæ omnia loca licet efficaciter nō probent Chrysopœiæ veritatem, alias enim possunt habere interpretationes; posterior tamen Psalmi locus, saltem probat illius artis veritatem, in argento alijsque metallis igne excoquendis, & scorijs ac fęcibus abiectis expurgandis; ex quo postea probabiliter colligitur ad tantam perfectionem illam artem peruenire posse, vt per illam applicando actiua passiuis verum aurum cōfici possit; authores enim huius secundæ sententiæ, adductis diuinarum Scripturarū authoritatibus, non illam propterea defendunt tanquam quid pertinens ad fidem; sed tanquam quid in Philosophia probabile, quæ in suis etiam sententijs diuinarum Scripturarum suffragiū quęrere solet. Vnde quod lib. 3. Regum cap. 10. legitur fecisse Salomonem, *vt tanta esset abundantia argenti in Hierusalem, quanta & lapidum*; probant aliqui non tam thesauris paternis, aut nauigationi triennali per mare rubrum in Ophir, quàm ipsi lapidi Philosophico acceptum esse ferendum.

Stante Philosophica huius sententiæ probabilitate, existimo libros chimicos, pro vt Chrysopœiam spectant, non esse simpliciter & absolutè configendos; vndè etiam hactenus nullos illorum iure positiuo cōmuni fuisse prohibitos, etiam post Extrauag. *Spondent* Ioannis XXII. contra Alchimistas rectè notauit Delrio *lib. 1. disquisit. Magic. c. 5. quæst. 4.* dixi simpliciter & absolutè, quia non sunt probandi illorum libri, qui vt Alchymiæ opera & arcana occultent, nō solum ijsdem verbis vtuntur, quæ in rebus sacris, atque diuinis mysterijs vsurpare solemus, sed etiam sub illis, tanquā sub metaphoris philosophica latere arcana somniantes, sic illa explicare conantur. Quod quam sit absurdum, diuinisque mysterijs iniuriosum patet: nā licet non minus ex arte Chymica, quam ex omnibus alijs scientijs naturalibus, possint desumi aliquæ similitudines & metaphoræ ad explicanda sacrosancta fidei nostræ mysteria; quod tamen illa subseruiant ad declaranda rerum omnino naturalium, & inferiorum arcana, videtur eorum dignitati omnino dissentaneum, atque adeò improbandum.

Sed est maior difficultas inter doctores; stante probabili sententia, quod per artem chymicam verum aurum fieri possit, an non solum illius libri legi, sed etiam illa licitè possit exerceri; cui respondeo breuiter duabus cōclusionibus cum Martino Delrio loco superius citato. I. est nullo iure in foro fori, hanc artem fuisse prohibitam, vt non liceat eam exercere ex defensione iuris positiui. Vbi de communi iure loquitur tàm ciuili, quàm Canonico, non de particularibus locorum statutis, vel regnorum sanctionibus. II. est, in foro conscientiæ non promiscuè, sed cum delectu hanc artem esse permittendam, imo plerisque, vt perniciosam, atque adeo illicitam esse prohibendam. Sic quicquid illiciti est, id non ex artis natura, quæ in se mala non est, imo, quatenus ars est & scientia secundum se bona est, proficiscitur, sed à vitio tantùm circumstantiarum, quæ vt plurimum in hac operatione reperiuntur: vndè si hæ desint, non est quid in ea reprehendatur: sed quia vix vnquam desunt omnes, rarò fit, vt alicuius ratione non adsit vitium, & peccatum;

catum; & ideo dicitur plerisque perniciosam, & sic illicitam esse censendam. Hæ autem circumstantiæ, & veluti capita cæterarum sunt quatuor, finis, modi, temporis, & personæ.

Si finis sit lucrum & auaritia illicita est. Quia lucrum ex hac arte est prohibitum,& ex statuto Ioannis XXII.non licet hoc auro vti ad commercia, contractusve,si pro vero auro, quis vti vellet: non licet etiam eo vti in medicamentis, nec in monetatum mixtione. Et merito, nam licet per artem verum aurum fieri posse probabile sit, id tamen adeò raro contingit, vt censendum sit moraliter non contingere, siue impossibile esse. Quare tam verisimili causa dubitandi existente, non licet in commercium, aut alium quemcumque vsũ illud deducere, vt verum aurum, sub mortali. Vendi tamen posse pro auro alchimico, & iuxta æstimationem peritorum autifabrorum, conueniunt omnes. Si vero quis illud cuderet, siue produceret, eo tantum fine, vt ipsemet in annulos, catenas, aut suppellectilem propriam illud adhiberet:huic omni cura foret adnitendum, ne quis eo viuo, vel mortuo per hoc deciperetur. Alioqui pro negligentiæ latitudine,hic quoque peccati grauitas nasceretur. Sed de his satis plura videri possunt apud authores Martinum Delrio, Raphaelem de la Torre 22.*quæst.96. artic.* 2. *disp.9.* Sanchez *lib.2.in Decalog. cap.*40. *nu.*51. vbi chimicum studium, quoad priuatos damnat, & latè à Graffis p.1.decis.lib.1. cap.28. negans chymicum pertinacem, esse sacramentaliter absoluendum;quod tamen debet intelligi, quando eius studium ex aliqua circumstantia esset perniciosum, non autem de illo secundum se, vt vidimus.



CAPVT XVI.

Quantum referat ad sacræ doctrinæ studium Mathesis in communi, primaque eius species Arithmetica.

PEr Mathesim in communi intelligimus scientiam illam, quæ quantitatem vt sic, abstrahendo à continua & discreta contemplatur, eiusque principia, & affectiones. Quæ principia vel sunt prima, vel secunda. *Prima* rursus diuiduntur in assertiua,quæ sunt definitiua, vel definitiones, & axiomatica, vel axiomata, & in petitiua, siue postulata. Secunda verò distinguntur in propositiones elementares, quæ affectionẽ demonstrantes vocantur Theoremata, fabricam autem ostendentes problemata;& in cognata elementaribus propositionibus, cuiusmodi sunt lemmata noua indigentia demonstratione,& corollaria non indigentia noua demonstratione. Affectiones quantitatis similiter aliæ sunt absolutæ, aliæ relatiuæ, siue respectiuæ; absolutæ ratione extensionis,qua finita, vel infinita dicitur quantitas, vnde diuisibilitas: respectiuę, qua cohærent, contactus, sectio; qua comparantur inter se se,comparatio, quæ vel est simplex ratio, vnde oritur æqualitas vel inæqualitas, commensurabile & incommensurabile; vel composita analogia, seu proportio dicta; qua plures rationes inter se conferuntur, vel continuè, vel disiunctè, vnde similitudo, & dissimilitudo. Tantùm de Mathesi in communi, sequitur vt agamus de illa in speciali, & primò qua Arithmeticam sub se continet; si prius posuerimus aliqua principia, ex quibus dependent probationes omnium conclusionum Mathematicarum, tàm Arithmeticarum, quam Geometricarum.

Primum est, omne totum est æquum suis partibus simul sumptis, & è contra.

Secundum, omne totum est maius sua

ſua parte; & vtrobique totum ſumitur cathegorematicè, non autem ſyncathegorematice: totum autem cathegorematicè ſumptum, idem eſt, quod habens partes; ſyncathegorematicè verò idem eſt, ac quælibet pars.

Tertium, quæ vni, & eidem ſunt æqualia, inter ſe ſunt æqualia.

Quartum, ſi æqualibus ęqualia adduntur, vel idem commune, tota ipſa ſunt æqualia.

Quintum, ſi æqualibus æqualia demas, vel idem commune, relinquuntur æqualia.

Sextum, ſi inæqualibus æqualia adduntur, vel idem commune, tota fiunt inæqualia.

Septimum, ſi ab inæqualibus æqualia demantur, relinquuntur inæqualia.

Octauum, ſi aliqua res applicetur alteri ſic, quod altera non excedit alteram, illæ ſibi inuicem ſunt æquales. Quia vnitas quæ eſt principium numeri eſt prior puncto, qui eſt principium lineæ, & paſſiones etiam, ſiue proprietates numeri deſeruiunt in magnitudinibus; proportio enim in magnitudinibus ſumitur à proportione in numeris; ideo inter mathematicas diſciplinas, primùm obtinet locum Arithmetica, ſic dicta à quantitate diſcreta, ſeu numero, de quo agit tùm generaliter, tum ſpecialiter. Generaliter qua conſiderat *naturam* numeri, quod ſit multitudo ex vnitatibus collata; *principia*, materiale, quod eſt vnitas; formale, eſſe diſcretum: & *affectiones*; quę ſunt computationes numeri, & minutiarum. Computatio numeri rurſus alia eſt ſimplex, alia comparata; ſimplex quæ reperitur in numeris, & in fractis; ſimplex computatio in numeris, prærequirit notationem numeri, qua ſcriptionem, & pronuntiationem, vel numerationem; in qua ordo, quod numeri ſint ſimplices digiti, compoſiti primi articuli; orti ſeu coniuncti; & valor ſimplicium compoſitorum, vbi gradus & periodi; abſoluitur verò algorythmo, cuius ſpecies ſimplices ſunt additio & ſubtractio; compoſitæ multiplicatio & diuiſio. Simplex computatio in fractis, alia eſt vulgaris, alia compendioſa; vulgaris, in qua notatio, ratione ſcriptionis & pronuntiationis, vbi denominatio & valor; deinde numeratio in additione & ſubtractione, multiplicatione & diuiſione, compendioſa dicitur, vbi compendium Geometricum, ſiue Arithmetica decimalis, in qua notatio, ſpecies, additio, & ſubtractio decimalis, multiplicatio & diuiſio decimalis; & Aſtronomicum, ſiue Legiſtica ſexagenaria in qua ſimiliter notatio, denominatio à gradibus, & valor; ſpecies additio & ſubſtractio, multiplicatio & diuiſio. Cõputatio numeri comparata dicitur, qua numerorum menſurabilitatem, hinc numeri alij primi, alij compoſiti, communis diuiſor maximus, communis diuiduus minimus, & æqualitatem reſpicit, vbi ratio, & proportio, quæ proportio vel eſt continua, ſiue progreſſio Arithmetica, Geometrica; vel diſiuncta, ſimplex, quæ eſt vel directa regula aurea, ſiue de tribus, eiuſque compendia; vel reciproca regula de Trib. inuerſa; & multiplex, vt regula dupli, ſocietatum, quæ iterum vel ſimplex, vel multiplex, alligationis, falſi. Tantùm Arithmetica de numero generaliter conſiderato; ſpecialiter autem dicitur agere de illo, qua figuratus; cuius definitio eſt, quod ſit numerus ex multiplicatione exſurgens; diuiſio verò in planum, & ſolidum; plani rurſus in æquilaterum ſeu quadratũ, & inæquilaterum. Operatio ſimiliter huius numeri figurati alia eſt vulgaris, alia ſpecialis: Vulgaris, vbi radicis quadratæ, vel cubicæ extractæ è numeris ſimplicibus & compoſitis, vel iuxta rabulam quadratorum, & cuborũ, vel rabdologiam Neperi, vel viam artis, in numeris perfectis & ſurdis; deinde extractionis vſus in inuentione numeri proportionalis inter duos datos: vbi quæruntur vel intermedius vnus, vel duo medij proportionales. Operatio ſpecialis conſiſtit in Arithmetica Algebraica, quæ abſoluitur Algorythmo, vbi ſpecies in numeris integris, fractis, irrationalibus,

bus,

bus, radicum extractiones; & regula Cossica, quæ absoluitur æquatione, reductione, diuisione, radicis extractione. Sic se habet typus Arithmeticæ, superest vt singulos terminos in ea contentos breuiter explicemus.

Triplex est numerus, scilicet numerus numerans, numerus numeratus, & numerus quo numeramus. Numerus numerans, est ipsemet actus animæ numerans res ipsas: numerus numeratus, sunt res numeratæ, numerus verò, quo numeramus est ipsa quantitas discreta ab Arithmetica considerata, vnde definitur multitudo ex vnitatibus collecta, vel aggregata. Diuiditur in parem & & imparem: numerus par est ille, qui in duo æqualia potest partiri, secus impar. Vlterius distinguitur numerus par in perfectos, superfluos, & diminutos. Numerus perfectus dicitur ille *primò*, qui omnibus partibus suis aliquotis aggregatis est æqualis, dicitur autem pars aliquota, quæ aliquoties sumpta reddit suum totum, V.g. senarij partes aliquotæ sunt 1.2.3. quæ omnes aggregatæ senarium constituunt. Secundò numerus perfectus dicitur qui constat ex omnibus suis partibus simul sumptis, & sic ternarius numerus dicitur perfectior. Tertio modo dicitur numerus perfectus quia in eo est status numerorum, & sic denarius est perfectus, & est primus terminus ad quem stat resolutio numerorum. Vnde denarius est primus limes; secundus verò limes ille, qui fit ex ductu in se, scilicet numerus centenarius: tertius ex ductu denarij in centum, scilicet millenarius, & sic in infinitum. Numerus autē superfluus vel abundans dicitur ille, cuius partes aggregatæ excrescere faciunt totum in maiorem numerum, vt numerus duodenarius, cuius partes aliquotæ sunt 1.2.3.4.6. quæ simul inuicem producunt 16. Numerus diminutus per oppositum dicitur ille, cuius partes aggregatę minorem numerum constituunt, sicut octonarius, cuius partes aliquotæ sunt 1.2.4. quæ in septem descendunt.

Numerus impar diuiditur in primū siue incompositum, aut simplicem, & in secundum, siue compositum. Incompositus dicitur ille, qui nullam habet partē aliquotam nisi vnitatem, vt numerus ternarius & quinarius. Compositus verò qui habet alium numerum numerantem, vt nouenarius, quia ternario numeratur. Vbi aduertendum primò vnū numerum dici numerare alterum, quando aliquoties sumptus ipsum constituit. Secundò notandum etiam, quod numerum in se, vel in alium duci, idem est quod per se, vel per alium multiplicari, vnde numerus productus dicitur, qui ex tali multiplicatione consurgit.

Secundò numerus mathematicus, siue par, siue impar diuiditur in lineales, superficiales, & solidos: quorum duorū vltimorum tot ferè sunt species; quot planorum, & solidorum Geometricorū, vt triangulus, quadratum, pentagonum, exagonum, &c. pyramis, cubus; vnde etiam numeri pyramidales. Tertiò diuiditur numerus in digitum, articulum, & compositum; Digitus, siue numerus digitalis est omnis numerus minor denario. 1.2.3.4.5.6.7.8.9. sic in omni numero figurato, nullus potest esse digitus nisi vltimus numerus. Articulus est omnis numerus diuisibilis in decem partes æquales, ita quod nihil residuū sit; cuius proinde in cōfiguratione o sēper occupat vltimum locum, vt 10.500. 340.8020. &c. compositus verò, siue mixtus dicitur ille, qui constat simul ex digito & articulo, cuius proinde in configuratione nunquam o occupat vltimū locum. Tantum de diuisione numeri mathematici, & abstracti, siue quo numeramus, qui pertinet solùm ad Theoriam; nunc agendum est de numero numerato, siue concreto, id est, qui cum aliqua denominatione pronūtiatur, pertinetque ad praxim, vt 7. cannæ siue vlnæ, 8. scuti.

In quinque igitur species principales diuiditur. *Prima* dicitur vulgariter denominata, siue numerus vulgariter denominatus, vt sunt 8. vlnæ 10. libræ.

Secunda dicitur, fractus, vt $\frac{1}{2}$ vlnæ, siue dimidium vlnæ, fractio enim, minutiave, siue numerus fractus, nihil aliud est, quam vna pars, vel plures partes alicuius totius in plures æquales partes diuisi. Vt si totum aliquod sectum sit in duas, aut quinque partes æquales, & quispiam ex illis sumpserit vnam dicetur illa dimidia, & quinta pars numerus fractus. Sic etiam si quis duas, tres, aut quatuor acceperit, dicentur duæ illę tres, vel quatuor quintę partes, numerus fractus. Constat proindè quælibet minutia duobus numeris, qui in ea proferenda exprimuntur. Primus dicitur numerator, quia numerat, quot partes cōtineat fractio proposita ex illis, in quas totum, cuius est fractio, diuisum est. Alter appellatur denominator, quia denominat illas partes fractionis, hoc est indicat, in quornam partes totum intelligitur esse diuisum. Vt cum proponitur fractio continens tres quintas partes, numerator est 3. quia significat in illa fractione contineri tres partes totius; Denominator verò est 5. quia indicat, tres illas partes non esse qualescumque, sed quintas. *Tertia* species est numerus Physicus siue Astronomicus, vt 20. gradus 60. minutæ. *Quarta*, surdus vt. ℞. 7. *Quinta*, Cossicus, vt 1. ℞. qui ab alijs vocatur non vulgaris: ad distinctionem eorum numerorum, quos vulgari Arithmetica explicari in vsu est.

Numerus vulgariter denominatus dicitur ille, qui habet vulgarem alicuius rei denominationem, vt 5. vlnæ; vlna dicitur denominatio vulgaris; quarum denominationum aliæ sunt maiores, & dicuntur illę; quæ continent minores, in quas possunt resolui: vt in monetis sunt libræ, asses & denarij; libra enim valet viginti asses, assis duodecim denarios, denarius diuiditur in duo obola, aut malleas, & obolum in duas pittas. In ponderibus sunt etiam libræ, & marcū, libra in rebus medicinalibus continet vbique duodecim vncias, vncia octo dragmas, dragma tres scrupulos, scrupulus duo obola, obolum tres siliquas, siliqua quatuor grana; quorum omniū sui sunt characteres proprij. At libra mercantilis continet ordinariè sexdecim vncias, diuiditurque in medias, quartas, & semiquartas, aut in alias partes, vt libra medicinalis. Marcum inseruit principaliter auro, argentoque ponderando, & diuiditur in octo vncias, vncia in vigintiquatuor denarios, vel octo grossos, grossus in tres denarios, denarius in viginti quatuor grana; granum in viginti quatuor primas, prima in viginti quatuor secundas. Hactenus de numero magis in communi, tam ad Theoriam, quam ad praxim Arithmeticę pertinente, nunc singulas eius operationes explicemus, numerosque ab illis denominatos.

Numeratio est cuiusuis numeri propositi per proprios characteres, ac figuras descriptio, atque expressio. Vtuntur autem Arithmetici decem characteribus, siue figuris ad omnium numerorum descriptionem, videlicet 1.2.3.4.5. 6.7.8.9.10. quarum priores nouem dicuntur significatiuæ. Quælibet enim illarum tot vnitates significat, quarum ipsa locum in apposita serie occupat. Decima autem figura, & vltima nihil per se significat, diciturque cifra; auget tamen significationem, ac valorem aliarum figurarum. In quolibet numero, qui pluribus figuris scribitur, tot dicuntur esse loca, quot sunt figuræ siue significatiuæ, siue non significatiuæ: primusque locus, seu prima figura est, quę extrema est versus dexteram; secundus verò locus, seu secunda figura est illa, quæ proximè primam consequitur versus sinistram atque ita deinceps: adeo vt ille locus, seu figura dicatur vltima, quæ primam sedem ad sinistram occupat. Quælibet figura in primo loco posita seipsam simpliciter repræsentat, in secundo decies seipsam significat, in tertio centies, in quarto millies, in quinto decies millies, atque hoc pacto in infinitum: ita vt loca ordine se se superent in decupla proportione, vt secundus primum, tertius secundum, quartus tertiū &c.

&c. Cur autem ordo locorum figurarum ve in quolibet numero progrediatur à dextra versus sinistram, causa hæc est: quoniam à Phœnicibus inventa esse dicitur Arithmetica, qui scribere solent à dextra sinistram versus, more Hebræorum, Arabum & Chaldæorum. Notandum tamen dispositionem, quæ fit in cifris à dextra in sinistram, fieri in calculis in lineam sursum, ita vt inferiores notæ minoris, superiores verò maioris numeri sint significatiuæ. Præter supradictas communes numerorum notas siue figuras; septem adhuc sunt litteræ, quibus numerus quiuis propositus repræsentari solet, & sunt I.V.X.L.C.M. D. I. valet vnum. V. quinque. X. decem. L. quinquaginta. C. centum. D. quinginta. M. mille. Quarum litteratum quælibet linea sic transuersa notata — millies suum significat valorem, vt Ī valet mille. ĪĪ. duo mille. V̄ quinque millia, & sic deinceps. Notandum insuper circa vsum istarum litterarum, quod si quis velit aliquem numerum repræsentare, cuius repræsentationi necessariæ fuerint plures litteræ, debet valore maiores præponere minoribus, vt VIII. Littera enim minoris valoris præposita subsequentem maiorem detruncat, vt IX. valet nouem. XL. quadraginta & sic deinceps; sed de his notis videri potest Gregor. Tholos. *lib.* 15. *Syntaxis artis mirabilis*; & Theatrum vitæ humanæ Laurentij Bierlinch verbo Arithmetica.

Additio est duorum vel plurium numerorum in vnam summam collectio. *Subtractio* est minoris numeri ex maiori, vel æqualis ex æquali, subductio. *Multiplicatio* est ductus vnius numeri in alium. Tunc autem numerus quilibet in alium duci dicitur, cum alter ipsorū toties augetur, quoties in altero continetur vnitas. Vt numerus 6. in numerum 5. vel numerus 5. in numerum 6. duci dicitur, quando numerus 6. quinquies accipitur, vel numerus 5. sexies. quo pacto semper accipientur 30. atque huiusmodi ductus multiplicatio appellatur. Cui mirificè inseruit tabula illa, quæ Pythagorica dici solet, ea fortassis de causa, quod Pythagoras eā, vel primus excogitauerit, vel certè discipulos suos in ea diligenter exercuerit. Tandem *diuisio* est distributio propositi numeri in partes ab altero numero dato denominatas; vt diuisio numeri 36. per 9. est distributio eius in nonas partes, nempè à 9. denominatas; quarum quidem singulę quaternas vnitates continebunt; ita vt 4. sit numerus ex hac diuisione productus, qui quotiens dici solet. Propterea quod indicat quoties numerus 9. qui diuidens, siue diuisor appellatur, in diuidendo num. 36. contineatur. Indicat enim cōtineri quater, toties nimirùm, quoties numerus quotiens quaternarius vnitatem continet. Ex quo fit diuisionem ita quoque describi posse. Diuisio est inuentio numeri, qui toties vnitatem contineat, quoties numerus diuidendus diuisorē continet. Porrò tam huius quam cæterarum trium operationum examinandarum suę sunt regulæ & probationes, modusque proprius numeros collocandi, de quibus videndi Arithmetici inferiùs citandi: solùm notandum est ex his quatuor operationibus omnia, quæ in vniuersa Arithmetica traduntur, tanquam ex elementis pendere.

Proportio nihil est aliud, quam vnius numeri ad alium habitudo. Vndè cum vnus numerus possit comparari ad aliū numerum diuersimodè, sic etiam diuersi sunt proportionum numeralium modi: qui ad duo tamen genera vniuersaliter loquendo reduci possunt. Primum, quo numerus æqualis comparatur numero æquali, & vocatur proportio ęqualitatis vt inter 2. & 2. palmum & palmum. Secundum verò genus est, quod versatur inter quantitates diuersæ extensionis vt inter 2. & 4. vel inter magnitudines vnius & duorum palmorum, & hęc dicitur proportio inęqualitatis, retentoque nomine cōmuni, siue generico frequentius appellatur proportio. Estque duplex, alia appellatur inęquale excedens, quia

quia est à maiori ad minus, cùm scilicet maior numerus comparatur minori vt 6. ad 3. & alia dicitur inęquale excessum, quia est à minori ad maius vt 3. ad 6.

Proportionis autem maioris inęqualitatis, siue inęqualis excedentis sunt quinque species, quarum tres sunt simplices & duæ cōpositæ; simplices sunt, proportio multiplex, proportio superparticularis, proportio superpartiens; compositæ vero sunt, multiplex superparticularis, & multiplex superpartiens. Singulas breuiter explico. Proportio tunc multiplex dicitur, quando numerus maior aliquoties continet minorem: & si quidem contineat ipsum bis dicitur proportio dupla, sicut se habet 4. ad 2. si verò ter tripla, vt 6. ad 2. si quater quadrupla, vt 8. ad 2. & sic in infinitū. Proportio superparticularis tunc appellatur, quando numerus maior continet minorem, & insuper aliquam eius partem, & tunc si continet ipsum & dimidiū vocatur sexquialtera, sicut se habet 3. ad 2. si verò totum, & tertiam partē sexquitertia, vt 4. ad 3. si totū & quartam partem sexquiquarta sicut 5. ad 4. & sic de alijs, quæ sunt species infimæ proportionis superparticularis. Proportio superpartiens est, quando maior numerus continet minorem semel, & insuper plures eius partes; & si quidem contineat duas partes, vocatur superbipartiens sicut se habent 5. ad 3. si verò tres, dicitur supertripartiens, sicut 7. ad 4. & sic de reliquis, quæ etiam sunt species infimæ proportionis superpartientis. Proportio multiplex superparticularis vocatur, quando numerus maior continet totum minorem pluries, & insuper aliquam eius partem; & si quidē contineat ipsum bis, & dimidiam eius partem dicitur dupla sexquialtera, sicut se habent 5. ad 2. si verò contineat ipsum ter, & dimidiam partem, dicitur tripla sexquialtera, vt 7. ad 2. & sic deinceps illud enim genus diuiditur, tàm secundum species multiplicitatis, quam secundum species proportionis superparticularis. Tandem proportio multiplex superpartiens reperitur, quando numerus maior continet minorem pluries, & insuper plures eius partes; & si quidem contineat ipsum bis, & duas partes eius, appellatur dupla superbipartiens vt 8. ad 3. Si verò contineat ipsum ter, & tres partes eius, dicitur tripla supertripartiens, vt 15. ad 4. & sic de alijs. Nam hoc etiam genus diuiditur iuxta diuisionem proportionis multiplicis, & superpartientis, cum sit ex ambabus compositum. Eodem ordine & ratione diuidendū est aliud genus proportionis inęqualis, quæ appellatur inęquale excessum, nisi quod denominationes exprimuntur per subiectum, nam numerus minor dicitur submultiplex, subparticularis, subpartiens, submultiplex subparticularis, & submultiplex subpartiens; quarum vnaquæque diuiditur in species correspondentes speciebus enumeratis, vt subdupla, subtripla & cæt.

Sicut autē proportio est vnius quantitatis, vel numeri ad aliū habitudo, ita proportionalitas est similitudo, seu cōparatio multarum proportionum; diuiditurque in proportionalitatem Arithmeticam, & in proportionalitatem Geometricam. Proportionalitas Arithmetica dicitur illa, in qua seruatur identitas, vel æqualitas excessus, vt sicut se habent 6. ad 4. ita 8. ad 6. sicuti enim 6. excedunt 4. in duobus; ita & 8. 6. pariter excedunt in duobus. Proportionalitas verò Geometrica dicitur illa in qua seruatur idētitas, vel æqualitas proportionis, sicut se habent 6. ad 3. ita 4. ad 2. Quamuis enim ipsi numeri sint inęquales, & similiter excessus, quibus extrema nempe 6. ad 4. superant 3. & 2. proportio tamen quæ est inter 6. & 3. ęqualis est proportioni, quæ est inter 4. & 2. siquidem vtraque est proportio dupla.

Regula trium, quæ alio nomine ob immensam vtilitatem, Aurea dici solet, vel regula proportionum, propterea quod in quatuor numeris proportionalibus,

libus, quorum priores tres noti sunt, quartus autem ignotus quęritur, versetur; vndè & regula trium apud vulgus appellata est: quod tres numeros ponat cognitos, & ex ijs quartum ignotum eliciat: Hęc, inquam, regula, nihil aliud est, quàm modus inueniendi quartum numerum ignotum, datis tribus numeris notis: qui sic debent disponi, vt is, qui quęstionem habet annexam, semper enim vnus illorum, quęstionem secum affert, tertio statuatur loco, reliquorum autem ille, qui de eadem est re, hoc est qui tertio similis est, primum occupet locum, mediam denique sedem teneat alter, cui quartus, qui quęritur, similis esse debet. Illis autem sic dispositis, multiplicari debent, tertius, & medius inter se, productusque numerus per primum diuidi. Nam quotiens numerus erit quartus qui querebatur, satisfacietque quęstioni propositæ: hoc est, tertius numerus ad eum habebit eamdem proportionem, quam primus ad secundum. Exempli gratia, quatuor aureis emuntur 12. librę mellis, quęritur quot librę emi possint aureis 20. vbi vides 20. aureos habere annexam quęstionem: de illis enim quęritur; quotnam libras exhibere possint: huic numero similis est numerus 4. aureorum. Nam sicut 4. aureis emptæ sunt 12. libræ, ita 20. aureis emendæ sunt aliæ libræ; ita vt vterque numerus sit pretium: at 12. libræ mellis sunt merces. Ita ergo statuit exemplum.

Aurei	lib.	Aurei	lib.
4.	12.	20?	fiunt 60.

Multiplicando autem inter se secundum & tertium numerum, & productũ 240. per primum diuidendo, inuenientur libræ 60, pro quarto numero, qui quęrebatur. Vbi satis apparet, quomodo primus numerus 4. tertia pars est secundi numeri 12. ita numerum tertium 20. tertiam partem esse quarti numeri inuenti 60.

Regula trium inuersa, alij euersam vocant, dicitur, quia contraria præcedenti in illa tenetur via ad quartum numerum eliciendum. Regula trium composita fit, quandò interdum plures, quã tres numeri proponuntur noti, per quos quartus ignotus eliciatur; ita tamen, vt sint semper tres principales, alij autem illis adiuncti minus principales, denotantes vel tempus, vel lucrum, damnumue. Societatum regula sic dicta, quia immensum apud mercatores vsum habet in societatis contractibus ineundis, tota nititur regula trium pluries instituta. Quia solent nonnunquam Arithmetici varias merces variorum pretiorum miscere, ita vt, statuto quodam pretio medio, omnes eo emantur, regula per quam id efficiunt, alligationis dicitur, eo quod variæ merces alligentur quodammodo ad vnum pretium. Tandem regula falsi sic vocatur, non quod falsum nos doceat, sed quod ex falso posito verum erucre ostendat: quod quidem efficit, ponendo quemuis numerũ, qui propositæ quęstioni putatur satisfacturus, licet reipsa non satisfaciat.

Extractio radicis quadratæ est inuentio numeri, qui in se multiplicatus producat numerum propositum, si quadratus est, vel si non est quadratus, maximum numerum quadratum in eo contentum. Similiter extractio radicis cubicæ ex dato numero est inuentio numeri, qui in seipsum multiplicatus, deinde in productum procreet datum numerum, si cubus est, vel si non est cubus, maximum numerum cubum in eo contentum. Quod pertinet ad Algebram, seu Almucabulam, non tam à Gebro Arabe Astronomo, quem huius artis inuẽtorem fuisse contendunt aliqui minus verosimiliter, si quidem Ioannes Regiomõtanus in pręfatione Alphragani Diophanto Alexandrino hoc inuentũ probabilius attribuit; ideo, inquam, non tàm à prædicto authore suam habet denominationem, quàm ab articulo Arabico *el*, & nomine *geboura* id est fortitudo. Quod inter cęteras Arithmeticæ regulas maximè pręstet, ars maior à pluribus appellata est. Regulam census, & rei Latini dixerunt; hoc est, regulam radicis,

dicis,

dicis, & quadrati. Magna enim ex parte quęstiones in hac arte propositæ soluuntur per calculationes radicum, quas ipsi res, & quadratorum, quos ijdem census appellant. Hanc Itali Cos, seu regulam della cosa nuncupant, forsitan ab Arabico *cos*, quod fit ab Hebræo *casem* id est numerare; vel quod in quæstionibus soluẽdis semper vna radix ponatur, quam ipsi cosam dicunt. Ex quo etiã nomen illud sortita est, quo à multis regula cossica nominata est. Tandem quia propositum siue scopus huius artis est, vt certam aliquam à sensuum cognitione, ac sensu secretam quantitatem exploret, & inter duos aliquos numeros æqualitate, siue æquatione comperta, deprehendat atque demonstret, ideo Arabes Algebram vocant, quod apud eos idem sonat, ac restauratio; Almucabulam verò, quod oppositionem eorum lingua significat, quia in quęstionibus abditis exponendis in hac arte, cum ad æquationem ęqualitatem ve aliquã peruentum est, duo semper numeri æquales, diuerso tamen nomine, sibi inuicem opponuntur. Tantum de nomine huius artis, qua, vix in omnibus alijs scientijs aliquid reperies, quod maiorem in se admirabilitatem contineat, quippe quæ Cossicorum, seu denominatorum numerorum, beneficio, ex quibus præcipui quinque à Diophanto lib. 1. Arithmet. definit. 1. & 2. nempè δύναμις, κύβος, δυναμοδύναμις, δυναμόκυβος, & κυβόκυβος explicantur id est per numeros zenzizensus, siue quadratiquadratos, surdesolidos, cubizensos, bisurdesolidos, zensizenzensos, cubicubos, zensurdesolidos, tersurdesolidos &c. procedens, nullam quæstionẽ, nullum ęnigma ad numeros attinens indissolutum relinquit. De quo vide Clauium tomo 2. operum Mathematicorum, Kircherium in Arithmologia, & alios, qui de rebus Arithmeticis scripserunt.

His pro instituti nostri ratione breuiter animaduersis circa Arithmeticam, nunc explicandum est, quam sit vtile, quamque Theologo necessarium numerorum cognitam habere naturam. Qua in re licet non pauci locupletissimi authores in medium adduci possent, qui hoc ipsum sensere, nunc tamen sit instar omnium auctoritas Sancti, & magni viri Augustini, qui *in lib. 11. de ciuitate Dei* hęc scripsit: *Numeri ratio contemnenda nequaquam est, quæ in multis sacrarum Scripturarum locis, quam magni sit æstimanda elucet diligenter intuentibus. Nec frustra in laudibus Dei dictum est: Omnia in Mensura, & numero, & pondere disposuisti*. Et *lib. 2. de doctrina Christiana, Numerorum imperitia multa facit non intelligi, translatè, ac mysticè posita in Scripturis. Ingenium quippe, vt ita dixerim, non potest moueri, quid sibi velit, quod & Moyses, & Elias, & ipse Dominus noster quadraginta diebus ieiunauerunt; cuius actionis figuratus quidam nodus, nisi huius numeri cognitione, & consideratione non soluitur*. Et infra: *Multis, atque alijs numerorum formis, quędam similitudinũ in libris Sanctis secreta promuntur, quæ propter numerorum imperitiam legentibus sunt clausa*. Denique *in libro Quæstionum super Genesim*, dùm loquitur de Israelitico populo ingrediente Aegyptũ, hæc habet: *Videndum est, quid sibi velit, quod cum Ioseph, & filij eius non amplius quam octo commemorentur; Beniamin verò, & eius filij simul vndecim reperiantur, non decem & nouem omnes, sicut sunt octo & vndecim, sed decem & octo referantur in summam; & postea Ioseph cum filijs suis, non animæ octo, sed nouem fuisse dicantur, cum nouem inueniantur*. En quantum ad sacræ doctrinę studium referat numerorum Arithmeticorũ peritia ex D. Augustino docente S. Scripturam sępe mysteria diuina per numeros consignare; de quo omnino videndus est insigne opus Petri Bonhi Canonici Bergomatis de mystica numerorũ significatione, item P. Canisius, & Costerus de Rosario.

Certè beneficio Arithmeticæ facilè etiam intelliguntur nõ solum plura, quæ in numerorum libro continetur, qui totus ferè in numerando occupatur; sed etiam

etiam quod Genes. cap.4. dicitur Cain ædificasse ciuitatem, quam vocauit à nomine filij sui Enoch. Computatione enim Arithmetica deprehenditur ipso Cain adhuc viuente, homines in tantum numerum excreuisse, vt non solum ciuitatem vnam, sed & regna, & prouincias replere possent; nam cum primi illi nostri parentes vsque ad quadringentesimum, quingentesimum, sexcentesimum & amplius suæ ætatis annum vitā protraherent; atque adeo videre possent natos, natorum & qui nascebantur ab illis; computatione vt dicebam Arithmetica constat intra spatium centum quinquaginta annorum à creatione mundi, numerum hominum ad tria millionum milliaria peruenire potuisse, ponendo quod vnusquisque illorum à quindecimo ætatis suæ anno filios procreare inciperet, singulisque postea sequentibus annis generaret; quod verisimile est, ex eo quod Genes. cap. 1. dicitur; *Masculum & fæminam creauit eos. Benedixitq; illis Deus, & ait: crescite & multiplicamini, & replete terram, & subijcite eam.* Per quod etiam patet ad illud quod Genes. cap.9. dicitur, à tribus filijs Noe, disseminatum esse omne genus hominum super vniuersam terram.

CAPVT XVII.

Quantum referat ad sacræ doctrinæ studium Musica.

MVsica, si nominis etymologiam spectemus, vel à μάειν, vel μαστεύειν, vel μῶσθαι, id est inquirendo dicta, est ars, vel scientia rigorosè Arithmeticæ subalternata, seruat enim leges & conditiones ad veram, & essentialem subalternationem requisitas, accipit enim ab ea sua principia, vt satis patet ex sequenti syllogismo ad Musicā spectante; *Vbi est proportio sexquioctaua datur consonantia, sed tonus habet proportionem sexquioctauam, ergo tonus habet cōsonantiam.* Addit insuper aliquam differentiam accidentalem supra numerū, quod est obiectum Arithmeticæ, nam considerat illum vt est sonorus, concentibusque iungitur & armoniæ: vndè rectè definitur, *Scientia versans circa numerum sonorum.*

Quod pertinet ad primā huius scientiæ originem; Cassiodorus *lib. de Musica*, illam tribuit Pythagoræ; Clemens Alexandrinus, Musis; Heraclides apud Plutarchum *lib. de Musica*, Amphioni; Solinus cap.17. Cretensibus; Strabo libro 7. Dardanis; Plutarchus *lib. de Musica*, Appollini; alij denique vt Martianus Capella lib.9. Lasum quemdam Hermionea vrbe oriundum Musicæ parentem faciunt. Sed his omnibus verius magnus ille Moyses θεοδίδακτος, à Iubal antè vniuersam aquarum eluuionem Musicam repertam esse scribit *lib. Genes. cap.4. Et nomen fratris eius Iubal, ipse fuit pater canentium cithara, & organo:* Vnde ab hoc Iubal, qui fuit iubilosus, iucundus, & iouialis, putant nonnulli Latinos sumpsisse suum iubilare, & iubilum. Cum igitur homines suapte natura prius canerent, antequam industria experientiæ rudimenta in scientiam artemque congessisset; primus id pręstitit Iubal, ex authoritate sacræ Scripturæ; at quia nihil de modo attingit, ideo nimiam huius rei obscuritatē silentio suo fecit; difficultatem verò varia, & toto pene cælo distantia, Scriptorum dogmata pepererunt.

Quod tamen hac in re probabilius videtur, est, Musicam initio angustam fuisse: apud Gręcos enim quatuor elementis, seu chordis primum fuit vsitata, donec aliquis alius, inuentis aliquid addens,

Expressit numeris septem discrimina vocum.

Consonantiæ tres erāt simplices Diatessaron, Diapente, Diapason. Ex harum mixtione ac replicatione tres aliæ ortæ sunt. Simplicium molestior inuestigatio fuit. Cum transiret Pythagoras casu fabrilem officinam, per malleorum ferientium inęqualia pondera, siue quod idem est, ex malleorum ictibus, varia proportione iusti ponderis differētibus, auscul-

auscultasse eas primus, & inuestigasse dicitur à Laertio, & Boethio *lib. 1. Musicæ*; Explorando singulorum pondera, quæ his numeris continebantur 12.9.8. 6. formas notauit, in quibus solæ multiplex ac sesquialtera, proportiones continentur. Dupla quidem 12. ad 6. Diapason seu octauam; sesquialtera scilicet 9. ad 6. Diapente; sesquitertia 4. ad 3. Diatessaron; consonantias; ac sesquioctaua 9. ad 8. tonum dissonantem à reliquis determinauit. His elementis veteres cantilenas suas, adhibita numeri, ac temporis varietate, instruebant. Dissimili planè ac alieno à nobis ritu. Vndè, vt credendum est, nullæ apud illos erant compositionis regulæ, sed inuestigata consonantiarũ natura artifices, cantilenas ex illis pro suo libito aptabant. Et licet consonantia non æqualium ac dissimilium vocum concordia, à Nicomacho definita fuerit: tamen paucitas earum, nullum ex immediata harũ consequentia fastidium admisisse videtur. Et sufficiebat modulatio, si consonantijs constaret. Quamuis enim mas & fęmina, viri ac pueri, naturaliter Diapason modulentur; ideoque id artis præcepto doceri non fuerit necesse: tamen varietas aliarum cum diapason miscendarum consonantiarum artem requirebat, cum suapte natura id homines pręstare non possent. Posterioribus sęculis inuentio plurium consonantiarum, quę superpartienti proportione generantur, artem ipsam certis regulis ac præceptis, illam à confusione vendicantibus, perfecit, copiosiusque instruxit.

Sic ergò penes primos huius artis, vel scientiæ, non iam dico inuentores, sed Scriptores nihil traditum reperies, pręter harum consonantiarum naturas, hoc est, proportionum, è quibus singulæ nascuntur, formas. Et quia vnum interuallum suo ambitu continet alterum; ita vnius ad alterum proportionē esse principium vel elementum, demonstrare conati sunt. Toni partes *Apotomen* ac *lemma*, elementum toni *comma* esse stabilierunt: primum scilicet, qui auribus distinctè percipi potest, sonum: in hoc enim omnium interuallorũ quãtitas resoluitur. *Tropos* etiam, licet nimium controuersa narrationis doctrina, & tria modulaminis genera, scilicet *Diatonicum*, *Chromaticum*, & *Harmonicum*, suis libris descripserunt. Omnes inquam, tam Græci quàm Latini vsque ad annum Christi sexcentesimũ, seu septimi sæculi initium, vix aliud quippiã in tradenda musica pręstiterũt. Ex Gręcis Pythagoras, Aristoxenus, Nicomachus, Philolaus, Alypius, Ptolemæus, ex professo Musicam tractarunt. Alij ex occasione propositi argumenti eamdem attigerunt sine methodo. Item inter Latinos Vitruuius, in gratiam Architecturæ, ex Aristoxeni scriptis; Macrobius, ratione narrationis in somnio Scipionis allegatæ; & Appuleius ex occasione argumenti in suam propositionem ingesti de Musica scripserunt. At Boëthius, Martianus Capella, & Venerabilis Beda, ex professo scientiam Musicæ, demonstratiuo modo tradiderunt. Vt Euclides solus inter Græcos doctiori, breuiori, clariori, veriorique ratione ac methodo Musicam docuit. Cuius hic syllabus est in paragraphos digestus: *Sonus*, *Interuallum*, *Genus*, *Constitutio*, *Tonus*, *Mutatio*, *Melopöeia*. Ita inter Latinos, è veteribus præcipui sunt Boëthius & Beda. Boëthius enim primùm accuratus veterum interpres, eorundem sententias collegit, examinauit, distinxit, correxit, & conciliauit. Inhęret tamen veterum vestigijs. Characteres quoque sonituum (quorum loco apud nos *notulæ* sunt) tradidit. Deinde Beda, ducentis post Seuerinum Boëthium annis, duplici tractatu, Theoreticam, & Practicam Musicam scripsit, sed veterum limites non excessit. Notularum tamen figuras & claues, item Scalam Musicam, lineis ac spatijs constantem, tradidit ex vsu Ecclesiastico; quem à Gregorio Magno Papa introductum putãt aliqui, cui cantus reformatio, melioti ritu inducta, ascribitur; ipseque Cantus, ab eo Gregorianus dictus est.

Cum

Cum ad ea vſque tēpora anguſtior, & imperfectior eſſet Muſica: nam anguſtius Syſtema, pauciores conſonantias, minorem vocum concentum, difficilioremque modulationē habebat; Circa annum Chriſti milleſimum centeſimum, ſub decimi ſeculi finem, Guido Aretinus Monachus & Abbas Benedictinus, Muſicus excellentiſsimus, veterum ſcriptis ſubtiliſsimè ruminatis, meliorem ac faciliorem Muſicæ Methodū inſtituit, ſyſtema amplificauit Encoſichordo. Adeo vt poſteritas perfectionem Muſices illi debeat; etſi enim illam omnino ipſe non abſoluerit; viam tamen alijs aperuit; ab eoque tempore imperfectæ cōſonantiæ inuentæ, ac præcepta ampliora componendi Muſicam tradita ſunt; vnde ars ipſa plenior maieſtatis ac delectationis ad perfectionem nobiliorem deducta eſt. Inter alia religioſus iſte ex hymno D. Ioannis Baptiſtæ

VT queant laxis
REſonare fibris
MIra geſtorum
FAmuli tuorum
SOLue polluti
LAbij reatum.
Sancte Ioannes.

mutuatus ſatis ingenioſè dicitur primas cuiuslibet verſus Syllabas, quæ ſūt, VT. RE. MI. FA. SOL. LA. quas pro primis Notis cantus poſuit, & cantu iſto in manus collocato, ſiue per flexuras articulorum in manibus diſcreto, cantare incepit, ac voces cum notis, quas in lineis poſuerat in concordiam redigere.

Circa ſeculum decimum tertium Franco Muſicus floruit. Poſt quem Ioānes Tinctorius, Franchinus Gaffurius, & Iacobus Faber Stapulenſis fuere, decimo quarto ſeculo. Horum opera ac ſcriptis Muſica Theorica & Practica mirificè ad perfectionem excreuit amplius; & ab illis regulæ compoſitionis, iuxta ſeriem ſyſtematis Guidonici præſcriptæ, diuturnaque conſuetudine, ad nos peruenerunt. Tandem Ioſephus Zarlinus Clodienſis, Theoria ac Praxi inſtructiſſimus doctiſsimis inſtitutionibus, demonſtrationibus ac ſupplementis, lingua Italica editis, apud Venetos, anno 1580. Muſicam præ ceteris adeo fęliciter tradidit, & abſoluit, vt ſine illo nec veterum ſententiæ expediri poſſint, nec perfecta huius diſciplinæ notitia facilè obtineri. Prolixiorem nonnihil, ſed eruditione faſtidium compenſantem huius authoris tractationem, compendioſè in tabulas redegit Ioannes Maria Artuſius Bononienſis, Italico etiam idiomate: quibus breuiter, clarè & perſpicuè rem ſtudioſis proponit. Scripſerunt & alij plures inferius citandi. Hactenus de origine, & progreſſu Muſices; vt diximus, primus Pythagoras conſonantias, interualla, tonos, & ſex litteras Muſicales adinuenit G. A. B. C. D. E. Guido vero Aretinus, pro cantu firmo, quem alij choralem vocant, loco ſex prædictarum litterarum, ſubſtituit ſex ſyllabas Muſicales Vt, Re, Mi, Fa, Sol, La; pro cantu autem figurato manum Muſicalem excogitauit cum tribus punctorū generibus, magnis videlicet, medijs, & paruis, quorum prima duas, ſecunda vero vnam dumtaxat menſuram valebant, tertia autem dieſibus inſeruiebāt; donec ad maiorem Muſices perfectionem, commoditatemque in exprimenda vocum varietate, fuerint inuentæ aliæ octo figuræ vel notæ; ſcilicet Maxima, longa, breuis, ſemibreuis, minima, ſemiminima, chroma, & ſemichroma; quarū primus author dicitur fuiſſe Pariſijs quidam Ioannes de Muris inſignis Philoſophus natione Gallus, circa annum Domini milleſimum trecenteſimum quinquageſimum tertium & ad hęc vſque tempora ſunt in vſu; de quo videri poſſunt Nicolaus Vicentinus lib. 1. cap. 4. & Scipio Cerretus lib. 3. cap. 8.

Iam quod attinet ad partes Muſicæ, ſunt qui rem altius repetentes, illam primo diuidant in naturalem, & artificialem; naturalem rurſum in humanam, elementarem, cæleſtem, Angelicam, Diuinam ſiue Archetypam, artificialem poſtea ſubdiuidemus: Vt enim Proclus

initio ſynopſeos muſicæ ſuæ habet, *μουσικὴν οἱ παλαιοί, συνέχειν εἶπον τὸ πᾶν*, id eſt, Muſicam antiqui totam vniuerſitatem comprehendere dixerunt, cum nihil ſit in illa, quod ſymmetria non conſtet; ſic igitur naturalis humana Muſica eſt, quæ de proportionibus corporis & animæ, atque harum inter ſe partium pertractat; quas exiſtimarunt antiqui reſpondere harmoniæ mundi maioris; proportiones illas explicuit inſignis pictor proprio libro Albertus Durerus; in facultatibus verò & actionibus animæ, elementorum conuenientia in corpore, in virtutibus explorauit Muſices Harmoniam & ſyſtemata Tyardeus lib. 2. Muſices; Heriphilus quoque medicus, motus humanos, & pulſus venarum digeſſit in numeros Muſices. Naturalis Cæleſtis, & Elementaris Muſica eſt, quæ de harmonia totius, & partium mundi conſiderat; ex diſpoſito enim orbium & planetarum ordine, concordanti motu, & occurrente in ſpatio definito fit cæleſtis Muſica, ſicut deſcribit Cicero in ſomn. Scipionis, & Macrob. in eum lib. 2. cap. 1. Sunt quoque in elementis motus diuerſi, qui harmoniam in rerum natura demonſtrant, de quibus Plato in Timeo, & in eum Marſilius Ficinus, & Chalcidius explicat proportiones muſicales, & quomodo in motu cæleſtium & elementorum ſunt, Boeth. & Angel. Polit. lib. Panepiſtemon, ſed melius Tyardeus in ſolit. Muſices. Idem dic de Muſica Angelica verſante circa tres hierarchias, nouemque Angelorum choros; Et de diuina Deum contemplãte, quem veteres ſui ipſius, & vniuerſitatis harmoniam appellarunt, non ſolùm quia in illo totius mundi ſtructura, atque proportio mirabilis archetypicè præexiſtit, ſed etiam conſeruatur, & ab eo ſolo ſuam originem deſumit.

Porrò artificialis Muſica diuiditur in Harmonicam, Rythmicam, Metricã, Canonicam, & Hiſtrionicam, ſiue mutã. Harmonica dicitur illa, quæ ſonorum conſonantias, tonorũ atque modorum differentias, & efficaciam conſiderat. Rythmica, quæ contemplatur leuationem & poſitionem, ſiue id viſu percipiatur vt in ſaltatione, ſiue tactu, vt in motu venarum, ſiue auditu vt in cantu. Metrica, quæ concentum diſquirit qui in poëmatibus à litteris, ſyllabis, pedibus & verſibus efficitur, vnde ab alijs fortaſſe Poëtica dicitur. Canonica, quæ regularũ ſegmentis & tetrachordo conſonantias harmoniarum contemplatur, & habet ſub ſe inſtrumentalem, quæ inſtrumentis vtitur ad quamlibet harmoniam exprimendam, cuius inferius diuiſionem adducemus. Hiſtrionica tandem, ſiue muta eſt illa, quæ ab hiſtrionibus, mimis, & Pantomimis abſque ſono, ſolis manuum, vultus, pedum geſtibus exercebatur; ijdemque intelligebantur, & mirabiliter populum oblectabant, actibus in ſcena intermedijs. *Iſtã*, inquit Caſſiodorus *lib. 1. variar. epiſtol.* ad Albinum ſcribens, *Muſicæ partem veteres nominarunt mutam, quæ quibuſdam geſtibus facit intelligi quod lingua, aut ſcriptura, melius exprimi haud poſſet. Et lib. 4. epiſt. vlt.* qui hanc artem callerent eos Paulomimos fuiſſe appellatos ait; quamuis alij Chironomos eos, & propriè & diſtinctè magis nominatos fuiſſe velint.

Secundò Muſica artificialis ratione organi diuidi poteſt in vocalem, & inſtrumentalem; circa Muſicæ vocalis diuiſionem nihil occurrit notandum, niſi quod adeo variæ ſint voces, vt incredibilem diuerſitatem, atque differentiam in eadem cantilena faciant. In primis verò loquendo à toto genere, deprehēdetur ſingulas nationes in voce atque modo canendi differre, adeo vt Angli concinnendo iubilare, Hiſpani fletus promere, vlulatus Germani, Itali, Genuenſes præſertim, illiſque vicini capriſare, Barbari latrare, ſoli Galli cantare dicantur, ſi Franchino Gaffurio in fine Theoricæ ſuæ credimus. Certè voces ſuperioris, quæ puerorum eſſe debent in Gallia reliquas ſuperare exiſtimat Merſennius in Geneſ. c. 4. ver. 21. art. 9. Notum quoque eſt voces hominum eo

for-

fortiores, atque robustiores esse, quo magis ad polum vergunt, acutiores verò quo australiores fuerint. De hac vocum diuersitate consule Iulium Pollucẽ lib. 2. onomast. cap. 26. diuinique numinis omnipotentiam in ea admirare, qui vnica atteria humana voces tam varias, & inter se dissitas explicari voluit, vt omnia instrumenta superet, etiam si pantodia fuerint. Nec alia de causa Musici instrumenta reperisse videntur, quam vt arteriæ voces pro viribus imitarentur, & quæ natura muta sunt, arte vocalia redderent. Sunt etiam qui vocalem Musicam diuidant in eam, quæ fit cum sono simplici, scilicet cum solmisatione, vt vocant, vel alio sono inarticulato, & in eam quæ cum sermone significante, quæ iterum est duplex, irregularis vna & regularis altera; irregularis est ex modulatione triuiali; regularis verò, quæ constat certis regulis; quæ etiam est duplex choralis, & figuralis. Choralis, quæ Gregoriana dicta, simplex. Figuralis & mensuralis alia noua, constans ratione positionis, diuersitate sonorum.

Musica artificialis instrumentalis, vt sunt etiam innumera propè instrumentorum genera, diuersimodè posset diuidi; ad tria tamen potissimum genera solet reduci eius diuisio, secundùm quod concentum perficit aut flatu, & pulsu, aut pulsu solo: inde enim omnia musica instrumenta sunt vel emphousomena, siue pneumatica, seu empneusta, quæ inflata sonum edunt, vt fistulæ, & tibiæ, cornua, litui, tubæ, buccinæ, elassicæ, organa &c. vel sunt egchorda, entapta, quæ neruis seu chordis constant, quæque plectro, vel digitis tanguntur, vt testudines, citharæ, psalteria, lyræ, &c. Sunt & erousta, quæ pulsantur, vt tympana, sistra, cymbala, campanæ &c. Pulsu enim tripliciter perficitur sonus, vel pulsu aeris, vel pulsu neruorum, siue chordarum intensarum, vel pulsu baculi in membrana, vt in tympano militari, & similibus aeratis corporibus. Qui voluerit plures instrumentorum musicorũ enumeratorum species videre, consulat Iulium Pollucem lib. 4. Onomast. cap. 8. & sequentibus, Cælium Rhodiginum, lib. 5. lection. antiq. cap. 23. & sequentibus, Ottomarum Luscinium lib. 1. Musurgiæ, Ioannem Rauisium Textor. in officina cap. de Musica. Mersennium tam in suis commentarijs in Genesim, quam in alijs libris ab ipso de Musica editis; & Athanasium Kircherium in Musurgia.

Tertiò cum Musica omnis tribus veluti principijs orienda sit, dolore, voluptate, enthusiasmo, quæ singula mentem immutant, & vocem inflectunt; sunt qui Musicam artificialem tam vocalem, quam instrumentalem diuidant in flebilem, siue lugubrem; Iouialem siue iubilosam, & enthusiasticam. Dolores enim flebilem facilè sonum in cantum ducunt: Quare histriones in lamentatione, & quæstu sensim videmus in cantum delabi, vocemque intendere; & ingentes lætitiæ eorum qui leuioris sunt ingenij corpus omne attollunt, & reuocant ad motum εὔρυθμον saltantium, & strepentium; maximè enthusiasmus ponit extra se, & à consueto vocem & corpus abducit. Vnde & Bacchationes rythmis vtuntur. Plutarchus sympos. 1. cap. 5.

Quartò Musica ratione trium diuersorum canendi, vel componendi modorum, diuiditur tanquam in tria genera in Diatonicum, Chromaticum siue Coloratum, & Enharmonicum. Diatonicum genus est illud systema, quod ita tonis abundat, vt per tonũ, & tonũ, & semitoniũ progrediatur; Chromaticũ verò minoribus interuallis, videlicet semitonio, & semitonio, & trishemitonio constat, mediumque tenet inter alia duo genera; vnde sicut quod inter album nigrumque est, color dicitur; ita hoc genus Chromaticum, id est coloratum, quia inter vtrumque est, nominatur. Denique Enharmonicũ per minima interualla procedit, nempè per diesim, & diesim, quæ est toni pars quarta, vt hemitonium dimidia pars, & ditonum;

quod tametsi maius sit interuallo maximo diatonici, & chromatici generis, attamen non ex eo interuallo nomen, aut proprietatem sumit, sed ex alijs duobus minoribus, sicut Chroma denominatur à semitonijs. Illa autem tria genera sic se habent ex Aristide, vt Diatonum, ita dictum ob tonos, quos frequentiores habet, sit masculum & austerius; Chromaticum verò suauissimum & flebile. Denique Enharmonicum lene quidem est, & tamen animum concitat, habet enim magnum interuallum, videlicet ditonum, & diesim. Vel vt ait Vitruuius lib. 5. cap. 4. Enharmonium est modulatio ab arte concepta, & ea re cantio eius maximè grauem, & egregiam habet authoritatem. Chroma subtili solertia, ac crebritate modulorum, suauiorem habet delectationem: Diatonon verò, quia naturalis, facilior est interuallorum distantia. Enharmonicum genus ob difficultatem exoleuit, inquit Macrobius lib. 2. cap. 4. de somn. Scipionis. Chromaticum est infame mollitie. Diatonicum mundanæ Musicæ adscribitur. Chromatici tamen aliqualem vsum esse, & energiam habere, notant aliqui, si Diatonico misceatur; cuius vsus nunc floret, præcipuè apud Italos.

Omninm tamen optima, magisque scientifica diuisio Musicæ artificialis est illa, qua distinguitur in speculatiuam & practicam; illa Musicæ rationes artificiosas, & capita atque particulas distinguit, & altiora principia, naturales causas, & conuenientiam cum rerum natura considerat. Actiua verò ex præceptis artis operatur, & scopum assequitur, καὶ παιδευτικὴ appellatur. Sed ista relicta, Musicæ speculatiuæ, seu contemplantis numerum sonorum duæ sunt partes, vna generalis, altera specialis. Generalis versatur circa principia, & affectiones numeri sonori. Principia, alia sunt cognoscendi, alia essendi cantilenę, materia scilicet seu partes illius, & forma: quæ partes sicut sunt in duplici differentia, simplices vt sonus, & compositæ, tam imperfectæ, vt Dyas, quàm perfectæ vt Trias Musica; duplicem etiam veluti materiam in numero sonoro, quod est obiectum Musicæ, distinguere possumus. Sonus autem consideratur ab ea vel in genere, vel in specie; in genere iterum, vel absolutè, vel comparatè; absolutè ratione partium, quæ sunt litteræ & syllabæ Musicales; superiùs assignatæ; & ratione affectionum, vbi longitudo, latitudo, crassitudo, & durationis tum nota, tum pausa: comparatè verò, qua sua habet interualla, cuiusmodi sunt tonus, semitonium, bitonus, semibitonus, diatessaron, diapente, diapason, ex quibus componuntur, disdiapente, & disdiapason, &c. suaque iterum signa initij, repetitionis, custodis &c. Cantus in specie consideratur primò qua alius mollis, alius durus, alius naturalis; secundò qua alius superior, qui Discantus; alius inferior, qui Bassus; alius medius, qui Altus & Tenor dicitur: tantùm de principio materiali Musicæ; loquendo iam de formali, quod nihil aliud est, quam melodia, siue artificiosa cantilenæ dispositio; similiter est duplex; simplex, vt Monodia; composita vt symphonia Bicinia, Tricinia, Quadricinia &c. & contrapunctus simplex coloratus. Affectiones numeri sonori à Musica considerati, sunt mutatio vocis in eadem claue; Mensura, quæ est duratio temporis tactu æstimata; & Modus, cuius vsus ratione intonationis, & contrapuncti; species autem sunt duodecim, quarum sex dicuntur principes, Dorius, Phrygius, Lydius, Mixo-lydius, Aeolius, Ionius; sex verò subditi, seu plagij & subiugales, Hypodorius, Hypophrygius, Hypolydius, Hypomixolydius, Hypo-Aeolius, Hypo-Ionius. Hęc de generali Musices parte; specialis dicitur, vbi considerat numerum sonorum vocalem, qui vel choralis, vel figuralis est; & instrumentalem, cuius supra diuisionem attulimus.

Ad perfectionem Musicę duodecim potissimum requiruntur. Primùm ad ipsas dictiones attinet, quæ, dum canuntur, optimè pronuntiari debent, ita

vt

vt ab audientibus, quos mouere cupis, distinctè audiantur. Secundùm, vt non solùm distinctè audiant, sed preterea verborum sensum propè intelligant. Tertium, dictionum quantitas seu mensura diligenter à canentibus obseruari debet. Quartum, versibus diuersis vti debemus pro vt res tulerit, & cantilena, atque auditores postulauerint. Quintum, optimæ voces, & apta instrumenta eligi debent, & qui canunt, vel ludunt esse peritissimi, atque adeò exercitatissimi in arte Musicæ. Sextum, canentes, vel pulsantes aliquo gestu, vel motu corporis, siue capitis, siue digitorum, & manuum, siue pedum vti debent, quibus ad viuum exprimant, quę canuntur, vt sic ipsa voce, verbis, cantu, & motu rem ipsam propè modum Musica oculis subijciant, quandoquidem Musica debet esse quædam veluti rethorica, atque poësis sonora & harmonica. Septimum est vt ea canantur quibus auditores affici possunt; quapropter ipsa cantilena, & canendi modus illorum moribus, humoribus, temperamentis patriæ, & statui accommodentur, quos excitare volueris. Octauum, vt auditores ijs attendant, quæ canuntur, alioquin quomodo distractos, & aliud omnino diuersum animo reuoluentes, commouere poteris? Nonum, vt tamdiu canat Musicus, donec is commoueatur, qui attendit. Decimum, vt modum varient, & immutent quoties ad commouendos animos necessarium fuerit. Vndecimum, vt modis vtantur, qui ad passiones, ad quas collimauerint, mouendas aptissimi sint. Duodecimum denique, vt Musicæ genus eligatur, quod subiecto, seu cantilenæ, & auditoribus aptũ fuerit, quanquam nostrum diatonicum nunc adeo perfectum esse non paucis videatur, vt pro chromatico, & enharmonico sufficere possit, præsertim cum in diatonico quędam semitonia minora, & ipsas dieses Musici nostri non rarò collocent. Quæ omnia latè, & doctè prosequitur eruditissimus Mersẽnius in Genes. cap. 5. versic. 21. vbi etiam agit de vi Musicæ, tum antiquorum tum nostræ; nec non quomodo componi debeat, vt suum sortiatur effectum. Sed de his pro instituti nostri ratione satis, de quibus præter præfatum authorem, plures alij doctissimè, & fusissimè scripserunt, inter quos, Ioannes Tinctorius de terminorum Musices definitionibus egit; Hermanus verò Finckius in practica Musica, ordine tradidit, quæ pertinent ad claues, voces, cantus, interualla, notas, ligaturas, pausas, mutationes, transpositiones, solmisationes, tactus, syncopationes, mensuram, modũ, tempus, prolationem, signa; puncta additionis, perfectionis, diuisionis, alterationis: quæ ad imperfectionem, colorem notarum, augmenrationem, diminutionem, proportionem, indicium tonorum.

Iam quantum hæc scientia, singulæque eius partes referant ad sacræ doctrinæ studium, patet ex innumeris diuinarum scripturarum locis, in quibus tam de Musica vocali, & instrumentali agitur, quam de miranda eius efficacia. Ad Musicam vocalem in primis pertinet quod 1. Paralipom. cap. 23. legitur, quatuor millia Spaltum fuisse canentiũ Domino; nec tamen ex tanta multitudine oriebatur perturbatio, nam vt patet ex eodem libro Paralipom. cap. 25. in viginti quatuor partes, seu vt sacer textus loquitur, sortes, diuisi erant, & vnaquæque sors erat centum sexaginta sex, qui per suam ministrabant hebdomadam, & hos etiam per vices cecinisse credendum est, alioqui nocturno, & diurno labori pares non fuissent. Cur autem sortes cantorum fuerint viginti quatuor, nec plures, nec pauciores ea videtur esse ratio, quod totidem essent filij trium præcipuorum cantorum, Asaph, scilicet, Eman, & Idithum, qui harum sortiũ capita esse debebant. Alia huius rei causa, eaque pręcipua hæc est, quia tot Dauid esse volebat cantorum vices, quot Sacerdotum, hæ autem erant viginti quatuor. Ad instrumentalem pertinent innumera propè loca Scripturæ,

ræ, in quibus fit mentio diuersorum instrumentorum, de quibus videndi sunt interpretes, præsertim Mersennius in genes. cap. 4. & in alijs suis operibus de Musica; Athanasius Kircherius in sua Musurgia Romæ 2. tom. in fol.

Ad vim Musicæ facit in primis illud Elisei, qui vt Iosaphat regi Iuda, Ioram regi Israel, & regi Moab siti laborantibus aquam tribueret 3. Reg. c. 4. prius sibi Psaltem adduci iubet. *Cumque caneret Psaltes, facta est super eum manus Domini & ait, Hæc dicit Dominus*, &c. libro 1. quoque Regum cap. 10. legitur Samuelem ad gregem prophetarum misisse Saulem vnctum in Regem; qui cũ occurrissent, & ante eos Psalterium, & Tympanum, & Citharam, ipsosque prophetantes vidisset. *Insiliuit in eum spiritus Domini, & prophetauit in medio eorum*, vt vers. 10. legimus, & 12. *Propterea versum est in prouerbium. Num Saul inter Prophetas?* Ex his enim & alijs similibus sacræ Scripturæ locis videtur insinuari prophetiam vi concentus musici aliquando prophetis contigisse. Insuper 1. Reg. cap. 16. legimus in citharæ Dauidicę malum spiritum à Saule repulsum; *quandocumque Spiritus Domini malus accipiebat Saul, Dauid tollebat cytharam, & percutiebat manu sua, & refocillabatur Saul, & lenius habebat, recedebat enim ab eo Spiritus malus*. Tandem Iosue cap. 6. habemus vi clangoris harmonici tubarum muros Iericunthinos corruisse. Quæ omnia ad triplicem Musicæ effectum discutiendum prouocare debent accuratum sacræ Scripturæ interpretem; quorum primus ad prophetiam, secundus ad morbos, vel dæmones expellendos, tertius denique ad aliquid concutiendum & agitãdum pertinet. De quibus videndus est præfatus Mersennius loco superius citato comment. in Genesim, ibi enim accuratè & eruditè materiam hanc pertractat; Item Kircherius in sua Mousourgia.

CAPVT XVIII.

Quantum referat ad Sacræ Doctrinæ studium Geometria.

CVm aliud sit, vnde aliquod nomen desumitur, aliud id, ad quod significandum imponitur; ideo Geometria, & si deriuetur ex dictione Græca γῆ, quod est terra, & μετρεῖν mensura; significat tamen scientiam versantem circa quantitatem continuam. De primis huius scientiæ inuentoribus, diuersa sunt Scriptorum placita; Herodotus enim *lib. 2.* Diodorus *lib. 2.* Strabo *lib. 17.* asserunt illam ab Aegyptijs repertam fuisse, ortumque habuisse ab agrorum dimensione. Cum enim anniuersaria Nili inundatio agrorum terminos, ac limites ita confunderet, vastaretque, vt nemo agrum dignoscere posset suum; cæperunt Aegyptij animos ad rationẽ mensurandorum agrorum applicare, vt hoc modo cuilibet, quod suum erat redderetur. Quæ quidem ratio agros metiendi, quanquam tunc temporis adhuc rudis ad modum fuerit, huic tamen scientiæ nomen dedit, vt statim notauimus. Alij tamen cum Iosepho *lib. 1. antiquitatum* putant Geometriam primùm ab Abrahamo fuisse Aegyptijs demonstratam; deinde ex Aegypto in Græciã translatam à Thalete Milesio. Verùm cum initio angusta esset, minusque exposita, eam postea insignes Philosophi ac Mathematici plurimi, acutissimisque demonstrationibus locupletarunt, atque exornarunt: inter quos hi sunt præcipui ex veteribus: Pythagoras, Anaxagoras Clazomenius, Hippocrates Chius, Plato, Oenopides, Zenodorus, Brito, Antipho, Theodorus, Theętetus, Aristarchus, Eratosthenes, Architas Tarentinus, Euclides, Serenus, Hypsicles Alexandrinus, Archimedes Syracusius, Apollonius Pergæus, Ptolemæus, Proclus, & alij penè innumeri, quos omnes longum esset recensere.

Quod pertinet ad huius scientiæ diuisio-

uisionem, primùm illam in Theoricam, & Practicam distinguendam esse puto. Speculatiuam intelligo, quæ quantitatis continuæ, siue magnitudinum principia, proprietates & species inuestigat ratione, & syllogismo; Practicam verò, quæ illarum signandarum, mensurandarumque modum mechanicè, hoc est varijs instrumentorum generibus, præscribit. Deindè speculatiua, quod idem de Geometria practica proportionaliter dicendum est; in vtraque enim subiectum, siue obiectum, quantitas continua, vel magnitudo, quam terminis, & interuallis distinguit, & concludit vtraque; Geometria, inquam, speculatiua, subdiuidi potest in duas principales partes; quarum prima versatur circa magnitudinē, vel quantitatem continuam in genere, considerando primò eius *definitionem*, quod sit id cuius partes termino aliquo communi copulantur; sicut magnitudo est vniuscuiusque rei extensio; secundò principia, quorum materiale est punctū, formale verò, terminorum coniunctio; vnde terminatio, & sectio. Punctum definitur id, cuius pars non est, habens positionem in continuo, vel sic, punctū, est principium & finis lineę, in linea enim sunt duo puncta in actu terminatiua, multa verò in potentia, quæ tunc fiunt, vel resultant actu, quando linea actu diuiditur. Tertiò, proprietates, siue affectiones tàm absolutas, vt dimensionem; quam relatas siue comparatas ratione numeri, & ratione sui, ratione numeri sunt commensurabilitas, rationalitas; ratione verò sui affectiones cōmunes sunt, contactus, sectio; propriæ, congruentię & adscriptio, sub qua inscriptio, circumscriptio. Altera pars versatur circa magnitudinem, vel quantitatem continuam in particulari; quantitas autem continua, vel magnitudo in particulari, nihil aliud est, quam variæ illius species, quæ sunt tres dumtaxat, linea, videlicet superficies, & corpus; omnis enim extensio fit tantum vel in longum, vel in latum, vel in longum, latum & profundum. Extensio autem in longum vocatur linea; in longum & latum superficies; in longum, latum, & profundum corpus: Vnde per ordinem ad illas tres species, potest iterum distingui, & ab illis triplimodè denominari, hæc pars Geometriæ, secundum quod vniuscuiusque principia, proprietates, & partes contemplatur.

Communiter tamen hæc pars Geometriæ diuiditur tantùm in planorum contemplationem, quæ generali vocabulo Geometria dicitur, & in doctrinā solidorum, quam proprio ac peculiari nomine Stereometriam appellant Mathematici. Nam Geometria vniuersè sibi hunc scopum proponit, vt plana, aut solida vel constituat, vel constituta inter se comparet, aut diuidat. Neque verò mirum alicui videri debet, quod cum tria sint genera magnitudinum, vt statim diximus, solùm de duobus posterioribus extent propriæ contemplationes, non autem de lineis, vel etiam punctis. Non, inquam, debere videri mirum putant illi, qui sic Geometriam bipartiuntur, quoniam vt ait Proclus, potissimum circa figuras versatur, quæ in planis duntaxat, vel etiam solidis consistunt omnes. Non enim puncta, vel lineæ figuram vllam cōstituunt, sine planis & solidis, ac proindè necessè non erat propriam de punctis & lineis scientiam instituere; superficiebus verò, siue planis, & corporibus, solidisve maximè conueniebat, vt proprias nanscisceretur tractationes. Sic Euclides in Elementis Geometricis, prioribus sex libris agit de Planis, in posterioribus verò quinque de solidis acutissimè disputat: Attamen tripartita Geometriæ diuisio, per ordinem ad supradictas tres magnitudinum species, est accuratior; & ideo ipsemet Euclides Stereometriæ suæ præposuit decimum librum, in quo subtiliter, & copiosè de lineis disserit; cum res omnes Geometricæ, tum præsertim solida illa quinque regularia, quę corpora Platonica dici solent, perfectè tractari non possint, absque linearum commensurabilium, atque incommensurabilium notitia;

titiæ; imo verò quam plurimæ magnitudines sub mensuram cadere nulla ratione possunt, absque earumdem linearum cognitione, cùm earum latera sæpe numero sint talia, vt ea communi & nota mensura data metiri nequeant; breuem igitur harum omnium specierum notitiam trademus.

Linea est longitudo latitudinis expers; quæ per se se considerata diuiditur in rectam, curuam, & ex vtraque mixtam; at si considerentur lineæ inter se se, aliæ sunt homogeneæ, aliæ Heterogeneæ; homogeneæ rursus sunt tales, vel ratione proportionis tàm in eadem linea, quā in lineis distinctis, vel ratione situs, vnde Parallelismus, & Anguli; Parallelismus enim nihil est aliud, quā duarū linearū eodē modo se habentiū, quæ tamen non se contingunt, æquidistantia. Angulus autem est spatium causatum ex contactu duarum linearū; qui cum tripliciter fieri possit à lineis rectis, datur etiam triplex angulus: rectus, obtusus, & acutus. Angulus rectus est, quem constituit linea recta cadens perpendiculariter super aliam lineam rectam. Linea enim recta cadens perpendiculariter, constituit cum ea super quam cadit duos angulos rectos, vnde eam ortogonaliter secare dicitur; cum verò ad angulos rectos non diuidit, sed oblique, angulus obtusus dicitur ille, qui est maior recto; acutus vero, qui minor. Ex qua etiam contactus varietate lineæ perpendicularium, & obliquarū denominationes suscipiūt: Et anguli primùm diuiduntur in rectos, vbi perpendicularis erectio, & in obliquos, vbi non ex directo, sed lateraliter cadit linea, tum obliqui in obtusos, & acutos. Anguli Sphærici dicuntur qui fiunt ex contactu linearum curuarum, siue circularium. Iam lineæ inter se se comparatæ heterogenæ dicuntur, primò vbi ad peripheriam referuntur; secundò vbi consideratur quam proportionem inter se habeant, vel peripheria tota ad lineam rectam? vel arcus peripheriæ ad sinus tangentes & secantes? vnde canonis sinum, & tangentiæ fundamentum, eiusdemque vsus. Linea ad peripheriam relata, vel ei inscribitur, vel adscribitur; si inscribatur, & transeat centrum dicitur Diameter, Radius; si non attingat centrum, subtensa, & sinus rectus, versus. Linea peripheriæ adscripta, est vel secans, vel tangens dumtaxat illam. Hactenus de linea, nunc agendum est de lineato, seu figura, quam aliqui definiunt magnitudinem linealiter, vel superficialiter terminatam: cuius partes sunt centrum, perimeter, radius, diameter in planis, in sphæricis axis: affectiones, siue proprietates, primatus, ordinatio; species verò, superficies, & corpus, siue figura plana, quam terminant lineę; & solida, quam terminant superficies.

Superficies primùm diuidi potest in planam & gibbam; rursus plana in rectilineam, sphæricam, & mixtam, è qua nobilissima Ellipsis: Gibba verò, vel est pura, & sphærica, eaque conuexa, aut concaua, vel mixta, vt supetficies conica, Cylindracea. Superficies plana rectilinea diuiditur in triangulum, & triāgulatum. Triangulus est primus inter figuras rectilineas; cum enim duæ lineæ figuram rectilineam claudere, vel terminare non possint, oportet in figura rectilinea esse ad minus tres lineas, & sic triangulus est primus huiusmodi figurarum. Huius partes sunt latera, crura videlicet & basis; tum anguli species Triangulus Rectilineus, & Sphæricus; Rectilineus primò ratione crurū diuiditur in Isopleurum, Isochelen, & Scalenon, siue gradatum: Isopleurus triangulus dicitur, qui habet omnia latera æqualia; Isocheles qui duo tantùm; Scalenon verò qui omnia inæqualia. Secundò ratione Angulorum, diuiditur in rectangulum, siue ortogonum, qui habet vnum angulum rectum, in quo Cathetus, basis, Hypothenusa; & in antigonum, siue obtusangulum, qui habet vnum angulum obtusum; & in oxigonū; siue acutangulum, qui habet omnes angulos acutos. Triangulus sphæricus simili-

militer diuiditur in rectangulum, & obliquangulum. Tantùm de Triangulo, siue de prima specie superficiei planæ rectilineæ; nunc ad triangulatum veniamus sic dictum, quia cumpluribus angulis, quam tribus constet, veluti ex triangulo efficitur, siue compouitur; primum diuiditur in quadrangulum,& polygonum, siue multangulum. Sub quadrangulo continetur primò parallelogrammum rectangulū,quod est vel quadratum, vel oblongum, & obliquanculum, vt Rhombus, Rhomboides; secundo Trapesium; sub poligono verò continetur Pentagonum, Hexagonum, Heptagonum, & sic deinceps. Tantùm de diuisione superficiei planæ rectilineæ: quod enim pertinet ad Sphęricam, siue circularem, cum sit figura vniformissima non diuiditur in plures species, sed solum diuiditur quantitatiuè in portiones. Omnis autem portio circuli,vel est semicirculus, vel portio maior semicirculo, vel eo minor. Semicirculus est figura plana diametri,& medietatis circumferentiæ contentiua. Diameter est linea diuidens circulum in duas partes equales, semidiameter vero est linea plana recta exiens à centro circuli ad circumferentiam eiusdem, vel vice versa. Portio circuli, vt distinguitur à semicirculo, est figura plana, linea recta extra centrum cadente, & parte circumferentiæ contenta: linea autem recta chorda dicitur, pars verò circumferentiæ arcus: cum igitur superficies circularis, siue circulus fuerit sic diuisus per chordam, & portiones duas: portio in qua est centrum, est maior semicirculo, portio autem in qua non est centrum, est minor semicirculo. Hactenus de primo lineato, siue de prima specie figuræ, quæ dicitur plana; nunc agendum est de solida, siue quod idem est, de corpore.

Corpus igitur, quod est figura tres habens dimensiones, longitudinem, latitudinem & profundum; primum diuiditur ab aliquibus in indefinitum, & finitum. Indefinitum est, quod aliqua sui parte relinquitur non finitum, qualis est solidus angulus, quem plani anguli claudunt, angulis ad vnum commune punctum concurrentibus. Cęterum huiusmodi corpus est in mente dumtaxat, cum reipsa omne corpus sit finitum. Finitum autem corpus est, quod ex omni quaque parte, vel superficie, vel vna superficie, vel pluribus terminatur; veluti Sphęra solida,& concaua, pyramis, columna, cubus. Pyramidum duæ species, perfecta, & curta: perfecta quæ procedit ad conum, & supremum verticem; hæcque potest esse rotunda,si basis sit circulus; vel trigona, tetragona, pentagona &c. Curta, quæ ad conum non peruenit. Sunt & columnæ rotundæ, trigonæ, tetragonæ, &c. Verum cū corpus mathematicum fiat, ex ductu superficiei, siuè figuræ planæ, conformiter ad allatam illius diuisionem; potest etiam diuidi corpus in planum, & gibbum, quod vel simplex vt Sphęra, vel mixtum, quale est conus, cylinder. Planum autem iterum est, vel pyramis, vel pyramidatum, quod vel pentaedrum, vel Hexaedrum, vel poliedrum; Hexaedrum rursus vel est parallelipedum, sub quo rectangulum, vt cubus, oblongum, & obliquangulum quod est rhombus, rhomboides; vel est trapesium. Poliedrum autem vel est homogeneum, vt octoedrum, dodecaedrum, isocaedrum; vel heterogeneum, vt heptaedrum, Enneaedrum, &c.

Quia autem Geometriæ,pro vt practica dicitur, tres sunt pręcipuæ operationes signandi, siue describendi, metiendi, & diuidendi quantitatem continuam, per ordinem ad illas diuiditur in Graphicam, quæ quantitatem vt describibilem, in Geodesiam, quæ vt diuisibilem, & in Polymetriam, quæ vt mensurabilem considerat. Quæ tres iterum partes Geometriæ practicæ subdiuiduntur pro varietate linearum, planorum, solidorum, & angulorum. Graphica quidem in Grammographiam, Planigraphiam, Stereographiam, & Gonographiam. Geodesia vero,in Grammodæsiam, Planidæsiam, Stereodæsiam,&

Gonodæsiam; Similiter Polimetria, in Grammometriam, Planimetriam, Stereomatriam, & Gonometriam. Mensura autem, de qua agimus in præsenti, nihil est aliud, quam magnitudo finita, quæ ignotam diuersarum magnitudinū molem, aut etiam localem inter illa distantiam, siue interuallum sensibili experimento metitur; Mensuræ enim quę capacitate vasculi expenduntur, aut grauitate siue pondere, ad Geometriam puram non pertinent, sed ad Staticam, de qua infra, quæ quantitatem vt mobilem considerat. Porro, pro vt diuersa sunt subiecta beneficio Geometriæ practicæ diuidenda, aut metienda, sic etiam diuersæ sunt mensurarum Geometricarum partes, vel gradus, quibus in illis diuidendis, aut metiendis vtitur. V.g. gradus mensurarum, & instrumentorum, quibus interualla terræ mensurantur, sunt, granum hordei, minima omnium mensura; digitus, qui habet quatuor grana per latera contiguè disposita; Vncia, quæ habet tres digitos; palmus, quatuor digitos; dichas, duos palmos; spithama seu palmus maior, tres palmos minores; pes, quatuor palmos minores; sesquipes, seu cubitus, sex palmos minores; gradus, siue passus simplex, duos pedes cum dimidio; Passus vero Geometricus, quo vtitur cosmometra, quinque pedes; pertica, decem pedes; plethrū, centum pedes; Stadium, centum viginti quinque passus; diaulos, duo stadia; siue passus docentum quinquaginta; Milliare Italicum, octo stadia, siue mille passus; Milliare Germanicum commune, triginta duo stadia, siue quatuor mille passus; milliare Germanicum magnū quinque mille passus; Leuca communis mille quingētos passus; Parasanga Persarum triginta stadia; schænos, vel funiculus Aegyptiorum, sexaginta stadia. Quadringenta & octuaginta stadia vni gradui circuli equinoctialis respondent, quæ reddunt milliaria sexaginta Italica, Germanica quindecim; leucas Gallicas quindecim; Hispanicas, viginti octo.

Tandem instrumenta, quibus figuræ Geometricæ fiunt, diuiduntur, vel mensurantur omnia quanta, sunt norma, libella, quæ nunc scadra, cathetos seu perpendiculum, circinus rectus & valgius, seu intortus. At pro interuallorum dimensione, siue longitudinum, altitudinum, & profunditatum, quæ vulgari nomine inaccessibiles dicuntur, inseruiunt Astrolabium, planimetrium, quadrans Geometricus cum linea fiduciali aut perpēdiculo, annulus Geometricus, radius Astronomicus, seu baculus Iacob; & alia huiusmodi, quorum nomina licet sint diuersa, cum tamen omnia habeant triangulos, qui rectè vnius vsum callet, cæterorum etiam vsum facilè comparabit.

Iam quanta sit Geometriæ vtilitas ad sacram doctrinam, patet ex eo quod sæpissimè inculcetur in sacris litteris; Genes. cap. 6. vbi arca fabricanda Noë mandatur; *trecentorum*, inquit, *cubitorū erit longitudo arcæ, quinquaginta cubitorum latitudo, & triginta cubitorum altitudo illius*: Exodi 25. vbi mōstrans Deus exemplar, secundum quod fieret tabernaculum, & omnia ad illud spectantia, arcam testamenti habere iussit longitudinis duos cubitos cum dimidio, latitudinis & altitudinis cubitum cum dimidio: candelabrum septem calamos procedentes ex hastili vno, & singulos calamos ternas sphęrulas, ternos scyphos, & terna lilia: altare quinque cubitos lōgitudinis, totidem latitudinis, & tres altitudinis; atrium longitudinis cubitos centum, latitudinis quinquaginta, altitudinis quinque. Licet quoque legere lib. 3. Regum cap. 6. illa omnia, quæ pertinent ad Geometricam structurā templi, quod ædificauit Salomon. Item ad illud Ezechielis cap. 43. *metiantur fabricam, & erubescant*, probat D. Hieronymus Geometriæ studiū viguisse in Hebræorū republica, sic enim ait; *Quamobrem scribit Iosephus lib. 5 antiquitat. c. 1. eos qui ad describendam terram missi sunt à Iesu filio Naue fuisse Geometras, & artem, quæ nunc Philosophorum propria est, habuisse Geometriæ.* Videntur autem Hebræi

bræi hanc terræ mensurandæ scientiam, saltem perfectiorem acquisiuisse in Aegypto: Cum enim prima duntaxat huius scientiæ rudimenta olim Aegyptijs Abraham tradidisset, teste eodem Iosepho loco citato, illam deinceps perfectius excolere potuerunt, sicque excultam Iudæi ab illis haurire. Ex quo intelligitur Isaiæ locus cap.18.vbi hęc habemus: *Ite Angeli veloces ad gentem conuulsam, & dilaceratam, ad gentem expectantem, & conculcatam*. Vatablus enim, Pagninus, Forerius & alij vertunt, *ad gentem lineæ lineæ, & conculcationis*: Gens autem lineæ sunt Aegyptij & Aethiopes, quorum agros cum oblimet Nilus è ripis in planities effusus, ipsi vel funiculis vtebantur ad eos distinguẽdos, vel imaginarijs lineis, iuxta Geometricæ disciplinæ documenta: quod verba, quæ sequuntur apud Prophetã, ita accipiendum esse satis ostendunt, ait enim, *cuius diripuerunt flumina terram eius*, id est, oblimarunt, texerunt, terminos agrorum confuderunt.

Etsi igitur initio aliquis fuerit inter Hebręos funiculorum vsus in agrorum finibus metundis & regendis, tamen postea Geometricæ facultatis in Aegypto acquisitæ beneficio, facilius & certius idem pręstare potuerunt in diuisione, & dimẽsione terræ promissionis per lineas imaginarias & mathematicas, quæ tamẽ funiculorum nomen retinuerunt. Sic Psal. 15. dicitur: *Funes ceciderunt mihi in præclaris*; hoc est, possessionis portionẽ sortitus sum in solo vberi & pingui. & Psal.77. *Sorte diuisit eis terram in funiculo distributionis*, & Amos cap.7. *humus tua funiculo metietur*, id est agri tui alijs possessoribus dabuntur. Ex qua consuetudine funiculis terram geometricè metiendi, lucem accipere potest locus satis obscurus lib. 2. Reg. cap. 8. vbi de Dauide victoriam de Moabitis consecuto dicitur: *Et mensus est eos funiculo coæquans terræ, mensus est autem duos funiculos, vnum ad occidendum, & vnum ad viuificandum*. Quorum verborum sensus est apud Cornelium à Lapide ex Venerabili Beda, & alijs; Dauidem Moabitas penitus subegisse, & prostrauisse, adeo vt ipse in terra quasi iacentes funiculo dimetiri, distribuere, occidere, aut viuos reseruare pro arbitratu posset, ad eum modum, quo agri dominus partem aliquam sementi destinat, partem pascuis, partem relinquit incultam. Mensus est autem duos funiculos vnum ad occidendum, & vnum ad viuificandum, quia partem illorum vnã interfici iussit, partem verò alteram viuere permisit.

Tandem Geometricæ disciplinæ notitia facit ad intelligenda plura alia sacræ Scripturæ loca, in quibus fit mentio variarum longitudinis mensurarum; pręcipuæ sunt calamus, cubitus, palmus, spithama, passus, pes, milliare, stadium; quarum omnium accuratum valorem videre est apud interpretes sacræ Scripturæ, pręsertim apud Villalpandum in Ezechielem, Ludouicũ Alcasar in opusculo de ponderibus & mensuris, quod est in fine explicationis eiusdem authoris in librum Apocalipsis, & Cornelium à Lapide similiter in fine commentariorum in Pentateuchum.

CAPVT XIX.

Quantum referat ad sacræ doctrinæ studium Vranoscopia, singulęque eius partes, seu species.

INter scientias Geometriæ subalternatas, primum ordine dignitatis & perfectionis obtinet locum Vranoscopia, quæ non amplius lineas absolutè, & magnitudines vt Geometria, sed magnitudines, ac commensurationes, siue quantitatem corporum cælestium contemplatur; vnde suum etiam nomen consecuta est hęc scientia; cuius, etsi nemini dubium sit, primos inuentores extitisse humani generis progenitores, ac propagatores, Adamum dico, Noẽm, Abrahamum, & cęteros huiusmodi, à quibus etiã alias omnes disciplinas honestas originem duxisse testantur antiquissi-

quissimæ historiæ; cui tamen potissimũ, illius amplificatio, vel perfectio sit adscribenda, magna inter authores fuit semper controuersia, & adhuc sub Iudice lis est. Quidam enim eam attribuunt Aegyptijs, quidam Assyrijs, quidam Babylonijs, quidam verò eam primum ab Aethyopibus inuentã fuisse asserunt, eo quod sub æquinoctiali circulo degentes serenissimo semper cælo fruuntur, ex quo facilè syderum cursus obseruare possunt. Tandem non desunt, qui Atlanti id tribuant, voluntque indè fabulam illam originem traxisse, ipsum videlicet humeris suis cęlum sustinuisse, quod primus cursum Solis, & Lunæ, syderumque omnium conuersiones, rationesque vigore animi, solertiaque curasset tradendas hominibus. De quo sic scribit Diuus Augustinus lib. 18. de ciuitate Dei, *Atlas magnus fuisse Astrologus dicitur, vndè occasionem fabula inuenit, vt cum cælum portare confingeretur*. Sed de his satis, nunc ad huius scientiæ diuisionem accedamus.

Primum ergò Vranoscopia diuiditur in Astronomiam, Chronologiam, Gnomonicam, & Astrologiam; licet enim hac tempestate pro eadem scientia vsurpentur fere Astronomia, & Astrologia. Id tamen discriminis inter hęc vocabula, ad maiorem huius sciẽtiæ distinctionem, constituendũ esse puto, vt Astronomia eam doctrinam, seu Vranoscopiæ partem significet, quæ motus cælorum, astrorumque considerat, Astrologia verò illi parti accommodetur, quæ ex cõuersionibus cælorum, & coniunctionibus astrorum oppositionibusve euentus prædicit futuros. Quia autem cæli motus, pro vt pertinet ad pręsens institutũ potest considerari tripliciter, vel in se, vel ratione temporis, vel denique secũdum quod in horologijs sciotericis inspicitur, circa illum primo modo consideratum versatur Astronomia, secundo Astrologia, tertio Gnomonica: de singulis breuiter agamus.

Astronomia igitur, quæ habet pro obiecto motum cæli in se consideratum, diuiditur in Sphęricam, & Theoricam. Duo enim sunt in vniuersum cęlestium corporum, siue sphęrarum motus: vnus quidem cõcitatissimus ab oriente ad occidentem, qui primus & diurnus appellatur, quippe qui æqualiter, parique celeritate in diei naturalis siue viginti quatuor horarum spatio absoluitur; & hic extimo cælo, siue primo mobili, reliquas omnes sphęras complectenti, atque secum circumferenti assignatur: hoc enim motu diurno Sol & omnia cælestia sydera quotidie semel in mundo oriuntur atque occidunt. Alter verò motus, qui secundus, vel proprius dicitur, est ille quo stellæ omnes, & planetæ contrario motu ab occasu in ortum voluuntur, & diuersis temporum spatijs certis tamen, atque præfinitis, reuolutiones suas super proprios axes, polos, & circulos perficiunt. Pars igitur Astronomiæ quæ primum motum, siue primi mobilis cõsiderat, Sphęrica dicitur: Theorica vero illa, quæ secundorum mobilium, hoc est stellarum fixarum & planetarũ proprios motus contemplatur. Sphęrica in primo mobili tria potissimum expendit, magnitudinem, motum quem vt diximus, vniformiter, regulariterque super mundi polos, & per circulum ęquinoctialem explet ab oriente in occidentem, horis viginti quatuor ęqualibus, quæ dicuntur horæ ęquinoctiales, hoc est, spatio vnius diei naturalis; tum denique illius distinctionẽ per certos circulos; quorum diuisionem primum adducemus, deinde officium in globo. Circuli igitur primum diuiduntur in ordinarios, & extraordinarios; tùm ordinarij in maiores, & minores; rursus maiores in mobiles, qui vel primarij vt ęquator, zodiacus, vel secundarij vt duo coluri Solstitiorum, & Aequinoctiorum; & in immobiles, vt horison, cuius punctum geminum, verticale, dictũ zenith, oppositum dictum Nadir; distinctio verò, primò in rationalem, & sensibilem, secundo ratione triplicis sphęræ in rectum, obliquum & paralellum; alter circulus maior immobilis est Meridianus, cui

cui in globo annexus circulus horarius. Circuli minores ordinarij, sunt vel medij, vt duo tropici æstiuus, scilicet Cancri; hybernus, scilicet Capricorni; vel extremi, quales sunt duo polares Arcticus, & Antarcticus. Circuli extraordinarij alij sunt adscribendi globo, alij vicarij, vt pote quadrans Altitudinis, Semicirculus positionum; adscribendi globo dicuntur, quia illis notatur situs stellarum omnium ratione duodecim domiciliorum, vt sunt circuli positionum; aut certarum dumtaxat stellarum, vel ad Eclipticam, vel ad æquatorem, vel ad horizontem vt sunt circuli longitudinũ, latitudinum, ascensionum rectarum, declinationũ, verticales vel Azimuth, Almucantharath. Horum circulorum in globo dispositorum vsus, vel officium est, ad constitutionem domus cęlestis: ope semicirculi positionũ; & ostendendas stellarum affectiones, quas in absolutas, & relatas distinguere possumus: Absolutæ sunt magnitudo, & figura. Magnitudo, qua aliæ notabiles magnitudinis primæ, secundæ, tertiæ, quartæ, quintæ, sextæ; aliæ vero Sporades, dispersæ in circulo lacteo. Figura alia est apparentiæ, quæ plana; alia existentiæ, quæ sphęrica dicitur. Affectiones relatæ sunt, primo asterismi, seu signa quę vel in Zodiaco, vel extra Zodiacum reperiuntur; secundò situs ad Eclipticã, vbi latitudo, & longitudo stellarũ quęritur; ad Aequatorem, vbi quęritur stellarum ascensio, & descensio recta, declinatio, differẽtia ascensionalis, ad Horizontem, vbi quęritur Azimuth, vel Almucantharath. Tertio ortus & occasus, qui vel Astronomicus, vel vulgaris & Poeticus. Astronomicus, quà expenduntur gradus ęquatoris, scilicet ascensio, & descensio recta, vel obliqua; tum ortus & occasus syderum. Vulgaris & poeticus relatus ad horizontem verus dicitur, Cosmicus, vel Achronychus; ad radios verò Solis, apparens vel heliacus. Hactenus de parte Astronomiæ, quæ dicitur Sphęrica. Nunc ad Theoricam.

Altera pars Astronomiæ Theoricæ dicta considerat primò motum propriũ stellarum fixarũ ab occasu in orientem; siue quod idem est, octauum cęlum firmamentum dictum, suo motu tardissimo super polos Zodiaci, stellas fixas ab occasu in ortum circumuehens; cuius motus periodus cõplectitur spaciũ 25816. annorum Aegyptiorum. Deinde considerat earumdem stellarum fixarũ motum alterum, beneficio decimi cæli à Septentrione in Austrum, & ab Austro in Septemtrionem; tùm denique tertiũ beneficio noui cæli ab ortu in occasum, & ab occasu in ortum; qui duo motus vocantur ab aliquibus trepidationis, ab alijs librationis. Sic igitur inter primum mobile, & Sphęram stellatam, siue firmamentum, dantur necessario duo alij cęli conclusi, communicantes stellis fixis duos prędictos motus imperfectos, vel potius librationes. Cum enim cuiusuis corporis simplicis vnicus sit motus per se. Item, omne corpus, quod pluribus mouetur motibus, vnum per se se habeat, alios per accidens. Item, superior Sphęra moucat inferiorem, non autem contra. Item, stellæ moueantur ad motum sphęræ, quemadmodum clauus ad motum rotæ. Est enim stella densior sui orbis pars. Cum hęc, inquam, ita se habeant; & experimento constet, stellas fixas, siue quod idem est, cęlum stellatũ, cui sunt affixæ, quatuor moueri motibus, motu nimirum diurno ab ortu in occasum, spatio viginti quatuor horarum; tum motu trepidationis, siue librationis à Septemtrione in Austrum, & ab Austro in Septemtrionem; tertiò, eodem motu ab ortu in occasum, & ab occasu in ortum; quartò denique motu perfectissimo circumuehi ab occasu in ortum; opus est supra cęlum stellatum, quod est octauum non solum duos orbes mobiles, sed tres collocare, vt iam non solum decem cæli mobiles cum Alphonsinis, sed omnino vndecim concedendi sint, cum Magino, Clauio & alijs; si phęnomena cęlestia certa ratione, & probabiliter, seruare velimus & tueri.

tueri. Vndecimum enim erit primum mobile rapidissimo cursu & ęquabili ab ortu in occasum, super polos mundi, siue ęquatoris spacio 24. horarum, secum omnes inferiores orbes cęlestes circumducens; Decimum illud, quod præter motum diurnum, quo à primo mobili rapitur, alium dictum motũ habet propriũ librationis à Septemtrione in Austrum, & ab Austro in Septemtrionem, cuius periodus complectitur annos Iulianos quibus nos vtimur 3431. & dies fermè 239. Atque hoc tempus in tabulis dicitur periodus anomaliæ obliquitatis Zodiaci. Nonum, quod præter motum diurnum, quo à primo mobili rapitur, & motum librationis sub coluro solstitiorum à Septemtrione in Austrũ, & ab Austro in Septemtrionem, quem ei decima Sphera impertit, habet quẽdam motum proprium librationis sub Ecliptica decimæ Spheræ, & super polos eiusdem, ab ortu in occasum, & ab occasu in ortum; cuius periodus complectitur annos 1715. & dies ferme 302. adeò vt duplo minor sit hęc secundæ librationis periodus, quàm periodus primæ illius librationis decimi cæli, absoluaturque bis eo tempore; quo illa semel perficitur. Dicitur autem tempus periodi huius secundæ librationis, periodus Anomaliæ præcessionis Aequinoctiorum. Octauum cælum, stellatum dictum, est illud, quod præter triplicem motum, quo à tribus superioribus sphęris agitur, habet quartum adhuc motum proprium eumque tardissimum, ab occasu in ortum super polos Zodiaci; cuius periodus, vt iam dixi expletur spatio 25816. annorum Aegyptiorum, qui efficiunt annos Iulianos fere 25798. & dies 120. Septem alij, sunt Planetarum cæli, de quibus Theorica secundo loco agit; considerando tum communia, tum propria vniuscuiusque. Inter illa, quæ singulis planetis sunt aliquo modo cõmunia reponuntur quędam illorum affectiones, deinde diuisio. Affectionum rursus, aliæ sunt absolutæ, vt orbes concentrici, excentrici, & motus species, 1. longitudinis, & latitudinis, qui sit vel medius seu ęqualis, vel verus & inęqualis. 2. ascendendo à perigæo, vel descẽdendo. 3. directus, retrogradus, nullus. 4. tardior, velocior, mediocris. Aliæ comparatæ vel relatæ, vt sunt aspectus, rectus, coniunctio videlicet & oppositio; collateralis, & est vel sextilis, vel quadratus, vel trigonus. Diuisio planetarum est quod alij sint veri, alij Pseudoplanetæ, vt cometæ in æthere. Veri autem, vel sunt cogniti, primarij, vt Sol & Luna; secundarij, qui vel superiores, vel inferiores; vel incogniti, circa Iouiales, circa Solares &c. Propria vniuscuiusque Planetæ, absoluta sunt 1. quantitas vniuscuiusque, tum orbium particularium, quibus vnaquęque Planetarũ Sphęra constat; 2. nomina ac situs orbium particulariũ respectu centri mundi; 3. centra orbium, centrorum distantiæ à centro mundi. 4. Axes orbium super quibus mouentur. 5. poli orbium super quibus mouentur. 6. motus proprij, siue reuolutiones orbium. 7. Semidiametri orbium in partibus, quarum semidiameter terræ est vna. 8. Superficies planæ orbium ad planum Eclipticæ inclinatæ. 9. Aux Eccentrici ad annum currentem. Propria veluti relatiuè, sunt illa, quæ attenduntur respectu nostri, vt Eclipses, lunæ illuminationes, siue φάσεις &c. de quibus omnibus vidẽdi sunt authores inferius citati pręsertim Antonium Maginũ, Christophorum Clauium, & Georgium Burbachiũ.

Vnde breuiter tantùm dico, Solem habere tres orbes, à se inuicem omniquaque diuisos, atque sibi contiguos. Quorum supremus secundum superficiem conuexam est mundo concentricus, secundum concauam autem eccentricus. Infimus verò, secundum concauam concentricus, sed secundũ conuexam eccentricus. Tertius autem in horum medio positus, tam secundum superficiem suam conuexam, quàm concauam, est mundo eccentricus. Dicitur autem mundo concentricus orbis cuius centrum est centrum mundi. Eccentricus

cus verò, cuius centrum est aliud à centro mundi. Duo itaque primi sunt eccentrici secundum quid, & vocantur orbes augem Solis deferentes. Ad motum enim eorum aux Solis variatur. Tertius vero est eccentricus simpliciter, & vocatur orbis Solem deferens. Ad motum enim eius, corpus solare infixū sibi monetur; suumque iter conficit ab occidente in orientem diebus 365. horis 5. minutis 49. secund. 16. Quod spatium annus Solaris appellari solet. Ex quo patet, annū non præcisè continere 365. dies, & horas sex: desunt enim minuta ferè vndecim vnius horæ. Nam Sol singulis diebus conficit min. 59. sec. 8. tert. 19. quar. 37. secundum doctrinam Alphonsinorum. Quod de motu cęli hac in parte diximus, idem penitus asseri debet de periodis motuum aliorum Planetarum; videlicet non debere attendi penes orbes, seu eorum cęlos totales, sed proprios dumtaxat orbes planetas deferentes, qui quidem sunt eccentrici in medio aliorum orbium collocati. In his namque planetæ, vel eorum epicycli infixi deferuntur suis statutis temporibus. Tres orbes prędicti duo centra tenent. Nam superficies conuexa supremi, & concaua infimi idem centrum habent, quod est centrum mundi. Vndè tota Sphęra Solis, sicut & alterius cuiuscumque planetæ tota sphera, concentrica mundo dicitur esse. Sed superficies concaua supremi, atque conuexa infimi, vna cum vtraque superficie medij, vnum aliud, quod centrū eccentrici dicitur, habent.

Luna habet orbes quatuor, & vnam sphęrulam. Primo enim habet tres orbes sicut Sol, scilicet duos eccentricos secundum quid, qui vocantur orbes augem eccentrici Lunæ deferentes, & tertium eccentricum simpliciter, in horum medio locatum, qui deferens epicyclū appellatur. Deinde habet orbem mundo concentricum, aggregatum ex tribus alijs ambientē, qui deferens caput draconis dicitur. Vltimo habet sphęrulam, quæ vocatur epicyclus, profunditati orbis tertij immersam, in quo quidem epicyclo corpus lunare figitur: Luna totū Zodiacum percurrit 27. diebus cum horis ferè 8. Deindè verò quasi biduum consumit, vt assequatur Solem. Cum enim Sol interim in 27. diebus & horis 8. percutrat ferè 27. gradus, quos Luna in biduo quasi absoluit, necesse est, vt ab vna coniunctione Lunæ cum Sole, intercipiantur dies 29. & horæ 12. fere. Tale autem spacium mensis lunaris appellari consueuit.

Quilibet etiam trium superiorum Planetarum, videlicet Saturnus, Iupiter, Mars, tres orbes habet à se diuisos, secundum imaginationem triū orbis Solis. In orbe tamen medio, qui eccentricus simpliciter existit, quilibet habet ępicyclum, in quo, sicut in Luna tactum est, corpus planetæ figitur. Saturnus motum proprium conficit annis 30. fere singulis namque diebus peragrat in Zodiaco minuta quasi duo, & tertia 35. Mars annis fere 2. percutrit enim in Zodiaco quouis die min. 31. sec. 26. ter. 38. Iupiter autem 12. fere annis; quolibet enim die pertransit min. 4. sec. 59. ter. 15.

Venus, quæ etiam dicitur phosphorus, & Hesperus, tres habet orbes cum epicyclo, quo ad situm, atque motum in longitudinem, vt aliquis superiorum, dispositos. Orbes namque augem deferentes, super axe Zodiaci secundum motum octauæ sphęræ mouentur, ita tamen, vt aux eccentrici eius, sub eo loco Zodiaci sit semper, sub quo aux eccentrici Solis. Vndè habita auge Solis in secunda significatione, habetur & aux Veneris eadem. Hic planeta totū etiam suum circuitum complet eodem quasi tempore cum Sole. Progreditur namque quouis die min. 59. sec. 8. & ter. 19. fere.

Tandē Mercurius habet orbes quinque & epicyclum: quorū extremi duo, sunt eccentrici secundum quid: superficies namque conuexa supremi, & concaua infimi mundo concentricæ sunt: concaua autem supremi, & conuexa infimi, eccentticæ mundo, sibi ipsis tamen con-

concentricæ sunt: & centrum earum, tantùm à centro æquantis, quantùm centrum æquantis à centro mundi distat: & ipsum est centrum parui circuli, quem centrum deferentis describit. Vocantur autem deferentes augem æquantis, & mouentur ad motũ octauæ sphęræ, super axe Zodiaci. Et hic planeta tantumdem spatij omni die conficit ac Venus. Quamobrem totum cursum absoluit quasi eodem tempore cum Venere.

Præter allatam Astronomię diuisionem, alia duplici distingui potest; prima in Methodicam, & Historicam: Methodica dicitur, quæ tractar methodum obseruandi, & calculandi; Historica, quæ historiam conscribit de astris, & corporibus cælestibus ex artificum obseruationibus prodeuntem. Eiusmodi autem obseruationes fiunt, instrumentis quamplurimis ab Astronomis summa industria ad hoc inuentis, vt motus cælestes nobis ob oculos ponerent, quale est Astrolabium vulgare, seu planisphęrium Ptolemæi, regula parallatica, Annulus Astronomicus, quadrans, torquetum, radius Astronomicus, armilla æquatoria pro rimandis syderum declinationibus à circulo Aequinoctiali, eorum ascensionibus, & descẽsionibus in quolibet Sphæræ situ, tam recto, quã obliquo, sextans Astronomicus pro syderũ altitudinibus obseruandis, atque eorum distantijs quibuscumque capiendis, & vt genus alia. Calculus verò Astronomicus perficitur partim per numeros, partim per res metricas; per numeros, eo quod per numeros in tabulas digestos Astronomi cęlorum motus scrutentur, quales sunt tabulæ primi & secundorum mobilium Ptolomæi, Alphonsi Regis Hispanię dictæ ab ipso Alphonsinæ; resolutæ Magini, Ioannis Regiomontani, Ioannis Blanchini Ferrariẽsis, Nicolai Copernici, Prutenicæ Erasmi Reinholdi, & multorum aliorum. Per res autem metricas perficitur calculus Astronomicus, eo quod fiat per cõstructionem canonis sinuum tangentium & secantium; per trigonometricam, seu angulorum doctrinam admirabilem, sine qua nec Astronomia luculenter tractatur, nec cæli, maria, terraque exactè mensurantur.

Altera diuisio Astronomiæ, est per ordinem ad pręcipuos ipsius authores, in Ptolemaicam, Copernicéam, & Tychonicam. Ptolemaica dicitur illa quę Ptolemæi Systema mundanum, obseruationesque sequitur; Copernicea, quæ Nicolai Copernici, Tichonica, quæ Tichonis Brahæ. Tota enim scientia Astronomica, seu de rebus cælestibus ab obseruationibus ducit originem. Postquam enim Astronomus tot diuersitates motuum, tot apparentias obseruarit, eas mente examinat, hypothesesque excogitat, quibus tales apparentiæ, siue phænomena saluari possint, & Geometricè exquirit, quomodo prædicti motus ad tempus quodcunque colligi possint; hinc fingit systema, quo cælum fabricatum, atque ordinatum perpetuò correspondeat illis motibus, ac phænomenis: hinc Philosophi diuersi systemata varia commenti sunt, quibus phænomena omnia, motusque saluari profitentur; quorum præcipua, sunt tria Ptolemaicum, videlicet Coperniceum, & Tychonicum.

Systema Ptolemaicum, omni sæculo vsque ad nostrum, ab omnibus Philosophis concinnius existimatum est, vt telluris corpus in vniuersi centro immobile constitutum, nouem supra se rotantes cælos habeat hoc ordine, cælum Lunæ, Mercurij, Veneris, Solis, Martis, Iouis, Saturni, firmamentum, seu cęlum stellatum, & primum mobile: quem cælorum ordinem tota ferè concessit, & amplexa est antiquitas, præter Aristotelem, & Platonem, qui solem non quarto, sed secundo post lunam loco constituerunt: Iam verò, cum etiam stellas fixas inæquali motu ab æquinoctio apparente agitari, Astronomorum obseruationibus deprehensum sit, nec non etiam Zodiaci obliquitatem variari processu temporis; recentiores Astronomi duas alias sphæras, nonam scilicet & deci-

decimam, inter primum mobile, & cælum stellatum conclusas addiderunt, quæ stellis fixis duplicem illum librationis, siue accessus, & recessus motum superius explicatum communicarent.

Aliud vniuersi Systema propalauit Nicolaus Copernicus Turonensis Gallus ex aliquorum antiquorum Philosophorum placitis hoc ordine. Constituitur Sol immobilis in centro mundi, post Solem orbis Mercurij, post Mercurium Venus, tum cælum Lunæ vna cum globo terræ, deinde tres alij cæli, Martis, Iouis, & Saturni, tandemque cælum stellatum etiam immobile. Terræ vna cum reliquis elementis, ac lunari globo in tertio cælo, inter Venerem & Martem collocatæ, triplicem prædictus author tribuit motum, *diurnum*, quo ex Occidente in Oriens circumducitur spatio 24. horarum (quem motum alij tribuunt primo mobili) quo omnia astra videntur ex Oriente in Occidens ferri, cum tamen secundum Copernicum sola terra moueatur; *Annuum* quem nos Soli concedimus; ac *Tertium librationis*, quo inæqualitas æquinoctiorum, & eccliptica ab æquinoctiali obliquitas saluatur. Hoc igitur triplici telluris motu, cęlorumque ordine, voluit Copernicus omnia cęlestium orbium Phænomena explicare; nec tam ingeniosum illius Systema forsan esset contemnendum, dicente Ecclesiastico Deum tradidisse cælum hominum disputationi; nisi aliunde repugnaret manifestissimis diuinarum Scripturarum authoritatibus, Sanctæq; Romanæ Ecclesiæ constitutionibus; cũ enim aliqui nostri temporis Mathematici hanc Copernici sententiam pertinacius propugnarent, coacta est S. R. Ecclesia decreto stabilire disputari non posse, terram esse mobilem; verùm in centro vniuersi esse immobiliter constitutam; vnde post tale decretum, obseruationes dumtaxat præstantissimi illius viri, quæ cum cælo mirificè cõsentiunt, sequi & amplecti possunt veri Ecclesiæ Catholicæ alumni; neglectis illius hypothesibus de multiplici globi terrestris motu, & de quiete tum Solis in centro vniuersi, tum stellati orbis, quas vt multitudinem cęlorum, siue sphęrarum cęlestium euitaret, ingeniosissimè quidem ille excogitarat.

Tertium mundi Systema est Tychonis Brahæ Dani, qui constructa arce Vraniburgo in insula Huennæ, dedita opera vt studijs Astronomicis incumberet, per multos annos cælestes sphęras varijs obseruationibus rimatus est, adiutus à Mathematicis quamplurimis; tandemque post indefessos labores nouas hipotheses nouumque systema mũdanum excogitauit: in quo centrum terræ, est centrum firmamenti & luminarium, orbes enim firmamenti Lunæ & Solis sunt concentrici: reliqui quinque planetæ, Saturnus, Iuppiter, Mars, Venus, & Mercurius retinent Solem pro centro, orbesque eorum sunt eccentrici respectu centri terræ, & homocentrici respectu Solis. Mercurius & Venus in eodem orbe ac cælo siti sunt quo Sol, affixique orbiculis immersis in crassitie deferentis Solem. Mars quando est achronicus in opposito Solis reperitur sub illo, & terris vicinior; quorum omnium systematum figuræ videri possunt apud Andream Argolum tom. 1. Ephemeridum. Tribus prædictis sententijs circa mundi systema inter se distinctis, potest addi quarta illorum, qui cęlorum fluiditatem asserunt, & in ipsis astra, sicut pisces in mari moueri contendunt.

De Chronologia, siue Chronoscopia.

SEcunda pars, vel species Vranoscopię, est Chronologica, vel Chronoscopica, hoc est, quæ non amplius motum cæli in se se, vt Astronomia, sed ratione dumtaxat temporis considerat; quod ab Aristotele definitur *numerus motus secundum prius, & posterius*; siue quod idem est, *secundum priores, posterioresque partes*; Quare sicut motus cęlorum, vt diximus supra, præcipuè duo sunt; conuersio scilicet Cæli ab Oriente in

te in Occidentem, super axe polisque mundi, cuius cingulum est Aequinoctialis. Quo quidem motu Sol, Luna, & Astra cætera oriuntur, occidunt, & reuolutiones perficiunt quotidie. Alter verò motus fit ab occasu in ortum, super axe polisque obliqui circuli, qui Zodiacus dicitur: per cuius semitam Sol, & Astra cætera non iisdem temporum spatijs deferuntur; sicut, inquam, dantur hi duo præcipui motus; ita etiam potest primùm diuidi tempus in diem, annum, & mensem; vt dies sit integra reuolutio Solis per motum primum horas 24. cōtinens; Annus autem spacium quo Sol percurrit Zodiacum, dies 365. & quadrantem ferè, siue sex horas complectens, vt diximus supra. Mensis verò tempus, quo Luna Sole relicto, ad eum reuertitur, quæ reuersio poscit dies 29. & dimidium ferè. Quoniam itaque annus comprehendit menses quasi 12. mensis verò dies fermè triginta. Propterea Zodiacus secatur in signa 12. signum autem in gradus triginta. Vt scilicet sicut circulus totum annum, sic signa singula mensem, diesque singuli gradum de motu Solis postularent. Hinc & numerus horarum duodenarius pro die artificiali, vel pro nocte; & horæ 24. pro toto die naturali.

Alia diuisione potest distingui tempus in naturale & arbitrarium; naturale rursus in primum, & secundum; primum vt dies, qui vel communes, vel critici, decretarij, indicatiui; dierum communium diuisiones sunt in lunares, & solares tam naturales, quàm artificiales; partitiones verò in partes maiores vt matutinum tempus, meridiem, vesperam, loquendo de die artificiali, cui sic accepto nox opponitur, quæ est spacium inter occasum Solis & ortum, diuiditurque in tres item partes, crepusculum, mediam noctem, & diluculum. Crepusculum est spacium, quo Sol sub Horizontem primo demersus nondum vltra 18. gradus in Ecclíptica sub Horizontem descendit. Diluculum è contra 18. gradibus ab Orientali Horizontis parte distat, nox media, meridiei rectè opponitur. Minores autem vtriusque partes sunt horæ, earumque minuta prima & secunda. Primum est sexagesima pars horæ. Secundum sexagesima primi minuti. Quæ omnia duobus exceptis in anno diebus æquinoctialibus, semper sunt inæqualia ob incrementa & decrementa, nec non ob diuersitatem locorum, cum in altero breuior dies sit, vel longior quam in altero, ob poli eleuationem. Tempus naturale secundum, vel est Lunare, vel Solare; Lunare vt mensis, & annus lunaris; mensis rursus, alius est proprius, Periodicus, Synodicus, illuminationis, isque vel verus vel medius; alius analogicus, vel criticus; Solare similiter diuiditur in mensem, & annum solarem, communem, & climactericum, vel respectu prouinciarum, vel respectu hominum; annus verò solaris communis, vel est tropicus, cuius quatuor sunt partes Ver, Aestas, Autumnus, & Hiemps, vel sydereus. Tempus arbitrarium considerari potest, vel seorsim, atque ita aliud est primum vt dies, qui vel festus, vel profestus, aliud ortū vt Septimana, Mensis plenus, cauus, & & annus Ciuilis, Vulgaris, Bisextus, siue Intercalaris; vel qua artificiosè digestum in Calendario, quod tum Iulianum, tum Gregorianum; singula breuiter explicemus.

Primùm ergo horarum aliæ sunt æquales, aliæ inæquales siue temporales. Hora æquinoctialis, siue æqualis est vigesima quarta pars diei naturalis: quæ postulat sibi quindenos Aequinoctialis gradus. Hæ sunt horæ, quæ in horologijs per lapsus rotarum indicantur, & sciotericis per lineas horarias distinguntur. Hora verò temporalis, siue inæqualis, quę etiam Planetaria dicitur, est duodecima pars, diurna quidem arcus diurni, nocturna verò nocturni. Vnde crescit & decrescit cum ipso arcu: & proindè inæqualis est, & pro tempore variatur, secundum quod maior vel minor est arcus Solis supra Horizontem.

Per

Per has horas planetæ per ordinem suscipiunt dominium, ita vt singulę feriæ in hebdomada nomen sortiantur à planeta, cuius dominium in primam diei horam cadit. Quanquam peteret ratio, vt huiusmodi horarum diuisio potius fieret per diuisionem Zodiaci, sicut horæ æquales distinguntur per diuisionē Aequinoctialis. Vnde etiam Ioannes de Sacrobosco, cum definit horam naturalem, hoc est, inęqualem, siue temporalem, asserit spatium temporis, quo peroritur dimidium signi in Zodiaco.

Dies est reditio Solis ad Meridianū. Quod est spacium integræ reuolutionis motus primi mobilis, cum tanto arcu Aequinoctialis, quantus respondeat motui Solis proprio in Zodiaco interim peracto. Qui arcus, propter inæqualitatem motus Solis, & propter obliquitatem Zodiaci variatur. Quare dies tales, qui naturales, vel etiam ciuiles dicuntur, sunt inter se aliquantum inæquales. Verùm quia supputationes motuum cęlestium debent fieri per dies ęquales, Astronomi vtuntur additamento mediocri, & dies ad æqualitatem reducunt; supponendo quod illa ascensio, siue arcus ęquinoctialis, respōdens motui Solis proprio in Zodiaco interim peracto ab Occidente in Orientem; quique vnoquoque die debet adijci integræ eiusdē æquinoctialis reuolutioni; sit min. 59. & sect. 8. ferè: quę proueniunt ex diuisione 360. graduum (quod est aggregatum omnium ascensionum singulorum anni dierum) per 365. dies, & sex horas. Sic Astronomi faciunt vnumquemque diem naturalem 360. graduum, min. 59. secund. 8. talesque dies vocantur medij, vel mediocres, quod inter maiores inequales, & minores, medium veluti obtinent locum. Et quamuis hoc discrimen, inter vnum verum diem naturalem, & alterum mediocrem, sit valde paruum, ferèque imperceptibile; quia tamen additis pluribus inter se huiusmodi differentijs, magna inde notabilisque varietas oriri posset; ideo Astronomi, vt hanc verorum dierum inęqualitatem, statim ad ęqualitatem reducerent, celebrem illam composuerunt tabulam quam *æquationis dierum* appellant. Prædictorum autem dierum naturalium varia fuerunt initia apud varias gentes, nationesque. Persæ namque, Babylonij, & Turcæ, quos nunc imitantur Insulę Baleares, quæ dicuntur Maiorica, & Minorica, diem inchoabant ab ortu Solis ad alterum ortum. Athenienses, quos adhuc Bohemi, & Itali omnes sequuntur, diem numerabant ab occasu Solis ad alterum occasum: Aegyptij, & Sacerdotes Romani à media nocte in alteram mediam noctem, quæ consuetudo adhuc in Ecclesia Romana permansit, Gallia, Germania, Hispania, & alijs pluribus locis: Astronomi denique à meridie ad alterum meridiem diem computant. Iudæi verò nunc vno, nunc alio numerabāt modo, pro vt olim apud eos fuit in vsu triplex dierū genus; dies scilicet legalis à vespera ad vesperam, dies naturalis ab ortu Solis ad ortum, dies vsualis à media nocte ad mediam noctem. Primùm in celebrandis festiuitatibus seruatum esse à Iudæis non est dubium, quippè in Leuitico cap. 23. hoc à Deo præceptum erat datum: *A vespera*, inquit, *vsque ad vesperam celebrabitis Sabbatha vestra*. Quem morem in diuinis laudibus, sacrisque officijs decantandis vsque nunc seruat Ecclesia: nam festorum solemnitatem à vesperis auspicatur. De secundo intelligendum putant multi quod scribitur Matth. 20. *Et egressus circa tertiam horā vidit alios* &c. Et paulò inferiùs. *Iterū autem circa sextam & nonam horam, & fecit similiter; circa vndecimam verò exijt*. Et Matth. 27. *à sexta autem hora tenebræ factæ sunt super vniuersam terram vsque ad horam nonam: & circa horam nonam clamauit Iesus*, &c. Et Marc. cap. 15. *Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum*. Et paulò inferius: *Et facta hora sexta tenebræ factæ sunt super totam terram vsque in horam nonam, & hora nona exclamauit Iesus* &c. Et Lucæ 23. *Erat autem ferè hora sexta, & tenebræ factæ sunt in* vni-

uniuersa terra usque ad horam nonam. Et Ioannis cap.4. *Hora autem erat quasi sexta*: Et inferiùs: *Et dixerunt ei, quia heri hora septima reliquit eum febris*. Et cap.11. *Nonne duodecim sunt horæ diei*, &c. Hæc inquam, omnia Euangeliorum loca explicanda videntur de die naturali ab ortu Solis ad ortum, quem Iudæi in publicis præsertim negotijs obseruabant. Vt enim Romani ex Cælio Rodigino lib. 12. cap. 9. ita & Iudæi iam tempore Christi Romanis subiecti, indeque illorum calculum secuti, diuidebant vti noctem sic & diem in 12. horas, per quatuor partes, quas noctu in castris vigilias (eo quod initio earũ vigiles mutarent) vocabant: Prima hora, siue vigilia incipiebat ab ortu Solis, tertia tribus horis ab ortu, sexta sex horis ab eodem, puta in meridie, nona tribus horis post meridiem, duodecima in vespera & Solis occasu. Porrò in hyeme hæ horæ erant breuiores per diem, longiores per noctem, quia in hyeme dies sunt breuiores, noctes verò longiores; vice versa in Aestate hę horę erant longiores per diem, breuiores verò per noctem, quia tunc dies sunt longiores, noctes autem breuiores.

Tandem de die vsuali, quem etiam Iudęi cum Romanis ex Macrobio lib.1. Saturn.cap.3. Gellio lib.3. cap.2. Plinio lib.2.cap.77. & alijs, à media nocte in aliam computabant, interpretantur aliqui tres dies & noctes partiales, quibus Christus Dominus dicitur fuisse in sepulchro; Matth.12. sepultus est enim die Veneris ante Solis occasum; mansitque in sepulchro vsque ad mediam noctem, quæ pertinebat ad diem Veneris: inde à media nocte incipiebat Sabbathum, quo toto permansit in sepulchro per integram diem & integram noctem; successit dies Dominica pariter à media nocte, qua reliqua per sex ferè horas permansit in sepulchro vsque ad auroram, cum incipit lux & dies, in qua resurrexit, ita vt tota media nocte Dominicæ, & parte aliqua aurorę siue diei & diluculi, Christus fuerit in sepulchro, donec aurora crescente, magisque illucescente resurrexit; erat enim tunc Pascha circa Aequinoctium, in quo dies sunt æquales noctibus, ac proinde noctes æque ac dies sunt duodecim horarum. Anima verò Christi, illico vt ipse in cruce expirauit hora nona, id est tertia promeridiana descendit ad limbum, mansitque ibi cum Patribus vsque ad auroram Dominicę. Ex dictis satis constat circulum Horizontalem, ac meridianum esse terminos & limites dierum naturalium quorumcumque; maluerunt tamen Astronomi à Meridiano circulo diem inchoare, quàm ab Horizonte, quoniam Sol, & astra eodem semper modo se habent respectu Meridiani in omni regione; non autem respectu Horizontis, qui mirum in modum variatur ratione maioris, & minoris eleuationis poli supra Horizontem; Tantùm de die naturali, nunc breuiter de artificiali.

Vt igitur dies naturalis nihil est aliud quàm integra Solis reuolutio; ita dies artificialis nihil aliud est, quàm mora Solis supra Horizontem; nox autem mora eiusdem infra Horizontem; siue quod idem est, dies artificialis, est arcus Solis diurnus, qui cum arcu nocturno naturalem diem consummat. Qui quidem arcus in sphæra recta semper, obliqua verò, tantùm Sole existente in ęquinoctiali, sunt æquales, alias semper inæquales; maiores, vel minores, secundũ quod est magis, vel minus obliqua sphęra; Et hæc quoque diuisio diei in naturalem & artificialẽ in sacris litteris passim occurrit. Nam vbi S. Ioannes dixit ante diem festum Paschę Christum Dominum cum discipulis cęnauisse, de artificiali die intelligunt multi: cum Marcus & Lucas primo die azimorum, in quo Iudæi Pascha immolabant ac celebrabant, id accidisse asserant. Quare cum die Iouis ad vesperam cæna fuerit facta, die artificiali numerasse videtur: alioqui cum ipsa vespera festum inciperet, ante diem naturalem cęnasse non apparet. Sunt tamen alij, qui aliam huius loci expositionem adducunt, de qua vide

vide interpretes. De diebus quoque artificiatis, & non integris naturalibus intelligitur illud: *post tres dies resurgam:* & vbicunque dies cõtra noctem distinguitur, sic illud Matth. 12. *Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, sic erit & filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus*. Sic quoque illud Matthæi 4. *Cum ieiunasset quadraginta diebus & quadraginta noctibus:* alioqui nox per recessum, & dies per accessum Solis vno cæli circuitu cõficiuntur, atque adeo vnus dies naturalis est ex nocte dieque simul, tanquam vna cæli mensura, vt supra notauimus. Sic Genes. 1. *Factum est vespere & mane dies vnus;* cur autem Moses prius vesperæ quam mane meminerit, vide interpretes ad hunc locum; SS. Basilius, Ambrosius, Chrisostomus, Augustinus & alij putant per vesperam, aptè significari diem artificialem completum, eius enim terminus est vespera: per mane autem, noctem plenè transactam, noctis enim exactæ finis & argumentum est ipsum mane. Vnde colligunt aliqui ex hoc loco satis probabiliter, non solùm ab eo tempore quo Iudæi fuerunt subiecti Romanis, sed etiam antiquitus apud eos, aliasque vetustissimas gentes quibuscum fuit consuetudo & commerciũ Iudæis, diem naturalem ab ortu Solis, ad eiusdem exortum, proximè consequentem definiri solitum, licet apud varias gentes, varia fuerint eiusmodi dierum ratio & vsus.

Hebdomada siue Septimana habet dies septem, propter numerum Planetarum: qui cum dominium habeant per singulas horas inæquales siue temporales, siue naturales, tàm diurnas, quàm nocturnas, secundum ordinem suorum orbium semper repetitum; inde singuli dies Septimanæ nomen sortiũtur à Planeta, in prima hora diei dominium habente. Verùm Ecclesiastici vtuntur numero feriarum pro vocabulis Planetarum; & feriam septimam Sabbathum, quod Chaldaicè quietem significat, appellaruut, diem scilicet quieti attributum; vel quia Deus, creatis cælo & terra, in illo ab opere quieuit; vel etiam Christus Dominus in sepulchro toto illo die fuit. At quia per gloriosam illius resurrectionem, quæ prima Sabbathi, siue prima feria contigit, reparatio generis humani perfecta fuit, mortuus est enim ex Apostolo propter peccata nostra, & resurrexit propter iustificationẽ nostram, propterea solemnitas diei Sabbathi translata fuit in hanc primam feriam, deincepsque vocata Dominica à supremo Planetarum Creatore, & Domino. Quamuis etiam plura sint alia huius diei insignia & ornamenta, quibus mirabiliter nobilitatur atque decoratur. Horum quædam tradit B. Leo epist. 81. ad Dioscorum, Augustinus in sermone 154. de tempore, Beda in epistola de celebratione Paschatis, seu de Aequinoctio verno: quæ si colligantur, & numero aliquo comprehendantur, tot ferè sunt. *Primò*, hic fuit primus mundi dies, in quo lux facta est, vt liquidò constat eo argumento, quod septimus ab eo proximus dies, quo Deus requieuisse dicitur, eumque diem sanctificasse, haud dubiè fuit dies Sabbathi: hoc enim euidenter concluditur ex 20. & 31. capitibus exodi, vbi iubentur Hebræi diem Sabbathi religiosissime obseruare, quod, eo die, Deus requieuisset ab opere creationis mundi, quod sex diebus patrauerat, ob idque eum diem sanctificasset.

Secundò, in hoc die siccis vestigijs Hebræi mare rubrum trangressi sunt. *Tertiò*, eodem die primùm de cælo pluit manna in deserto. *Quartò*, Christus, vt quidam opinantur, initio huius diei natus est. *Quintò*, baptizatus est in Iordane. *Sextò*, primum miraculum fecit in nuptijs, aquam conuertendo in vinũ. *Septimò*, multiplicatis quinque panibus, & duobus piscibus, quinque hominum millia satiata sunt. *Octauò*, Dominus noster resurrexit à mortuis, dicitur enim Ioannis 20. *resurrexisse vna Sabbathi*; hoc est primo die post Sabbathum, vnus enim pro primo dicitur phrasi Hebraica

qua

quà vsus est Moyses Genes. 1. dum ait *Factum esse vespere & mane diem vnum*, id est primũ;pro vt ratio poscit & consequentia narrationis; deinceps enim cõmemorãdo reliquos sex dies, appellauit diem secundum, tertium, quartum,& sic deinceps vsque ad septimum. Daniel quoque eadem phrasi vsus cap.9. *Vno*, inquit, *anno Darij Regis*, hoc est primo, vt ipse mox declarat. *Nonò*, Dominus Iesus octauo post Resurrectionem die ianuis clausis ingressus est ad discipulos deditque eis spiritum Sanctum,& potestatem remittendi peccata. *Decimò*, mandauit Apostolis vt euangelium toto orbe prædicarent, & baptizarent homines *in nomine Patris,& Filij,& Spiritus Sancti*. *Vndecimò*, in hunc diem incidit dies Pentecostes,quo Spiritus Sanctus super Christi discipulos descendit. *Duodecimò*, in hoc die creditur futura nostrorũ corporum resurrectio, nostræque fęlicitatis consummatio, & totius mundi renouatio. Hæc sunt præcipua priuilegia quæ diem Dominicum nobilitarunt & illustrarunt, cunctisque fidelibus singulari honore, ac religione colendum, & venerandum reddiderunt. Hebræi autem olim singulos hebdomadę dies à Sabbatho, tanquam à præcipuo tunc die denominabant;ita vt initium hebdomadæ à Sabbatho, nempè septimo die, in quo Deus requieuit, sumerent; deinde primus post sabbathum dies vocaretur ab illis primus sabbathi, qui nobis est dies Dominicus; dies lunæ, secundus sabbathi,& sic deinceps.Ita illud Matth. vltimo, *Vespere Sabbathi, quæ lucescit in prima Sabbathi*; & illud; *vna Sabbathi venerunt mulieres ad monumentũ*.Ioa.20 Quodlibet etiam festũ Sabbathum appellabatur,vt illud Sabbatha sanctifices, id est quælibet festa. Et illud Isaiæ 1. *Neomenia & Sabbatha vestra*, id est, festiuitates vestras, *odiuit anima mea*. Nisi quod vbi septem dies festiuitatis acciderant(vt in Paschate aut festo Pentecostes, de quibus de Exodi 12. & Leuit. 23. *Septem dies festum celebrabitis, & nouissimus erit vobis sicut primus venerabilis*) tunc Sabbathum primo primum appellabatur primus dies, vltimus verò secundo primum, vt apparet Lucæ 6. *Factum est*, inquit, *in Sabbatho secundo primo*. Ad hæc quando festum incedebat in septimo die hebdomadæ, magnũ Sabbathum appellabatur: sic Ioannes cap.19. *Erat*, inquit, *magnus dies ille Sabbathi*, id est, duplici festiuitate percelebris; proindè cap.20. idem ait: *cum sero esset die illo vna Sabbathorum*, id est, prima post duplex Sabbathum: nisi fortè primum inter dies hebdomadæ eo nomine nuncupauerit, vt volunt aliqui. Nam integra etiam hebdomada sabbathum appellabatur; vt illud; *Ieiuno bis in Sabbatho*; id est,in hebdomada;sed de diebus & Hebdomadibus hæc satis dicta sint pro instituti nostri ratione. Tantùm aduertendum est, quod vt faciliùs cognosci possint nomina singulorum Hebdomadæ dierum, soleant designari in Calendario per septẽ primas Alphabeti litteras, videlicet, A.B.C.D.E.F.G. quarum vnaquæque, cum certis annis possit diem Dominicam significare,tunc vocatur littera Dominicalis, & illa quæ immediatè sequitur secundum ordinem Alphabeti, designat diem Lunæ, & sic deinceps de alijs hebdomadæ diebus, qui vt statim diximus, cum secundum Ecclesiæ vsum, vocentur feriæ; indè etiam septem illæ primæ alphabeti litteræ fuerunt appellatæ *litteræ feriales*. Nunc ad mensium rationem & numerum exponendum.

Mensium alius solaris,alius lunaris. Mensis lunaris triplex; vel scilicet spatium, quo luna motu proprio peragrat Zodiacum, & habet dies 27. & horas fere 8.vocaturque mensis *Periodicus*;vel spatium, quo à Sole digressa eumdem repetit, quod postulat dies 29. hor. 12. & vocatur mensis *Synodicus*, aut Lunatio; vel denique spatium, quo incipit & desinit apparere supra nostrum horizontem, quod habet ordinariè dies 28. & vocatur mensis *Illuminationis*. Solaris autem mensis duplex est; *Astronomicus*, videlicet, siue spatium, quo Sol per-

pertransit vnum signum Zodiaci, & habet dies 30. horas 10. min. 54. secund. 6. quæ est duodecima pars totius anni; & *Politicus*, siue Ciuilis, habens spatium maioris, vel minoris durationis, secundum numerum dierum, quibus vnaquęque natio vtitur ad mensurandum tempus; sunt autem apud nos, & secundum vsum nostrũ huiuscemodi menses duodecim, propter duodenariũ tàm signorum, quàm lunationum numerum; quorum quatuor, scilicet, Aprilis, Iunius, September, & Nouember habent 30. dies; septem 31. scilicet Ianuarius, Martius, Maius, Iulius, Augustus, October, & December; vnus vero Februarius habet dies tantùm 28. per tres annos continuos, quibus in anno Bissextili superadditur dies ipse intercalaris in festo Sancti Mathiæ. Qui omnes dies collecti conficiunt in anno communi 365. dies; in Bissextili verò dies 366. Porrò singulos hos menses suos Romani ab initio vsque rerum suarum, imprimis ab eo tempore, quo Numa annum digessit, diuisere in classes siue ordines dierum tres numero inter se impares; quorum vnus à Nonis, alter ab Idibus, tertius à Kalendis nomen ferebant. Primus cuiusque mensis dies Kalendarum erat: septimus Martij, Maij, Iulij, Octobris, quintus omnium ceterorum erat Nonarum: decimusquintus eiusdem Martij, Maij, Iulij, Octobris, decimus vero tertius aliorum Idus dicebantur. Ab his omnes dies alij secundum classes suas retrorsum in anteriora numerati denominationem accipiebant. Scilicet in ijs mensibus, in quibus dies septimus Nonis competebat; sextus prid. Nonarum, quintus III. Nonarum aut ante Nonas, quartus IIII. Nonarum aut ante Nonas, tertius V. Nonarum aut ante Nonas, secundus VI. Nonarum aut ante Nonas, aut, quod idem valebat & erat frequentius postridiè Kalend. dicebatur. In quibus verò dies quintus Nonis est dicatus, simili modo retro ibatur in diem vsque mensis secundũ, qui IIII. Nonarum, aut ante Nonas, aut postridie Kalend. appellabatur. Nam vt classis dierũ à Nonis denominata in Martio, Maio, Iulio & Octobre dies sex capiebat, sic in reliquis mensibus habebat quatuor tantum. Ab Idibus autem appellata classis omnibus in mensibus parem numerum dierum, nimirum VIII. amplectebatur, qui simili ratione ab Idibus in antecedentia computabantur, vsque in ipsas Nonas: diesque is, qui Nonas proximè sequebatur, postridie Nonarum, aut VIII. Iduum, aut ante Idus, qui verò proximè Idus ipsas antecedebat, prid. Iduum, aut II. Iduum, aut ante Idus vocabatur. At qui Idibus ipsis sine interuallo succedebat, postridiè Iduum ferè nuncupabatur; reliqui omnes in finem mensis dies numero addito Kalendæ dicebantur; V. g. XVII. Kalendas, hoc est ante Kalendas, siue primum diem sequentis mensis primi: qui Kalendæ vocabatur, quod initio cuiuslibet mensis calatæ, hoc est vocatæ in capitolium plebi indicabatur, quot ad nonas vsque superessent dies; Nonæ vero dicebantur, quasi nouæ obseruationis initiũ, vel à nouem diebus vsque ad exordium Kalendarum interiectis. Idus demum à diuidendo mense: vel à speciè plenæ & vndique collucentis lunæ. De numero Kalendarum, Nonarum & Iduũ sequentes extant versus.

Sex Maius Nonas, October, Iulius & Mars
Quatuor at reliqui: tenet Idus quilibet octo.
Inde dies reliquos omnes dic esse Kalendas
Nomen sortiri debent à mense sequenti,
Versibus his noscas mẽsis cuiusque Kalendas,
Tantum, tendebat, quod, regni, summa, regebat
Sanctus, Rex, talis, sapienter, regna, subegit.

Duodecim enim dictiones horum duorum vltimorum versuum, duodecim anni mensibus ordine respondent: Initiales litteræ quatuor significant numerum

rum Kalendarum: ita quidem vt Q. in ordine alphabeti 16. R. 17. S. 18. T. 19. Kalendas denotet. Ergo prima littera particulæ tantum Kalendas Ianuarij (quæ in Decembri sunt mense) à numero 19. ordiendas indicat, & sic de cęteris. Tantùm de mensibus Romanorum, modoque illos diuidendi, cuius cum adhuc inter nos vsus perseueret, necessarium fuit paulo longius illum explicare.

Iam vt omittam menses aliarum nationum, Gręcorum, Macedonum, Syrorum veterum, Chaldęorum, Aegyptiorum, Arabum, Turcarum qui ipsos hac in parte sequuntur, & aliorum de quibus facile videri possunt innumeri qui de his scripsere Chronologi. Superest agere de mensibus Hebręorum, & festis in eisdem notatis, mirum enim quam sit necessarium illorum notitiam habere ad Euangeliorum pręsertim historiam dilucidè intelligendam. Nam cum in eis vniuersa ferè ratio temporis sumatur à numero Paschatum, & aliorũ festorum, si hęc quibus mensibus occurrant, nesciatur, proculdubio totius historiæ Chronicon turpiter ignorabitur. In primis igitur numerum duodecim mensium in anno Hebraico fuisse habemus ex lib. 3. Reg. cap. 4. vbi legitur: *Habebat autem Salomon duodecim præfectos super omnem Israel, qui præbebant annonam Regi & domui eius: per singulos enim mẽses in anno singuli necessaria ministrabãt.* Et cap. 4. Danielis; *Post finem*, inquit, *duodecim mensium in aula Babylonis deambulabat*; Esther quoque cap. 3. *exiuit mensis duodecimus, qui dicitur Adar*: Hi autem menses cum ante exilium Babylonicum nominarentur tantùm à numero, pro vt quisque primus erat, aut secundus, vsque ad duodecimum, vt constat Exodi 40. *Mense*, inquit, *primo, prima die mensis eriges tabernaculum.* Idem patet ex Numer. cap. 9. & lib. 1. Paralipom. cap. 27. Cum, inquam, ante exilium Babylonicum menses ita se haberent, post reditum ex Babylone his ferme ornati sunt nominibus; mensis primus anni sacri, vt dicetur infra, vocatus est Nisan, respondens Martio: cuius mentio fit 2. Esdræ cap. 5. & Esther 3. Secundus dictus est Zis, & Iiar, id est, Aprilis; cuius fit mentio lib. 3. Reg. c. 6. Tertius appellatus est Siuan, id est, Maius, cuius memoria fit Esther c. 8. Quartus Thamus, est nomen Syriacum, id est, Iunius. Quintus Ab & Abib, de quo Exod. 9. & Leuitici 2. respondet autem Iulio. Sextus Elul, id est, Augustus, de quo Nehemiæ 9. Septimus Ethan & Tisri, id est, September, de quo 1. Reg. 8. Octauus Iabal, Bul & Marchesuan, id est, October cuius mentio fit 3. Reg. 6. Nonus Casleu, de quo Nehemiæ 1. & Zachariæ 7. qui respondet Nouembri. Decimus Thebet de quo Esther 2. & respondet Decembri. Vndecimus Sebat, respondens Ianuario, de quo Zachar. 1. Duodecimus Adar, respondens Februario, de quo Esther. 2. & 9. Notandum est tamen Hebręos ita annum communẽ supradictis 12. mensibus definiuisse, vt tamen adueniente Embolismo mensem tertium decimũ adijcerent, quem Veadar, siue alterum Adar nuncupabant. Cum enim menses lunares quibus vtebantur, solaribus æquè non responderẽt, sed minores sint singuli fere vnius diei spatio, atque adeò annus lunaris communis ex illis constans, sit etiam minor anno solari communi vndecim diebus; vt Hebræi dictum annum lunarem cõmunem continentem 12. menses alternatim 29. & 30. diebus constantes, quod menses plenos & cauos appellabant, ad Solis cursum quadantenus accommodarent, siue cum solaribus æquales redderent, tertio quoque anno tredecim menses ascribere, aut octauo quoque anno tres menses addere solebant, qui propterea vocabantur anni Embolismales; de quibus vide Forosemproniensẽ, Petauium de rat. temp. Clauium cap. 4. Kalendarij, Henricum Philippi in quęst. Chronologicis & alios plures ab illis citatos. Qui inde satis efficaciter colligunt annorum mensuram in sacris litteris eãdem fuisse semper, nec temporum successio-

cessionem mutatam; nam tametsi Iudæi menses ex Lunæ cursu seruarent, anni tamen mensuram à Sole sumebant. Quare non erant minores anni illi quibus primi parentes & reliqui ante diluuium vixisse feruntur, vt quidam opinantur, sed nostris æquales: quod ex Genes. 7. & 8. multis rationibus confirmant Iosephus lib. 1. Antiquit. cap. 5. Lactantius lib. 2. diuin. Institut. cap. 13. & D. Augustinus lib. 15. de ciuit. Dei cap. 14. Et certè rem ita se habuisse à tempore exitus ab Aegypto, atque adeò ante iam inde ab Adamo, quātùm ad hoc vt duodenis duntaxat lunationibus annus quilibet non absolueretur, sed per Embolismos suo tempore addita luna, lunares solaribus adæquarentur, cum nulla appareat causa cur opinemur diuersam quantum ad hoc fuisse apud Hebræos Kalendarij formam, demonstratiuè colligi videtur ex lege Mosaica, secundum quam Pascha mense primo celebrandū erat, & altero die Paschæ offerendus spicarum manipulus, tanquam messis primitiæ Leuit. 23. v. 10. nec antè nouis frugibus vesci licebat ver. 14. Ab eleuatione manipuli numerabantur 50. dies vsque ad Pentecostem, qua panes primitiarum hostijs pacificorum adiungebantur ver. 20. Mense etiam septimo congregatis frugibus celebrabatur festum Tabernaculorum, ver. 39. Quæ satis patet quotannis seruari non potuisse, si Hebræi 12. lunationibus exactis nouum semper annum auspicati fuissent; siue quod idem est si annos Lunares duntaxat connumerassent, cum enim isti minores sint solaribus quotannis vndecim diebus, factum fuisset vt eodem dierum numero singulis annis Pascha antecessisset, ac subinde omnibus mensibus celebratū fuisset; imo vt quatuor anni tempora, æstas in mensibus Hyemis, autumnus in diebus veris, confusa, permutata fuissent, quod cum sit absurdum, nec accidisse vnquam in sacris litteris vllibi legamus; concludendum est antiquissimos Patres iam inde ab Adamo, & rerum omniū conditu vel annis solaribus fixis esse vsos, vel si lunaribus, illorum tamen mensuram à Sole sumpsisse, vt post exitum ab Aegypto.

Sed est iam multo maior difficultas, à quonam ex supradictis mensibus anni sui duxerint initium Hebræi, præcipuè ab exordio mundi ad exitum vsque ex Aegypto. Pro cuius intelligentia supponendum est tanquam certum ex diuinis Scripturis duplex apud illos fuisse anni principium, vnū scilicet ante egressum de Aegypto, alterum post; cum enim noua Dei lege sancitum legamus, vt propter memoriam singularis eius beneficij, quo seruitute Aegyptiorum Hebræos liberauerat, Nisan qui cadit in vernum tempus, primus deinceps anni mensis apud illos haberetur, vt traditur Exodi 12. his verbis: *Hic mensis principium mensiū primus erit in mensibus anni*: euidenter indè colligitur, ante illud tempus, aliud fuisse anni principium, siue quod idem est, Nisan non fuisse Hebræis primum anni mensem: quid enim attinebat, nouo præcepto, tam sanctè Iudæis imperare, quod illi suaptè sponte perpetuo antea seruauerant: Insuper eiusdem libri Exodi cap. 23. iubentur Hebræi solemnitatem tabernaculorum, quæ agebatur mense septimo, hoc est in autumno, celebrari in exitu anni: sic enim ibi legimus; *Solemnitatem quoque ages, in exitu anni, quandò congregaueris omnes fruges tuas de agro*; Et cap. 34. iubet Deus eamdem solemnitatem agi, quando redeunte anni tempore, cuncta conduntur. Ex quibus duobus Scripturę locis apertè colligitur duplex apud Hebræos fuisse anni principium, scilicet ante egressum de Aegypto ab Aequinoctio autumnali, post verò à vernali; atque adeo duplicem veluti annum, sacrum vnum cuius principium erat Mensis Nisan Martio respondens, secundum quem Neomeniæ, festa ac reliqua omnia sacra totius anni componi debebant: Ciuilem alterum, cuius principium erat Mensis Tisri Septembri respondens, secundum quem & eius calculum omnia negotia politica & contra-

ctus dirigebantur. Imo annus Sabbaticus & Iubilæi etiam si sacri essent, quia tamen multos contractus ciuiles venditionis, locationis, mutui, & alios similes continebant à mense Septembri inchoatos fuisse asserunt Iosephus, Philo, & alij Rabbini; & sanè si à vere inchoati fuissent isti anni, cum abstinendum tunc esset ab omni satione & messe, duobus annis continuis sua messe caruissent Hebræi; nam inchoato anno Sabbatico à Martio messis in agro relinquenda fuisset; proximo quoque autumno abstinendum erat à satione, atque ita sequēti quoque anno nulla fuisset messis. At incipiendo ab autumno vna tantum messis peribat, nunquam duæ, nisi annus Sabbaticus anno Iubilæi immediatè iungeretur. Tunc autem Deus consulebat populo inusitata anni precedentis fertilitate. Cum, inquam, hæc apud omnes certa esse debeant, totum difficultatis punctum reducitur ad hoc, an mundus Verno, vel Autumnali tempore fuerit conditus, atque adeò an iam tunc à primo rerum principio, primi parentes ab vno vel altero anni sui exordium duxerint; Circa quod duplex est sententia (quod enim Gerardus Mercator initio suæ Chronologiæ, opinatur mundum esse conditum mense Iulio, ab omnibus reijcitur) Prima asserit, mundi exordium fuisse in Autumno, vt primus mensis ab orbe condito fuerit prima luna Aequinoctio Autumnali propior, qui mensis ab Hebræis Chaldaico vocabulo dictus est Thisri: Secunda vero docet primùm Hebræos annum à verno tempore, quo nimirum mundus fuerat conditus, inchoare solitos, vsque ad descensum Iacob in Aegyptum; sed postea mixtos, & per quindecim atque ducentos annos conuersatos cum Aegyptijs, vt plura alia eorum instituta, sic etiam hoc de principio anni, & dispositione mensium esse complexatos; quapropter egressi ex Aegypto, Dei præcepto iussi sunt Exod. 12. primam consuetudinem circa initiū anni & dispositionem mensium repetere, & deinceps perpetuo retinere in rebus omnibus ad religionem pertinentibus; priore tamen anni forma in rebus reliquis etiam tùm residua; Quæ sententia licet sit magis probabilis, quod non Astrologis modo & Poetis sit accepta, sed omnium etiam ferè Scriptorum Ecclesiasticorum atque Theologorum firmata consensu; prima tamen sua etiā probabilitate non caret, tùm ob numerum authorum illam amplexantium, tū ob pondus rationum illam confirmantium; de quibus videndi interpretes ad caput 1. Geneseos; Superest iam vt iuxta ordinem anni sacri, breuiter agamus de singulis mensibus, festisque præcipuis in illis contentis, ad intelligendam sacram scripturā & Synagoge ritus scitu necessarijs.

Primus erat mensis Nisan, dierum triginta. Phanemot apud Aegyptios, Δῦστρος apud Macedones. Μάρτιος apud Græcos. Martius in Latino. Iumedi ptior apud Arabes & Turcas. Singulis diebus fiebat sacrificium iuge siue quotidianum; & in prima die festum Neomeniæ, id est, Nouilunij: quia à noua Luna omnes menses incipiebant: Vnde Neomeniæ apud Hebræos idem penitus erant, ac Kalendæ apud Latinos, primūque mensis diem significabant. Notandum tamen Neomenias, siue primū diem mensium Hebræorum, non semper correspondere Kalendis, siue primo diei mensium nostrorum; vnde etiam fit, vnum & eumdem Hebręorum mensem non semper correspondere eidem mensi solari; cum enim annus noster Solis duntaxat motione obseruetur; Hebræorum verò etiam Lunæ. Ille diebus 365. cum quadrante fere absoluatur, hic diebus 354. atque adeo superet alter alterū 11. diebus; satis patet menses Hebræorum perfectam cum nostris habere non posse conuenientiam. Rursus mensium principia in Neomenijs, seu nouilunijs obseruant Iudæi; nos verò aliter: igitur cum nouilunia omnia non semper in mensium nostrorum capitibus accidant, sed post initium aliquando, quandoque in medio, & multoties post medium,

dium, diuersa debet esse ratio mensium vtrobique; siue adæquatam inter se correspondentiam habere non possunt. Itaque mensis Nisan, aliquot nostri Martij dies attinget,& aliquot Aprilis. Mẽsis Iiar, aliquot ex diebus Aprilis, & aliquot ex diebus Maij. Mensis Siuan, aliquot ex diebus Maij, & aliquot Iunij. Mensis Tamuz, aliquos Iunij,& aliquos Iulij. Mensis Ab, aliquos Iulij, & aliquos Augusti. Mensis Elul,aliquos Augusti, & aliquos Septembris. Mensis Tisri aliquos Septembris, & aliquos Octobris. Mensis Bul, aliquot ex diebus Octobris, & aliquot Nouembris. Mensis Casleu aliquos Nouẽbris, & aliquos Decembris. Mensis Theth, quosdam Decembris, & quosdam Ianuarij. Mensis Sebath, quosdam Ianuarij, & quosdam Februarij. Mensis Adar, aliquot ex diebus Februarij,& aliquot ex diebus Martij; Vndè menses Hebræorum rectè nunc vni nunc alteri è nostris congruere dicuntur, præsertim accidente anno Embolismico, siue Intercalari, per quod conciliantur multa doctorum placita, de quibus vide Paulum Mineruam Ordinis Prædicatorum, & plures alios ab illo citatos, in insigni opere de Neomenijs Salomonis perpetuis lib.1. c.17. Iam ad festa mensis Nisan reuertamur. In primo die, vt iam diximus,erat festũ Neomeniæ; septimo vero Sabbathum in quo cessabatur ab incendendo igne. Die 10. quotannis Agnus Paschalis in ædes deferebatur, ad vesperam diei decimæ quartæ mactandus. Exodi 12. 3. Die 14. erat Parasceue Paschæ,fermenti exterminatio, Agni Paschalis immolatio ad secundam vesperam. Die 15. Paschalis Iudæorũ solemnitas,vulgò Phasse, Græcis Pascha, & prima dies Azymorum; in memoriam liberationis de Aegypto per Angelum percutientem primogenitos Aegyptiorũ, & transeuntem Hebræorum domos; quodque iam egressuri de Aegypto cogentibus exire Aegyptijs, panem fermentare non potuerunt. Die 16. secundus dies azymorum, in quo manipulus pro primitijs frugum offerebatur,messis inchoabatur, & incipiebat initium septem Hebdomadarum, id est 49. dierum, qui messi faciendæ destinatæ erant; siue quod idem est, erat prima dies Hebdomadarũ,quæ à Paschate ad Pentecosten numerabantur. Die 17. tertius dies azymorũ. 18. quartus. 19. quintus. 20. sextus. 21. Sabbathum & septimus dies azymorum valde solemnis, Exod. 12. Die 22. prima messis hebdomada. Die 28. Sabbathum. Die 29. secunda messis hebdomada.

Secundus anni sacri mẽsis erat Iiar, vel Ziu, id est splendor, claritas ab splẽdore veris, & apparitiòne florum; Pharmuti apud Aegyptios. Ξανθικὸς apud Macedones. Ἀπρίλλιος apud Græcos. Aprilis in Latino. Iumedi posterior apud Arabes & Turcas. Constabat diebus 29. prima die Neomenia. Die 5. Sabbathum. Die sexta tertia messis hebdomada. Die 12. Sabbathum. Die 13. quarta messis hebdomada. Die 14. Pascha celebrabant, qui illud mense præcedenti celebrare nequiuerant Numer. 9. 10. Quod maxima celebritate factum est, sub Ezechia Rege Iuda lib. 2. Paralip. cap.30. Die 19. Sabbathum. Die 20. quinta messis hebdomada. Die 23. Solemnitas ob receptam & à contaminationibus mundatam arcem Hierusalem lib.1. Machab. cap. 13. Die 26. Sabbathum. Die 27. sexta mesis Hebdomada. Hoc pariter mense, anno 480. ab Exodo,Salomon fabricæ templi initium dedit anno quarto regni sui lib. 3. Reg. cap.6. & 3.Paralip.3. Anno secundo sui è Babylone reditus, Iudæi templum instaurare cœperunt hoc mense lib. 1. Esdræ cap.3.

Tertius erat mensis Siuan. Pachon, vel Paon apud Aegyptios. Ἀρτεμίσιος apud Macedones. Μάϊος, in Græco. Maius apud Latinos. Regab apud Arabes & Turcas. Continebat dies 30. Die prima Neomenia. Die 4. Sabbathum. Die 5. septima mesis hebdomada. Die 6. festum hebdomadarum, quod numeratis septem Hebdomadibus ab altero die

die Paschatis, in quo obtulerant manipulum primitiarum, die quinquagesimo celebraretur. Vnde Græcis Pentecostes, id est, quinquagesima. Offerebant in eo panes primitiarum, quod ex primis frugibus offerrentur. Sic Deuteron. 16. & Exod. 34. fuerat autem institutū in memoriam legis datæ quinquagesimo die ab agressu de Aegypto. Die 11. Sabbathum. Die 18. Sabbathum. Die 25. Sabbathum. Hoc mense anno 15. regni Asa, de hostium manubijs celebre sacrificium Deo oblatum est. 2. Paralip. 15. Eodē mense cœperunt aceruorum iacere fundamenta, & mense septimo compleuerūnt eos 2. Paralip. 31.

Quartus erat Tamuts. Payni, apud Aegyptios. Δαίσιος, apud Macedonas. Ἰούνιος, apud Græcos. Iunius apud Latinos. Schaben apud Arabes & Turcas. Habebat dies 29. Prima die Neomenia. Die 2. Sabbathum. Die 9. Sabbathum. Die 16. Sabbathum. Die 17. ieiunium fractionis tabularum legis, pro peccato Idolatriæ adorationis vituli. Exod. 32. quamuis sint qui hoc ad 25. diem referant. Die 23. Sabbathum.

Quintus erat mensis dictus Ab. Epiphi apud Aegyptios. Πάνεμος apud Macedones. Ἰούλιος, apud Græcos, Iulius in Latino. Ramadhan apud Arabes & Turcas. Constabat diebus 30. Die 1. Neomenia & Sabbathum. Die 8. Sabbathum. Die 9. ieiunium desolationis Hierusalē, & templi à rege Chaldæorum. Die 15. Sabbathum. 22. & 29.

Sextus erat mensis Elul. Mesor, vel Mesori apud Aegyptios. Λῷος apud Macedones. Αὐγούστος in Græco. Augustus in Latino. Scherral apud Arabes & Turcas. Habebat dies 29. Die 1. Neomenia. 6. Sabbathum. 13. 20. & 27.

Septimus erat Tisri, siue Ethanim. Thoth apud Aegyptios. Γορπιαῖος apud Macedones. Σεπτίμβειος apud Græcos. September apud Latinos. Dulkaida apud Arabes & Turcas. Continebat dies 30. Die prima Neomenia; & festū clangoris, siue tubarum, quibus clangebant in iubilum vestibus albis ob memoriam liberati Isaac ab immolatione Abrahæ præ fortitudine fidei illius. Leuitic. 23. cessabatur ab omni opere; & offerebatur Holocaustum proprium. Die 3. fiebat ieiunium propter mortem Godoliæ & Iudęorum qui cum eo in Masphe interfecti sunt. 4. Reg. 25. Die 5. Sabbathum. Die 10. festum Kippur, id est expiationis seu propitiationis Leuit. 16. Hoc etiam die inchoabatur annus Sabbathicus, & Iubilæus, atque in vniuersam promissionis terrā missi Cornicines initium Iubilæi in annum septimum & quinquagesimū denuntiabant. Leuit. 23. offerebatur holocaustum proprium. Die 12. Sabbathum. Die 15. collecta frugum, & festum Scenopegiæ, siue tabernaculorum, quod septem diebus tenebat, quibus habitabant Iudæi in tabernaculis in memoriam peregrinationis in deserto 40. annis Leuit. 23. fiebat proprium sacrificium, eratque dies celeberrimus. Die 16. secundus dies tabernaculorum; fiebat etiam proprium sacrificium. Die 17. tertius dies tabernaculorum, in quo etiam fiebat propriū sacrificium. Die 18. quartus dies tabernaculorum: fiebat item proprium sacrificium. Die 19. quintus dies tabernaculorum, & fiebat proprium sacrificium. Die 20. sextus tabernaculorū dies, eratque Sabbathum cum proprio sacrificio. Die 21. septimus dies tabernaculorum, fiebatque sacrificium proprium. Die 22. octauus dies tabernaculorum, & fiebat sacrificium proprium in quo cessabatur ab opere; eratque dies celeberrimus Leuit. 23. Die 23. Encænia templi Salomonis. Die 26. Sabbathum.

Octauus erat mensis dictus Iabal, siue Bul, siue Marchesnan. Paothi apud Aegyptios. Ὑπερβερεταῖος apud Macedones. Οκτίμβειος apud Gręcos. October apud Latinos. Dulchagia apud Arabes & Turcas. Habebat dies 29. Die prima Neomenia. Die 3. Sabbathum. Die 6. solebant Iudæi auspicari ieiunia ob excæcatum Sedeciam Regem, & eius filios interfectos à Nabuchodonosore 4. Regum 25. sunt tamen qui hoc notent

rent die septimo. Die 10. Sabbathum. 17. & 24.

Nonus erat mensis Kasleu: Athyr apud Aegyptios. Δῖος apud Macedones. Νοέμβριος apud Græcos. Nouember apud Latinos. Muharram apud Arabes & Turcas. Constabat diebus triginta; in quorum primo erat Neomenia. 2. 9. 16. & 23. Sabbathum. Die vigesima quinta, festum victoriæ Iudith; dati siue suscitati ignis cælestis, quod luminaria dicebatur: & tandem Encæniorum, cum per Iudam Machabæum restaurata sunt sacrificia & reparatum altare, quod ante triennium fuerat contaminatum 1. Machab. 4. celebrabatur autem hæc altaris dedicatio, per octiduum, sicut festum tabernaculorum, horum Encæniorum fit mentio Ioannis 10. v. 22. Die 30. Sabbathum.

Decimus erat mensis Tebeth. Chiuchi, seu Chæach apud Aegyptios. Απελλαῖος apud Macedones. Δεκέμβριος apud Græcos. December apud Latinos. Sephar apud Arabes & Turcas: continebat dies 29. Prima die erat Neomenia. Die 7. Sabbathum. Die 10. ieiunium, eo quod hoc die inchoata sit obsidio Hierosolymitana à Nabuchodonosore anno nono Sedeciæ 4. Reg. 25. die 14. 21. & 28. Sabbathum.

Vndecimus mēsis erat Sebath. Apud Aegyptios Tybi, vel Tydeschi. Apud Macedones Αὐδυναῖος. Apud Græcos Ιανουάριος. Apud Latinos Ianuarius. Apud Arabes & Turcas Rabic prior. Habebat dies 30. dies prima Neomenia. 6. 13. 20. & 27. Sabbathum.

Duodecimus mensis erat Adar. Mechir vel Methi apud Aegyptios. Περίτιος apud Macedones. Φεβρουάριος apud Græcos. Februarius apud Latinos. Rabie posterior apud Arabes & Turcas. Continebat dies 29. Die prima Neomenia. Die 4. Sabbathum & die 11. diei 3. festum victoriæ de Nicanore à Iuda Machabeo partæ. Die 14. Ieiunium Esther, ac festum Mardochei, quod dicitur Phurim, id est sortium minus. Die 15. festum sortium maius. Die 18. Sabbathum. Die 23. Encænia templi Zorobabelis, iuxta nonnullos, alij enim 20. diei tribuunt. Die 25. Sabbathum. Hi sunt duodecim anni sacri cōmunis menses: Embolismico enim mensem tertiū decimū adijciebant Hebræi, quem Veadar, siue alterum Adar nuncupabant & mensi Nisam proximè anteponebant. Hic mensis longior ac breuior erat, secundum diuersum tempus quo intercalabatur; si enim secundo & quarto anno, dierum duorum & viginti, atque trium & viginti, vicibus alternatis erat; vt asserit Sigonius lib. 3. de republica Hebræor. cap. 1. quandoquidem quo lunaris annus ad solarem reduceretur, vndecim dierum intercalatione opus erat, & quadrantis, ratione cuius vicibus alternatis tertius decimus mensis dierum duorum & viginti, ac trium & viginti fiebat; si autem tertio & sexto anno, erat triginta dierum; quem intercalandi modum obseruasse Iudæos probabilius est; atque adeò mensem decimum tertium potius fuisse triginta dierum, vel vt voluñt aliqui, viginti nouem & semissis, quam viginti & duorum, vigintique & trium. Quandoquidem Iudæi cum à Neomenia, mensis exordium ducerent, iam septem ferè dies defuissent; antequàm à noua Luna mensis initium exordiretur. In hoc anno Embolismico sic dicto ex additione tertij decimi mensis, festum Phurim minus, celebratum quartadecima die vel Luna mēsis Adar, celebrabatur quartadecima die mensis intercalaris Veadar. Et Phurim maius celebratū quintadecima die illius mensis protendebatur vsque ad quintamdecimā Lunam huius mensis Veadar: reliqua verò, pro vt relata sunt. Mensis deindè primus post Veadar erat Nisan, cuius initium iuxta dicta semper prima luna æquinoctio verno propinquiori obseruandum erat. Qui de his plura desiderat, consulat supracitatum Paulum Mineruam; nec non Gabrielem Bucelinum in nucleo Historiæ vniuersalis, vbi inter alia habet Kalendarium Hebræorum, cum Rituale siue Cæremoniale, tum

rum Historicum; nunc aliquid breuiter de anno dicamus.

Et si tot anni diuersi constitui possent, quot sunt syderum errantium, siue Planetarum periodi: est enim annus circuitus eius periodi, cuius cognominis ipse est; quia tamen vulgo obtinuit, vt duorum dumtaxat syderum Solis & Lunæ, labentem cælo qui ducunt annum, ratio in temporibus ciuilibus, vel politicis haberetur; ideo triplex tantùm distingui solet annus, scilicet Solaris, & Lunaris, deinde mixtus, hoc est Solis & Lunæ motibus accommodatus. Annus Solaris iterum est duplex: Astronomicus & Politicus siue ciuilis. Reditus enim Solis in Zodiaco motu proprio ad idem punctum secundum γνῶσιν consideratus ab Astronomis, annus Astronomicus dicitur, Naturalis, & Vertens. Consideratus autem à Politicis secundum πρᾶξιν, ciuilis: Quamuis enim annus Politicus sit spatium temporis certũ & determinatum, quod aliquando cum anno Cælesti, seu Astronomico consentit, & paria cum eo facit; non tamen semper exactè id ei conuenire potest, vt constabit ex statim dicendis. Annus Solaris Astronomicus rursus diuiditur in Tropicum, & Sydereum. Sydereus est ille, quo Sol motu ab occasu in ortum, totum Zodiacum percurrit, donec iterũ coniungatur cum aliqua stella, V.g. Canicula, à qua prius recesserat, quod fit spatio dierum 365. horar. 6. minut. 9. Tropicus autem est spatium illud temporis, quo Sol proprio motu emensus totam Zodiaci longitudinem, ad idem solstitium, in primo gradu Cancri, si sit æstiuum; aut in primo gradu Capricorni, si sit hyemale; vnde etiam annus solstitialis; vel ad idem Aequinoctium redit, in primo gradu Arietis, si sit Vernum; aut in primo gradu Libræ, si sit Autumnale, vnde etiam annus Aequinoctialis nõnunquam appellatur. Quod quidem spatium temporis iuxta obseruationes Ptolomæi anno circiter 130. post Christum natum, præter dies 365. integras complectitur horas 6. minus parte trecentesima vnius diei; hoc est, horas 5. minut. 55. secund. 12. Secundũ obseruationes Albategnij, circa annum Domini 880. nimirum 750. annis post Ptolæmeum continet dies 365. horas 5. min. 46. sect. 24. Secundum Alphonsinas tabulas, quę circa annum Domini 1250 ab Alphonso Hispaniarum Rege conditæ sunt, constat ex diebus 365. hor. 5. minut. 49. secund. 16. Vnde ob has diuersas Astronomorũ obseruationes annus Solaris Astronomicus Tropicus, aliquando dicitur maximus, aliquando minimus, aliquãdo mediocris, seu medius, cuiusmodi est Alphonsinus, cuius magnitudo, media propè modum est inter Ptolemaicum, qui ex noua Nicolai Copernici obseruatione, cùm ad maximam excreuerit magnitudinem, erit dierum 365. hor. 5. minut. 55. secund. 57. & Albategniacum, qui ex eiusdem Copernici obseruatione, cum maximè decreuerit, erit dierum 365. horar. 5. minut. 42. secund. 55. tert. 7. Ob quas etiam diuersas fractiones, annique Astronomici supputationes, non semper ab eodem momẽto eiusdem diei incipit, sed modo à meridie, modo ab occasu Solis, modo à media nocte, modo à Solis ortu, & modo denique ab aliquo alio diei momento initium ducit. Quamobrem licet hic annus sit distinguendis anni tempestatibus, atque adeo agriculturæ, nauigationis, medicinæque præceptis obseruandis accommodatissimus; nullo tamen modo potest ad communem populi vsũ esse idoneus, aut aptus ad mercimonia, commercia, aliaque ciuilia & politica negotia peragenda, vel ad dies festos colendos, sacrasque Ecclesiæ cerẹmonias ritè obeũdas.

Propterea annus Ciuilis, vel Politicus his præcipuè finibus, ac vsibus destinatus, ex diebus tantùm integris constat modo ex 365. & appellatur communis, modo ex 366. & Bissextilis siue Intercalaris dicitur. Neque aliter annus ciuilis computari potest, quàm per integros dies, neglectis horis, & illarum minutis, cum ad vsum vulgi, quod non per-

percipit anni numerationem cum huiuſ modi fragmentis, instituendus fuerit; nec talis ſupputatio in Calendario poſſit ritè diſponi. Apprimè tamen neceſſaria eſt eius cognitio, vt annus Ciuilis, ex diebus integris conſtans poſſit interdum ęquari, modo per additionem, modo per detractionem vnius diei, qui ex omiſſis horis, earumque fragmentis ac minutijs conflatur, vt cum anno Aſtronomico, quantum fieri poteſt conſentiat, & ſol ſemper iiſdem ferè temporibus anni Aequinoctia, ac Solſtitia conficiat. Sic Iulius Cæſar; vt omittam quiſnam fuerit annus Politicus Athenienſium, Annus Metonis, periodus Calippi, annus Romanus, annus Nabonaſſareus, & alij huiuſmodi, Iulius, inquam, Cæſar de conſilio Soſigenis Mathematici, quem ex Alexandria Romam duxerat, quadraginta tribus circiter annis ante Chriſtum natum, abrogato prius anno Romanorum veteri, ac defectuoſo, nouum instituit annum; vnde dictus eſt Iulianus, præcipitque vt à primo die menſis Ianuarij, media nocte inciperet, haberetque 365. dies, & horas 6. quia autem ſex horæ ſingulis quaternis annis diem conſtituunt, præcepit idem Iulius Cæſar, vt quarto quoque anno, ciuili anno communi dierum dumtaxat 365. adiungeretur vnus dies intercalaris, vt fieret dierum 366. quæ intercalatio, quia fit quarto quoque anno, inter 23. & 24. Februarij, qui ſecundum antiquum computandi modum Romanorum, erat dies ſextus calendas Martij, ideo etiam vocatus eſt annus Biſſextilis. Quare neceſſe eſt quartum quemque annum Politicum, ne horæ illæ 24. negligantur, conſtituere dierum 366. Alioquin Aequinoctia, & ſolſtitia, tunc vno die ſerius contingerent, quam in Kalendario notantur, & poſt alios quatuor annos, duobus diebus tardius, & ſic deinceps, ita vt in 120. annis, vno menſe integro, id eſt diebus triginta verſus finem anni prolaberentur, atque ad priores ſedes non reuerterentur, niſi poſt 1460. annos; in quo ſpatio temporis Aequinoctium Vernum per ſingulos menſes, atque adeo dies in orbem iret.

Verùm quoniam Solaris annus ab Aſtronomis aliquando minor obſeruatus eſt, quam dierum 365. & ſex horarum, ita vt ſex horæ non ſint integræ, ſed ad earum complementum aliqua minuta deficiant, vndecim ponunt aliqui, hinc factum eſt, vt à Iulio Cæſare, pluſquam oporteret, quarto quouis anno intercalatum fuerit, cum horæ & fragmenta, quibus annus Aſtronomicus ciuilem ſuperat, & excedit, in quatuor annis ad vnum diem integrum excreſcere non poſſint. Quare ex neglectu fragmentorum illorum, quę in vno quoque quadriennio ad diem integrum conficiendum deſunt, progreſſum eſt ita tractu temporis excreuiſſe, vt inuicem iuncta cõſtituerint dies decem, qui cauſam dederunt, vt Aequinoctium vernũ ſedem ſuam mutauerit. Cui malo occurrere volens Gregorius XIII. Pontifex Maximus, non ſolùm Aequinoctium vernum reſtituit in priſtinam ſedem, à qua iam à tempore Concilij Nicæni, decem circiter diebus in anno correctionis, procedendo receſſerat, quod à Concilio ad 12. kalendas Aprilis, hoc eſt die 21. Martij fuerat conſtitutum; & XIV. Lunam Paſchalem ſuo etiam in loco repoſuit; ſed viam quoque tradidit, & rationem, qua cauetur, vt in poſterũ & Aequinoctium vernum, & XIV. Luna Paſchalis à proprijs ſedibus, nunquam remoueantur. Vnde dictus eſt annus Gregorianus, qui nihil aliud eſt, quam Iulianus correctus, & in meliorem formam reductus. Igitur vt Aequinoctiũ vernum ad 12. kal. Aprilis reſtitueretur, ſtatuit Gregorius, vt dicti decem dies in menſe Octobris ipſius anni 1582. qui fuit annus correctionis eximerentur, & poſt quartam diem Octobris S. Franciſco ſacram, ſequens dies S. Virgini Thereſiæ dicata, non eſſet quinta, ſed decima quinta Octobris. Et ita error, qui in pręteritum tot annorum circulis irrepſerat, in momento temporis fuit correctus.

rectus. Vt autem in posterum idem error vitaretur, semperque vernum Aequinoctium in 21. die Martij, vel propè retineretur, statuit idem Gregorius Bissextum quarto quoque anno, vti mos erat, continuari debere, præterquam in centesimis annis, qui quamuis bissextiles antea semper essent, qualem etiam esse voluit annum 1600. anno correctionis proximum, non omnes amplius bissextiles essent, sed in quadringentis quibusque annis, primi quique tres centesimi sine bissexto trãsigerentur, quartus verò quisque centesimus, bissextilis esset; ita vt anni 1700. 1800. 1900. bissextiles non sint futuri; anno vero 2000. more consueto dies bissextus sit intercalandus, Februario tunc dies 29. continente. Qui ordo intermittendi, intercalandique bissextum diem in quadringentis quibusque annis perpetuo cõseruari debet. Hactenus de anno solari tam Astronomico, quàm Politico, nunc de Lunari.

Annus quoque Lunaris, quemadmodum de Solari dictum, est duplex Ciuilis vnus, vel Politicus; Astronomicus alius. Ciuilis etiam ex diebus integris constat, & bipartitur in communem & Embolismalem, siue Embolismicum. Communis complectitur dies modo 354. modò, quod tamen rarò contingit 353. quorum ille plenus, hic cauus seu deficiens appellari solet, atque vterque duodecim lunationes, seu menses Synodicos continet. Menses enim Lunares, vt diximus supra, sunt in triplici differentia periodici, synodici, & illuminationis, siue apparitionis. Annus autem Ciuilis Embolismicus comprehendit plerumque dies 384. interdum verò, sed rarius 383. Et prior quidem plenus, posterior verò cauus eodem modo dicitur; atque vterque 13. lunationibus componitur, vnde etiam Embolismici nomen ab Embolismo, seu superadiectione vnius Lunationis. Annus Lunaris Astronomicus, qui præter dies integros, vt Ciuilis, complectitur horas aliquot, horarumque fragmenta similiter est duplex, Communis vnus, Embolismicus alter. Annus communis 12. Lunationum continet dies 354. horas 8. min. 48. sec. 58. ter. 7. quar. 36. Embolismicus verò 13. lunationum continet dies 383. hor. 21. m. 32. sec. 41. ter. 18. quart. 4. Differt proindè annus Lunaris communis à Solari ferè 11. diebus, qui Epactæ dicuntur Græcè, Latinè dies ascititij, siue addititij, aut interiecti, eo quod certis annorum periodis superadditi, anno Solari Lunarẽ ęquari faciunt, lunationesque & annos Lunares Embolismales constituunt. Qui certi annorum periodi cursui Lunari, vnà cum Solaribus annis cõcordando destinati, possunt vocari anni Mixti, cuiusmodi fuerunt anni Olympici, annus Metonicus à Metone Cycli decemnoualis, alias aurei numeri inuentore; periodus Callypica annorum 76. & alij plures. Quibus tamen omnibus nec exquisitè cum annis Solaribus conuenientibus, nec etiam nouilunia, pleniluniaque, atque ætatem Luuæ demonstrantibus, in locum aureorum numerorũ in Kalendario Romano substitutæ fuerunt à Gregorio Epactæ 30. quæ Nouilunia indicabunt in perpetuũ, nulla prorsus facta eorum mutatione in Kalendario, vt inter alios rectè demonstrat Clauius tom. 5. Calend. Gregor. cap. 10. Tantùm de anno Solari, & Lunari, & connexione doctrinæ de Bissexto, & Epactis, quemadmodum enim bisextum est vnius diei in Februarium, quia hic mensis est breuissimus, quarto anno Cycli Solaris, interpositio, vt tempus cursui Solis adæquetur; vnde ipse hic annus Bissextilis nomen habet; ita Epactæ sunt vndecim dies, qui annis Lunaribus, vt Solaribus adæquarentur, adduntur. Siue quod in idem redit nomine Epactę nihil aliud intelligitur, quã numerus dierum, quibus annus Solaris communis superat annum Lunarem cõmunem. Sic primi anni Epacta est vndecim dierum, secundi anni 22. tertij verò 3. dumtaxat; addendo enim vndecim dies, viginti duobus anni secundi, efficitur summa 33. dierum; quæ tribus

die-

diebus excedit mensem Lunarem Embolismicum. Necessè est ergò singulis annis dies vndecim addere, donec deueniatur ad Epactam aureo numero, siue cyclo Lunæ decennouali correspondentem, quæ erit etiam 19. dierum: vbi obseruandum est, si aggregatum Epactarum excesserit triginta, illas esse abijciendas à numero producto; vt statim diximus contingere tertio anno; contingetque annis 6.9.11. 14. 17. & 18. qui sunt septem anni Embolismici, qui cycli decennoualis spatio accidunt. Sed est etiam notandum Epactæ anni decimi noni, quæ est 29. dierum addendos esse duodecim, non vndecim tantùm, vt sic numerus Epactæ correspondeat anno sequenti, qui est primus annus alterius cycli decennoualis, siue quod idem est, vt abiectis 30. ex composito numero 41. habeatur rursus Epacta 11. vt in principio; colliganturque simul omnia horarũ fragmenta, quæ reperiuntur in singulis cycli lunaris annis; circa diuersos modos inueniendi tam annum bissextum, quam epactam currentem consuli possunt authores inferiùs citandi; nunc de annorum characteribus, breuiter nobis agendum est.

Characteres igitur annorum, nihil aliud sunt, quam notæ Astronomicæ, quæ in aliquo anno Iuliano, siue Gregoriano; ad quem reliqui anni reducuntur, aliquid peculiariter definiunt, siue quod idem est, notæ quædã anno cohęrentes, & eum ab alijs proximè sequentibus & præcedentibus discernentes. Et sunt aut cælestes, quæ & naturales, aut ciuiles. Cælestes, quæ in cęlo accidunt: ciuiles, quæ existunt ex ordinatione temporum ciuili. Cælestes aut ad Eclypses pertinent, aut ad nouilunia, aut plenilunia, aliosve Lunæ ad Solem situs. Ciuilis ad ferias, ad festa mobilia, ad annos periodorum; cuiusmodi sunt in anno Gregoriano Cyclus Solis, Cyclus Lunæ, Cyclus Paschatis, Cyclus Indictionum. Quamuis de cyclis Lunæ ambiguum videatur, potiusne ciuilibus, an cælestibus characteribus sint annumerã-di. Nam Cyclis repertis mobilia festa patefiunt, quæ iuris positiui sunt; at Cyclorum ratio motum syderum sequitur atque inde dependet. Vt autem characterum vsus cõspicuus fiat, & quid propriè characteres annorum vocentur, magis ac magis appareat, exemplis illustranda res est; V. g. Eclypsis siue Solis, siue Lunæ inter cælestes characteres nobilissimæ. Ea igitur si cum euentu aliquo copuletur in historia, præsertim si certum anni tempus, vt Ver, Aestas, Autumnus, Hyemps, aut mensis, aut dies addatur, maximè verò si cæli quoque locus, sub quo Eclypsis contigerit, designetur, astronomicus calculus demonstrat, ad quem annum siue Iulianũ in Iuliana periodo, ęrave christiana, siue Aegyptiacum in ęra Nabonossari, siue Olympiadiacum in ęra Iphitæa, siue quemuis alium, euentus iste cum eclypsi necessariò referendus sit, vt dubitandi locus superesse non possit. Cæli enim motuum certę leges & vices sunt, quæ fallere nos non possunt. Eadem nouilunij ac plenilunij ratio est, si cum mensis die, aut cæli loco ea connexa euentui aut rei gestæ iungantur. Nam leui opera ex tabulis Astronomicis deprehenditur, quo anno coniunctio, aut oppositio duorum maiorum syderum, hoc aut illo Zodiaci loco, aut mensis Solaris die potuerit accidere. Quo cognito res indicata intelligitur. Similiter & de characteribus ciuilibus res habet. Iam quid illi sint breuiter attingamus. Cyclus Solis est reuolutio 28. annorum, quibus elapsis, feriæ siue festa stata in orbem redeunt, siue quod idem est litteræ dominicales ad eumdem, quem prius habebant, ordinem reducuntur. Dicitur autem Cyclus Solis, non quod ex eo motum Solis discamus, sed quod eius beneficio litteram diei Solis; vel diei Dominici scire possumus; vnde etiam vocatur Cyclus litterarum Dominicalisi. Fit ex ductu cycli ferialis in cyclum bissextilem, hoc est, ex Septenario in quaternarium ducto. Namque, vt vidimus supra 7 litteræ Alphabeti A. B. C. D. E. F. G.

F, G, singulæ indicant in Kalẽdario singulas hebdomadæ ferias. Et index diei Dominici, littera Dominicalis dicitur. Inuentus est autem hic Cyclus propter annum Bissextilem. Si enim singuli anni Iuliani, vel Gregoriani tantùm haberent dies 365, qui efficiunt hebdomadas 52. & insuper vnum diem: tum quotannis feriæ sibi ordine succederent, & qui dies mensis hoc anno feriam primam habuisset, sequenti anno incurreret in feriam secundam, dies enim 365. diuisi per septenarium, siue per 52. hebdomadas, vt statim diximus, relinquunt vnitatem, quæ significat vnius feriæ successionem. At quia Bissextilis annus addit, & alium diem, ad festum S. Mathiæ 25. Februarij: idcircò propter excrescentiam talis diei, necesse est interrumpatur ordo ille septem litterarum; & cum in anno communi littera Dominicalis semel tantùm, in principio scilicet Ianuarij mutetur; in anno bissextili bis mutatur hoc est, non solùm in dicto principio, sed etiam rursus ad 25. diem Februarij. Elapso tamen illo 28. annorũ circulo, litteræ Dominicales eumdem quem prius habebant ordinem, iterum seruare incipiunt. Cum enim quartus quisque annus sit bissextilis, & litteræ Dominicales in septenario numero versentur, & minimus numerus ab his duobus inter se primis numeratus, sit 28. (eorum scilicet productum) ideo in tali annorũ numero necesse est reuerti omnem tam bissextorum, quam litterarum Dominicalium diuersitatem. Præter tabulas ad hunc numerum cycli Solaris cuiuslibet anni inueniendum compositas, & omnibus obuias; facili etiam negotio, sine huiusmodi tabulis, per præcepta Arithmetices inueniri potest sequẽti modo. Anno Domini proposito addantur 9. & cõpositus numerus per 28. diuidatur. Numerus enim, qui ex diuisione relinquitur (nulla habita ratione quotientis numeri. Hic enim solum indicat, quot reuolutiones cycli Solaris à Christo vsque ad annum propositum peractæ sunt) erit numerus cycli Solaris anni propositi. Et si ex diuisione nihil remanet, erit numerus Cycli Solaris 28. Adduntur autem semper 9. anno Domini proposito, quia Christus anno decimo huius cycli Solaris natus est, fuitque anno Domini primo numerus cycli Solaris 10. & anno secundo 11. & sic deinceps.

Notandum est tamen, circa Cyclum litterarum Dominicalium quibusque 28 annis in seipsum redeuntem à Dionysio Abbate Romano, cognomento Exiguo, primùm vt dicitur institutũ circa annũ Domini 500. & ad hanc vsque diem ab Ecclesia Romana vsitatum; necessariò debere illius ordinem interrumpi; tum propter decem dies ablatos ex mense Octobri anni 1582. tum etiam propter tres bissextos, quibusque quadringentis annis omittendos; vt ex dictis supra in Bulla correctionis Kalendarij à Gregorio XIII. Pontifice Maximo sancitũ est: inde nata diuersitas tabellarum Litterarum Dominicalium, tam ante, quam post correctionis annum; natique diuersi modi illas inuestigandi ex Cyclo Solari de quibus vide Clauium, & alios inferius citandos: Et tandem quod sit duplex littera Dominicalis, antiqua vna, noua altera. Antiqua est illa quæ à natiuitate Christi Domini fuit in vsu, vsque ad annum 1582. quo fuit correctũ Kalendarium; noua autem illa quæ à prædicto anno fuit in vsu, durabitque vsque ad annum 1700. quo tantùm fiet interruptio ordinis litterarum Dominicalium antiqui Kalendarij, quia Bissextilis non erit. Hic Cyclus Romano more ab anno Bissextili sumit exordium litterisque G. F. quæ quidem, vt & sequentes, technico isto versu memoriæ causa comprehensæ sunt.

Gaudet, Francus, Equo, Dacus, Cane, Barbarus, Arcu.

Alter anni Iuliani, siue Gregoriani character est cyclus lunaris, alias cyclus decennoualis Aurei numeri; qui nihil aliud est quam reuolutio periodica nouemdecim annorum Solarium, quibus elapsis Nouilunia, & Plenilunia ferè ad idem tem-

tempus redeunt. Vt enim Cyclus Solis est reuolutio viginti octo annorum, quibus confectis, idem litterarum Dominicalium ordo retexitur; V.g. si primus anni Bissextilis dies sit Dominica; post elapsos viginti octo annos, idem primus alterius anni bissextilis dies, erit etiam Dominica cum iisdem litteris. Ita etiam Cyclus Lunæ continet spatium nouemdecim annorum Solarium, in quo complentur lunationes fermè 235. quo peracto iterum ad vnitatem reditur; & ad eosdem dies mensium, licet non omnino præcisè, sed aliqua diei particula citius, Nouilunia & Plenilunia reuertuntur; inde dictus tàm Cyclus Lunaris, quàm Decennoualis; item numerus aureus, propter insignem eius vsum, in designandis festis mobilibus totius anni, & deinde in motibus lunaribus deprehendendis. Quilibet verò huius cycli annus; qui etiam cyclus appellari potest, triplici enim cyclo Solari, Lunari, & Indictionali commune hoc est, vt dicantur cycli non minus anni singuli, quam tota ipsa, quibus constant, annorum summa. Vnde Cyclus 1. 2. 3. 4. Lunæ, est 1. 2. 3. 4. annus cycli decennoualis, quod idem valet in cæteris. Quilibet, inquam, huius cycli annus terminatur in fine mensis Decembris, & in principio Ianuarij sequentis anni initium sumit alius illius annus: quemadmodum etiam fit in annis Domini, qui semper terminantur in mense Decembri, & initium sumunt à Ianuario. Vt anno Domini 1582. qui fuit annus correctionis Kalendarij, annus cycli decennoualis, qui dicitur aureus numerus, fuit 6. terminatusque est simul cũ ipso anno Domini 1582. in mense Decembri: in mense autem Ianuario initium sumpsit alius annus Domini, nempè 1583. & in eodẽ mense Ianuario, assumptus est etiã alius annus Aurei numeri nimirum 7. & ita deinceps vsque ad annum Dom. 1595. in quem cecidit annus decimus nonus. Post quem iterum ad vnitatem reditum est, ita vt anno 1596. Aureus numerus fuerit rursus 1. & anno 1597. fuerit 2. atque hoc modo in perpetuum.

Hoc cyclo decennouali Aurei numeri per dies Kalendarij distributo Ecclesia Romana ad hanc vsque diem vsa est, tùm ad coniũctiones Solis ac Lunæ inquirendas, tum verò maximè ad inueniendum diem festum Paschæ, & ad indaganda consequenter alia festa mobilia, propterea quod veteres putabant Nouilunia, peracto spatio 19. annorum solarium, ad eumdem prorsus diem, eamdemque horam reuerti, quod tamẽ verum non est, cum Nouilunia paulò citius, quam spacium 19. annorum Solarium absoluatur, ad eamdem sedem redeant, vt hic supponitur. Hine factũ est, vt Nouilunia hoc tempore plusquã quatuor dies distent ab aureo numero in veteri Kalendario Romano; & secundũ illius normam Pascha sępe numero post 21. Lunam, contra Maiorum instituta celebretur: adeo vt cyclus hic aurei numeri inutilis omnino iam sit deprehensus ad Nouilunia, festaque mobilia indicanda, idemque magis ac magis in dies futurus sit inutilis, tum propter decem dies ex mense Octobri anni 1582. ablatos, tum etiam propter Bisextos tres omittẽdos quibusque quadringentis annis; nisi in 30. ordines redigatur, hoc est, nisi 30. Kalendaria construantur, vt ex illis seligatur semper illud, quod certo cuidam tempori congruit, vt docet Clauius in Kalendar. Gregoriano. Ad hoc incommodum vitandum, substitutus est in locum aurei numeri in Kalendario Romano cyclus Epactarum constans ex 30. numeris Epactalibus: qui quidem nihil aliud est, quàm cyclus decennoualis aurei numeri æquatus, ita vt sit instar aurei numeri, qui in 30. Kalendaria distribueretur. Aurei verò numeri vsus in posterũ, non quidem ad Nouilunia, & festa mobilia indaganda erit, vt ad hanc vsque diem factũ est ab Ecclesia; sed solùm ad inuestigandam Epactam cuiuslibet anni, ex qua & Nouilunia, & festa mobilia deinde reperiantur: ita vt etiam nunc necessarium omnino sit Aureum numerum quouis anno in-

quirere, licet is de Kalendario sit submotus, locumque amplius non habeat ad Nouilunia, festaque mobilia inuenienda.

Modus autem inueniendi per præcepta Arithmetices aureum numerum cuiuslibet anni propositi; est si tali anno Domino addatur 1. & numerus compositus per 19. diuidatur. Numerus enim qui ex diuisione relinquitur (nulla habita ratione quotientis numeri. Hic enim solum ostendit, quot reuolutiones aurei numeri à Christo nato vsque ad annum propositum peractæ sint) erit Aureus numerus anni propositi; & si ex diuisione nihil remanet, erit aureus numerus 19. Additur aurem semper anno Domini proposito vnitas dumtaxat, quia Christus anno secundo huius cycli Aurei numeri natus est, fuitque anno Domini primo Aureus numerus 2. & anno secundo Aureus numerus 3. & sic deinceps. V.g. si quæratur Aureus numerus anni 1584. adde 1. & compositum numerum 1585. diuide per 19. inueniesque ex diuisione relinqui 8. Erit ergò anno 1584. aureus numerus 8. Rursus si anno 1585. quærendus sit aureus numerus; addita vnitate sit numerus 1596. quo diuiso per 19. nihil superest. Erit igitur tunc numerus aureus 19. Atque ita de cæteris. Modus autem inueniendi per aureum numerum cyclum Epactarum, tam secundum vetus Iulij Cæsaris, quam secundum nouum Gregorij XIII. Kalendarium hic est. Numerus aureus anni Domini propositi modo statim dicto, vel alio inuentus, multiplicandus est per vndecim; deinde numerus productus diuidendus per 30. Et numerus ex diuisione relictus erit Epacta secundum veteris Kalendarij vsum; at si ab illo detrahantur decem, erit Epacta secundum vsum noui Kalendarij; vel si vndecim aufferri nequeant, addendo 20. eadem habebitur Epacta. Vt si quæratur Epacta anni Dom. 1624. primùm reperio quod numerus aureus illius sit 10. qui multiplicatus per 11. producit 110. quo diuiso per 30. superest 20. qui est Epacta anni propositi secundum vetus Kalendarium. A qua Epacta si postea detrahantur decem, supererunt aliæ 10. pro cyclo Epactali eiusdem anni propositi secundum computum Kalendarij noui Gregoriani. In quo mutatur Epacta, siue quod idem est, incipit cyclus Epactarum ad initium mensis Ianuarij. Tandem si quis huius cycli Epactalis beneficio velit habere ætatem lunæ in principio, vel alio etiam die cuiuspiam mensis. Numero Epactarum addendus est numerus mensis, incipiendo numerare à mense Martio, si mensis, quo inquirenda est ætas Lunæ, illum sequatur; si enim inquireretur mense Ianuario addi solum deberet 1. duo verò si mense Februario. Deinde huic summæ coniungēdi sunt dies elapsi mensis propositi; & numerus productus si tricenarium non excedat, erit ætas Lunæ, si autem excedat, abijciendus est tricenarius, & numerus superstes erit ætas Lunæ.

Cyclus Paschalis tertius anni Iuliani à Gregorio correcti character, continet omnes diuersitates in celebratione Paschatis prouenientes: quarum repetitio fit in annis 532. qui numerus est minimus numeratus à cyclo solari, & lunari, hoc est à 28. & 19. à quibus dependet obseruationis Paschalis regula, fuit autem initium cycli Paschalis anno salutis 1273. finis autem erit anno salutis 1804. Nam in illo tam cyclus Solis quam Lunæ, fuit vnitas. In hoc autem, vterque in anno sui circuitus postremo, Solis scilicet 28. Lunæ 19. vt igitur scias v. g. in anno 1567. cyclum Paschalem instantem, ab isthoc numero minue 1272. & supererunt 295. Et tantus est hoc anno cyclus Paschæ: per quem si vis scire cyclum Solis partire ipsū 295. per 28. & supersunt 15. Et tantus est cyclus solaris; vt autem scias cyclum lunæ, partire eumdem 295. per 19. & relinquetur 10. tantus est tunc cyclus lunaris. Quia autem ex decreto sacri Cōcilij Nicæni Pascha, ex quo reliqua festa mobilia pendent, vndè etiam eorum cla-

clauis dicitur, celebrari debet die Dominico, qui proximè succedit XIV. Lunæ Aequinoctij Vernalis, quod semper cōtingit circa diem 21. mensis Martij; sequitur festum Paschatis semper futurū, inter diem 22. mensis Martij, & 25. mēsis Aprilis. Ad inuentionem igitur determinati diei festi Paschatis; primum inuestigandum est quo præcisè die prędicti mensis Martij contingat Nouilunium, deinde plenilunium, quod si contingat supra 21. diem mensis Martij, tūc poterit facilè inueniri dies Paschatis; at si infra dictum diem 21. contingat; rursus indagandum est aliud plenilunium immediatè sequens, & proximus post illud dies Dominicus erit festum Paschatis: Si tamen plenilunium illud, siue quod idem est Luna XIV. caderet in ipsum diem Dominicum, tunc ne cum Iudæis conueniremus, in alterum diem Dominicū immediatè sequentem, transferendum esset festum Paschatis.

Inuento autem semel die Paschæ, facilè alia festa mobilia inuenientur. Si enim ante diem Paschæ numerentur sex Dominicæ in Kalendario, habebitur prima Dominica quadragesimæ, & proximè præcedens feria quarta erit prima dies quadragesimæ, hoc est, dies Cinerum; quam proximè præcedit Dominica quinquagesimæ, deinde sexagesimæ, & septuagesimæ. Si vero post Dominicam Paschæ in Kalendario numerentur quinque Dominicæ, sequentur quintam Dominicam statim rogationes, & proximè sequens feria quinta erit Ascensio Domini: Septima autem Dominica post Pascha erit dies Pentecostes, cui statim succedit Dominica Trinitatis, & feria quinta proxima celebrabitur festū corporis Domini. Numerus quoque Dominicarum inter Pentecosten, & Aduentum Domini ita breuissimè inuenietur. Vide quot Dominicæ sint post Pascha vsque ad festum Sancti Georgij inclusiuè, quod cadit in diem 23. Aprilis. Nam tot Dominicæ addendæ sunt ad 24. vt habeatur numerus Dominicarum inter Pentecosten, & Aduentum Domini; vt quoniam, quando Pascha celebratur die 26. Martij, sequuntur quatuor Dominicæ vsque ad festum S. Georgij inclusiuè, quod etiam tunc cadit in diem Dominicū, erunt 28. Dominicæ inter Pentecosten & Aduentum Domini. Item quia quandò Pascha cadit in diem 3. Aprilis, sequuntur duæ Dominicæ vsque ad festū S. Georgij inclusiuè, erunt 26. Dominicæ inter Pentecosten & Aduentum Domini. Quod si nulla Dominica sequatur diem Paschæ vsque ad dictum festum inclusiuè, vel ipse dies Paschæ cadat in illud festum, erunt 24. Dominicæ; si denique Pascha celebretur post idem festum, erunt tantum 23. Dominicæ inter Pentecosten, & Aduentum Domini.

Quartus Anni Iuliani & Gregoriani character, est cyclus indictionis; reuolutio, videlicet 15. annorum à 1. vsque ad 15. qua reuolutione peracta, iterum reditur ad vnitatem. Sunt qui indictionum originem vulgò Constantini ætate prodijsse putant, eiusque anno 6. Christi 312. Sed qui sic sentiunt, eos diuinare arbitrantur alij, non certum dicere. Nam nullum idoneum testem citant. Apud Ambrosium fit eius mentio in Epist. ad Episc. Aemiliæ verbis istis. *Indictio enim Septembri mense incipit.* Et in Cod. Theod. l. 9. *Valentiaca Indictio nominatur*. Antiquiorem his authorem, qui quidem exploratæ sit fidei, non facilè reperias. Similiter vnde *Indictionis* vox manauerit; quæque sit ei subiecta notio, non magis perspicuum est hactenus. Illud solum inter doctos conuenit: Indictiones nihil aliud esse, quā præstationes, & tributa, quorum canon, id est, modus, quotannis indicabatur. Sed cur spatio 15. annorum, quot cyclus Indictionum colligit, finiri placuerit, & qua de causa, quoue tempore primum id vsurpari cœperit, cum multæ multorum coniecturæ sint, nullam satis probabilē afferri existimat Petauius in Rationario temporum. Est autem indictionis vsus triplex. Nam alia Kalendis ab Septembribus proficiscitur, eaque Constantino-

poli-

politana dicitur. alia ab 8.Calend.Octobris quæ Cæsarea vocatur. Horum vtra sit vetustior nondum constat. Tertia Pontificia seu Romana nominatur: quę in Pontificijs diplomatibus adhibetur & à Kalendis Ianuarij, quæ priores duas illas epochas sequuntur, sumit exordiū. Facilis autem illam inueniendi modus per præcepta Arithmetices, est, si anno Domini proposito addantur 3. & compositus numerus diuidatur per 15. Numerus enim ex diuisione relictus (nulla habita ratione quotientis numeri, cum hic solùm demonstret, quot reuolutiones cycli indictionis à Christo vsque ad annum datum transierint) erit indictio quæsita. Et si ex diuisione nihil remanet erit indictio 15. Adduntur autem tria anno proposito, quia Christus natus est anno quarto cycli Indictionis, fuitque anno Domini 1. Indictio 4. & anno 2. Indictio 5.& sic deinceps.Tantùm pro instituti nostri ratione de tempore,eiusque partibus;& præcipuis characteribus anni Gregoriani qui nihil est aliud quam Iulianus à Gregorio XIII. correctus in Kalēdario nouo; cuius correctionis totum negotium consistit in his tribus, æquinoctij restitutione, & in propria sede retentione; Nouiluniorum emendatione, atque innouatione cycli solaris, vt pluribus eruditè docet, ac demonstrat Christophorus Clauius in Calendario Gregoriano.

De Gnomonica, siue de Horologijs Sciothericis, eorumque varijs generibus.

TErtia Vranoscopiæ pars, vel species, Gnomonica dicitur, vel doctrina de horologijs Sciothericis; inter instrumenta enim ab Vranoscopia,diuina propemodum ingenij abundantia,inuenta, in quibus, tanquam in speculo, cælestium motuū multitudinem ac varietatem inspicere licet, nullum ex eorum numero simplicius, nullumque patabilius est, quam horologium id,quod Græci σκιαθηρικόν, Latini solarium dicunt, in quo horæ in Sole inspiciuntur; cuius ea natura est, vt in Sole collocatum,ex radij vnius, siue styli vmbra, omnem motum positumque cęli,quamuis varium, præcipuè autem Solis cernendum exhibeat. In hoc enim, si modo illuminetur à Sole, quota sit hora quolibet anni tempore apparet, quam ex duodecim Zodiaci partibus,vel signis Sol ipse, quam cæli domum, quem verticalem & horizontis parallelum obtineat,eo quod supra horizontem signum oriri, aut occidere incipiat, cuilibet horæ quota in cæteris terræ partibus respondeat, cuius loci Meridianum Sol quauis hora possideat. Scientia ergò, vel Vranoscopiæ pars,quæ in hac vnius instrumenti architectura versatur, ἀπὸ τοῦ γνώμονος, γνωμονική appellata est. Sunt qui primam illius originem,vel inuentionem referant ad Anaximenem Milesium, de quo habentur hæc verba apud Plinium lib.2. cap.76. *Vmbrarum rationem, & quam vocant Gnomonicen, inuenit Anaximenes Milesius Anaximandri discipulus,primusque horologium,quod appellant Sciothericum, Lacedæmone ostēdit*; hæc Plinius. Verum horologiorum vsum antiquiorē multo fuisse, satis euidentibus argumentis compertum est. Legimus enim in sacris litteris, Achas regem habuisse solare horologium, qui multo antiquior Anaximene fuit.

Vt autem varia sunt Sciothericorum horologiorum genera; sic etiam tot esse possunt Gnomonicæ partes. Primum igitur diuidi potest horologium Sciothericum, in vniuersale vbique deseruiens,& particulare,in vno dumtaxat & determinato loco.Vtriusque rursus quędam dicta sunt pensilia, eo quod ex ipsis è manu libere pendentibus, & versus Solem, vel alia quęcumque astra directis, horas cognoscamus: qualia sunt illa omnia, in quibus vtimur aut pinnacidijs, hoc est, tabellis quibusdam quadratis perforatis, quales in dioptra Astrolabij affigi solent; aut foramine aliquo perexiguo, aut denique filo cum perpendiculo, in quo nonnunquam nodulus

dulus quidam mobilis apponitur, ad horas discernendas; cuiusmodi sunt Astrolabia, Cylindri, quadrantes, annuli Astronomici, horarijve, & id genus alia. Quædam vero stabilia sunt, certumque situm in aliquo plano requirunt, ita vt necesse non sit ea pendere, quæ quidem per gnomonis, stylive vmbram horas ostendunt, distribuunturque in duo genera. Alia enim in superficie non plana, quæ alicui circulo cælesti maximo æquidistet, delineantur: Alia vero in superficie non plana, vt in hemisphærio concauo, aut conuexo, vel in cylindro conuexo, vel concauo, vel denique in quacumque alia superficie, quæ plana non est, depinguntur. Sed iterum horologiorum solarium, quæ in plana aliqua superficie describūtur, plurima sunt genera, pro multitudine cælestium circulorum maximorum, quibus superficies planæ horologiorum æquidistant, & à quibus horologia ipsa nomina habuerunt. Quia autem præcipuè nouem circuli maximi in cælo considerari possunt, situ & positione differentes. Efficitur vt totidem sint genera horologiorum, quæ in superficie aliqua plana describuntur. Hi circuli maximi sunt 1. *Horizon*; 2. *Verticalis circulus* propriè dictus incedens per verticem capitis, & communes sectiones, Aequatoris atque Horizontis; 3. *Meridianus*; 4. *Circulus* horæ sextæ à meridie, vel media nocte, per polos mundi, & easdem sectiones cōmunes Aequatoris & Horizontis ductus; 5. *Aequator*; 6. Verticalis circulus quicunque à proprio dicto verticali deflectens, & ad horizontem rectus: 7. *circulus Maximus* ab Horizonte declinans, & per communes sectiones Meridiani, Horizontisque transiens, atque ad verticalem propriè dictum rectus; 8. Circulus maximus ad Horizontem inclinatus, qui per communes sectiones æquatoris, verticalis propriè dicti, & horizontis describitur, rectusque est ad Meridianum; 9. circulus denique maximus, & ad horizontem, & ad Meridianum, & ad verticalem propriè dictum inclinatus. Quoniam verò quilibet horum circulorū præter horizontem, duas habet facies, quæ interdiu à Sole illustrari possunt, vt verticalis tam propriè dictus, quam ille qui ab eo declinat, vnā habet, quæ ad Meridiem vergit, & alteram quæ spectat ad Boream; Meridianus autem vnam, quæ ortum, & alteram, quæ occasum respicit; Cæteri denique circuli ad Horizontem inclinati habent superiorem vnā, quæ ad zenith, seu verticem capitis, & inferiorem alteram, quæ ad Nadir spectat; sit vt ordinariè Scriptores, qui de Gnomonica, seu horologiorum ratione egerunt, septemdecim in vniuersū stabilierint genera horologiorum solarium, quæ in superficie plana describuntur, quæ ita cōmuniter appellantur.

1. Horizontale, quod Horizonti æquidistat.

2. Verticale ad meridiem spectans, quod circulo Verticali propriè dicto parallelum est, meridiemque respicit.

3. Verticale ad Boreā vergens, quod eidem Verticali circulo æquidistat, spectatque ad Septemtrionem, seu Boream.

4. Meridianum Orientale, quod circulo Meridiano æquidistat, & ad ortum Solis vergit.

5. Meridianum Occidentale, quod eidem Meridiano circulo parallelum est, respicitque ad Occidentem Solem.

6. Polare superius, quod æquidistat circulo illi maximo, qui per puncta veri, æquinoctialisve ortus, & occasus (hoc est per communes sectiones Aequatoris, Horizontis, Verticalisque) atque per vtrumque mundi polum transit, spectatque ad Zenith.

7. Polare inferius, quod eidem maximo circulo æquidistat, sed ad Nadir respicit.

8. Aequinoctiale superius, quod parallelum est Aequinoctiali circulo, spectatq; polum supra Horizontem eleuatū.

9. Aequinoctiale inferius, quod eidem circulo Aequinoctiali æquidistat, sed ad eum mundi polum vergit, qui sub Horizonte latet.

10. De-

10. Declinans à meridie in ortum, occasumve, quod ęquidistat cuicumque circulo verticali, qui à verticali propriè dicto declinet, & vergat ad meridiem, non tamen directo, rectumque est ad Horizontem; quale delineari solet in muro cuiusuis ędificij, qui ad meridiem respicit, sed non directo, & ad Horizontem rectus est.

11. Declinans à Borea, Septentrioneue in ortum, vel occasum, quod cuilibet circulo verticali parallelum est, qui à primario verticali deflectat, & ad Boream, non tamen directo, spectet, rectumque est ad horizontem: quale depingitur in muro cuiuslibet ædificij, qui ad horizontem rectus est, & non directo ad Boream spectat.

12. Declinans ab horizōte superius, quod ad Zenith spectat, & ad ortum occasumve directo vergit, æquidistatq; circulo maximo, qui ad horizontem inclinatus est, & ad Verticalem primarium rectus; transitque per cōmunes sectiones Meridiani, & Horizontis. Huiusmodi horologium describi posset in superiori facie tecti alicuius, quod ad Verticalem circulum propriè dictum rectū esset, hoc est, directo in ortum, vel occasum spectaret.

13. Declinans ab Horizōte inferius, quod ad Nadir spectat, & directo ad ortum, occasumve respicit, æquidistatque eidem circulo maximo, cui superius parallelum esse diximus. Cuiusmodi horologium depingeretur in eodem tecto, in quo superius, sed in facie inferiori, quæ ad Nadir spectat, si facies tamen hæc inferior à Sole illuminaretur.

14. Inclinans ad Horizontem superius, quod spectat ad Zenith, & ad meridiem, boreamue directo vergit, æquidistatque maximo circulo ad Horizontem inclinato, qui ad Meridianum rectus est, transitque per communes sectiones Aequatoris & Horizontis. Quale esset horologium delineatum in facie superiori alicuius tecti, quod ad meridianum esset rectum, id est directo in meridiem, septemtrionémve spectaret.

15. Inclinans ad Horizontem inferius, quod ad Nadir spectat, & directo in meridiem, vel boream vergit æquidistatque eidem maximo circulo, cui superius diximus esse parallelum. Cuiusmodi esset horologium descriptum in facie inferiori eiusdem tecti, in cuius superiori facie superius diximus delineari.

16. Declinans simul, & inclinatum superius, quod spectat ad Zenith, sed neque directo in meridiem, boreamve, vt inclinatum ad Horizontem, neque in ortum, aut occasum, vt declinans ab Horizonte vergit: æquidistat tamen circulo maximo, qui nec ad horizontem, nec ad Verticalem propriè dictum, nec ad meridianum rectus est, sed ad omnes hosce circulos inclinatus, ita vt per nullius polos, qui sunt Zenith, & Nadir, communes sectiones Meridiani, & Horizontis, atque sectiones communes horizontis, & Aequatoris transeat. Tale esset horologium depictum in superiori facie alicuius tecti, quod directo non spectaret in ortum occasumve, aut in Meridiem, Septemtrionemve.

17. Declinans simul, & inclinatum inferius, quod ad Nadir spectat, reliqua autem omnia habet communia cum superiori. Quale esset horologium delineatum in facie inferiori eiusdem tecti, in cuius superiori facie superius depingi diximus.

Omnia autem supradicta horologiorum genera, dicuntur æquidistare circulis illis maximis, à quibus nomina trahunt, quoniam vertex styli ad horologij planum rectus collocari intelligitur in centro mundi, atque adeo in cōmuni centro illorum omnium circulorum maximorum. Vnde fit, vt horologiorum plana tantùm ab ipsis circulis absint, quanta est cuiusque styli longitudo.

Alio modo diuidi solent horologia ex eo tempore, quo horas monstrare solent. Quædam enim appellantur diurna, quod solum in die, splendente Sole, horas indicent: Quædam nocturna, quæ vel splendente Luna, vel alijs astris, horas

horas noctis ostendunt: Quædam denique diurna simul ac nocturna; quia tam interdiu, quàm noctu ex ipsis horas deprehendimus; qualia sunt Astrolabia, seu Planisphæria, annuli Astronomici &c. Pari ratione alia horas indicant, per dimidij anni spatium, cuiusmodi est horologium Aequinoctiale superius, horas eo anni tempore dumtaxat indicans, quo Sol à principio Arietis ad principium Libræ mouetur: Alia per reliquam partem anni, quale est Aequinoctiale inferius, quod horas monstrat, dum Sol à principio Libræ, ad principium Arietis mouetur. Rursus quædam indicant horas mane tantùm, & Vesperi, quale est horologium Verticale ad Septemtrionē spectans, & Polare inferius, & nonnulla alia declinantia, & inclinata inferiora: quædam reliquas horas diei, quale est Verticale ad Meridiem vergens, & polare superius, nec non aliqua declinantia, & inclinata superiora. Sic etiam horologiorū alia horas antemeridianas solum indicant, cuiusmodi est Meridianum Orientale; alia pomeridianas, quale est Meridianum Occidentale. Et sic de alijs multis, quæ hac ratione excogitari poterunt.

Tandem ex quadruplici horarum varietate, quatuor sunt horologiorum genera, *Antiquum* quod horas inęquales, quibus antiqui vtebantur, continet. *Babylonicum*, quod indicat horas ab ortu Solis, quæ apud Babylonios in vsu fuerunt. *Italicum*, quod horas complectitur à Solis occasu, quibus Itali vtuntur. *Astronomicum*, quod horas complectitur siue notat à meridie in mediam noctem, & à media nocte in meridiem, quæ non solum Europæ ferè vniuersæ, sed omnibus Astronomis etiam communes sunt. Vt enim iam notatum est supra horarū duo prima sunt genera inter se distincta. Vnæ quidem inęquales dicuntur, æquales alteræ. Hora inęqualis est pars duodecima tam diei, quam noctis artificialis. Diuidebatur enim olim queuis artificialis dies, & quælibet nox in 12. particulas æquales inter se, quæ horæ inęquales & antiquæ communiter appellantur: Antiquæ quidem, quoniam apud omnes antiquos earum vsus extitit; Iudęos, vt ex sacris litteris constat, nec non Romanos. His enim noctem in quatuor vigilias distribuebant, singulis vigilijs ternas tribuendo horas. Immo & Ecclesia Romana laudes Deo Opt. Max. quæ ab horarum nomine quidem horæ canonicæ, numero autem Prima, Tertia, Sexta, & Nona vocatæ sunt, secundum hoc genus horarum instituit decantandas. Inæquales autem dicuntur, non quod horæ vnius diei, vel noctis inter se sint inęquales; hoc enim falsum est, cum quamlibet diem, ac noctem in 12. partes æquales distribui statim dixerimus; sed quia cum dies artificiales, & noctes sint inęquales, horæ diei vel noctis longioris, maiores sunt horis diei, vel noctis breuioris: nunquāque sunt æquales nisi tempore Aequinoctiorum loquendo de sphęra obliqua; in sphęra enim recta nulla datur horarū inęqualitas. Hora verò ęqualis est vigesima quarta pars diei naturalis, qui ex die nocteque conficitur. Quia verò circulus æquinoctialis continens gradus 360. semel in die circumagitur, supraq; horizontem vbiuis gentium totus ascendit, necesse est singulis horis ascendere gradus 15. hac de causa hæ horæ dictæ sunt ęquinoctiales, quod scilicet à circumuolutione Aequinoctialis circuli efficiantur. Dictæ quoque sunt ęquales; quia semper ęquali temporis spatio emergunt gradus 15. ęquatoris, qui cuique horæ tribuuntur supra horizontem: si quidem in omni regione vniformiter eleuatur, ac deprimitur. Quia tamen vt diximus supra non idem initiū diei naturalis apud omnes erat, nec est constitutum; ideo etiam hasce horas ęquales, non apud omnes eodem modo numerari videmus, quidam enim ab ortu Solis, quidam ab occasu, quidam à meridie seu media nocte illas dinumerant. Omnium autem supradictorum horologiorum conficiendorum tam sunt propriæ vnicuique, quam communes omnibus

regulæ, de quibus consulendi sunt authores inferius citandi. Iam ad Astrologiam veniamus.

De Astrologia.

QVarta tandem & vltima Vranoscopiæ pars est Astrologia à cæteris, vt notauimus supra, distincta, quia potissimum de cæli, cęlestiumque motuum effectibus & influentijs agit; primum in generali considerando eiusmodi influentiarum naturam, deinde media, motum videlicet, & lumen; tum varietatem: vbi stellarum proprietates tam absolutæ, quam in configuratione habentur: Proprietates absolutæ dicuntur, quà stellæ aliæ fixæ, aliæ erraticæ; rursus erraticæ 1. in genere distinguntur ratione situs, pro vt aliæ sunt terris propiores, aliæ remotiores; ratione cursus, pro vt aliæ sunt directæ, aliæ stationarię, aliæ retrogradæ; & tandem ratione sexus, pro vt aliæ sunt Masculinę, alię fęmininę, alię Androgynę: 2. in specie distinguntur ratione caliditatis, & frigiditatis, bonitatis & malitię. Stellarum proprietates in configuratione, attendūtur 1. penes Zodiaci signa, quę diuiduntur in quatuor trigonos, igneum, terreū, aëreum, & aqueum; 2. penes domicilia, quorū traditur denominatio, distinctio, & repręsentatio: vbi in erectione thematis occurrit figurę descriptio, quę vel circularis, vel quadrata est; & notarum inscriptio, quę vel loci fortunę, vel stellarum fixarum, initia domorum ascendentium, & descendentium; Erraticarū, & capitis, ac caudę Draconis. Altera pars Astrologię specialis dicitur, vel Catholica, vel propria; rursus catholica, vel Idiomatica est, qua mores Gentium, vel sympromatica, quà accidentia regionum contemplatur, tàm prędicendo euentus anni, mensium &c. quam ordinando dies electionum: Propria est illa, quę de hominum accidentibus agit, diciturque Genethliaca, qua prognostica fiunt, vel ad thema erectum, quod est vel indeterminatum, vel determinatum per reuolutiones, profectiones annuas, transitus Planetarum, directiones Astronomicas; vel ad thema correctum per trutinam Hermetis, per Auimodar, per accidentia nati. Quę omnia sufficit breuiter attigisse; prolixior enim illorum tractatio est extra presens nostrum institutum.

Iam videndum est, quantùm Vranoscopia, singulæque eius partes conferant ad sacræ doctrinæ studium. Primū enim ad Astronomicam considerationē pertinet illud Genes. 1. v. 19. *Fecitq; Deus duo luminaria magna: luminare maius, vt praeesset diei: & luminare minus, vt praeesset nocti: & stellas. Et posuit eas in firmamento cæli, vt lucerent super terram, & praeessent diei, ac nocti, & diuiderent lucem ac tenebras.* Ibi enim plura habemus luminarium officia, de quibus expresse Astronomi. Insuper omnia illa loca, quibus apertè significatur, stellas cæli ab homine numerari non posse: Genes. 15. Deuteron. 10. Hierem. 33. *Sicuti enumerari non possunt stellæ cæli, & metiri arena maris: sic multiplicabo semen Dauid serui mei.* De stellis enim inerrantibus ingens disputatio est inter Astronomos, vtrum earum multitudo tanta sit, vt ea mortalibus omnino sit innumerabilis; an contra, certo aliquo numero, nec sanè admodū magno definita, haud ingenti studio & labore possit nobis esse comperta, & explorata. Aristotele enim lib. 2. de Cælo textu 61. Seneca lib. 6. natural. quęst. cap. 16. alijsque pluribus affirmantibus Syderum inerrantium numerum à mortalibus iniri non posse; Astronomię doctiores inde vsque à Ptolomęo & Hyparcho deprehenderūt omnes stellas inerrantes visu notabiles esse dumtaxat duas & viginti supra mille; quarum 15. sunt primæ magnitudinis; 45. secundæ; 208. tertiæ; 474. quartæ; 217. quintæ; 49. sextæ. Harum omnium summa, adiunctis præterea quinque, quas vocant nebulosas, & nouem, quæ appellantur obscuræ, supradictum mille viginti duarum stellarum numerum cōtinet. Earum porro quęlibet maior est quàm

quàm terra: nam quæ sunt 6. magnitudinis, videlicet omnium minimæ, octies & decies ampliorem habent magnitudinem, quàm est orbis terræ, & aquæ magnitudo. Quæ etiam sententia supradictis sacræ Scripturæ locis non est contraria: Quippe diuina Scriptura non loquitur de stellis visu insignibus, & notabilibus, quarum dumtaxat numerum tradunt Astronomi; sed vniuersè de omnibus stellis quæ in cælo sunt, siue aspectabiles sint hominibus, siue inaspectabiles; quæ adhuc sunt finitæ, & in aliquo determinato numero; quia tamen difficile dinumerari possunt, ob eam caussam Scriptura Veteris testamenti de illis tanquam innumerabilibus multifariã loquitur; vel etiam secundum communem sententiam vulgi existimantis, infinitam esse multitudinem stellarũ, dum eas nocte serena confusè intuetur ac sine ordine, vt explicat Clauius cõment. in cap. 1. sphęræ. Tertio ad illud Genes. 1. vbi dicitur Deus posuisse stellas *in firmamento cæli vt lucerent super terram*; quęrunt Astronomi, vtrum stellæ moueantur per se immotis orbibus, sicut aues per aerem, an tantum moueantur motu suorum orbium; de quo vide Pererium lib. 2. in Genes. quęst. 9. vbi pro vtraque parte adducit SS. Patres. Quarto quod de Solis motu & terræ statione docent Astronomi, valet ad plura Scripturæ loca, confirmaturque viciſſim ex illis, in quibus adstruitur quies & statio terræ; nec non Solis motus; de quibus videndus est Melchioris Inchofer Soc. Iesu tractus Syllepticus, in quo, quid de terræ, Solisque motu, vel statione secundum S. Scripturam, & Sanctos Patres sentiendum, quave certitudine alterutra sententia tenenda sit, breuiter ostenditur, & nouiſſimè Pater Caramuel in Theologia fundamentali Romæ impressa, pagina 98. & sequentibus. Quinto ad illud quod de Salomone dicitur sciuisse *stellarum dispositiones* Sap. 7. v. 19. Iob cap. 9. *Qui facit Arcturum & Oriona, & Hyadas & interiora austri*. & postea cap. 38. *Nunquid coniungere valebis micantes stellas Pleyadas, aut gyrum Arcturi poteris dissipare? Nunquid producis Luciferum in tempore suo, & Vesperũ super filios terræ cõsurgere facis?* Ad hoc, inquam, totum intelligendum conducit doctrina Astronomorum, qui supradictas mille viginti duas stellas, ad quadraginta octo imagines, seu effigies, seu cõstellationes aut asterismos, ordine ac dispositione stellarum similitudinem alicuius animalis, vel alterius rei reddentes, ingeniosè redegerunt. Constellatio enim, Asterismus, siue imago, nihil aliud est, quam multitudo quędam stellarum formam alicuius animalis, aut alterius cuiusuis rei effigiem suo situ, ac ordine referentium; quarum omnium constellationum tabulas, vna cum numero, ordine, longitudinibus, latitudinibus, atque Magnitudinibus stellarũ, vide apud Clauium loco superius citato. Nunc de Chronoscopia.

Primum enim si Geographia, siue terræ descriptio est prima porta ad studium historicum, altera Chronologia, tertia Prosopographia, siue Genealogiarum explanatio: nam vti Deus primum creauit terram; secundò tempus, tertiò hominem Genes. 1. ita studium historicum agressurus, tria hęc præmittere debet, nimirum loci cognitionem, vbi quid factum sit, quod docet Geographia; deindè temporis annotationem, quandò quid factum sit, quod docet Chronologia; tandem personarum cognitionem, à quibus quid illustre gestum sit, quò faciunt Genealogiæ ductus. Re, inquam, ita se habẽte, satis patet quantùm Chronologia, vel doctrina temporum sit necessaria ad plenam sacrarum litterarum intelligentiam. Enimuerò quid aliud est Pentateuchus, libri Iosue, Iudicum, Samuelis, siue Regum, Paralipomenon, Esdræ, Nehemiæ, Machabęorum, quàm Sacrum quoddam, vel Mundi, vel populi à Deo electi Chronicon? Prophetas sine temporum notitia frustra tentaueris. Idem de Euangelijs, Actibus Apostolorum, Apocalypsi iure dixeris. Neque reconditam in Epistolis S. Pauli doctri-

nam perfectè aſſequetur, qui Chronologiæ prorſus ignarus fuerit. Denique pars admodum exigua ſacrorum Bibliorum reperitur, quæ ſine Chronographiæ lumine clarè intelligi, & pro dignitate explicari poſſit, vt ſacri interpretes ſæpe ſæpius profitentur. Vndè rectè olim S. Cyrillus lib. 8. theſauri cap. 2. monuit, *vt qui Scripturas exactè velit intelligere, diligenter tempora quærat. Temporibus cognitis, multi errores euitantur, ſæpè aperte cognoſcuntur, quæ obſcuriſſimè à Prophetis ſignificantur*, vt idem S. Pater alibi ſcriptum reliquit. Sic S. Hieronymus in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis aſſerit Chronologiæ adminiculo, *omnem diſſonantiam Euangelij S. Ioannis, quæ videtur eſſe cum cæteris, tolli*. Sic ex ijs, quæ in hanc ſententiam docuit aliquando S. Auguſtinus, ortum eſt illud tritum iam multorum ſermone prouerbium: *diſtribue tempora, & concordabit Scriptura*. Hinc etiam illud Baſilij in cap. 1. Iſaiæ. *Temporum obſeruatio, non mediocre affert lectori operæpretium*. Ita ferè ad verbum Henricus Philippi Soc. Ieſ. in præfatione ad lectorem, *Generalis* ſynopſis Sacrorum temporum. De quo etiam vide Salmeronem tom. 1. Proleg. 9. & 10; & Riberam in Prophet. min. præludio VI.

Quid de Gnomonica, ſiue artificij conficiendorum horologiorum ſolarium Scientia? Nonne huiuſmodi Horologij mentio eſt in ſacris litteris 4. Reg. c. 20. diciturque horologium illud feciſſe Achas, id eſt regnante Achas in pariete deſcriptum. Porro de hoc horologio Achas quæri poteſt, quomodo eſſent diſpoſitæ lineæ horarum indices, an ſcilicet vnaquæque linea horam vnam integram deſignarit, an verò tantùm dimidiam. Sunt qui putent horam integram & abſolutam quamlibet lineam ſignificaſſe, ita enim fere fit ſolaribus horologijs, & indicat diſtichon illud græcū de horologio ſolari, quod meridie, vel ſtatim à meridie prandendum docet cū ait

ἓξ ὧραι μόχθοις ἱκανώταται, αἱ δὲ μετ' αὐτὰς;
γράμμασι δεικνύμεναι ΖΗΘΙ λέγουσι βροτοῖς.

Sex horæ tantum rebus tribuantur agendis
Viuere poſt illas littera Zetha docet.

Quaſi diceretur ad ſextam vſque diei horam (quæ nobis eſt meridiana) rem ſuam, & opus curare oportere: poſtea penſo abſoluto, ad cibum capiendum accedere. Cum enim vterentur Græci, vt etiam Hebræi elementis alphabeticis pro notis arithmeticis, Ζ, horam ſeptimam in horologio Solari denotabat, Η, octauam. Θ, nonam. Ι. decimam. Vnde apparet vnamquamque lineā, & notam illi additam, horam integram deſignaſſe. Verum quod ad horologium illud Achas pertinet, quicquid ſit de alijs, veriſimilius eſt habuiſſe dumtaxat lineas per ſemihoras diſtinctas, ratio eſt quia loco citato lib. 4. Regum, data eſt optio Ezechiæ, vt quod mallet eligeret, ſiue vt horologij vmbra per decē lineas progrederetur, ſiue vt per totidem regrederetur. Hoc autem ne in longiſſima quidem die æſtiua effici potuiſſet, nam antequam vmbra tot lineas decurreret, Sole occumbente defeciſſet: aut certè nulla fuiſſet nondum eodem exorto. Integrum enim eſſe debuit Ezechiæ, quā mallet partem eligere quo ad progreſſum aut regreſſum, & res ita diſpoſitæ eſſe debuerunt, vt quidquid elegiſſet effici poſſet; atque ideo diem viginti horarum oportuiſſet dari, qualis nulla eſt, nequidem in æſtate, in illa prouincia.

Tandem ad iudiciariam ſiue prognoſticam Aſtrologiæ partem circa naturalia ſpectat illud Salomonis Sap. 8. *Scit præterita & de futuris æſtimat; ſigna & monſtra ſcit, antequam fiant, & euentus temporum & ſæculorum*. Vbi ſigna & monſtra, ad eclypſes, & alios mirabiles cælorum effectus referri cum Cantacuzeno oportet, vt pluuiarū, fructuū, ſterilitatis aut vbertatis. Inſuper illud Iobi 37. *ab interioribus egreditur tempeſtas, & ab arcturo frigus*. Docente Aſtrologia exortus & occaſus ſyderum, quorum magna vis eſt ad ciendos ventos, tem-

tempestates concitandas, serenitatem aeri reddendam. Ad iudiciariam verò circa hominum naturales inclinationes, & alios euentus minimè dependentes ex libero arbitrio illud videtur spectare, quod cap.7. inter alios sapientiæ effectus iactat sibi concessum, vt cogitationes hominum sciret; quod ex communi interpretatione pertinet ad coniecturalem quamdam cognitionem cogitationum, id est, propensionum, & motuum humani animi, quod per Astronomiam iudiciariam obtineri vtcumque potest; & indicauit Cantacuzeni elucidatio paraphrastica eius loci: *Cogitationes*, inquit, *hominum an peruersæ sint, an rectæ, an profundum semper aliquid moliantur, an celent quamuis plerumque vrbanæ ac faciles videantur; an ad iram, & excandescentiam pronæ atque impotentes, an contra sedatæ sibique facilè temperent*; quibus omnibus cæterisque similibus dignoscendis suæ sunt regulæ ex Astrologia desumendę.

CAPVT XX.

Quantum referat ad Sacræ Doctrinæ studium Cosmographia singulæque eius partes.

SEcunda post Vranoscopiam scientia Geometrię subalternata est Cosmographia, sic dicta, quod eius principia, vel quantitatem Geometriæ obiectum, ad mundum eiusque partes applicet; vbi per mundũ intelligimus, mundum hunc inferiorem, qui globo terrestri nobis repræsentatur; non autem totum mundum ex quatuor elementis, tanquam parte corruptibili, & vndecim cælis, tanquam parte incorruptibili coalescentem. Cosmographia sic sumpta, tres potissimum sub se continet partes Geographiam, Idrographiam, & Anemographiam; quid sit quælibet illarum patet ex nominibus; Geographia enim est terræ præcipuarumque eius partiũ, quatenus ex illis totus terrarum orbis constituitur, accurata descriptio; Idrographia verò aquarum; & Anemographia ventorum; de singulis breuiter agamus.

De Geographia.

PArs ergò Cosmographiæ, Geographica dicta, quia terræ dimensionem, & inde ortam distinctionem contemplatur, primùm versatur circa exteriorem globi terrestris explicationem; deinde circa interiorem in illo prouinciarum cognitionem. Exterior globi terrestris consideratio, vel explicatio, sic dicta, quia tractat solum de globo terrestri, & omnibus eius partibus externis, diuidit eum vel in verum & realem, seu Archetypum, vel in pictum & repræsentatitium, seu Ectypum. Realis bifariam spectatur absolutè, & comparatè. Absolutè & in se, tum respectu quantitatis, tum etiam respectu figuræ. Quantitas globi perspicitur è mensurarum instrumentis, & mensurationibus ipsis. Instrumenta sunt vel minora, vel maiora. Minora sunt granum, digitus, palmus, pes. Granum hordei transuersò positum, est primum mẽsurandi principium. Digitus est mensura continens quatuor grana hordei. Palmus est mensura quatuor digitorum. Pes est mensura quatuor palmorum. Maius instrumentum, siue maior mensura est passus, stadium, milliare. Passus est vel simplex, vel Geometricus; simplex continet pedes duos cum dimidio, Geometricus verò pedes quinque. Stadium est mensura habens passus simplices centum viginti quinque. Milliare tripliciter sumitur; primo pro mensura habens mille passus, & continens octo stadia, & hoc dicitur Milliare Italicum. Secundò pro Leuca, quæ vel vetus, vel noua. Vetus habet 12. stadia; noua 16. stadia, & facit vnum milliare Gallicum, seu duo Italica. Tertiò pro milliari Germànico quod vel commune, vel grande. Commune habet 4000. passus siue stadia 32. & 4. Italica milliaria (quam & Leucam Hispanicam dicunt) Grande quod & Hel-

Helueticum & Vngaricum dicunt, est 5. mille passuum. Mensuratio globi terrestris habet peripheriam, diametrum, & superficiem conuexam. Peripheria ambitum siue circumferentiā globi terrestris maximam docet, quæ est 5400. milliarium Germanicorum. Diameter indicat profunditatem globi ab vno superficiei extremo ad alterū, quę est 1718 Vulgo etiam axis vocatur, quia circa eum globus voluitur. Extrema eius sunt poli, medium dicitur centrum, & linea à centro ad superficiem semidiameter dicitur, & est milliarium 860. Superficies conuexa repræsentat globi terreni longitudinem, & latitudinem simul, eiusque vulgaris computatio est milliarium Germanicorum 9278180. figura globi terreni rotunda est siue sphęrica, quo ad partes vniuersas, quæ vnum in corpus rotundum coëunt, non quo ad partes singulas, quæ sunt montosæ, & vallosæ.

Talis est globi terrestris absoluta consideratio, sequitur comparata, quando nimirum globus terrestris cum cælesti, cui directè subijcitur, comparatur. Hoc enim respectu globus terrestris diuersimodè distinguitur; & primò quidē in plagas, siue Cardines mundi quatuor, qui sunt Ortus, Occasus, Meridies, Septentrio, quem perpetuo monstrat lingula in compasso, magnete confricata, & ei opposita plaga directo, est meridies; à dextris respicientis Septemtrionem ortus, à sinistris verò occasus. Secundò distinguitur superficies globi terrestris in circulos maiores, & minores. Maiores sunt, qui globum in duas partes æquales diuidunt, & hi sunt Aequator, Zodiacus, Horison, Meridianus. Aequator, qui & Aequinoctialis circulus dicitur, & Aequidialis (quando enim Sol illum attingit, tunc æquale efficit spatium diei, & noctis per vniuersum terrarum orbem) diuidit globū in duas partes æquales Septentrionalem & Meridionalem, & ab vtroque polo æquali spatio distat, & medius inter mundi polos intercurrit. Ex hoc circulo æstimantur, & denominantur ęquinoctia: Sol enim bis tantùm in toto anno hunc circulum attingit, seu directè sub hoc circulo voluitur, nempè in principio Arietis, & in principio Libræ. Populi qui sub illo habitant dicuntur habitare in medio mundi, habereque sphæram rectam, quia nusquam declinant, vel versus Septentrionem, vel versus meridiē; cæteris autem extra illum habitantibus dicitur esse obliqua sphęra. Zodiacus ex obliquo Aequatorem intersecat, & ex vna parte Tropicum Cancri, ex altera Tropicum Capricotni apprehendit, sub hoc Sol perpetuò progreditur: duodecimque signa percurrit. Horison duplex est rationalis, & sensibilis. Rationalis est, qui ratione & intelligentia percipitur. Hic in duas æquales partes diuidit vniuersam mundi sphæram, ita vt alterum Hemisphęrium super terram exter, alterum sub terra condatur. Sensibilis est, quem sensu visus percipimus. Hic oculo nostro terminatus, quo ad vsque in campo patenti oculorum acies, vndique pertingere potest, extenditur, diuidens partem orbis, quæ à nobis videtur, ab ea, quæ non apparet. Huius Horizontis sensibilis diameter est quatuor fere milliarium Germanicorum. Tam procul enim oculorum bene affectorum acies in planitie patenti, vbi colles, & montes non obstant, pertingere potest. Meridianus est circulus à meridie in Septentrionem per puncta polaria, siue per Meridiem & Septemptrionem ductus, & Horizontis polos transiens æquatorem ex transuerso intersecat: sic dictus, quia Sol quando ad partem circuli istius superiorem pertingit, medium diei efficit: quando verò Sol ad partem eiusdem circuli inferiorem delatus est, tunc constituit mediam noctem. Meridianus quoque circulus insignem vsum habet in Cosmographia; officio enim illius metiuntur Cosmographi, & longitudines & latitudines ciuitatum. Insuper ex eo quod sub quolibet Meridiano, imo ad quemlibet punctum ipsius quatuor habitationes habentes quamdam

inter

inter se rationem seu proportionem possimus concipere, omnis terra quatuor in partes ratione incolarum inter se comparatorum diuidi potest: Quarum primam nos V. g. incolimus, & etiam pro illa potest accipi quilibet locus, seu punctus in toto terrarum orbe; alteram habitant illi, qui perioeci, id est, circumincolæ appellantur, quia eodem sub meridiano, eodemque parallelo circulo manent; cumque illis communia ferè omnia habemus, cum hoc solùm discrimine, quòd cum Sol nobis diem efficit, apud illos nox est. Tertiam partem antoeci id est anticolæ possident, qui in eodem circulo meridiano, nostro lateri adstant, latitudinem Austrinam latitudini nostræ æqualem, similiter & longitudinem habentes, qui etiam paria nobiscum tempora agunt, sed non pariter. Quartam denique & vltimam partem homines, quos Antichthones, siue Antipodes vocamus, tenent, sic dicti quia nobis è diametro vestigia obuertunt; & cum illis nihil commune habemus, sed contraria omnia; quia cum nobis Sol æstatem efficit, illos dura hyemps opprimit, & similiter de diebus, & noctibus.

Circuli minores sequuntur, qui globum in duas partes inæquales diuidunt, & vocantur Tropici, & Polares. Tropici dicuntur à Solis conuersione, quia Sol ad hos circulos perueniens longissimè discessit à cæli medio seu Aequatore, & statim eo ipso momento velut cursum suum sistens versus cæli mediũ scilicet Aequatorem regreditur. Appellatur & Circulus Solstitiorum, quia Sol hos circulos attingens, propter insensibilem suum regressum, aliquot diebus quasi stationem facere videtur, vt dies non ita sensibiliter crescant, vel decrescant, licet re vera Sol vnica die tantùm & nocte in ipsis circulis hæreat. Tropici sunt vel Cancri, vel Capricorni: Tropicus Cancri, qui & æstiuus vocatur, quem Sol in altissima æstate designat, id est, eo die quo mouetur per primum gradum Cancri: & tunc Sol vertici nostro est proximus, & facit diem longissimum, & noctem breuissimam. Dicitur & Septemtrionalis, transitque per Asiam Magnam, per mare rubrum, sinum Arabicum, Sinarum regionem, & Indiam vtramque Orientalem & Occidentalem. Tropicus Capricorni, qui & hyemalis dicitur, quem Sol designat eo die, quo versatur in primo gradu Capricorni, & tunc Sol à vertice nostro est remotissimus, & facit diem breuissimum, & noctem longissimam. Vocatur & Meridionalis, & transit per extremã Africæ oram Meridionalem, & per partem Americæ, quæ Brasilia dicitur. Polares circuli sunt duo extimi, & polis vicini circuli, dicunturque Arcticus siue Vrsalis & Antarcticus. Arcticus, qui polo Zodiaci Arctico, siue Septentrionali subijcitur, & vergit ad polum mundi Septemtrionalem, vbi Vrsa maior & minor sunt. Antarcticus qui polo Meridionali subijcitur, & vergit ad polum mundi Meridionalem.

Per quatuor hosce circulos minores, globus terrestris primum ab aëris temperie vel intemperie in Zonas describitur. Deindè respectu diuersæ cæli vmbræ in populos Amphiscios, Heteroscios, & Periscios. Zonæ sunt orbicularia, & lata spatia, quibus tota globi terrestris superficies secundum latitudinem continetur. Quinque vulgò à Geographis numerantur, vna torrida, duæ frigidæ, & duæ temperatæ. Torrida Zona, quæ & media dicitur, est spatium in globo terrestri duobus circulis tropicis inclusum intercurrente media linea siue Aequinoctiali. Medium huius Zonæ duplex est, nempè Aequinoctialis, & deinde Zodiacus, siue Ecliptica, quæ est perpetua Solis via, & limes. Torrida verò dicitur propter perpetuum Solis ibi ardorem. Populi hanc Zonam inhabitantes sunt Amphiscij, qui duas habent vmbrarum Meridianarum differẽtias, Septemtrionalem & Meridionalẽ, ita vt ijs Sol, quando est in signis Septentrionalibus, iaciat vmbram versus Meridiem, & vicissim quando est in signis

gnis Meridionalibus versus Septemtrionem. Insuper dies noctibus perpetuò æquales habēt, ita vt quilibet dies duodecim horis, & quælibet nox totidem constet; & Solem in anno bis verticalē, & tunc omni vmbra destituuntur, hoc fit in punctis Aequinoctialibus, quando Sol est in principio Arietis, vel Libræ, & tum ibidem calor est intensissimus. Habent etiam quatuor Solstitia: duo alta in punctis æquinoctialibus, quando Solem habent perpendicularem; & duo ima in punctis solstitialibus, quando aerem mitiorem habent, Solemque à verticali puncto remotissimum. Illis etiam omnes stellæ, & circuli cælestes pariter oriuntur & occidunt: hoc est, quæ vna & simul apud illos oriuntur, illa vna etiam occidunt & vice versa.

Zona frigida est vel Septemtrionalis, quæ includitur circulo Arctico, & polo Septemptrionali; vel Meridionalis siue Australis, quæ includitur circulo Antarctico, & polo Meridionali. Vtriusque huius Zonæ habitatores dicuntur Periscij, id est, vmbræ eorum in morem molarum circumgyrantur, & interdum Orientem, interdum Meridiem, interdum Septemptrionem versus sparguntur. Cuius ratio est, quod cum Sol in signis Septemtrionalibus numquam illis occidat, ideo vmbra versus Septemtrionem & Meridiem spargitur. Sciendum enim est, quod qui sub polo directè habitant, illorum Horison est æquator, diesque longissimus, sicut & nox lōgissima sex continuè mensium: quia Zodiacus in duas medietates ab Aequatore, qui tum est Horison, secatur, & verò vna illa medietas semper est supra Horizontem, altera verò infra, & perpetuò occultatur: hinc fit vt quamdiu in vna apparente medietate Sol versatur, tamdiu fit illis dies: quamdiu verò in altera subsistit, nox fit. Quare qui sub polo Arctico manent, Sole signa Septemtrionalia percurrente, continuum per semestre diem habent; contra illorum Antipodes, qui sub polo Antarctico morantur, noctem habent continuam, & vice versa. Zona temperata etiam, vel est Septentrionalis, quæ includitur tropico Cancri, & circulo Arctico; vel Meridionalis, quæ includitur tropico Capricorni, & circulo polari Antarctico. Habitatores harum Zonarum sunt Heteroscij hoc est, vmbrę illorum in alteram tantū partem vertuntur: eorum nimirum qui Septemtrionalem inhabitant versus Septentrionem: qui verò Australem incolunt, versus Austrum. Harum Zonarum populi Solem nunquam habent verticalem; duo tantum illis sunt solstitia; vna Aestas, & vna Hyemps. Contra fit in Zona torrida, vbi vt sunt quatuor Solstitia, ita etiam duæ æstates, & duę hyemes; illæ, cum altis solstitijs, hæ cum imis incipientes.

Quartò globi terrestris superficies diuiditur in parallelos, & climata. Paralleli sunt terræ spatia, quibus dies longissimi quadrante horæ ab inuicem differunt & augentur; Climata verò horæ semisse siue media hora. Vnde tres paralleli requiruntur ad cuiusque climatis constitutionē, duo nempè extremi, quibus clima comprehenditur, & vtrimque terminatur, & vnus intermedius. Vbi notandum, quod iste parallelus, qui est finis vnius climatis, is idem est initium sequentis climatis. V.g. primum clima numeratur sic, Aequator; secundus parallelus, & tertius; alterum clima numeratur sic, tertius parallelus, quartus & quintus, & sic deinceps. Obseruetur etiam triplices solere parallelos annotari in Geographicis tabulis; primi regionum latitudinem distingunt sumpto initio ab æquatore & in globo vel mappa interdum 10. interdum 15. gradibus distinguntur. Secundi Zonarum interualla distingunt; tertij dierum artificialium differentias indicant, & hi tertij generis paralleli solent mapparum marginibus appingi per notas numerorum. Septem clymata numerabant antiqui; verum cū in præsenti sumatur clima à recentioribus pro terræ habitatæ spatio, modo statim dicto duobus parallelis comprehenso, in quo longissimus dies media hora

hora crescit, ideo ab æquinoctiali linea ad eum vsque locum, vbi dies longissimus est 24. horarum (quod quidem accidit sub ipso Circulo polari, vel non procul ab eo Aequinoctialem versus) 24. quoque climata constituuntur, quæ duplicata ab æquatore faciunt 48. climata ad vtrumque polum. Climata ergò sunt vel Septemtrionalia, vel Meridionalia. Septemtrionalia sunt 24. & oriuntur versus Septemtrionem, denominationemque à certis locis pleraque obtinent. Meridionalia sunt itidem 24. versus Meridiem, & priorum quasi anticlimata. Facilis autem inueniendi modus, sub quo climate situs sit quilibet locus, seu vrbs, est si duplicetur numerus horarum, qui est super horas 12. V. g. si scire vis vrbis Romæ clima, sume 3. horas, quibus diem Aequinoctialem dies longissimus Romæ superat, & tres has horas duplica, prouenient 6. vnde sub sexto climate Roma est sita. Ratio cur duplicandus numerus horarum ex eo patet, quia distantia semihoræ facit clima.

Quintò tandem & vltimò globi terrestris superficies diuiditur in segmenta minora, quæ gradus vocant; Gradus alij sunt longitudinis, alij latitudinis. Gradus lõgitudinis describuntur à Cosmographis per circulos Meridianos, initio facto ab Azoribus, seu fortunatis insulis: Eorum 36. in globo numerantur, singuli 10. gradus continentes, qui numerus decennalis multiplicatus per 36. conficit gradus 360. Gradus latitudinis distinguntur per parallelos, quos ab Aequatore ad alterutrum polum nouem numerant, singulique decem gradus continent: Vnde numero hoc nouenario quadruplicato, eueniunt in vniuersum 36. paralleli. Cum superficies globi terrestris contineat 360. gradus, notandum quod hoc spatium 360. graduum iterum distinguatur in quatuor quadrantes circuli, ita vt cuilibet quadranti adscribantur gradus 90. Quadrãs enim est quarta pars circuli. Porrò gradus omnis subdiuiditur in 60. minuta prima, quæ minuta vocantur scrupuli, qui sunt 60. mille passus Romani, seu milliaria Italica, quorum 4. respondent vni milliari Germanico. Hinc singuli gradus 15. milliaria Germanica continent. Multiplica nunc 360. gradus, per 15. Milliaria Germanica, emerget numerus 5400. qui vt diximus supra, est ambitus totius orbis terrarũ, cuius diameter in sua crassitie habet 1718. milliaria Germanica. Minutum seu scrupulus est sexagesima pars gradus, cui in terra respondet quarta pars milliaris Germanici. Tantùm de globo terreno vero, & reali siue Architypo; nunc breuiter de picto, vel repræsentatitio, siue Ectypo.

Globus terrestris repræsentatitius siue ectypus, vel est in sphæra, seu in rotundo, vel in tabula, mappa seu plano; siue quod idem est, vel in globo, vel in Planisphærio. Globus terrestris pictus in rotundo est talis sphæra, in qua per certas circulorum mensurationes, repræsentatæ sunt mundi regiones & vrbes. Huius globi picti primum videbimus fabricam, deinde vsum; fabricæ igitur duæ sunt partes, exteriores & interiores. Exteriores sunt quę extra globum quidem sunt, sed ad perfectam eius constitutionem referuntur, vt statumen, vbi compassus, & Horison, deinde Meridianus, circulus horarius, & axis. Interiores sunt tum lineæ, tum loca globo inscripta. Quæ lineæ rursus vel sunt Geographicæ, vt circuli maiores, & minores; vel Hydrographicæ, seu Nauticę voce Lusitanica rhombi dictæ, quæ vario flexu per omnes globi partes ductæ mõstrant nautis viam, & nauigandi modum. Globi fabricam, vel descriptionem excipit vsus, qui vel est generalis, terræ scilicet repræsentatio; vel specialis vt rectificatio, & tractatio, explorans loci situm, & proprietates; qui situs considerari potest, vel absolutè, vel relatè; absolutè communis, quà plagas, zonas, climata; absolutè proprius, quà longitudinem & latitudinẽ loci cognoscimus: relatè, qua differentiam longitudinis & latitudinis, & locorum distan-

tiam deprehendimus: proprietates locorum sunt ortus & occasus Solis, & dierum discrimina. Hactenus de globo picto in rotundo seu sphęra, sequitur eiusdem repræsentatio in plano, nihil differens à prima nisi penes figuram; in ea enim depinguntur tam circuli maiores, & minores, quàm omnia quæ illis subsunt loca. Quorum nomina apud Geographos sunt in quadruplici differentia. Prima maris, maritimorumque locorum. Sunt autem hæc, Mare, Oceanus, sinus, fretum, æstus, Euripus, Bosphorus, portus, littus, agger, ora, chersonesus, id est, peninsula, isthmus, insula, promontorium. Altera nomina generalia partium terræ sunt hæc: continens, terra, territorium, regio, regnũ, prouincia, Gentiles, populus, plebs, vrbs, ciuitas, oppidum, emporium, castellum, vicus, pagus, villa, casa, tugurium. Tertia nomina agrorum sunt hæc: mons, vallis, collis, cliuus, rupes, vertex, iugum, cacumen, conuallis, fauces, campus, ager, aruum, pratum, pascua, sylua, lucus, nemus, saltus, virgulta, spinetum, & similia. Quarta nomina generalia fluuiorum, stagnorum, & cæterorum aquosorum locorum sunt hæc: fons, riuus, fluuius siue flumen, torrens, fluentum, gurges, amnis, fluctus, vnda, ripa, ostium, alueus, vadum, lacus, stagnum, palus, lacuna, cisterna, piscina, thermæ, &c. quæ apud Ioannem Coclæum Noricum diffusè ac elegāter describuntur. Tantùm de exteriori Geographiæ explicatione, quæ vt respectu vniuersi orbis describendi Geographia simpliciter appellatur; ita & Chorographia, vel Topographia, dum particulares dumtaxat regiones, aut aliqua particularia loca seorsum, & absolutè considerat; veluti si pictor aliquis aurem tantum, aut oculum designaret, depingeretque.

Altera Geographiæ pars versans circa interiorem prouinciarũ in globo existentium cognitionem, primùm illum diuidit in quatuor partes, tres veteres, quæ sunt Europa, Asia, Africa, & vnam nouam, quæ dicitur America; deinde vnamquamque considerat, vel vt animatam, siue quo ad incolas, quos habet; vel vt inanimatam *primò* respectu poli & Soli; *secundò* respectu finium, seu terminorum; *tertiò* à naturalibus accidentibus, quæ sunt in cæli temperie, & terrę fertilitate; *quartò* in diuisione, quæ est in regiones continentes, peninsulas, & insulas. Incipiendo ergò ab Europa, & considerando illam vt animatam, siue quo ad suos incolas primùm occurrunt linguæ, & mores pro diuersitate regionum varij. Deinde inanimata Europa consideratur primò respectu poli, & Soli. Poli respectu est, quod Europa in 4. & 9. clima incidat inter X. & XX. parallelos, & ita tota Septentrionalis, & Occidentalis sit, cis Cancri tropicum, intraque circulum Arcticum comprehensa; ad solum referuntur terra, & aqua; terræ nomine veniunt montes, & syluę; aquæ verò nomine, mare, flumina, fontes, lacus, & paludes. Secunda Europæ, vt inanimatæ consideratio est respectu terminorum seu finium. Terminus itaque est vel exterior, vel interior. Exterior est circũferentia, seu ambitus: hic respectu Orientis pro fine habet mare Aegeum, Hellespontum, Propontidē, Bosphorum Thracicum, Pontum Euxinum, Bosphorum Cimmerium, lacum Mæotin, & tandem Tanain flumen ad Tuiam vsque oppidum, inde linea ducatur ad ripam Obij fluminis, à quo eatur ad Oceanum vsque. Respectu Meridiei habet mare internum seu Mediterraneum, fretum Herculeum seu Gaditanum. Respectu Occidentis habet mare Atlanticum. Respectu Septentrionis mare Hyperboreum, seu Septentrionale, quod extremis maris glacialis finibus clauditur versus Septentrionem. Interior terminus est in longitudine & latitudine. Longitudo eius incipit ab Hispaniæ promontorio Sacro, quod hodie dicitur Cabo de S. Vincente, & desinit ad Obij fluminis ostium, milliar. Germano circiler 900. Latitudo eius est à Tænaro Peloponnensi Promontorio ad

Scrick-

Scrickfinniæ Promontorium Rutubas, complectitur milliaria 550. Tertia Europæ inanimatæ consideratio est à naturalibus accidentibus, quæ sunt in cæli temperie, & terræ fertilitate. Quarta à diuisione eius, quæ fieri potest in regiones continentes, peninsulas & insulas. Continentes sunt Hispania, Gallia, Germania, Italia, Illyricum, Græcia, Thracia, Dacia, Hungaria, Polonia, Tartaria, Moscouia. Peninsulæ sunt, Noruegia, Suedia, Gothia; Insulæ respectu triplicis maris sunt trium generum. In Oceano, Anglia, Scotia, Hybernia siue Irlandia, Islandia, & Groenlandia &c. In mari Baltico, Dania cum alijs ei adiacentibus. In Mediterraneo, Sicilia, Sardinia, Corsica, Creta siue Candia, Maiorica, & Minorica, Melita secundum opinionem aliquorum, &c.

Sed rursus vnaquæque ex supradictis regionibus potest considerari vt cõtinens, & contentum; vbi per continens intelligitur ipsa regio siue terra; cuius situs, quantitas, qualitas & diuisio exploratur; situs est respectu terræ & aquæ; terra habet montes, promontoria, & syluas. Aqua comprehendit mare, sinus, portus, lacus, fontes, flumina, & pontes. Sequitur quantitas quæ est exterior, & interior. Exterior in ambitu vel circuitu; Interior in longitudine, & latitudine, qualitas sita est in commodis, & in incommodis, quæ sunt à cœli temperie, vel intemperie; & Soli fertilitate, vel sterilitate. diuisio fit secundum diuersitatem regionum, vel in regna, vel in prouincias, vel denique in solas partes. Per contentum autem, seu quod præter terram continetur in vnaquaque regione, intelligitur Gens ipsa illius: Cuius gentis tria sunt potissimum inuestiganda, origo, lingua, & constitutio. Ad originem refero etymon, & colonias. Ad linguam, deriuationem, dialectum, & pronuntiationem. Constitutio autẽ est triplex, corporis, animi, morum. Corpus habet sua naturalia, & accidentalia: naturalia, vel in qualitate, vel in quantitate. Ad qualitatem refertur forma coloris, membrorum dispositio, & sanitas: ad quantitatem statura, quæ depressa vel procera, vel media. Accidentalia corporis sunt habitus exterior, seu vestimẽta. Constitutio animi habet bona naturalia, & artificialia, ijsque contraria. Ad bona naturalia referuntur sagacitas, vel stupiditas, reliquaque quæ naturæ insunt. Artificialia sunt vel interna, vel externa. Ad interna pertinent eruditio in litteris, linguarum cognitio, Academiæ, & professiones. Ad externa verò artes mercaturæ, opificiorum, militiæ, & omnia mechanica. Constitutio morum vel ad Ecclesiam, vel ad politiam restringitur. Mores Ecclesiastici sunt in re religionis; ad hoc caput referendum regimen Ecclesiasticum per Archiepiscopos & Episcopos in illis regionibus vbi sunt; item ordines militares sed Ecclesiastici, & regulares. Mores autem politici, vel priuatim, vel publicè considerari possunt. Priuatim sunt vniuscuiusque, & vel ad seipsum spectant, vel ad alios. Ad mores vniuscuiusque priuatim, referuntur virtutes & vitia gentis. Mores autem, qui ad alios priuatim spectant, referuntur ad coniugium, cuius ceremoniæ; item ad infantum educationem. Mores politici publicè ad alios relati respiciunt formam, & statum regiminis, qui vel respectu principis consistit in iubendo, vel respectu subditorum in obediendo. Ad principis personam refertur omnis eius dignitas, regalia, successio, familia, œconomia, Gynecæum, mensa regia, coniugium & liberi; Iudicia regia, reditus annui, ætarium expensæ, imo tota aula cum omnibus quæ illa in se complectitur. Subditi sunt vel nobiles vel ciues, quò referuntur nobiliũ familiæ, & ordines per gradus: quomodoq; vtrique hoc est tàm nobiles, quam ciues parere teneantur legibus ciuilibus, & criminalibus, earumque pœnis: Huc referuntur excellentiores leges, earumque pœnæ cum circumstãtijs. Tantùm de vnaquaque regione explorari potest ad exactam illius descriptionem Geographicam.

Quòd de Europa, fingulifque eius regionibus in genere diximus; idem prorfus de Afia poteft afferi. Primum enim, fi quà animata, fiue quo ad fuos confideretur habitatores & incolas, pro illorum diuerfitate, diuerfos etiam mores, diuerfafque habet linguas. Si confideretur vero vt inanimata, primò refpectu poli, & Soli. Poli refpectu Afia in primum, & vltimũ clima incidit, quà ab æquatore verfus Septemtrionem longiffimè prorepit, vnde in toto illo 8c. graduum fpatio magna dierum artificialium varietas. Refpectu Soli, cuius nomine intelliguntur potiffimum flumina, & montes; talia etiam, eaque infignia non defunt Afiæ. Flumina Afiatica funt in Tartaria Obius, Parapamifus, nunc Orchardus, Volga, & Iaxartes. In China Cantao; in India Ganges, & Indus; in Perfia Oxus, & Arabs: in Turcia Afiatica Tigris & Euphrates: in Palæftina Iordanus, qui à duobus fontibus Ior & Dan ortus à Septentrione in Meridiem tendit, & duos lacus efficiens, tandem mari mortuo mifcetur. Montes in Colchide fub imperio Turcico funt Corax, & Caucafus; in Scythia Imaus, pars montis Tauri; in Pamphylia, Mons Taurus totius orbis Maximus &c. Secundo refpectu terminorum confiderata, habet Afia pro termino exteriori à Septentrione terram polarem incognitam; ab occafu Europam & Africam; à Meridie Megellanicam; ab ortu denique Americam. Itaque à terra Polari, Oceano Scythico; à Sarmatia Europæa per Mæotidem paludem, Tanaim fluuium, & lineam ab eo in finum Grãduicum ductam, à Græcia per mare Mediterraneum, à Thracia per pontum Euxinum, ab Aegypto in Africa, finu Arabico, marique rubro & linea hinc ad mare Mediterraneum ducta, à Magellanica Indicó Oceano; ab Americo freto, Anian fiue Eoo Oceano dirimitur. Pro termino interiori longitudinis, qua ab Hellefponto ad Malaccam fe extendit, habet 1300. milliaria Germanica; in latitudine vero, quæ è faucibus Arabici finus ad promontorium Tabin excurrit, milliaria Germanica 1200. Tertiò fi cõfideretur Afia à naturalibus accidentibus, quæ funt in cæli temperie & terræ fertilitate, pro diuerfitate regionum in illa contentarum, funt etiam diuerfa. Quarto fequitur diuifio Afiæ, quæ eft in partes continentes & infulas. Continẽtes partes funt Maior & Minor Afia. Diuifio hęc fumitur à monte Taurus, qui ab Oriente in occafum defcendens Afiam in duas partes diuidit. Afia Minor vulgo Anatolia dicta, regiones habet alias maritimas, alias Mediterraneas, alias ad Iftmum, alias ad Euphratem fitas: rurfus maritimarum aliæ ad Pontum Euxinum; aliæ ad Mare Aegeum, aliæ ad marc Mediterraneum. Ponto Euxino adiacent Cappadocia, Paphlagonia, Pontus & Bithynia. Mari Aegeo Phrygia minor, Myfia maior & minor, Aeolia, Ionia, Caria, peninfula Doris, Lycia & Pamphylia. Ad mare Mediterraneum fita eft Cilicia, quæ nunc Caramania. Mediterraneæ regiones minoris Afiæ funt, Galatia, Phrygia maior, Pifidia & Lydia. Afiæ minoris regiones ad Ifthmum, qui eft inter mare Cafpium & Pontum Euxinum, fitæ, funt Armenia Maior, Colchis, Iberia, & Albania. Ad Euphratem regio fita dicitur Armenia minor. Hactenus de diuifione Afiæ Minoris.

Sequitur Afia Maior, quæ eft vel Meridionalis, vel Septentrionalis. Meridionalis continet quatuor primarias Prouincias 1. Chaldæam, cuius nomine comprehendimus Arabiam, Syriã, Chaldæam ftrictè fic dictam fiue Babyloniã, Mefopotamiam, & Affyriam; 2. Perfiã, 3. Indiam, 4. Chinam; quæ iterum fubdiuiduntur in plures alias Prouincias. Afiæ Maioris pars Septentrionalis eft Tartaria, cuius funt quinque Prouinciæ, Tartaria deferta in hordas fuas, id eft, conuentus aut agmina diftincta; Tartaria Zagatai; Turcheftan; Regnum Cataiæ, & Tartaria vetus, vbi Vng & Mongul regiones. Tantùm de continentibus Afiæ partibus; fequuntur eiufdem infulæ;

falæ; quæ distinguntur secundum mare particulare, & Oceanum: Mare particulare, est Mediterraneum, in quo Rhodus & Cyprus. Oceanus est triplex, 1. Indicus, in quo primò sunt Insulæ Maldiuæ, quarum aliquot millia numerari dicũtur; omnes inter eas prima est Ceilon, incolis Tenarisin, in sinu Gangetico sita. Secunda Insula est Sumatra, antiquis Taprobana diuisa in decem regna. Tertia Iaua Maior; quarta Iaua Minor, siue Cambala, à Metropoli denominata. Alter Oceanus est Eous, siue Chinensis, in quo insulæ, 1. Borneo, 2. Celebes, 3. Cenaon, 4. Ceiram, 5. Gilolo, 6. Amboina cum adiacentibus insulis; 7. Banda, cũ insulis 6. circumiacentibus. 8. Insulæ Moluccæ numero 5. 9. Timor. 10. Philippinæ. 11. formosa, Chinæ regno propior. 12. Orientem versus sunt permultæ insulæ, quas istas de las Velas appellant. 13. Insulæ Iaponæ, quarum sunt complures modicis fretis, & Euripis interfluis inter se distinctæ, præcipua est Iapon. 14. Insula Cikoko. 15. Firando. 16. Caolo, magna insula intra Chinam, & Iaponiam sita. Tertius Oceanus est Septentrionalis siue Scythicus, in quo Tazata insula.

Sequitur Africa, Asiæ annexa per Isthmum, cuius intercapedo milliarium 25. esse æstimatur. Primò quà animata, siue quo ad incolas considerata, pro eorum diuersitate, diuersos pariter mores, diuersasque linguas habet: Secundo si consideretur vt inanimata primo respectu poli, & Soli, siue quod idem, secundum suum situm, tàm exteriorem, quam interiorem. Exterior est in forma peninsulari, quæ vltra Tropicum Cancri, & Capricorni procurrit, & tam versus Arcticum, quam Antarcticum se extendit, ita vt mediã secet Aequinoctialis. Ambitu suo complecti dicitur tria millia & triginta milliaria Germanica. Interior respicit Montes & fluuios; Mõs Africæ fabulosissimus est Atlas vltra Lybiam interiorem situs. Alius item in Aegypto penes Damiatam mons Casius, nunc Lariſſe. Fluuij sunt 1. Nilus in Aegypto, qui ad Delta oppidum per omnem Aegyptum dispersus 7. ostijs (quæ sunt Canobicum, Bobbitinum, Sebeniticum, Phadineticum, Mendesium, Thaniticum, & Pelusiacum) in mare Aegyptium se præcipitat. 2. in Africa Minore sunt fluuij Cinyphus, Triton, Carada ad Carthaginem, Bagradas ad Vticam, Tusca vbi terminus Africæ Minoris. 3. in Numidia est fluuius Rubricatus. 4. in Mauritania est Malua. 5. in Lybia interiore est Niger. Secundò Africa secundum suos terminos considerata; pro termino exteriori habet à Septentrione mare Mediterraneũ; ab Occidente Oceanum Atlanticum; à Meridie mare Aethiopicum; ab ortu sinum Arabicum, mare rubrum, & Arabiæ dorsum; terminus interior longitudinis est inter fretum Gaditanum, & Promontorium seu caput Bonæ spei; Latitudinis vero in Promontorium Hesperium vulgò Capo Verde, & Goardafui, ita vt in vniuersum Africa multo maior sit Europa; verum, quod spectat tertio ad accidentia naturalia in temperie cæli, & fertilitate terræ sita; non ita culta, nec ita fertilis ob multa deserta. Quarto partes Africæ sunt vel Continentes, vel insulæ. Continentes Africæ partes numerantur septem. 1. Aegyptus. 2. Barbaria, siue Mauritania, quæ dispescitur in 6. regna, Marmaricum hodie Barca, Tunetanum, Tremisanum, Fessanum, Marocum, & Darense. 3. Numidia, hodie Biledulgerid, continens pariter sex regna, Zanhagam, Zuenzigam, Targam, Lemptam, Berdoam, & Gragam. 4. Lybia, quæ vel exterior, hodie desertum Eleocar, vel interior, hodie Sarra desertum, vbi Casena, & Guangara regna. 5. Nigritarum regio à Nigro flumine denigrata, verùm & incolæ coloris sunt nigerrimi; alio nomine & nobis cognito dicitur Guinea; 6. Regnum Congi, seu Manicongo à primaria vrbe Congi nomen habens, regio fertilissima si vlla alia: diuiditur in sex prouincias, quæ sunt Baruta, Songo, Sundi, Pango, Batta, Pemba; ab hoc regno prope distat prouincia Angola, in-

falu-

salubris ab aëre, vermes in hominum corpora progenerante. Rex huius Congiano tributum soluit. 7. Denique est Aethiopia, quæ duplex est; superior, seu interior; & inferior seu exterior; Superior hodie Abyssinorũ regio dicta olim continebat 26. regna, quæ parebant Regi Abyssinorum, cum hodie 4. tantùm ei pareant, reliqua occupant Turcæ, & Gentiles Idololatræ. Emporia celebriora in ijs sunt Melinda, Monbasa, Quiola, & Mosambique, quæ subest Lusitanis. Inferior Aethyopia à superiori distinguitur per montes Lunæ. Caput eius est Monomotapa, quæ prouinciæ nomen dedit. Ibi promontorium, quod caput bonæ spei dicitur à Vasco de Gama anno 1497. primitus detectum.

Insularum Africanarũ distinctio sumi debet secundum Oceanum. Primo igitur in mari Atlantico versus occasum sunt Madera, fortunatæ, hodie Canarię. Secundò contra Hesperium Promontorium hodie Capo Verde, sunt Insulæ, Hesperides olim & Gorgones dictæ: primaria inter eas est insula S. Iacobi, vbi Lusitanorum colonia. Tertio in mari Aethyopico sub ipsa linea Aequinoctiali est 1. Insula D. Thomæ, hoc nomen sortita, quod à Lusitanis die festo Diuo Thomæ primùm fuerit inuenta. 2. Insula principis, prouentu facchari celebris. Nomen obtinuit, quod vbi reperta, reditus ex ea principi Portugalliæ fuerint assignati. 3. Insula anni boni, tribus gradibus vltra Aequatorem sita; sic dicta, quod cum auspicio noui anni primum fuerit inuenta. 4. Insula S. Matthæi, 5. Insula Ascensionis, 6. Insula S. Helenæ. Qua in mari rubro, vel sinu Barbarico & mari aspero, est insula S. Laurentij, incolis Madagascar. Sita hęc est sub tropico Capricorni longitud. 250. latitud. 80. milliarium Germanicorum, varijs aromatibus opulenta. Quinto ad fauces sinus Arabici iuxta promõtorium Gardafui, est Insula Sacotara, aloen optimam progenerans.

Hactenus breuiter de tribus veteribus mundi partibus: sequitur noua & vltima, quæ dicitur nouus orbis, ob magnitudinem, cum Europæ, Asiæ, & Africæ simul sumptis fere ęqualis sit. Cõmuni nomine vocatur America, ab Americo Vesputio Florentino Italo altero suo repertore (Primus enim fuit Christophorus Columbus Genuensis, cui in prima nauigatione comes erat Americus Vesputius) anno 1497. detecta. Vocatur etiam India Occidentalis, quod eodem tempore hęc inuenta, quo India Orientalis à Lusitanis. Inuentionis Occasio fuit: quod Columbus Genuensis sępius in Portugalliam nauigans obseruauit certis anni temporibus ventos ex Occidenti quosdã flare, & ęquabili tractu multos aliquot dies spirare: hoc enim pro argumento habuit, eos ex trãsmarina aliqua regione venire, ideoque iudicauit, terram adhuc aliquam in illa plaga, vnde venti flabant, superesse, vsque dum incolis Europęis, alijsque incognitam. Primùm ergò America, quà animata considerata, pro diuersitate incolarum, diuersæ sunt in illa linguæ, diuersique mores: Deindè qua inanimata; situs eius exterior, siue respectu cęli est quod ab vno ad alium polum se extendat; situs verò interior, siue respectu Soli, cõtinet plures insignes fluuios, pluresque montes. In America Septentrionali, in prouincia Canadæ fluuius S. Laurentij; in Virginia fluuius Patanomeck & Ponuhatan; in florida fluuij Trinitatis, & Maij; in Mexico versus orientem fluuius Spiritus Sancti, versus occidentem fluuius Panuco, Berania & alij; in America Meridionali, in noua Granata fluuij Darien & Cauca; in noua Andalusia fluuius Paria vel Orinaque, & insignis Amasonum fluuius; in Brasilia fluuij Maragnan, & Potengi. tandem in prouincia Paraguai insignis fluuius dictus rio de la Plata, incolis Parana. Pręcipui montes sunt in America Meridionali, qui omnes oriuntur ab vno maximo longitudinis 2000. milliarium Germanic. quem hęc pars Americæ in suo medio quasi dorsum eminẽs & acutum habet eo fere modo quo Italia

lia Apenninum. Termini Americæ exteriores sunt ab ortu mare Atlanticum, siue mare del Nort; à Meridie Insulæ Magellanicæ, freto interluente distinctæ; ab occasu mare Pacificum, siue mare del Zur, à Septentrione litus adhuc Europæis est incognitum, num ibi sint terræ vel maria. Termini interiores, sicut Magnitudo, quà longitudinem inter duo freta Anian & Magellanicum dicitur, est 2400. milliarium Germanicorum; quà latitudinem vero inter Cabo de fortuna propè fretum Anian, & Capo de Breton, in noua Francia, quæ duo sunt promontoria, est 1300. milliarium Germanicorum. Pro diuersitate regionum Americæ, diuersa etiam sunt accidentia illius naturalia, quo ad cæli temperiem, & terræ fertilitatem, vel sterilitatem.

Vltimò sunt partes Americæ, quas etiam faciemus continentes, & Insulas. Partes Americæ continentes sunt duæ Septentrionalis, & Meridionalis; vtræque exiguo Isthmo connectuntur, intra Veraguam, & Cartagenam interiacente, vbi Pamana, & puerto Belo. Septentrionalis vsitatè appellatur Mexicana: eius prouinciæ littoribus Oceani adiacent, & longissimo tractu inter se distinguntur, partim ad mare del Nort; partim ad mare del Zur. Ad mare del Nort sitæ sunt, 1. Canada. 2. Noua Francia. 3. Virginia diuisa in nouum Belgium, & nouam Angliam. 4. florida nomen habens à Dominica Palmarum, quod eo die detecta fuerit. 5. Noua Hispania varias habens prouincias. 6. Guatimala, quæ in 13. prouincias diuiditur. America Septentrionalis ad mare del Zur habet prouincias sequentes, 1. Nouam Galliciam, 2. Nouam Biscaiam. 3. Nouam Mexicam, 4. Califorrniam, 5. Cibolam, 6. Granadam, 7. Tontonteac, 8. Quiuiram, 9. Nouam Albion. Tantùm de diuisione Americæ Septentrionalis, tàm ad mare del Nort, quàm ad mare del Zur; Sequitur Meridionalis, quæ dicitur Peruana, cuius prouinciæ pariter sitæ sunt vel ad mare del Zur, vel ad mare del Nort. Ad mare del Zur sunt sequentes, 1. Castella aurea, alias Panama, cui accensentur vicinæ prouinciæ, Darien, Cartagena, & Sancta Martha. 2. Noua Granada. 3. Popayan. 4. Peruuia, quæ trimembris est secundum tria parlamenta, primum est Quito, secundum Lima, tertium los Charcas. 5. Chile. 6. Chica, regio Patagonum. Prouinciæ Americę Meridionalis ad mare del Nort sunt sequentes. 1. Rio dela Plata nomen habens à fluuio principali. 2. Brasilia, quæ in quatuordecim distinguitur præfecturas, seu Capitanias. 3. Guaiana diuisa in tres riuos. 4. Noua Andalusia, vel Cumana, quæ diuiditur in Andalusiam propriè sic dictam, & Venesuelam, quasi parua Venetia. Hactenus de continentibus Americæ partibus; sequuntur Insulæ, quæ commodè etiam inter se distingui possunt secundum situm maris del Nort & del Zur. In mari del Nort sunt sequentes, 1. Terra noua, 2. la Bermuda, 3. Lucaios, 4. Cuba, 5. Hispaniola, 6. Iamaica, 7. S. Ioannis, 8. Caniballes, quæ & Antillæ vel Camercanæ dicuntur, 9. S. Margarithæ, vel Margaritarum, quia vnionū copia nobilis est, 10. S. Trinitatis, 11. Insula Ascensionis, &c. In mari del Zur sunt Insulæ Magellanicæ pro terra continente olim habitę, verum diuisæ ab ea per duo freta, nimirum Magellanicum & le Maire. Reliquæ & principaliores sunt, 1. Tierra del fuego, 2. Insula la Mocha, 3. Insula S. Marię, 4. S. Felicis, 5. S. Petri, 6. Insulæ Tubarones, 7. Insulæ Salomonis; quarum magnus numerus; primaria tamen inter eas est Isabella.

De Hydrographia.

CVm omnia, quæ superius diximus de Geographia, pro vt versatur circa exteriorem globi terrestris explicationem, sint etiam communia Hydrographiæ; vniuersitas enim aquarum, & omnis terra aquis non operta vnum dūtaxat Globum efficiunt, siue quod idem est, vnum habent centrum commune, quatenus referuntur ad circulos cęlestis

Sphę-

Sphęræ. Tantum superest vt agamus de mari, quantùm ad ea, quæ sunt ipsi magis propria; & primo de eius diuisione. Quatuor igitur potissimum, quinqueve maria ab Hydrographis numerari solent: mare Oceanum, mare Mediterraneum, mare Rubrum, mare Persicum, & Caspiũ. Mare Oceanum, quod reliqua maria vastitate & magnitudine superat, ambitq; totam terram, è Gaditano freto, & Herculis columnis tanquam è portu soluens circumquaque in immensum funditur, diuersas mundi oras, variarumque gentium littora flexuoso meatu oberrans, à quibus varia sortitur nomina. Dicitur enim Oceanus Occiduus ab Occidente, Aeous ab Oriente, Aethyopicus ab Aethyopia, Atlanticus à monte Atlante, Scythicus à Scythia, Britannicus à Britannia, Germanicus à Germania, atque ita alijs indidem vocabulis. Mediterraneum mare est, quod ex Oceano inter Abylam Mauritaniæ, & Calpem Hispaniæ promontoria (columnas Herculis vocant) irrumpens per medias terras diffunditur, & Africam ab Europa disterminat. Quamuis autem vna, eademque aquarum continuatio sit, in diuersa tamen maria distribui consueuit, suam appellationem accipientia ab varijs, quas alluunt gentibus. Nam vbi Iberiam; id est, Hispaniam attingit, vocatur Ibericum. Vbi Baleares insulas, Balearicum. Vbi Galliam, Gallicum: post Ligusticũ, ab Liguribus populis: & Tyrrhenum, & Tuscum, & Hetruscum, siue Inferum. Item Hadriaticum, siue Venetum, siue superum, Ionium deinde, & Siculum à Sicilia, Creticum à Creta, Sardoum à Sardinia, & Africum ab Africa. Ita Lybicum, Aegyptiacum, Synacum, Pamphylium, Aegeum, & Myrtoum. Quibus Pontus ex aduerso protensus obijcitur multis constans partibus. Ac pars illius, intima penetrans, Mæotis appellatur: alteram in fauces contractam, Propontidem vocant; quæ iam Europam, Asiamque discriminat.

Mare Rubrum, quod etiam sinus Arabicus dicitur à gente Arabum, incipit circiter ab Insula Socotora, terminaturq; ad Septentrionem oppido Sues, habet longitudinis circiter 350. Leucas. Etsi autem circa impositionem nominis rubri varia olim ab authoribus prodita reperiantur; horum tamen controuersiam diremit iam nauigatio Lusitanorum, qui vt Ioannes Barrius pręclarus Indiarum rerum Historiographus cap. 1. libri 8. Decadis 2. refert, mare illud peruagati, compererunt in primis eius aquas rubrum colorem referre. Deindè vt coloris causam pernoscerent, aquam è mari in nauem hausere, quam cum pellucidã atque omnis ruboris expertam vidissent, planè intellexerunt, non aquas ipsas in se rubeas esse, sed eum colorem in ijs repręsentari ex arenis rubeis, seu Corallijs, quibus maris illius fundus scatet. Ab hoc igitur colore ritè mare rubrum nuncupari potuit. Mare Persicum, quod etiam Sinus Persicus è Persidis populis vocatur, qua parte mare accipit, vtrinque magnis lateribus grande ostium cõplectitur: deinde terris vaste & ęquali portione cedentibus, magno littorum orbe reddit quasi formã capitis humani, habet longitudinis circiter 280. leucas. Tandem mare Caspium, quod Parthi mare Bachan: Tartari Chunalius nuncupant, omni ex parte terra cinctum est; vnde cùm omnia supradicta maria sint inter se aliqua parte continua, solum Caspium ab omni parte littoribus obsidetur, & insulæ similitudinem ex opposito ducit. Sic ab aliquibus non tàm mare, quam palus multorum fluminum incursu stagnans existimatur; nisi fortè Oceanum quoque subterraneo meatu occultè excipiat. Dicitur verò tum Caspium, tùm Hyrcanum à Caspijs & Hyrcanis montibus inter quos iacet. Qui ipsum quotidie transmittunt mercatores, testantur non amplius duodecim diebus vniuersum eius ambitum expleri. Superesset iam omnium horum marium littorales vrbes, vnà cum sinubus promontorijs, portubus, & insulis adiacentibus describere: verum pro instituti nostri ratione huc vsque dicta sufficiũt;

inte-

interim qui plura desiderat poterit consulere authores inferius citandos; & inter alios, Orbis Maritimi, siue rerum in mari & Littoribus gestarum Generalem Historiam, authore Claudio Barthol. Morissoto Dinionensi Gallo. Dinione in fol. 1643.

Secundò post allatam marium diuisionem, ad Hydrographiam refero Artem Nauticam; Ars enim nautica, nihil aliud est, quàm ars nauem regendi inter aquarum fluctus; ita vt materia circa quam versatur, sit aqua, & nauis; forma autem consistat in modo, vel pręceptis bene ducendi, & conseruandi naues, siue benè, & sine periculo nauigandi. Vt enim ait Plato lib. 1. de Republ. non à nauigio nauta, vel gubernator dicitur, sed ab ipsa arte gubernandi. Circa primam huius artis inuentionem, multa fabulosa, incerta & obscura dicuntur; credibilius tamen est omnium mortaliũ primum Noëmum, sibi suisque liberis ratem fabricasse, sine remis, velis, antennisque, & gubernaculis; obnoxiam diluuij fluctibus, & solo Deo rectore moderatam. Quod pertinet ad huius artis diuisionem, in suas veluti partes principales; primum ex parte materiæ nauigabilis, siue aquæ, occurrit consideratio eius, quà nauigijs idonea, vel non. Omnes enim aquæ non sunt nauigijs vehendis aptæ; aliæ propterea quod nimium rapido impetu ferantur; aliæ quia vorticibus plenæ; aliæ quia palustres sunt, vsque adeo vt herbis implexis, & arenulis, limosisque aggeribus, veluti retia transeuntibus nauibus obijciant. Nec fluminum limpidorum aquæ, tum quia tenues, tum etiam quia profundos non habent alueos, patiuntur onerari se se ponderibus magnarum nauiũ, quemadmodum marinæ, quæ crassæ, & densæ, onera maiora pręferunt. Neque etiam vndæ, quæ per se se, vel ex natura sua sunt nauigabiles, omni tempore tutam prębent nauigationẽ. Nam quędam flumina, quidam sinus & tractus, certis quibusdã proprijs tempestatibus infestantur, & statis temporibus sęuiunt, vt tunc naues sine ingenti periculo non admittant. Sunt pariter innumeræ marium, pro eorum varietate, & distinctione reciprocationes, æstus, irruptiones, cautes, & similia; à quibus quisque nauclerus diligenter sibi cauere, prospicereque debet: Ad hanc eamdẽ aquæ nauigabilis considerationem pertinet notitia littorum, plagiarum, portuum, stationum, positionum, refugiorum, aliorumque similium locorum, in quibus naues à tempestatibus tutæ seruari possint. Vbi etiam de structura perfectissimi portus, rebusque ad illam conducentibus, cuiusmodi sunt valla, aggeres, moles, crepidines, & transuersaria; quorum plures adhuc sunt species, modique illa construendi.

Post aquæ vt nauigabilis considerationem, sequitur agere de nauibus, primò quo ad earũ fabricam; secundò quo ad earum distinctionem; tertio quo ad earum administrationem. Ad primum spectat materia nauium, & cędendę eius tempus; variæ tam in illis, quam in singulis partibus fabricandis proportiones obseruandæ; tum quę nauium ornamẽta, & instrumenta; de quibus videndi Scriptores inferius citandi. Ad secundum referuntur variæ nauium species, earumque partes; Primum enim naues diuidi possunt in longas, & onerarias, veluti in duo suprema genera; vbi per longas naues intelliguntur illę, quę egẽt remis, vel pluribus, vel paucioribus; quarum plures etiam sunt species; secũdum enim diuersos remorum ordines, aliæ biremes, aliæ triremes, aliæ quinqueremes, & sic deinceps, appellantur; Athenęus enim lib. 5. cap. 5. memorat trigintiremes, & cap. 6. meminit de quadragintaremi naue Philopatris, longitudinis 280. cubitorum, altitudinis 40. cũ quatuor gubernaculis, triginta cubitorum, cum duabus proris, & duabus puppibus &c. Quamuis inter multos viros doctos non conueniat, quæ forma triremibus antiquorum fuerit; quidque ordo remigum. Aliqui enim ordinem remigum, illud esse volunt, quod nos voca-

vocamus scamnũ, in quo quatuor, quinque, aliquando etiam sex remiges ad vnum remum sedent. Præcipuè cùm in numis priscorum Romanorum, omnes naues, quæ remis aguntur, plures remos eodem ordine ostendant, æquo spatio dispositos, longitudine pari, in porrectum extensos, simulque æquora ferientes. Quod maximè apparet è numis L. Bibuli, M. Fonteij, & M. Antonij III. Viri, in quibus triremes signatę videntur eadem forma, atque ordinibus, quibus hodie galeræ nostræ componuntur.

Alij verò putant fieri potuisse, vt plures remigũ ordines, alijs remigũ ordinibus plerisque in nauigijs subijcerẽtur: quorũ nauigiorum, etsi nulla in antiquis numis figura videatur, multa tamẽ de ijs sparsim leguntur, significantia ordines, gradus remigũ fuisse, ita vt in biremi duplices fuerint gradus, in triremi triplices & sic de cęteris. Vnde etiã concludendum, in triremi imum remigum ordinem propiorem aquæ, supremum propiorem foris nauis, medium inter vtrumque positum. Imis remigibus breuiores remos, supremis longiores, medijs mediocres. Primos à Gręcis thalamitas, supremos thranitas, medios zygitas appellatos. Si enim non ita res se haberet, inquiunt propugnatores istius sententiæ, cur Vegetius de quinqueremibus loquens, dixisset: *Quinos sortiuntur remigum gradus*. Cur istud Virgilij:

——— triplici pubes quam Dardana versu
Impellit, triplici consurgunt ordine remi.

Sanè consurgentes remorum ordines dici non possunt de longitudine, longitudo iacet, altitudo consurgit? Quid illa tesseraconteres Philopatris? nonne quadraginta non remium, sed remorum ordines alios super alios assurgentes designat? Quid quòd in ipsis Leonis Imperatoris Tacticis, ita legitur: Vnaquęque nauis bellica iustæ longitudinis sit oportet, duas in se habens remorum ordines, alium superiorem, alium inferiorem. Nihilominus vt fatear verum ista omnia non ita sunt clara, quin facilè intelligi possint de scamnorum ordinibus, quales sunt in nostris triremibus; quorum prior à puppi ad malum, rectè superior; posterior verò à malo ad proram, inferior appellari potest, vt satis patet ex fabrica & compositione triremium, quæ vt versus proram sunt demissiores, ita & versus puppim altiores consurgunt. Contra enim hanc secundam sententiam est argumentum efficax, quod videtur illam reddere omninò improbabilem, imò impossibilem: Si enim semel nauis aliqua haberet quadraginta remorum ordines alios super alios assurgentes, qualem fuisse volunt tesseraconterem Philopatris apud Athenæum citato loco, certè non dicam in quadragesimo, sed etiam longè inferiori remorum ordine, tanta deberet esse illorum longitudo, tantaque illius nauis altitudo, & latitudo, vt id omnino videatur esse impossibile, alicui vel minimum versato in re nauali.

Vt per longas naues vniuersim intelliguntur omnes illæ, quæ egent remis; ita per onerarias significantur illę, quæ remis non indigent, sed solis aguntur velis, tot nominibus ferè distinctæ, quot possunt esse diuersa earum munera, onera, & formæ; sic ad ista duo suprema genera reduci possũt viginti octo nauigiorum modi, vel species, quas refert Gellius lib. 10. cap. 25. illæ quoque, quas explicat Ioannes Rauisius Textor in officina cap. de nauigiorum diuersorum generibus: & Iulius Pollux lib. 1. Onomastici cap. 9. Quemadmodum autem variæ sunt nauigiorum species, ita etiam plures sunt eorumdem partes veluti integrales; aliæ enim dicuntur interiores, quæ nauibus sunt, quasi quod ossa corporibus, vt carina & omnia illi annexa; aliæ vero exteriores, siue exterius apparentes; quarũ rursus alię aquis immerguntur, aliæ supernatant illis, alię sunt communes omnibus nauigiorum speciebus, aliæ vnicuique propriæ; aliæ sunt necessarię, alię tantum ad ornatum; quarum omniũ nomina, descriptiones, Geo-

Geometricas proportiones, diuersosque vsus vide in hydrographia vniuersali Patris Fournier lingua gallica, & in historia orbis Maritimi Morisotti, alijsque authoribus inferius citandis. Tertio tandem ad nauium administrationem, pertinent magistratus, dignitates & officia classica. Tantum de arte nautica ex parte materiæ consideratæ.

Loquendo iam de illa ex parte formæ consistentis in modo bene ducendi naues; quia hoc dupliciter fieri potest vel moraliter, vel solùm artificialiter; ad primum pertinent leges Nauales; ad secundum ipsamet artis præcepta. Quia autem longũ esset hic referre leges Nauales, quæ etiam pro diuersitate nationum sunt in multis inter se diuersæ, solùm noto omnes à Rhodijs illas accepisse, ita vt vbi lex noua non inuenitur, quæ cum veteri Rhodiorũ iure pugnet, secundum leges Rhodias de controuersijs Nauticis iudicari debeat. Quæ autem fuerint leges Rhodię Nauales, vide in tractatu Iacobi Gotofredi, ad L. Deprecatio; & lib. 1. Orbis Maritimi Claudij Morisotti; item Ferretum de legibus Naualibus. Quod pertinet modo ad rectam nauis gubernationem per præcepta artis, siue artificialem, multa ad illam requiruntur. 1. perfecta marium omnium, illorumque accidentium notitia. 2. præsagiorum tempestatum; 3. ventorum, quot sint eorum differentiæ, qua parte nascantur, & spirent, quosque effectus habeant. 4. variorum Solis & Lunæ tam cursuum, quam aspectuum, nec non ortus & occasus quarumdam stellarum; 5. quæ sit longitudo, & latitudo loci, siue termini à quo nauigatur, & loci ad quem nauigatur; quæ differentia inter longitudinem, & latitudinẽ vtriusque, & tandem quod interuallum itineris marini inter duo ista loca. 6. vsus Mapparum, siue chartarum hydrographicarum; quæ à Geographicis in hoc potissimum distinguuntur, & dignoscuntur; quod in illis depingi solent omnes meridiani inter se æquidistantes, circuli verò paralleli æquales; V.g. circulus polaris est eiusdem cum æquatore magnitudinis; at in tabulis Geographicis omnes meridiani in punctis polaribus coniunguntur; circuli autem paralleli, ea, qua ab æquatore recedunt, proportione minuuntur: de quibus vide lib. 8. Hydrographiæ vniuersalis Patris Fournier. 6. tandem & vltimo ad nauigationis perfectionem Nauta perspectum habere debet acus, siue pyxidis Nauticæ, seu versoriæ vsum. Acus enim illa lapidis magnetici Septentrionali parte tacta, pixidula coërcita, ita suo se se imperio & ductu in eamdem plagam constanter vertit: vt vix vllis alijs aut Solis, aut cæterorum syderum obseruationibus opus sit ad rectam nauigationem. Mirum sane tam leui compendio, breuissimo & obscurissimo nauis in recessu, ad exiguæ lucernæ lumen, plerumque à puero tẽpestates præuideri, ventorumque flatus agnosci, quos ipse non sentit nec audit certò dici, quam plagam teneant, quod nauigent mare, quibus astris subiaceant; quod totius artis Nauticæ summa est.

Circa primam pixidis nauticæ inuẽtionem & vsum diuersa reperio Scriptorum placita. Goropius enim authores eius facit Cimbros, siue Teutones, quia nempè triginta duo nomina ventorum pixidi inscripta, ab omnibus nationibus Oceanũ incolentibus pronuntiantur lingua Teutonica. Sunt qui Paulum Venetum à Sinensi nauigatione reducem, circa annum Domini 1260. secretum illud Italis communicasse scribant: alij vt Merula differt. de maribus, acus matinæ inuentorem nominant quemdam Melphitanum circa annũ salutis 1300; quem aliqui Flauium vocant, alij Ioannem Goiam: Nullũ tamen ex istis fuisse primum omnino pixidis Nauticæ inuentorem, apertè colligitur ex eo quod centum fere annis ante illos, iam fuerit illius vsus in Gallia, vt habetur in Antiquitatibus de Faucher, qui libro de origine linguæ & Poëseos Gallicæ refert versus cuiusdam Guidonis de Prouines viuentis circa annum Domini 1200; vbi post Poli arctici descriptionem versibus

factam, quinque alijs pixidem nauticã describit, quam lingua Gallica vocat *la Marinette*; Vocabatur etiam à maioribus nostris *calamita*, quæ lingua Gallica significat propriè ranam viridem; eo quod ante acus nauticæ suspẽdendæ inuentionem, pro vt fit modo, illa clauderetur in phiala vitrea aqua ad medietatem vsque plena, cui instar ranæ, ope sugari, vel alicuius alterius rei supernatabat; Hugo Bertius qui tempore S. Ludouici florebat, eoque fere, quo prędictus Guido de Prouines, asserit illius ætatis Nautas prædicto artificio vsos fuisse, vt nocturno tempore partem orbis Septemtrionalem cognoscerent; cuius vsum adhuc retinẽt Chinenses. Porrò cum duo pręfati Scriptores Guido & Hugo, tam expressam pixidis Nauticæ mentionem faciant, nec de illa tanquam de nouo suorum temporum ad nauigandum inuento loquantur; concludendum existimo antiquissimũ esse pixidis nauticæ vsum, nec inter noua horum temporum inuenta esse reponendum. Et certè, vt omittam modo Tyrios & Phænices, quos ex scriptura Salomon nauigationis, sueque classis duces adhibuit, vt dicetur infra; quis elegantius modo pixidem nauticam describeret, quàm fecerit Plautus in Mercatore

Hic secundus ventus nunc est, cape modo Versoriam,
Hic Fauonius serenus est, hic Auster Imbricus,
Hic facit tranquillitatem, hic omnes fluctus conciet.

Quod enim aliqui dicunt, nihil aliud per versoriam Plautũ intellexisse, quàm funem, quo velum vertitur; sine fundamento videtur asseri; hanc enim explicationem nec antecedentia, nec subsequentia petunt verba; secundò funis & clauus non sunt fæminini generis; tertiò quia si iam pixidem nauticam describere vellemus, nec clarioribus verbis vti possemus, nec magis propriè illam vocare, quàm nomine *Versoria*. Vide Ioannem Pineda de rebus Salomonis lib. 4. cap. 15. in fine.

Quia autem ad huius pixidis, siue acus nauticæ constructionem, rectumque vsum plura requiruntur; quæ longum esset prosequi, & extra pręsens institutum, in quo breuem tantùm omnium scientiarum & artium ideam tradere voluimus, vt innotesceret quanta sit vniuscuiusque vtilitas ad completum & perfectum sacræ doctrinæ studium, quantumque vicissim ab illa desumant luminis singulæ disciplinæ circa propria sua obiecta; de illis consulendi sunt authores, pręsertim hydrographia vniuersalis P. Fournier; V. g. qualis, siue cuius materiæ & formæ, vel figuræ debeat esse acus nautica, quomodo suspẽdenda, quomodo lapide magnetico cõfricanda, cuius ideo virtutes & proprietates sunt necessariò pręcognoscendæ; quod facilius habetur, si in figurã sphęricam efformetur, si quidem in illo sic efformato pręcisè deprehenduntur Magnetis axis, poli, & æquator: Cum enim cęteræ res naturales pro maiori parte sphęricè agant, hoc est suam vndequaque virtutem æqualiter communicando; hoc tamen magnetis est propriũ, vt totam suam vim & efficaciam, in vnam colligat lineam rectam, duobus punctis terminatam, è quibus tanquam ex duobus centris, suam extra prædictam lineam diffundit virtutem. Propterea hæc linea in magnete vocatur axis illius, vel longitudo virtutis magneticæ: duo verò puncta illam terminantia, quia nullibi magis, quam in illis virtutis magneticæ viget efficacia, dicuntur poli; vnus Septemtrionalis, quia ad polum arcticum vergit; alter meridionalis, vel australis, quia ad Austrum. Appellatur autẽ æquator, illa pars magnetis æquidistans à duobus polis. Ad quod totum in lapide magnetico dignoscendũ, sumi debet pars acus communis, longitudinis grani Hordeacei, transferrique super diuersas magnetis partes; & duo loca vbi manebit recta, duo erunt illius poli, axis verò linea rectè ab illis ducta. Cum hoc autem totũ in alijs valdè imperfectè, solùm in magnete sphærico

per-

perfectè dignoscitur; in quo etiam axis virtutis est eadem cum axe magnitudinis, dummodo lapis sit perfectè homogeneus, quod valdè rarum est, in eo similiter non sunt plures poli, quàm duo, cum tamen in lapidibus magneticis nōdum elaboratis, aliquando reperiantur plures, præsertim si sint valdè irregulares; quod prouenire non potest ex eo quod duo sint lapides distincti, in vnam tantùm massam coalescentes, vt posset aliquis dicere; cùm experientia constet illos etiam reperiri in lapidibus magneticis perfectè homogeneis. Vniuersim axis, & poli lapidis magnetici mutant locum, si frangatur, vel ab eo pars aliqua separetur.

In magnete tres sunt potissimum virtutes, scilicet attractiua, directiua & inclinatiua; quæ tam in ipso, quam in alijs rebus magneticis, præsertim in acubus, seu linguis à magnete tactis deprehenduntur; Virtus attractiua habens pro obiecto, vel ferrum, vel alium lapidem magneticum, reperitur in omnibus magnetis partibus; maior tamen & perfectior in axe, deinde in polis; minor autem in æquatore quam in cæteris partibus: talis autem virtus communicatur dumtaxat illi ferri parti, vbi desinit cōfricatio; Vnde si quis cultrum lapide magnetico cōfricando inciperet ab eius cuspide successiuè vsque ad manubriū; nullam talis cuspis in attrahendo ferro vim haberet; imo illam perderet, si prius ea prædita fuisset. Virtus directiua in magnete, rebusque magneticis, nihil est aliud, quam simplex quædam qualitas illis insita, qua suis polis mundi polos affectant, & parallelo ad mundi axem situ, suo axe exporriguntur. Circa autem huius virtutis communicationem, notandum acum chalybeam supra axiculo cui incumbit mobilem, magnetis lapidis polo Notio siue Australi, ea parte tangi, & tingi debere, qua Boream, siue Septemtrionem sit designatura; & contra eiusdem lapidis polo Boreo fricari, qua parte acus illa in Notum inclinatura sit: atque ita ea semper Boreā inter & Notum exporrigitur. Melior autem modus communicandi illi talem virtutem erit, si vnico motu & versu ducatur longitudo acus super axem magnetis, parumque firmetur super vnum ex polis, illius extremitas; si enim medium ab vno ex polis fricaretur, tunc nullam haberet vim directiuam; aut si illam prius habuisset, per talem fricationem, mutari non posset. Quod autem dicunt aliqui, transacto æquatore in altero Hemisphærio, partem acus Australem ad Austrum ita tendere, vt iam directio nauigantium ad Austrum sit, non autem ad Septemtrionem, est falsum; cū etiam transmisso æquatore, vergat moueaturque in Septemtrionem acus, etiā si non videatur Septemtrio, inclinatque etiam in amatum absentem, cui vigilat. Similiter est falsum, quod lapis magneticus ad alios præter duos prædictos polos vim directiuam habeat, vt si V. g. Orientali magnetis parte tangatur acus, vergat ad Orientem; insuper, quod lapis magneticus perfectè sphæricus, & homogeneus super suos polos liberè suspēsus in duobus lineæ meridianæ punctis, secundum eleuationem polarem loci, sphæricè moueatur sequendo motum cæli spatio 24. horarum, merum est commentum, & contra experientiam.

Verum licet prædictarum magnetis virtutum notitia valdè conducere possit ad rectam nauigationis institutionem, præ omnibus tamen necessaria est nautæ cognitio declinationis acus magneticæ, quaque ex parte fiat. Quamuis enim magnes, resque ab illo attactę, vbi liberè mouentur, insita sibi vi & facultate suis polis mundi polos affectent: nihilominus tamen modò à Septemtrione in ortum, aliquando in occasum aliquot gradibus declinare, idque occulta & latente aliqua de causa, iam diu experientia comprobauit. Sic igitur magnetis declinatio nihil est aliud, quam distantia Horizontalis inter verum meridianum & meridianum magneticum, siue quod idem est, differentia inter verum Septemtrionem & punctum ab acus magneti-

gneticæ cuspide indicatum. Quæ si contingat versus occasum, vocatur declinatio Occidentalis, si autem versus ortum, declinatio Orientalis. Quia tamen huiusmodi declinatio nullum certum ordinem, nullamque regularem proportionem seruat; imo pluribus in locis etiam ad inuicem vicinis, plurimæ illius reperiuntur differentiæ; ideo vocatur variatio acus magneticæ; vide authores qui de hac re scripsere. Solum noto esse, qui doceant, acum maritimam confici posse absque magnete, quę nunquam variet. Si in incude, notetur Septemtrio, supraque rectam lineam acus chalybea fingatur, facie ad meridiem conuersa, vt cũ ducitur sub malleo chalybs ad faciendam acum, eam versus te & boream trahas. In hunc modum acus formata, suo genio polum notabit, & quidem sine vlla variatione, quod ingens est mysterium, imprimente cælo facultatem magneticã subiecto appropriato, secundum imaginationem fabricantis, nam casualiter, & inscio fabro hoc fieri, multi negant, interiori entitati, & phantasiæ, veluti obsequium astris præbentibus. Tantùm de Hydrographia.

De Anemographia.

AD tertiam Cosmographiæ partẽ spectat Anemographia, siue ventorum descriptio, quæ pro vt sic in tabulis Cosmographicis, quia potissimum nauigationi inseruit, ideo omissis alijs, quæ circa eorum naturas, proprietates, & causas iam breuiter suo loco superius insinuauimus, tantùm hic agemus de ventorum sectione, & vsu in ordine ad artem Nauticam. Cum igitur veteres Nautæ quatuor dumtaxat ventos ponerent, alij 8. alij verò 12. quorum quatuor Cardinales seu principales erant, reliqui Collaterales; iam Hydrographi recentiores ad exquisitiorem nauigandi rationem spectare putarunt, vt in multo plures regiones ventorum, terræ marisque superficiem distinguerent. Itaque 32. ventos ponunt; quorum quatuor, qui cardines occupant, cum veterum descriptione congruunt, Eurus seu Subsolanus, qui flat ab Oriente; Zephyrus seu Fauonius, qui flat ab Occidente; Notus seu Auster, qui flat à Maridie; Boreas seu Aquilo, qui flat à Septemtrione; per hos ergò quatuor ventos primùm diuiditur index nauticus in quatuor quadrantes, tanquam quatuor Horizontis partes, quarum quælibet continet nonaginta gradus. Singuli verò hi quadrantes ratione circulorum verticalium diuiduntur in octo lineas, vnde per quadruplicatum numerũ totus index nauticus diuiditur in 32. lineas; quarum quælibet denotat nouum ventum, qui agit nauim in diuersas mundi plagas; vt ad oculum patet ex schemate; quod pyxidi & chartæ nauigationis inseri solet: In quo etiam hoc præstatur vt cognita differentia longitudinis, & latitudinis duorum locorum, facilè sciri possit, in quam cæli plagam dirigenda sit prora, ab vno loco in alium nauigantibus, aut quo vento duce eo sit tendendum. Locus enim à quo abeundum est, in centro schematis constituitur: deinde differentia longitudinis in superiori ordine, & inferiori numeratur à media linea dextrorsum, si longitudo loci ad quem tendimus maior sit, aut magis in ortum tendat: ab eadem verò linea sinistrorsum in vtroque ordine, si minor longitudo fuerit, aut occidentalior numeratur; atque his punctis sic inuentis regula applicatur, aut filum extensum. Eodem modo differentia latitudinum numeranda est in dextro & sinistro ordine quadrati, à media linea sursum, si latitudo secunda in Boream maior fuerit: deorsum verò si latitudo loci secundi minor fuerit aut magis australis; idque vtrimque ex oppositis lateribus sic faciendũ, deinde & ex his quoque punctis filum extendendum est, aut regula applicanda; & vbi duæ hæ regulæ, aut fila duo se secuerint, ibi secundi loci ad quem tenditur, situs imaginandus est. Demum centro regula applicata, & loco iam inuento, ostendet eamdem mundi plagã, in

in quam prora dirigenda est nauigantibus in illum locum; è regione verò ventus indicatur, quo duce opus erit.

Hactenus de Cosmographia, eiusque partibus; iam videndum est quantū conducat ad sacrę doctrinæ studium. Primùm ea ratione, qua sicut historia est oculus prudentiæ Politicæ, ita Geographia vocatur oculus historiæ, plurimum refert ista Cosmographiæ pars, ad intelligendas omnes illas Sacrę Scripturæ partes quæ historicæ dicuntur. In hunc finem Benedictus Arrias Montanus in apparatu sacro ad Biblia Plantiniana; descripsit duas Tabulas Geographicas, quarum vna est vniuersalis, habens pro titulo, Sacræ Geographiæ tabula ex antiquissimorum cultorum familijs à Mose recensitis ad sacrorum librorum explicandorum commoditatem descripta; Alia verò particularis, siue Chorographica; est terræ Israel dumtaxat ante Canaan dictę in tribus vndecim distributæ accuratissima, & ad sacras historias intelligendas opportunissima cū vicinarum gentium adscriptione tabula & exactissimo mansionum 43. situ. Habetur quoque Christiani Adrichomij Theatrum Terræ Sanctæ, & Bibliothecarum Historicarum, cum tabulis Geographicis ære expressis, Coloniæ apud Hermanum Mylium, 1612. Item eiusdem authoris, Ierusalem sicut Christi tempore floruit, & suburbanorum, insigniorumque historiarum eius breuis descriptio. Cui adiuncta est topographica delineatio ad viuum æneis formis expressa Coloniæ 1593. Michaëlis Aitsingeri terrę promissę topographica, atque historica descriptio Coloniæ 1502. Superioribus quoque sæculis Venerabilis Beda tertio suorum operum tomo scripsit de situ Hierusalem; Burchardus verò Monachus Germanus descripsit Terram Sanctam, & regiones finitimas. Tandem ad Geographiā pertinet illud Salomonis Sapientiæ 7. dicentis: *Ipse dedit mihi horum, quæ sunt, scientiam veram, vt sciam dispositionem orbis terrarū.* Quanquam enim hoc, ex proprietate Græca, pro compositione, vel constitutione mundi ex elementis opportunè accipiendum videatur, sequitur enim, *& virtutes elementorum*, tamen *Systasis*, & *dispositio* significant etiam cōstitutionem partium mundi, & cuiusque regionis, atque prouinciæ, suis locis & sedibus positionem.

Ad hydrographiam quoque spectat primum arcæ, vel nauis Noeticæ constructio, & descriptio. Secundò variæ tam in veteri, quam in nouo testamento recensitæ nauigationum historiæ; in primis verò Salomonis lib.3. reg. cap.9. & 10. de quibus, quia ad longum, & accurate tractant interpretes Sacræ Scripturæ ad illa loca; præsertim verò Serloghius in Cantica, & Ioannes Pineda lib.4. de rebus Salomonis, vbi inter alia ostendit fuisse ipsi exploratam magnetis & acus magneticæ virtutem; non est quod in hoc diutius immoremur. Typum quoque arcæ Noeticæ mathematico artificio demonstrauit Ioannes Buteo. Tandem ad Anemographiam pertinent innumera Sacræ Scripturæ loca, in quibus quatuor quoque ventorum, qui præcipui ac principes sunt, mentio fit. Ac in primis ventus ille vocatus vrens Hebraice dictus *Ruach Kadim*, de quo Exodi 10. vers. 13. dicitur; *Et extendit Moyses virgam super terram Aegipti, & Dominus induxit ventum vrentem tota die illa, & nocte:* Ventus erat Orientalis, quod vox Hebraicha *Kadim* satis demonstrat, quæ orientem significat. Sed cum tres sint venti Orientales, nēpè Subsolanus, & Vulturnus ad partem Aquilonarem, qui & Euroaquilo dicitur, & Eurus ad plagam Meridionalem vergens, qui & Euro Auster vocatur per ventum vrentem hoc loco intelligitur ventus Orietalis Euro Auster. Sicque intelligendus locus ille Ieremiæ 18. v.7. *Sicut ventus vrens dispergam eos coram inimico*, &c. qui Auster etiam dicitur Psal.77. voce enim Hebraica *Kadim* significatur: nam cum in eodem versu statim eius fiat repetitio, vocatur *Theman*, quæ vox Austrum siue Aphricum

tum propriè significat, vbi legimus: *Et transtulit austrum de calo, & induxit in virtute sua Aphricum*. Accipitur ergò ibi Auster, siue Aphricus pro Euro austro, qui dicitur Kadim, quod ad Orientem vergat, & vrens, quia vicinus est Austro, qui in Orientalibus potissimum plagis est ardentissimus; Ouidius.

Lethiferis calidi spirarunt æstibus Austri.

CAPVT XXI.

Quantum conducat ad Sacræ doctrinæ studium Architectonica, singulæque eius partes.

INter scientias Geometriç subalternatas tertio loco repono Architectonicam, post Vranoscopiam, & Cosmographiam; quç quantitatem, & Symmetriam corporis artificiosi contemplatur, præsertim verò ædificiorum; Et si enim Architectonicæ, siue fabrilis artis species variæ sint, cum nomen sit generale ad omnes, qui artificiosè operantur in materia aliqua dura, seu lapidea, lignaria, ferraria, aurea, argentea, &c. à quibus etiam fabri cum additione materiç, in qua operantur, dicuntur; nihilominus tamen Architectonicæ, vel Architecturç nomen in specie ad ædificandi artem, quæ ædificia propriè dicta, ad conuersationem hominum accommoda fabricat per excellentiam transfertur: quandoquidem illa omnes ferè fabros habet sollicitos. Ministri enim illius sunt & cæmentarij, & qui ex lapidicinis exerunt lapides, marmora, quique illa scindunt, & poliunt; qui pinsant, fingunt, formant, & decoquunt lateres ex terra. Adsunt eidem fabri lignarij, qui trabes ruderant, poliunt, dolant, disponunt, & contabulant: scalas componunt, vel recti itineris, vel cochlides: fenestras, ianuas, cancellos, & cætera huiusmodi parant. Subseruiunt etiam fabri ferrarij, qui clauos, virgas ferreas, pessulos, clathra, vectes, serras, & similia conficiunt. Tandem quia ædificandi ars non tantùm ea, quæ necessitati habitationis, & locationis, sed & quç ornamento inseruiunt, statuas scilicet diuersarum materiarum, imagines, columnas efficit, sub eius quoque vexillo symbolum dant pictura, ars statuaria & plastica, aliæque similes. Quod pertinet ad primam illius originem; vnà cum mundo nascente natam, nulli dubium esse potest. Ex quo enim Paradisi amænitatem, & cum ea omnem temperiē homo per peccatum perdidit, iniurias & & tempestates aeris, alternasque brumæ redeuntis vices declinare, naturæ instinctu edoctus, rudi opere tecta, domosque, quæ Poëta teste antra fuerunt, ab initio ędificauit; sic vt Cain describatur Genes. cap. 4. ædificasse ciuitatem, quam nomine filij sui Henochiam appellauit.

Duæ sunt principales Architecturæ partes, vna generalis, altera specialis. Sub generali illius contemplatione sunt principia ædificij, & affectiones membrorum illius. Vbi per principia ædificij intelligimus materiam, & formam ædificiorum: Materia autem alia est ex qua, alia in qua, locus scilicet ædificij; materia ex qua iterum est duplex, productionis nimirum, & constitutionis; materia ex qua productionis veluti magis principalis, sunt ligna, lapides, calx, arena & similia, minus autem principalis metallum, vitrum &c. materia ex qua constitutionis sunt ipsæmet ędificij partes, quæ vel sunt necessariæ, seu sunt tres: infima, vt fundamentum; media, vt parietes; summa, vt tectum: vel minus necessariæ, vt partes reliquæ. Forma etiam ædificiorum est duplex, realis vna, exemplaris altera; forma realis nihil est aliud, quam ordinata, disposita, distributa, mensurata, ornata & decens ædificiorum constitutio. Sex enim illę res, videlicet ordinatio, quæ Græcè τάξια dicitur, dispositio, quæ διάθεσις, Eurithmia, symmetria, decor, & distributio, quæ οἰκονομία; sex, inquam, res istę, quibus constare Architecturam dicit Vitruuius lib. 1. cap. 2. illæ sunt, quæ ad rationem ejus pertinent, quarum habitus

bitus in mente Architecti collocatur, atque adeo, sine quibus extra nihil habere formam poterit, & perfectionē. Forma enim vniuersa omnium, quæ ab Architectura fiunt, consideratur vel in se, vel comparata; si in se, rursus vel secundum quantitatem, vel secundū qualitatem; si secundum quantitatem, siue quod idem est, secundum quod res ab Architectura inspectæ, partes & magnitudines sunt; vel secundum ordinem accipiendæ quantitatis, & sic est *ordinatio*, quæ definitur à Vitruuio, *modica membrorum operis commoditas separatim*, id est moderata partium aptitudo; vel secundum responsum quantitatis, siue partium ad inuicem, & sic est *symmetria*, quæ definitur, *ex ipsius operis membris conueniens consensus, ex partibusque separatis ad vniuersæ figuræ speciem ratæ partis responsus*. Symmetria enim est ordinis pulchritudo, quemadmodū Eurithmia dispositionis: non enim satis est mēsuras vel partes ordinare, hoc est aliam ante aliam ponere, sed necesse est illas inter se conuenire, id est aliqua proportione inuicem respondere. Iam si consideretur secundum qualitatem Architectura, siue secundum quod res ab illa inspectæ, sunt qualitate aliqua affectæ, sic est *dispositio*, quæ definitur, *rerum apta collocatio, elegansque in compositionibus effectus operis cum qualitate*. Dispositio enim partes comparat non tanquā magnitudines, sed tanquam res suo loco collocandas, non enim sat est mensuram inuenire moderatricem omniū magnitudinum, sed opus est etiam inuenire ordinem quemdam eius rei, quæ partes habet; non comparando partes tanquā magnitudines, sed tanquàm res, ipsa propria positione, situque ordinandas: Quia autem dispositio casu, necessitate, & arte fieri solet, de artificiosa nunc locuti sumus: tantùm de forma in se considerata.

Iam si vt comparata consideretur; vel erit ad aspectū, & sic est *Eurithmia*, quæ definitur, *operis venusta species, commodusque in compositionibus membrorum effectus*. Quia autem Eurithmica à Rithmo deriuatur, notandum est Rithmum triplici modo dici, primo de rebus immobilibus, vt eurithmos statua, ædificiū, templum; secundo de ijs quæ mouentur, vnde eurithmos ambulare dicimus, tertiò de voce, & sic propriè rithmus est recta figurationum ordinatio: Rithmus etiam solo visu, vt in saltatione, solo auditu, vt in cantu, sola tactione, vt in pulsu sentitur. Vel ad id quod decet, & sic est *decor*, qui definitur, *emendatus operis aspectus probatus rebus compositis cum authoritate*. Cum autem decorum sit apta rerum proprietas, ratione triplici perficitur. Statione, consuetudine & natura. Decor in statione est apta collocatio operis iuxta naturæ proprietatem illius rei, cuius gratia opus construitur: in consuetudine est obseruata vsu partium decentia: in natura est electio loci, vel rei, quæ à naturæ conditionibus dignitatem parit. Vel tandem ad vsum, & sic est *distributio*, quæ definitur, *copiarum locique commoda dispensatio*: habita videlicet ratione facultatū ædificantis, materiæ, quæ inueniri potest, rei ædificandæ, aliter enim vrbana, aliter rustica ædificantur, aliter diuitū, aliter pauperū ædes, aliter parietes firmiores qui duas, vel plures contignationes ferre debent, quam qui vnam, & sic de cæteris. Hactenus de forma reali ædificiorum sex prædictis rebus constante. Nunc de forma exemplari, quæ nihil aliud quam graphica dispositionis ædificiorum repræsentatio; sic quia in rerum collocatione Architectus tres habet ideas, & formas in mente priusquam opus aggrediatur, quas postea exemplo deducit ad opus: vna est vestigij, altera frontis, tertia partium abscedentium; hinc triplex datur forma exemplaris: priorem vocant *Icnographiam* quasi vestigij descriptionem, secundam *Orthographiam*, quasi erectam rerum deformationem, postremam *Sciographiam*. Ex his, quæ sunt operum formæ prius mente conceptæ, postea in tabulis lineamentis, elegans ille effectus operum profici-

ciscitur. In Icnographia, quam nostri plantam vocant, eo quod ædificaturi solent, aut in tabulis, aut in papyro, aut etiam in solo describere vestigiũ futuri ædificij, est ortus; in Orthographia est augmentum, in Sciographia, vel vt alij volunt Scænographia, est operis perfectio, quibus in rebus aduertendum est, idem esse debere quod crescit, & quod oritur, quemadmodum in operibus naturæ, plantis, animalibus, & reliquis, nam à solo omnia oriri debent, & in solido collocari; Ex dictis satis patet affectiones membrorum, esse conuenientiam & proportionem indeque resultantem elegantiam.

Vt igitur in omni re quatuor distinguimus causas, effectricem, quam & agentem & motricem appellant, finem, formam & materiam; ita in Architectura, causa *efficiens* erit Architectus omnibus artis regulis, ac præceptis perfectè instructus; *formalis*, ordinatio, dispositio, symmetria, Eurithmia, decor & distributio; *finalis*, tempestates, ardoresque vitare, & domi tecto frui, omnis enim ars ad finem vitæ vtilem tendit; Materialis tandem remota, omnia illa, ex quibus tanquam ex partibus integrãtibus coalescit fabrica, proxima verò, quæ non iam fabricæ, sed potius artis materies appellari debet, sunt ædificatio, Gnomonica, & Machinatio. Materies enim artis vel ad necessitatem, vel ad modum, vel ad iucunditatem referenda: necessitatem absoluit Aedificatio, modum Machinatio, iucunditatẽ Gnomonica. De prima agit Vitruuius octo primis libris, de Gnomonica nono, de Machinatione decimo: tantùm de Architectura generaliter sumpta.

Architectura specialiter considerata, vel est sagata, seu militaris, vel togata seu ciuilis. Prima versatur circa arces, & castrum, quod est munitiuncula quędam campestris; Arces autem vel sunt regulares, vel irregulares; in regularibus, quod idem proportionaliter de irregularibus dicendum est, tria sunt consideranda, descriptio, repręsentatio, & inquisitio canonica angulorum & linearum, typica è tabula. Descriptio comprehendit 1. figuram, quæ Tetragona, Pentagona, vbi anguli centri, Poligoni; lineæ, tum latera, tum radij; secundo propugnaculum, cuius distantia, cortina; requisita, partes, & defensio; sub partibus lineæ, collum videlicet, facies, ala, linea capitalis; & anguli propugnaculi, lineæ capitalis & lateris, ab alis & faciebus alæ. Sub defensione, linea defensionis, anguli defensionis, defendentes exterior, interior. Architectura ciuilis, seu togata versatur circa alia omnia ædificia, tàm publica, quàm priuata. Cum enim natura comparatum sit vt singuli singula, aut aliqua, nullus omnia possit, indigentia homines vnà compulit, ac in vnum cætum congregauit: hinc societas illa, quæ ciuitas appellatur, quæ multitudo est quędã vtilitatis causa in locum vnum congregata. Hanc multitudinem vniuersam possumus cõsiderare, vel ea ratione, qua multitudo est, vel quatenus in ea aliquis excellat, & præstet, alij non: si multitudinem vniuersam respiciemus, vt pro eius salute & securitate, vrbem illi condit Architectura militaris munitam męnijs, propugnaculis, fossa, valloque &c. ita ciuilis pro commoditate, vias, pontes, cloacas, angiportus, & huiusmodi, quæ ad omnium commoda pertinent, primũ ædificat: si verò pręstantes, & excellentes ex ea multitudine deligamus, inueniemus alios digniores, & potentiores esse, alios minus dignos, & potentes, & inter dignos potentesque, vnum aut plures; si vnus, aut electione aliorum, & legitimè præerit ille, aut vi & contra leges; si legitimè præsit, princeps verus, & legitimus; si violenter tyrannus perfidus appellabitur: inmiſu ſuis vtriusque Architectura propriæ ædificationis rationem habere debet: Principi Regiã vel aulam, tyranno arcem construet; inter digniores, & potentiores, alij diuino cultui, ac religioni dedici inueniuntur, alij extra religionis obseruantiam: ex his alij foris, alij domi virtutis suæ, & admi-

administrationis præstantiã exercebunt. Qui foris erunt, vel maritimis rebus, vel terrestribus copijs pro republica præerunt: illis portus, stationes &c. his castra, & arces constituet pars Architecturæ militaris: Qui domi manent excellentesque sunt, vel ciuilibus controuersijs, & criminibus, hoc est iudicijs præsunt, vel consilijs & deliberationibus de republica intersunt: iudicibus forum, Senatoribus curia construenda est, atque ita consultum erit his, quibus non est cura, cultusque religionis demandatus. Sed Religiosis & Ecclesiasticis viris ædes sacræ, fana, hospitalia, claustra & huiusmodi alia sunt comparanda vsu decentia, commodisque seruientia. Publicis operibus deseruiunt vtiliter armamentaria, emporia, æraria, horrea, munitiones, thermæ: honorificè, arcus triũphales, sepulchra, metæ, obelisci, trophæa, pyramides: iucundè, theatra, amphitheatra, naumachiæ, circi, inambulationes, xisti, palęstręque: iustè, carceres & huiusmodi loca quibus rei contumaces, malique detinentur: atque hæc sunt quæ ędificationi publicæ inseruiũt. Priuatim verò ciues, & artifices, agricolęque sunt considerandi, quibus ædificia pro cuiusque conditione, vsu & commoditate parari debent in vrbe, extra vrbem, & vbi opus sit.

Ad hanc quoque Architecturæ partem, inter alia potissimũ spectant, quinque diuersa columnarum, indeque nata ædificandi genera, quorũ tria sunt Græca, Doricum, Corinthium, & Ionicum; quartum vocatur Tuscanum, quod prima Architecturę hospitia in Etruria fuere. Legitur enim Etruriæ regum monumenta, & ædificia plura fuisse magnificè constructa. Quintum est Compositum, sic dictum quia partim ab Ionica columna, partim à Corinthia sua mutuatur ornamenta. Sed de his satis, plura consuli possunt apud authores inferius citatos; iam videndum est, quantum illorum notitia cõducat ad sacræ doctrinæ studium.

Primum si sapientiæ, ac scientiæ nomine insignitur Architectura, Vitruuio nimirum sic definiente, *Architectura est scientia, pluribus disciplinis, & varijs eruditionibus ornata, cuius iudicio probantur omnia, quæ à cæteris artibus perficiuntur opera*; concordant quoque huic definitioni plura sacræ Scripturæ loca Exodi 31. *Impleui Beseleel spiritu Dei sapientia, & intelligentia, & scientia in omni opere, ad cogitandum quidquid fabrefieri potest ex auro & argento, & ære, marmore, & gemmis, & diuersitate lignorum*. Isaiæ 3. *Sapientem de Architectis &c.* & Pauli 1. Corinth. 3. *Secundum gratiam Dei, quæ data est mihi, vt sapiens architectus fundamentum posui.* Architectos autem meritò sapientes vocari probat D. Thomas 1. contra Gentes cap. 1. Villalpandus in Ezechiel. tomo 2. parte 2. lib. 2. cap. 1 & 2. Ad formam exemplarẽ, siue quod priusquam ad fabricam moliendam manus admoueatur, illius prius exactam descriptionem, vel Icnographicam, vel Ortographicam, vel Scenographicam facere debeat Architectus, vt omnia bene ordinata, disposita, & commodulata, & non solum ad humanos vsus accommodata, sed etiam ad speciem venusta existant; facit illud quod Ezechielis cap. 43. vbi de templo sermo est, dicitur: *Figuram domus & fabricæ eius, exitus, & introitus, & omnes descriptiones eius, & vniuersa præcepta eius, cunctumque ordinem eius, & omnes leges eius ostende eis, & scribes in oculis eorum, vt custodiant omnes descriptiones eius, & præcepta illius.* Quod etiam dicitur Isaiæ c. 49. *in manibus meis descripsi te*; aliqui trahunt ad preuiam ædificiorum descriptionem, inter quos Arias Montanus, & Deltio in adagialibus, adagio 7. Quamuis secundum alios interpretes videatur potius esse figuratus loquendi modus, quo significetur cura alicuius perpes, solicita, & nunquam immemor, non secus ac si in manibus ille inscriptus haberetur, aut in annulo esset insculptus, iuxta veterũ morem, cuius meminit Plinius lib. 35.

Ad materiam ex qua ædificiorum faciunt sacræ Scripturæ loca, vbi dicitur fuisse

fuisse lapides 2. Paralip. cap. 2. Isaiæ c. 9. *sed quadris lapidibus ædificabimus*: vnde non est dubitandum, quin magnificã opulentiorum ciuium domicilia ex lapide quadrato fierent, aut certè marmoribus artificiosè sectis, & sculptis, vt etiã nunc fit ornarentur. Laterum quoque ex luto fictilium, & igne in fornacibus duratorum, ad vsum ædificiorum, mentio est in sacris litteris, & fornacium ad illos excoquendos paratarum. Laterum quidem, & coctorum laterum apud Isaiã cap. 9. & 16. & muri lateritij Ierem. 43. fornacis verò lateritiæ, id est ad excoquendos lateres destinatæ mentio est lib. 2. Reg. cap. 12. cùm de vltione sumpta de Ammonitis sermo est, *& traduxit eos in typo laterum*: Vatablus vertit, *coniecit eos in fornacem lateritiam*, vel *calcariam*; in qua scilicet coquuntur lateres vel calx, vt locum hunc explicant Serarius, Sanchez, Cornelius & alij. In Genes. cap. 11. vbi de celebri illa turri Babel est sermo, dicitur adhibitos ad illius structuram lateres, non autem lapides: *Venite*, inquiebant illius ædificatores, *faciamus lateres, & coquamus eos igni, habueruntque lateres pro saxis, & bitumen pro cæmento*. Pererius hunc locum explicans, quatuor affert causas, propter quas ex lateribus ædificata fuit turris Babel. Quarum tres pertinent ad Architecturæ considerationem. Prima fuit penuria saxorum in campo Sennaar, nam cum sit regio cãpestris & plana saxis non abundat. Aptè ad hunc locum Vitruuius lib. 1. *De ipso*, inquit, *muro è qua materia struatur, aut perficiatur, ideò non est præfiniendum, quod non in omnibus locis, quas optamus copias, eas possumus habere. Sed vbi sunt saxa quadrata, siue silex, siue cæmentum, aut coctus later, siue crudus, his erit vtendum. Non enim, vt Babylone abundantes liquido bitumine, pro calce & arena ex latere cocto factũ habent murum, sic item possunt omnes regiones, seu locorum proprietates habere tãtas eiusdem generis vtilitates, vt ex his comparationibus ad æternitatem perfectus habeatur sine vitio murus.* Hæc ibi Vitruuius. Altera ratio fuit commoditas faciendi plurimos & optimos lateres. Tertiã, quod solidiùs, ac firmius, diuturniusque esset ædificium; Hanc structuræ rationẽ à diuturnitate laudat Plinius lib. 35. cap. 14. cum ait: *Græci præterquam vbi è silice fieri poterat structura, parietes lateritios prætulere, sunt enim æterni, si ad perpendiculum fiant, ideò & in publica opera, & in regias domos adduntur*. Per quod facilè intelligitur locus ille Isaię cap. 16 vbi ita de Moabitis sermo est, quasi sibi propter muros ex lateribus constructos placerent, dicitur enim: *His qui lætantur super muros cocti lateris loquimini plagas suas*. Nec sanè immeritò videntur muris illis gloriatos fuisse, nam 4. Regum cap. 3. vbi de Moabitarum excidio fit mentio, ita omnia euersa dicuntur, vt tamen muri fictiles remanerent, quod fortasse eos demoliri, & subruere nimis esset operosum, materia benè cocta, & diuturnitate durata operis contumaciter resistente.

Ad illud quoque Exodi cap. 5. vbi primùm mentio fit palearum ad lateres conficiendos adhibitarum; quæri potest quis secundum Architecturam vsus earum esse potest; quod enim dicunt aliqui ex paruis paleis accẽsis coctos fuisse lateres, & hoc pacto solidatos & duratos; videtur obstare, quod tenuitas ignis ex paleis satis virium non habuisset, ad luti aut argillę humorem excoquendum. Barradius igitur lib. 1. itinerarij ait paleas luto fuisse permixtas, ad maiorem certè laterum, indeque ædificiorum firmitatem, vt passim iam Scripturę interpretes omnes docent; sed putat Barradius lateres igni non fuisse decoctos, sed tantùm siccatos ad solem; cuiusmodi fiunt in Hispania, & Lusitania, & appellantur *Adones*. Bonfrerius tamen in cap. 5. libri Exodi compertum esse ait multis locis etiam ijs lateribus admisceri, qui igne excoquuntur, & solidantur, quod tunc fit, cum ad lateres conficiendos vtendum est terra figulari pinguiore, minimèq; porosa, tunc enim adduntur paleæ comminutæ, vt his per

ignem exustis, laterum materia porosior fiat, & vim ignis ferre possit, quæ si non adderentur magno crepitu lateres omnes in partes dissilirent, & frangerentur. De paleis, quæ lateribus admiscentur sermo est apud Vitruuium lib. 1. cap. 3. & 4. Per quod illustratur Ezechielis sermo metaphoricus, cum ait cap. 13. *Ipse ædificabat parietem, illi autem liniebant eum luto absque paleis. Dic ad eos qui liniunt absque temperatura, quod casurus sit, &c.* Lutum enim, seu arenatum, vt rectè conficiatur, & parietibus cratitijs firmiter adhærescat, debet esse aceratum, vt loquitur Festus, hoc est, vt ipsemet explicat, cum paleis mixtum, siue paleatum, vt Columella loquitur lib. 5. cap. 6. Quod in textu dicitur, *absque paleis*. Aquila vertit, *sine sale*, quia vt caro non salita insipida est, & soliditatem non habet, sic nec lutum sine paleis. Vel etiam Aquila locum Prophetæ non de luto aut arenaro intellexit, sed de albario ex calce, quod non est idoneum ad liniendum, nisi calx pura sali, & coriorum præsegminibus misceatur, & temperetur teste Vitruuio lib. 7. cap. 2. & 3. Septuaginta Interpretes, & Theodotion vertunt *liniunt cum stultitia*; hoc est, non secundum artis præscriptum.

Lignorum tandem ad ædificiorum vsum, & materiam, fit mentio pluribus in locis sacræ Scripturæ; Ecclesiastici *Loramentum ligneum colligatum in fundamento ædificij, non dissoluetur*. Monent enim artis tectonicæ periti, vt in muri crassitudine perpetuæ taleæ oleaginæ vstulatæ, quam creberrimæ inserantur, vt vtræque muri frontes inter se, quasi fibulis quibusdam colligatæ, æternam habeant firmitatem: de ligneis igitur hisce taleis intelligendus est prædictus Ecclesiastici locus; vbi tò *loramentum* Græcè est ἱμάντωσις, est autem ἱμάντωσις apud Lexicographos lignum, quod ad continendos parietes in medio structuræ inseritur, de quo illud iterum Ecclesiastici cap. 27. intelligendum putant aliqui, *sicut in medio compaginis lapidum palus figitur, sic* &c. & illud Abacuch c. 2. *Lignum, quod inter iuncturas ædificiorum est, respondebit*. Qualia autem fuerint ligna Sethim, Arcenthina, Sycomori, Cedri, quorum vsus in Hebræorum ædificijs ex authoritate Scripturæ fuit: Respōdet primò D. Hieronymus ad c. 3. Ioëlis de lignis Setim, his verbis; *Nulli dubium est omnia, quæ in tabernaculo Dei legimus de lignis Setim fuisse perfecta quæ Septuaginta interpretati sunt ligna imputribilia. Est autē genus arboris in eremo, spinę albæ simile colore, & folijs, non magnitudine. Alioqui tam grandes arbores sunt, vt latissima ex illis tabulata cedantur; lignumque fortissimum est, & incredibilis leuitatis, & pulchritudinis, ita vt ex his etiam vasa torcularium, quę ἀρσενας καὶ θυλείας vocant, ditissimi quique & studiosissimi faciant, quæ ligna in locis cultis, & in Romano solo, absque Arabiæ solitudine, non inueniuntur.* Hactenus D. Hieronymus.

Septuaginta Interpretes per periphrasim ξύλα ἄσηπτα *ligna imputribilia* dixerunt, in Hebræo est שטה *Schitta*, & in plurali שטים *Schittim*, quam vocem D. Hieronymus retinuit in vulgata editione, dum vocat ligna Setim. Septuaginta aliquando *buxum* verterūt, nō quod ligna hæc sint buxus, sed quod corruptibilia, & putribilia non sint, vt buxus. Ijdem Septuaginta Ioelis 3. vbi vulgata habet *torrentem spinarum*, & in Hebræo torrentem Schittim, verterunt χείμαῤῥον τῶν σχοίνων *torrentem funiculorum*, vbi tamen legendum videtur σχίνων *lentiscorum*, explicantur autem ligna Setim per lentiscum, vel ob leuitatem, vel ob aliquam aliam proprietatem, in qua vtraque hæc ligna conueniant, quia Setim neque buxus sunt, neque lentiscus, sed peculiaris arboris species ab illis distincta.

Ligna Arcenthina, quorum fit mentio lib. 2. Paralip. cap. 2. sunt ligna iuniperi, quæ arbor à Græcis dicitur ἄρκευθος; expetebantur autem huius arboris tabulæ, & trabes ad ædificia, quia cariē non sentiunt, quare Vitruuius lib. 2. vbi

agit

agit de materia cædenda, cum quędam ligna enumerasset & cõmendasset, quæ vt ipse loquitur, *in vetustatem sine vitijs conseruantur*, addit: *item cedrus & iuniperus easdem habent virtutes, & vtilitates*; vide etiam Plinium lib. 16. c. 40. quod ad Sicomoros attinet, probabile videtur adhibitas ad fabricas domorum præsertim vulgarium, nam Isaię 9. dicitur: *Sycomoros succiderunt, sed cedros immutabimus*: id est vulgares arbores succiderunt, at nos pretiosiores substituemus, & qui prius trabes & tabulas è Sycomoris desumebamus ad nostra ædificia construenda, iam nobiliorem adhibebimus materiam, cedros scilicet. Verùm de sacris plantis, siue, de quibus in diuinis Scripturis fit mentio commodius agetur sectione sequenti, vbi de Historia plantarum.

Ad architecturam sagatam, siue militarem pertinent plura Sacræ Scripturæ loca, in quibus arcium, castellorum, murorum altissimorum, turriumque excelsarum causa defensionis mentio, pertinet etiam turris Babilõnica, cuius formam, & quomodo in ea multa millia hominum commodè habitare possent, primus pennicillo demonstrauit Albertus Durerius. Ad ciuilem verò, seu togatam, primùm causa religionis, spectat quod de Tẽplo Salomonico legitur inter cętera Salomonis opera Architectonica primo, atque magnificentissimo; de quo videri possunt sequentes authores Alphonsus Salmeron tomo 1. prolegom. 42. Montanus in libro inscripto *Templi fabrica*; Franciscus Ribera, qui libros quinque edidit *de Templo, & de his quæ ad Templum pertinent*; Sebastianus Barradius tom. 2. suæ concordiæ, integro ferè libro tertio. Ioannes Asorius tomo 1. institut. moralium. lib. 6. Ioannes Pineda lib. 5. de rebus Salomonis cap. 5. & tandem Ioannes Villalpandus, qui magnificentissimo, atque amplissimo in Ezechielem apparatu, tomo præsertim secundo, vniuersam Templi fabricam; atque tum omnia Architecturæ precepta, & quæ ad Mathematicas rationes & computationes spectant; tum quæ ad opulentiam tantæ fabricę diligentissimè latissimèque exposuit. In regia quoque domo Salomonis cuius fit mentio lib. 3. reg. cap. 7. *Domum suam ędificauit Salomon tredecim annis, & ad perfectum vsque perduxit*; multa ad ciuilis Architectonicæ considerationem occurrunt, de quibus vide expositores ad citatum locum, & Ioannem Pineda lib. 5. citato cap. 2. Agit etiam ad multa Sacræ Scripturæ loca, Menochius de Republica Hebræorum lib. 7. de priuatis Hebręorum domibus tam vrbanis, quam rusticis, qualia insuper essent domorum tabulata, cęnacula, & tecta, & quę domus hyemales & æstiuæ; item de domesticis officinis, & de viridarijs, & paradisis domibus adiacentibus, & de Theatro Ierosolymitano.

CAPVT XXII.

Quantum referant ad Sacræ Doctrinæ studium Optica, & Statica.

POst considerationem quantitatis, vt est concreta cum corpore naturali, circa quam versatur Cosmographia, singulæque eius partes; & cum corpore artificiali, cuiusmodi est ędificium, circa quam occupatur Architectonica; nunc breuiter agendum est de Optica, & Statica versantibus circa eamdem quantitatem continuam, sed cum accidenti dumtaxat sensibili concretam; Optica enim, quę subalternatur Geometrię ratione Grammimetrię, tractat de linea visiua; Statica verò, quę eidem Geometrię subordinatur, ratione Stereometriæ, de corpore, qua ponderosum. Optica igitur est scientia contemplans radium, siue lineam visiuam, quà visiua est: sic quia circa visum sex potissimum veniunt consideranda 1. ipsa potentia. 2. obiectum visibile. 3. mediũ videndi. 4. visibilis species. 5. radius. 6. Specula. Sunt qui existimant Opticam in sex principales partes esse diuidendam. Breuius loquuntur, qui illã dum-

dumtaxat bipartiuntur, secundum quod radius visiuus considerari potest vel in genere, vel in specie: Ad generalem radij visiui cōsiderationem pertinent eius principia, & affectiones. Principia sunt vel cognitionis, vel constitutionis radij, tum visibilis, tum visi; principia constitutionis radij visibilis, sunt omnia obiecta visibilia tàm per se, vt lux & color, quam per accidens, vt sub magnitudine, figura, corporeitas, pulchritudo, &c. sub loco, distantia, situs, continuitas, separatio, numerus, &c. sub luce diaphaneitas, densitas, vmbra, &c. Principia autem constitutionis visi, sunt videns principalis, instrumentalis, & ad visionem conducens figura optica. Radii visiui affectiones sunt illius velocitas, & finitudo.

Radius visiuus spectatur in specie vel ratione casus, vel ratione obiecti. Ratione casus radius visiuus alius est perpendicularis, alius obliquus; ratione verò obiecti, alius est directus & simplex, vbi visio simplex vera, falsa: alius reciprocus, & geminus; qui iterum est duplex, vel reflexus, vel refractus; Per ordinem ad quos tres diuersos videndi, siue radiorum visiuorum modos, Optica in specie considerata iterum subdiuiditur in tres partes principales; quarum prima seruato nomine scientiæ dicitur *Optica*; secunda *Catoptica*; tertia *Dioptica*. Visio directa, circa quam versatur Optica, fit cum radius visualis rei visæ est perpendicularis, quod fieri potest, vel sursum, vel deorsum, vel ad latera, cum respectu omnium centrum sit oculus. Radius autem directus, siue perpendicularis est ex cuius incidentia super superficiem ex vtraque parte relinquuntur anguli recti & æquales. Per oppositum dignoscitur radius obliquus. Videndi modus per reflexionem fit in corpore reflexiuo; radius enim reflecti dicitur, qui in occursu opaci, siue corporis reflexiui per eamdem aut aliam lineam versus suam originem proijcitur. Vbi notandum corpus reflexiuum aliud esse asperum, aliud politum, quod vocatur speculum. Et ideo ad hanc partē reduci debet illa, quam aliqui distinguunt, & specularem vocant. Ad speculi integritatem requiritur continuitas & lenitas intensa: superficies regularis; insuper & eiusdem necessaria est perfecta politura; constat in marmore & chalibe, pluribusque alijs lapidibus, & metallis politis. Diaphaneitas autem si speculari corpori acciderit, necessariò opaco aliquo superficiem eius terminante subducendum est: propterea diaphanis, vt sunt vitra, plumbum supponitur, vt radij pertransire prohibiti ad videntem reflectantur. Quod autem plumbum vitro, hoc aquæ est fundus terræ.

Sunt autem varia secundum figurā speculorum genera, quorum etiam varij sunt effectus, variæque proprietates: quædam namque sunt vniformia & plana: in quibus res videri potest vti est; conuersa tamen; dextra enim videntur sinistra, & è contrario. Quædam verò dicuntur diffotmia; eo quod superficies non sit amplius plana, sed vel concaua, vel conuexa, eaque vel sphærica, vel pyramidalis, vel cilindrica, vel conica, vel parabolica. Concaua specula rem maiorem, interdum verò minorem, aut æqualem repræsentant; conuexa semper minorem, & latam quidem si sint sphærica; oblongam verò si sint pyramidalia, aut columnaria. Cur autem in conuexis minor, in planis æqualis, in cōcauis modo maior, modo minor, modo ęqualis suo obiecto videatur imago? Hæc pro planis æqualem reddentibus affertur ratio, quod perpendiculares incidentiæ ab obiecto cadentes perpendiculariter super ipsum speculum semper æquales sunt; in conuexis verò, quandiu versus centrum progrediuntur, minores fiant, atque contrahantur, adeo vt imago sit semper obiecto minor; in concauo denique triplici modo prædicto videri potest, maior videlicet, minor, & æqualis formæ, à qua manat, quia perpendiculares, diuersis mutationibus sunt obnoxiæ; enim verò sibi nonnunquam

quam patallelę fiunt, aliàs ad se inuicē accedunt, vel à recedunt. Hinc fit vt posito oculo inter centrum concaui speculi,& eius superficiem imago semper appareat, donec ad illud punctum peruenerit, in quo confusio accidit, & imago inuertitur; quod si pedetentim discesseris à speculo, prius imaginem recenter inuersam obiecto maiorem deprchendes; donec paulatim ita minuatur, vt fiat ęqualis, deinde minor obiecto, sed caput inferius, & pedes superius vergere putabis. Inter mirabiles quoque speculorum concauorum proprietates, primum tenet locum, quod ad Solem exposita tantam radiorum multitudinem excipiant, atque reflectant, vt in certo puncto non solùm paleas, aut aliquam huiusmodi materiam, verùm etiam ligna quępiam comburant, & inflammēt. Quæ si paulò maiora fabricentur, plumbum, argentum & aurum resoluunt, & calcinant. Hęc autem specula concaua vstoria, vel caustica dicta diuersis figuris efformari possunt, omnium tamen aptissima, & efficacissima ad hunc effectum comburendi sunt illa, quę superficiem concauam sphericam, vel parabolicam habent; vbi etiam aduertendum tàm sphęrici, quàm parabolici speculi axem Solis axi respondere, & veluti cōtinuum esse debere, vt vim omnem inuvendo exerant.

Sed præter hunc effectum ad Catopticam, vel vt alij dicunt Catoptricam minus pertinentem, luce primaria, seu directa interueniente, fieri solitum, lumen reflexum, quod vocant secundariū, causa est, seu conditio necessaria, vt specula varios effectus prodant, & varia diuersis modis appareant, quæ omnia Maginus ad 7. capita reducit: dicitur autem lumen secundarium illud omne, quod vel à Sole, vel à candela tantùm indirectè producitur, quale est illud quod diu nos illuminat, tametsi nubes Solem oculis nostris eripiant, vel illud, quod in angulis cubiculi producitur, dū Sol fenestram tantùm illuminat. Itaque primò speculorum beneficio res dissitas videmus, licet propinquę, & nobis oppositę nusquam deprehendantur. 2. nonnunquam imagines in speculi superficie, alias intra, imo & citra conspiciuntur, idque tribus modis, vel enim sunt inter speculum, & obiectum, vel ipsi obiecto iunguntur, ac in eodem loco existunt, vel etiam vltra obiectum è speculo egrediūtur. 3. statim vnica vnius obiecti imago, statim etiam plures videntur. 4. ingens est in simulachri vel speciei magnitudine varietas; quandoquidem vt iam notauimus, in speculo concauo, de quo potissimum loquimur, imago longè maior, vel minor vel æqualis videri potest. 5. videtur imago tantùm à speculi abesse superficie, quantum obiectum, aliquando verò magis, vel minus. 6. nonnunquam imago instar obiecti recta videtur, adeò vt pars superior supremum, infimum verò locum inferior occupet; aliàs tamen inuersa cernitur, quando speculum est multæ concauitatis, eo quod vna pars speciem supra aliam proijciat. Septimò simulachrum aliquando simile fit obiecto, aliquando dissimile, obliquum & monstruosum, aut ex aliqua parte mutilum, aliàs etiam imago vnius partis rei obiectæ tantummodo cernitur, aliàs integra. De quibus omnibus videndus est pręfatus auctor, alijque plures inferius citandi; qui etiam explicant, quo vsque imago è speculo exilire, quot in eis imagines, & quam varijs sitibus secundum diuersum etiam & obiecti, & speculi sitū apparere, quantum lumen, & quousque reflectere, quantum echo reddere, quibus demum vsibus nobis esse valeant.

Tandem visio refracta fit; siue quod idem est, radius visiuus refrangitur, cùm in occursu medij alterius diaphaneitatis non in directum multiplicatur: sed versus perpendicularem à puncto incidentiæ & fractionis erigibilem accedit: aut à perpēdiculari huiusmodi recedit. Notandum est tamen radium refractum, aliquando tantùm esse refractum, aliquando reflexum & refractum simul. Refractiuum similiter, siue medium refrangens,

gens, aliud est planum, aliud obliquum, vel conuexum, vel concauum densius, rarius; iuxta quorum diuersitatem fiunt etiam diuersæ refractiones. Primo enim radius perpendicularis in superficie media diuersarum diaphaneitatum, V. g. aëris & aquæ coniungente non frangitur, quia non esset ratio quare magis ad vnam partem, quam ad aliam declinaret: in occursu tamen opaci in se, vel ad latus reflectitur. Secundò radius oblique incidens in occursu medij densioris ad perpendicularem frangitur; veniens autem à densiore in rarius à perpendiculari diuertit; ratio est resistentiæ, & actionis diuersitas. Radius enim veniēs de medio rariore in densius V. g. ab aëre in aquam, penetrando fortius agat necesse est; ideo ad perpendicularem tanquam organo suo propinquiorem non declinat. E contrario autem qui venit de densiore in rarius, fortificatione non eget, & ideo à perpendiculari euagatur. Tertiò cum locus imaginis refractæ cuiuslibet puncti rei per refractionem visæ sit in communi sectione lineæ refractionis, per quam species ad oculū pertingunt, & catheti incidentiæ. Hinc concludunt Dioptrici locum imaginis rei visæ in medio secundi diaphani densioris visui propinquiorem fieri, & sic maiorem quam sit videri, in rariore magis distare, & sic minorem quam sit apparere. Ea propter visus semper decipitur in situ obiecti, quando per media variæ diaphaneitatis videt; res enim existimatur esse, vbi locus imaginis constituitur: quidquid autem in aqua cernitur, maius esse apparet, quàm re vera fit.

Ex quibus possunt variæ experientiæ solui, atque ratione comprobari; vt cum baculus in aqua perpendiculariter erectus veluti fractus & incuruatus existimatur, specie baculi, cum ad aquæ superficiem peruenit, à perpendiculo diuertente, cum aer, in quo situs est visus, sit aqua rarior. Quomodo denarius in fundo vasis existens imposito liquore cernitur, qui aliàs videri non potuisset: quia nimirum locus imaginis refractæ cuiuslibet puncti rei per refractionem visę est in communi sectione lineæ refractionis, per quam species ad oculum pertingunt, & cathethi incidentiæ. Præterea variæ apparentiæ intelliguntur, quæ ob perspicilia, seu dioptras, atque tubos illos, seu telescopia nobis apparent; vnde vt ad Catopticā pertinet speculorum consideratio, ita ad dioptricam perspiciliorum, quorum non minus diuersa, quàm speculorum, sunt genera. Verumtamen omnes hi radij reflexi, aut refracti directis sunt debiliores: quia à fonte & origine sua magis elongati; & ex obliquitate debilitati; rectitudo enim luci connata est.

Vltimò pro quarta Opticæ parte addi potest ars lucis, & vmbræ, siue quę considerat luminosi & opaci naturam, profusionem, concursum, occursum, illapsum, vmbram, & traiectum luminis, secundum omne proiectionis genus, orthographicum, stereographicum, & scenographicum. De quibus inter alios egregiè Mersennius lib. 1. in Genesim, & Athanasius Kircherius in libro inscripto *Ars magna lucis & vmbræ*.

Quod hæc etiā scientia conducat ad Sacræ doctrinæ studium; inter alia probat locus ille Diui Iacobi epist. cap. 1. *Quia si quis auditor est verbi, & non factor: hic comparabitur viro consideranti vultum natiuitatis suæ in speculo: considerauit enim se, & abijt, & statim oblitus est qualis fuerit.* Cum enim videat homo faciem suam in speculo per radium ab illo reflexum, debiliore modo videt; docente perspectiua radios reflexos, aut refractos esse directis debiliores. Docente insuper eadem perspectiua, posse fieri specula ex omni materia, quæ reflectere potest, vt ex marmore, chalybe, argento, ære, cæterisque metallis, imo & ex aqua, & forsitan ex aëre, si quis illum ita condensare posset, vt aquæ densitatem imitetur, sufficit enim dummodo reflectat; facilè intelligitur ex illo Exodi 3. apud Hebræos, specula ex ære fabricata fuisse, labrum si quidem æneū

quod ibi iussit Deus fieri vt Sacerdotes altare ascensuri pedes & manus lauarēt, confectum fuit ex speculis mulierum, quæ excubabant ante ianuam tabernaculi, vel vt 70. verterunt ieiunabant. Licet alij existiment illa specula labro æneo affixa fuisse, vt oculis in illa defixis cauerent Sacerdotes, ne quę labecula faciem dehonestaret: *Inuenta sunt enim specula*, inquit Seneca 1. nat. quæst. *vt homo ipse se nosceret. Multa ex hoc consecuta, primò sui notitia, deinde & ad quadam consilium: formosus, vt vitaret infamiam: deformis, vt sciret redimendum esse virtutibus, quidquid corpori deesset: iuuenis vt flore ætatis admoneretur, illud tempus esse discendi, & fortia audendi: senex, vt indecora canis deponeret, & de morte aliquid cogitaret. Ad hoc rerum natura facultatē nobis dedit nosmetipsos videndi*. Multa quoque tradit Perspectiua de natura lucis & vmbræ, quæ ad intelligenda multa Sacræ Scripturæ loca cōducere possunt; de quibus vide Mersennium cap. 1. in Genes. ver. 3. quęst. 4. physica & morali de luce.

Statica contemplans corpus, quà ponderosum, duas habet partes principales; vt enim grauitas corporis potest considerari dupliciter, vel indeterminatè; vel determinatè in speciebus corporum; prima pars versatur circa grauitatem primo modo consideratam; secunda verò circa grauitatem secundo modo sumptam. In grauitate primo modo, tria sunt consideranda definitio, principia & affectiones. Definitur grauitas, quod sit vis corporis iuxta quam fertur ad propriam suam sedem. Principia alia sunt complexa è Geometria desumpta, alia incomplexa, materialia vt lineæ & superficies, formalia vt figuræ corporum. Affectiones similiter sunt, vel prima, vt grauitatis pondus; vel orta, vt motus. Grauitatis pondus cognoscitur, vel absolutè ex puncto grauitatis, cuius ratio attenditur penes cētrum staticum, inuestigatio verò è spatio medio & linea media; vel comparatè vbi proportio corporum mutua, quæ vel est ęqualitatis, vel inæqualitatis. Species autem corporum, in quibus grauitas determinatè consideratur, diuiduntur vel ratione formæ, quà aliud planum, pyramidale &c. & aliud gibbum, sphæricum, varium, vel ex diuersitate materiæ grauitas alia corporis terreni, alia aquæ; vbi etiam de illius libratione.

Iam quantum referat huius scientiæ peritia ad sacræ doctrinæ studium patet ex illis Scripturæ locis in quibus non solum stateræ fit mentio, sed diuersorū etiam ponderum, & mensurarum, seu vasorum ad mensurandum deputatorū, cuiusmodi sunt Amphora, Artaba, Affaron, Batus, Cabus, Cadus, Corus, Ephi, Gomer, Gomor, Hin, Lethec, Log, Metreta, Modius, Satum, Sextarius; De quibus omnibus videndi sunt interpretes ad propria in quibus de illis agitur Scripturæ loca, Cornelius à Lapide in opusculo de ponderibus, & mensuris; Bonfrerius in digressione ad caput 16. Exodi; Alcazar latissimè in opusculo de ponderibus & mensuris, quod est in fine explicationis eiusdem authoris in librū Apocalipsis, & alij plures.

CAPVT XXIII.

Quantum referat ad Sacræ doctrinæ studium Mechanica, siue Machinatiua.

SVb nomine Mechanicæ, vel Machinatiuæ in communi comprehendo omnes illas artes, vel sciētias, quæ principia Geometrica applicant ad ea opera, quæ ingenio simul & manu perficiuntur. Vnde non quælibet artificia protrita & vulgaria, Mechanica dicenda sunt propriè, sed ea tantùm quæ ingenio succurrunt difficultatibus contingentibus pręter naturam, & subueniunt vtilitati, vt ait Aristoteles, sonatque ipsum nomen Mechanicæ, quæ dum causas machinarum, vel omnium effectuum qui perficiuntur Machinis, docet, Rationalis appellatur, Chirurgica verò quan-

quando manum admouet operi.

Sub illa continetur *Manganaria*, quę maxima pondera facillimo negotio tollit in altum, vel deprimit: *Mechanopoetica*, quæ aquas anthlijs subleuat: *Organopoetica* quę instrumenta bellis accommoda parat; *Thaumaturgica*, quæ ponderibus, vel spiritu, neruis & funiculis vtitur, vt miranda efficiat: *Hydraulica*, quæ mira docet de ijs, quæ subnatant aquis, quibus etiam horologia fabricat, & quęcumque per se ventorum flatu resonant, & exprimunt voces auium, siphones etiam extinguendis incendijs, & Aeolipylas suscitādis construit: Centrobarica, quæ de centro miranda tradit, vnde desumuntur omnia. Tandem prout in omni ferè materia innumera sunt machinarum genera, & species, tot diuersas in Mechanica partes distinguere possumus.

Ex machinis enim quędam per se mouentur, quæ automata Gręcè vocantur, quia vltro, & sponte versari videntur, aliæ non per se mouentur. Ex prioribus quędam stata Gręcè, statoria Latinè dictæ sunt, quędam hypagonta, id est subuersatæ, habent enim intra se latenter, vndè motum habent: de vtrisque generibus Hero pertractat. Ex his autem quæ non mouentur sponté, id est quæ motionis principium intra non habent, aliæ ab inanimis rebus cientur, aliæ ab animatis, priores aut ab aëre, aut ab aqua, aut ab igne impelluntur; ab aëre & spiritu quæ mouentur, aut spiritus inclusos habent, aut liberos: si inclusos, Pneumatica ratio absoluitur, hoc est spiritalis: si liberos, eas facit machinas, quæ vēto liberè impelluntur, vt ędificia ad molendum, & hydraulicę quędā Machinæ, & quæ verrucula impellente fumo conuoluunt. Si ab aqua tunc fiunt rotæ, & tympana ad molendum, serræ ad trabes secandas, folles manticesque ad tundendum ferrum, & alia huiusmodi, quorum vsus est maximè necessarius. Verum si machinæ ab animatis mouentur, eæ sunt, quas vel ratione carentia mouent, vt boues, equi mulique, vt currus, cisia, quadrigæ; vel eæ, quas homines durum genus versat, trahit, erigit, impellit, siue ad pacis vsus, siue ad bellicos apparatus spectant. Vnde ad eas motiones trochleis, vectibus, radijs, trutinis, lancibus, ergatis, rotis, & tympanis vtitur, vt autem ascendat multiplices scalarum formas construit, munitas, & sine munitione, vt verò disrumpat, excutiat, prosternat, quatiat, frangatque ac iaculetur, arietes, testudines, turres ambulatorias, cuniculat, terebras, catapultas, balistas, tormenta reliqua, ędificat, compingit, coagmentat, quæ omnia ad machinarum partitionē spectant, quarum rationes & regulæ videri possunt apud authores inferius citandos, prӕsertim Vitruuij interpretes ad librū 9. & 10. cum earum notitia non parum conducere possit ad intelligenda illa Scripturæ loca in quibus Machinarum fit mentio.

CAPVT XXIV.

Quantum referat ad sacræ doctrinæ studium Metaphysica.

PEruenimus tandem ad culmen sciētiarum speculatiuarum, hoc est intellectui potissimum perficiendo destinatarum. Metaphysica enim non solùm versatur circa ens abstractum à materia singulari, vt Physicæ disciplinæ; à materia sensibili, vt Mathematicę, sed etiā à materia intelligibili; siue illa abstractio fiat per separationem ab omni potentialitate, sicut accidit in Deo; siue fiat per separationem solùm à materia corporali, includentem tamen potentialitatem, sicut accidit in Angelis; siue fiat per solam pręcisionem intellectus, pręcidentis aliquas rationes à materia sicut sunt ratio substantię & entis, alięque huiusmodi. Obiectum itaque adęquatum Metaphysicę, est ens in tota sua latitudine, pro vt abstrahit à creato, & increato: Ex hac dignitate obiecti, qua Metaphysica cęteris scientijs naturalibus pręeminet, processit, quod non so-

lùm appellaretur Metaphysica, quia scilicet consideratio eius progreditur vltra res naturales, materieque proindè immersas, quę Philosophię naturalis considerationi subijciuntur; sed pluribus etiam alijs, & quidem egregijs nominibus fuerit insignita; in quantum enim cęteras scientias naturales superat, quasi per antonomasiam philosophia nominatur; item Sapientia, tum quia cęteras scientias dirigit, sapientis enim est dirigere; tùm etiam maximè, quia causas altissimas, ipsumque Deum, quantùm naturali lumine attingibilis est contemplatur; & propterea etiam Theologia naturalis passim ab Aristotele vocatur, id est, diuina scientia, quia pręcipuum cognitorum in ea est Deus.

Quod pertinet ad generalem totius Metaphysicę diuisionem; omissa illa Aristotelica in duodecim libros Metaphysicæ diuisione; tribus potissimum partibus absolui potest. Prima erit de ente in communi, eiusque principijs, & causis. Secunda de proprietatibus entis. Tertia de speciebus entis, vt ens est, & de speciebus, aut quasi speciebus entis spiritalis, siue id sit creatum, siue increatum. Quæ tamen omnes partes constituunt vnicam dumtaxat in specie infima Metaphysicam; cum habeant vnũ & idem obiectum formale, intra eamdem abstractionẽ ab omni prorsus materia, respectu cuius materialiter tantũ se habet, quod illa abstractio fiat, vel per separationem ab omni potentialitate, sicut accidit in Deo; vel per separationem solùm à materia corporali, includendo tamen aliquam potentialitatem, sicut accidit in Angelis, qui cum sint in prædicamento non abstrahunt à mate ria metaphysica, siue à genere metaphysico, sed tantùm à physica seu corpore. Vel tandem per solam pręcisionem intellectus, præcidentis aliquas rationes à materia, sicut sunt omnia transcendentalia, quæ ex sua natura non sunt in prædicamento, possunt tamen esse.

Vnde satis patet obiectum Metaphysicæ non esse ita purum, vt à se excludat omnem prorsus potentialitatem, sicut facit obiectum Theologiæ supernaturalis; quod est Deus sub ratione Deitatis; sed permissiuè se habere ad hoc vt includat talem potentialitatem, vel ad hoc vt ab illa abstrahat: & propterea inter obiecta inadæquata Metaphysicæ datur aliquod (Deus scilicet) quod ab omni prorsus potentialitate abstrahit, licet cętera ab ea non abstrahant, sed tantùm ab omni materia; omnia tamen illa cõprehenduntur sub abstractione Metaphysicæ, quia omnia abstrahunt secundum rationẽ entis ab omni prorsus materia. Sic illa diuisio, qua aliqui Metaphysicam tripartiuntur per ordinem ad dictam triplicem abstractionem; in Angelicam siue spiritalem, in Diuinam & transcendentalem, non tam est diuisio generis in suas species; quam totius in suas partes integrales.

Pars prima de ente.

INcipiendo iam à prima parte; quia ens propriè loquendo definiri non potest; non tam quęri debet quid sit ens quàm quid concipiatur nomine entis? Circa quod omissis multis, cum ens sumatur ab actu essendi; nomine entis absolutè, vel simpliciter sumpti, intelligitur id, quod est, vel esse potest; per id quod est, intelligitur quod existit, vocaturque ens participialiter; per id quod esse potest, intelligitur, quod existere potest, vocaturque ens nominaliter: quia concipitur vt abstrahens ab actu essendi, atque adeo à motu & tempore, sine quibus actus essendi esse non potest; nomen enim, vt in eius definitione exprimitur, significat sine tempore; vnde concipere aliquid nominaliter, est concipere illud vt abstrahit à tempore; Per oppositum concipitur aliquid in actu exercito, participialiter, & verbaliter, quæ omnia idem sunt, quando concipitur vt est in tempore, verbum enim, & participium significant cum tempore. Itaque *ens* est nomen concretum, quod potest duas formas significare, scilicet essen-

essentiam & existentiam; & quando pro formali significat essentiam, dicitur ens nominaliter, quando verò pro formali significat existentiam, dicitur ens participialiter. Quæ duo entia non solùm distinguntur inter se ex modo significandi cum tempore, & sine tempore, sed etiam in hoc, quod ens nominaliter sumptum verè sit transcendens respectu suorum inferiorum, prædiceturque essentialiter de vltimis eorum differẽtijs; secus autem ens participialiter sumptũ; cùm enim esse, seu existentia, non sit de essentia alicuius creaturæ, si quidem cõuenit ei per causam efficientem, & est quid receptum in ipsa essentia; satis patet ens participialiter sumptum, quod pro formali significato habet ipsum esse, seu existentiam, non includi essentialiter in vltimis differentijs suorum inferiorum, & consequenter non esse transcendens.

Ens reale, quod primùm diuiditur in Deum & creaturas, deinde ens creatum in substantiam & accidens, seu in decem prædicamenta, respectu eiusmodi inferiorum, neque est purè æquiuocum, neque vniuocum, sed analogum, tàm analogia attributionis, seu proportionis, quàm proportionalitatis, ex diuersis tamen principijs, nam analogia attributionis, quam habet ens respectu suorum inferiorum, causatur per dependentiam, & non per transcendentiam. In illa enim secunda analogata suscipiunt denominationem à primo, & per ordinem ad illud constituuntur, quod formaliter loquendo, non prouenit à transcendentia entis, sed ex eo quod primo, & per se significat vnum, alia verò non nisi per respectum & habitudinem ad istud, in quo consistit dependentia. At Analogia proportionalitatis propriæ, quam habet ens, non causatur per dependentiam, sed per transcendentiam: Prædicamenta enim, aut alia inferiora entis, quæ immediatè significantur per illud, vt est analogum proportionalitatis propriæ, pro vt sic, sunt primo diuersa, & se totis differunt: propter quod talis proportionalitas attenditur inter illa secundum se tota, & non præcisè ratione differentiarum. Sed transcendentia entis est causa, quod inferiora entis sint primò diuersa, & quod inter illa secundum se tota attendatur proportionalitas. Ergo ipsa etiam est causa talis analogiæ proportionalitatis. Indè sequitur ens non significare immediatè aliquem gradum, seu rationem communem distinctam, perfectèque abstractam à gradibus, seu perfectionibus, quas significant inferiora eius; sed immediatè significare ipsa inferiora, vt proportionabiliter se habentia inter se: atque ita simpliciter loquendo, ens non habet vnum conceptum obiectiuum suis inferioribus communem. In tantum enim genus dicit vnum conceptum præcisum & communem, V.g. animal gradum sentiendi: quia non est de essentia differentiarum, licet sit de essentia specierum, à quibus proindè propriè loquendo non præscindit, sed tantùm à differentijs. Ens autem ratione suæ trascendentiæ est de essentia differentiarum, seu modorum, per quos ad sua inferiora determinatur. Ergo ens non dicit vnum conceptum præcisum & communem; sed immediatè significat sua inferiora, V.g. substantiam & accidens, secundum suas proprias rationes, vt proportionaliter inter se similes. Et ita quando ens prædicatur de substantia, & accidenti, non prædicat eamdem omnino rationẽ. Sed quando dicimus *substantia est ens*, ibi de substantia absolutè sumpta prædicatur ratio eiusdem substantiæ, vt proportionaliter similis accidentibus: & quando dicimus; *accidens est ens*, ibi de accidenti absolutè sumpto prædicatur ratio accidentis, vt proportionaliter similis substantiæ. Atque hic est proprius modus prædicandi analogi proportionalitatis propriè, in quo distinguitur ab vniuoco, & æquiuoco, vt patet ex eorum definitionibus.

Loquendo iam de principijs entis, pro vt ens est, sunt in duplici differentia; alia enim sunt complexa, quæ possunt

ſunt vocari principia cognitionis entis, alia verò incomplexa, quæ dici poſſunt principia rei in ente. Incipiendo à principijs primo modo ſumptis ſententia communis inter omnes philoſophos eſt; quod iſta propoſitio, *Impoſſibile eſt idem eſſe & non eſſe*, ſit primum omniũ principium; ſiue vt alijs terminis æquiualentibus explicatur, *quodlibet eſt vel non eſt*; *neceſſe eſt quodlibet eſſe vel non eſſe*: Multis diſputant aliqui hoc principium eſſe negatiuum; ſed videtur falſum, nam vbi modus non negatur in propoſitione modali, ibi non eſt propoſitio negatiua; in iſtis autem modus non negatur. Si verò ſit propoſitio coniunctiua, pariter non eſt negatiua, quia negatio tantum eſt, quando coniunctio negatur: at cum dicitur, *impoſſibile eſt idem eſſe & non eſſe*, non negatur coniunctio; igitur propoſitio non eſt negatiua; ſed eſto eſſet; nõ tamen inde ſequitur principium in illa contentum non eſſe omnino primum, quia omnis propoſitio negatiua affirmatiuam ſupponit, & in ea fundatur, etſi enim propoſitio negatiua fortaſſe non poſſit eſſe prima quantum ad vim demonſtrandi & probandi in demonſtratione directa & oſtenſiua; ſecus autem quantum ad vim demonſtrandi & probandi in demonſtratione per reductionem ad impoſſibile; at in præſenti eſt ſermo de principio quod ſit primum in demonſtratione per reductionem ad impoſſibile; ergò cum per hoc principium declaretur maior & prima impoſſibilitas vnde cæteræ & repugnantiæ, & oppoſitiones, & impoſſibilitates oriuntur, debet illud eſſe omnium omnino primum: quod conſequenter non poteſt ſimpliciter & abſolutè probari, ſed ſolum redarguitiuè, arguendo ſcilicet ex conceſſis, & ad hominem contra negantes illud, & inducendo eos ad ſibi contradicendum. Inter prima quoque Metaphyſices principia, vel axiomata, reponitur illud, *primum in quolibet genere eſt cauſa cæterorum*; quod non ſolùm eſt verum ad ſenſum aliquorum de primo in genere cauſandi, ſed de primo in quolibet genere entis, etiam in genere prædicamentali, ita vt primum in quolibet genere, ſiue illud genus ſit vniuocum, ſiue analogum, ſit ſaltem primum in genere cauſæ exemplaris reſpectu cæterorum.

Quod pertinet iam ad principia rei in ente, ſunt eſſentia, & exiſtentia: nec enim eſſentia ſola eſt principium, ſi abſtrahas ab omni exiſtentia. Eſſentia enim non eſt ſi exiſtere non poſſit: nec exiſtentia ſola principium eſt; nec enim exiſtere poteſt id quod eſſentiam non habet. Etſi autem rerum eſſentiæ ſint perpetuæ negatiuè, ex eo quod ſunt negatiuè ingenerabiles, & incorruptibiles; quatenus ſecundum ſe non habent principium ſuæ corruptionis aut generationis, & per conſequens neque ſui finis, aut principij: Nihilominus tamen non ſunt perpetuæ, eo quod verè habeant ab æterno extra Deum aliquam realitatem eſſentię, quam vocant diminutam quãdam entitatem; non verò exiſtentiæ; ſi quidem quidditas creati antequam eſſe habeat, nihil eſt niſi fortè in intellectu creantis: vbi non eſt creatura, ſed creatrix natura; vnde etiam ſatis patet rerũ eſſentias remanere non poſſe ſecundum aliquam realitatem peremptis ſingularibus; ſed ſicut nihil ſunt, antequam ſingularia producantur; ita etiam in nihilum redeunt, quando ſingularia deſtruuntur. In eſſentia cuiuſcumque entis tria potiſſimum conſiderari poſſunt, veluti eius principia, genus, differentia ſpecifica, & numerica. Quemadmodum enim compoſitio quæ in eadem re fit ex materia & forma, ſolet appellari phyſica, ſeu naturalis, eiuſque partes ſcilicet materia, & forma, partes phyſicæ ſeu naturales; ita etiam compoſitio quæ fit ex genere & differentia, ſiue quod idem eſt ex diuerſis gradibus einſdem eſſentiæ, quorum alter ſignificatur vt materia, ſeu per modum potentiæ, & eſt quid commune: alter verò vt forma, ſeu per modum actus, & eſt quid proprium, talis, inquam compoſitio, vocatur Metaphyſica: & ſic dicimus ſpeciem componi ex genere & differentia: vbi genus & diffe-

differẽtia non sumuntur formaliter pro intentionibus, vt patet; sed materialiter pro ipsis gradibus, qui alias suscipiunt tales denominationes. Hæc tamen cõpositio non est realis, cum nec partes eius, scilicet gradus prædicti distinguantur realiter formaliter, neque aliqua alia distinctione ante intellectum. Vnde necessariò sequitur vtrumque nomen tam genericum, quam specificum, V.g. animal & rationale in homine, significare eamdem rem à parte rei, scilicet essentiam hominis, quę à parte rei est vna entitas realiter composita ex materia & forma. Quamuis loquendo de proximo fundamento, super quod fundantur & à quo desumuntur gradus genericus, & differentialis, tota essentia rerum sit id à quo sumitur tam gradus genericus, quam differentialis, siue in Angelis, siue in substantijs corporeis, siue in accidentibus; nomina enim significantia tales gradus in quacumque essentia, significant totam illam, & non aliquam eius partem, cum hoc solũ discrimine, quod nomen genericum significat illam vt indeterminatam, & perfectibilem, nomen verò differentiale vt determinatam & perfectam: Et si, inquam, loquendo de fundamento proximo, super quod fundantur genus & differentia, omnino cõueniant substantiæ spirituales, corporeę & accidentia, distinguntur tamen in fundamẽto remoto, seu prima radice à qua tales gradus oriuntur. Nam in substantijs spiritualibus tota essentia est fundamentum non solum proximum, sed etiã radicale, à quo sumuntur genus, & differentia, & per consequens vtrumque fundatur super eamdem simplicem essentiam, quæ secundum quod consideratur vt indeterminata, & perfectibilis, est radix gradus generici; secundum verò quod consideratur, vt determinata, & perfecta, est radix gradus differentialis; at in substantijs corporeis genus & differentia radicaliter sumuntur à materia, & forma, & per consequens in eis, alia est radix generis, alia differentiæ; ratio est, quia proprium est gradus generici esse quid potentiale & perfectibile; sicut proprium est gradus differentialis esse quid actuatiuum, seu perfectiuum; ergò licet fundamentum proximum horum graduum sit tota essentia, secundum quod consideratur vt perfectibilis vel perfectiua: tamen primæ radices, à quibus sumuntur tales gradus, erunt illæ res, à quibus primò oritur dicta potentialitas & actualitas; certum est autem intra latitudinem substantiarum materialium, omnem potentialitatẽ primùm oriri à materia prima, & omnem actualitatem primò oriri à forma, cum materia prima sit prima potentia, forma verò substantialis primus actus; & primum in vnoque genere sit causa eorum, quæ sunt post in illo genere: igitur materia, & forma sunt primæ radices, à quibus sumuntur gradus genericus, & differentialis: differunt tamen in hoc, quod sola materia prima nõ est integra radix gradus generici, si ab ea præscindatur omnis forma: cum tamen hoc conueniat formæ respectu differentiæ; vt docet D.Thomas de spiritual. creatur. artic. 1. ad 24. *In rebus compositis*, inquit, *ex materia & forma, genus sumitur à materia, & differentia à forma; ita tamen quod per materiam non intelligatur materia prima, sed secundum quod per formã recipit quoddam esse imperfectum, & materiale respectu esse specifici; sicut esse animalis est imperfectum & materiale respectu hominis*. Tantùm de compositione Metaphysica ex genere & differentia, siue de natura specifica.

Porrò vt ex gradu generico & differentiali resultat natura specifica, siue vnitas quæ vocatur formalis, ita ex natura specifica, & gradu indiuiduali illam contrahente resultat natura singularis, fundataque in ea vnitas numerica, quæ est omnium maxima, quia nullam admittit diuisionem; vnitas verò formalis minor est illa, quia non excludit diuisionem numericam: & intra latitudinẽ vnitatis formalis illa adhuc erit minor, quæ causatur per principium formale magis commune: quia plus admittit diuisio-

uisionis; V. g. in Petro vnitas, qua est hoc indiuiduum, est maxima; quia excludit omnem diuisionem: vnitas verò qua est vnus homo, est minor præcedenti: quia ex vi huius non excluditur, quod sit hic, vel hic homo: vnitas autē qua est vnum animal, est minor præcedentibus, quia ex vi illius non excluditur, quod sit hoc animal, scilicet homo: aut illud animal, scilicet equus. Et idem proportionaliter est de alijs gradibus superioribus, vsque ad vltimum. Et si autem loquendo de negationibus, in vnoquoque indiuiduo negatio, quam importat vnitas numerica, nimirum negatio diuisionis materialis, distinguatur realiter negatiuè à negatione, quam importat vnitas formalis, quæ est negatio diuisionis formalis; attamen loquendo de huiusmodi vnitatibus, quantùm ad realem entitatem quam dicunt, sola ratione ratiocinata inter se distinguuntur, teste D. Thoma cap. 1. & 2. de ente, & essentia, vbi dicit differentiam indiuidualem comparari ad speciem, sicut differentia specifica comparatur ad genus, quantùm ad modum distinctionis; differunt enim in hoc, quod quando natura specifica contrahitur per gradum indiuidualem, non contrahitur per eum, tanquam potentia per actum, sicut accidit in ratione generica, quando per differentiam specificam contrahitur; sed potius contrahitur sicut actus per suam potentiam: & propterea quando natura specifica ad gradum indiuidualem descendit, tantùm abest quod perficiatur, quin potius imperficitur & limitatur ab eo. Cum autem aliud sit loqui de proximo, & immediato principio, seu fundamento, ex quo desumitur vnitas numerica, vel indiuiduatio in ente; aliud verò loqui de primo & radicali eius fundamenro; ita etiam, conuenientibus omnibus Metaphysicis, quod in substantijs materialibus tam forma, quam materia quatenus simul vniuntur, ad proximum indiuiduationis principium concurrant, si quidem ex ambabus partibus simul vnitis indiuiduum formaliter cōstituitur; est tamen inter illos grauis difficultas de primo ac radicali principio indiuiduationis, quam aliqui à forma desumendam putant; melius tamen cum D. Thoma asserendum est à forma tanquam à principio primo & radicali gradum indiuidualem desumi nō posse; illud enim solum potest esse primum & radicale principium indiuiduationis in substantijs materialibus, quod est prima radix limitationis & contractionis, qua differentia indiuidualis limitat, & contrahit rationem specificam in eis: at forma non est huiusmodi radix, sed potius materia; igitur forma nō potest esse primum, & radicale principium indiuiduationis; sed materia, non quidem secundum se considerata, sic enim pertinet ad naturam specificam, sed materia signata quantitate: quia sicut quantitas est illa forma, quæ per se primò est diuisibilis in partes diuersas eiusdem speciei, atque rationis, quarū vna non est in potentia receptiua respectu alterius (neque enim vna pars quantitatis est alterius per modum potentiæ receptiua) ita materia quæ est ordinata ad recipiendam aliquam formam, siue quod idem est, quæ secundum se considerata est communicabilis per modum potentiæ pluribus formis eiusdem speciei, debet reddi positiuè incapax receptionis alterius formæ eiusdem speciei atque rationis, per participationem talis quantitatis, seu per sigillationem ad talem quantitatem iuxta illud, primum in quolibet genere est causa cęterorum.

Quia autem materiam esse sigillatā seu signatam quantitate, potest tribus modis intelligi: primo ita vt per hanc sigillationem significetur materia quatenus est formaliter affecta quantitate formali: secundo, ita vt per eam intelligatur modus quidam substantialis materiam primam immediatè afficiens, per quē materia vendicet sibi & exigat hanc potius quantitatem, quàm aliam; tertio ita vt per eam intelligatur materia prima quatenus præhabet & præcontinet in se hanc potius quantitatem quam aliam;

aliam, ex vi rationis dispositionumque præcedentium. Asserimus hoc tertio dumtaxat modo materiam sigillatam esse radicem indiuiduationis. Etsi enim materia affecta formaliter dimensionibus consideratis secundum id, quod est formale in eis, possit dici principium indiuiduationis in esse cognoscibili, & quo ad nos, quia per dimensiones formales deuenimus in cognitionem indiuidui: Secus tamen in esse rei; cum enim substantia prima seu indiuiduum sit ens per se, directè ponibile in prædicamēto substantiæ; non potest in esse rei reduci tāquam in principium in aliquod aggregatum per accidens, qualis est materia vt signata quantitate formali, igitur dimensiones formales, non sunt in esse rei principium indiuiduationis, sed solum vt sunt radicaliter & virtualiter præhabitæ & præcontentæ in materia: sic enim consideratæ dicuntur habere esse substantiale, facereque vnum per se cum materia; quæ dicitur determinata ad tales dimensiones, illasque exigere ex vi præcedentium dispositionum, siue quod idem est ex vi talis actionis per quam forma generanda debet in materiam introduci. Sicut in substantijs materialibus prima radix indiuiduationis est materia signata quantitate modo explicato; ita in accidentibus primum indiuiduationis principium est proprium eorum subiectum, reddens illa incommunicabilia per modum formæ, vel actus cuicumque alteri subiecto; sic repugnat quod duo accidētia solo numero diuersa recipiantur simul in eodem subiecto. Rectè tamē D.Thomas asserit opusc. 70. q.4. artic.2. ad 3. quod sub peculiari aliqua ratione competit quantitati, esse ex se radicem indiuiduationis suæ; etiam si cæteris accidentibus competat solum indiuiduari radicaliter à subiecto. Ratio est, quia illud quod ex se diuiditur in plures partes eiusdem speciei atque rationis, habet ex se esse sub aliqua ratione speciali principium indiuiduationis; si quidem differētia indiuidualis sit formaliter per diuisionem intra eamdem speciem; vnde illud quod habebit à se, & ratione sui diuidi in diuersas partes eiusdem rationis atque speciei, habebit à se principium indiuiduationis, & multiplicationis intra eamdem speciem; talis autem est quantitas; quia linea v. g. diuiditur in plures partes, quarum quælibet est eiusdem speciei, cum quælibet sit linea: & ita pariter de alijs speciebus quantitatis. Tandem loquendo de principio indiuiduationis Angelorum, siue substantiarum spiritualium probabilius in via D.Thomæ dicendum est, illas indiuiduari à seipsis secundum gradum specificum, taliter quod gradus indiuidualis earum non distinguatur etiam ratione à specifico, tantum de natura singulari; & de pertinentibus ad essentiam, nunc agendum est de existentia.

Cum existentia sit altera pars componens vna cum essentia, cuius est proprius actus, ens creatum Metaphysicale, ideo post considerationem de essentia creata tam specificè, quàm indiuidualiter considerata, de existentia creata eadem breuitate est agendum: quia autem potest existentia creata considerari, vel secundum quod comparatur ad compartem suam, essentiam scilicet; vel secundū quod comparatur ad suas causas, de illa primum agemus secundum priorem considerationem. Existentia igitur nihil est aliud, quam ipse actus essentiæ; vel id, quo essentia dicitur esse completè extra suum nihil, necessariò si sit essentia increata, contingenter si creata; vel si loquamur de existentia creata, est illud, quo aliquid denominatur positum extra causas, & extra nihil in facto esse. Ad quod non sufficit denominatio aliqua extrinseca ex præterita productione proueniens, nec pura, & sola relatio dependentiæ ab agente. Cum enim existentia, seu esse sit aliquid maximè reale, & intrinsecè denominās rem existentem, si quidem nulla res dicitur existere nisi in se realiter extra causas ponatur, & per hoc quod habet tale esse, maximè secernitur ab ente rationis, & à negationibus, eo quod per existen-

tiam ponitur extra nihil: oportet, quod ſit aliquid reale in ipſa re exiſtente, & conſequenter non ſit ſola denominatio extrinſeca, quia hęc nihil reale ponit in denominato. Similiter quia vnumquodque dicitur in ordine ad ſe, in tantum enim exiſtit, in quantum in ſe habet eſſe, exiſtentia non poteſt eſſe relatio, cuius totum eſſe eſt ad alterum, quæque etiam non dicitur exiſtere ratione ipſius ad, ſed ratione ipſius in, quia vnumquodque exiſtit ad ſe non ad alterum: Loquendo de exiſtẽtia in hoc ſenſu probabilius eſt illam diſtingui realiter ab eſſentia, non ſolum in ſtatu poſſibilitatis conſiderata, quod omnes concedunt, ſatis enim conſtat, quod ſtatus poſſibilitatis habet carentiã exiſtentiæ, & conſequenter debet ab illa diſtingui ſaltem tanquã priuatio ſeu negatio, & forma poſitiua; ſed etiam in ſtatu actualitatis, quam habet ab ipſamet exiſtentia; ita quod licet totum hoc complexum *eſſentia actualis*, non poſſit diſtingui ab exiſtentia, ſed ſe habeant vt includens & incluſum, tamẽ in ipſomet complexo duplex entitas cõcurrit, altera eſſentiæ quæ recipit exiſtentiam, altera exiſtentiæ quæ reddit illam actualem; ſicut corpus album non ſolùm remota albedine, ſed etiam dum eſt ſub illa diſtinguitur ab albedine per quam redditur album. Sed hæc eſt differentia inter albũ & exiſtens, quod res exiſtens remota exiſtentia deſinit omnino, & in nihilum redigitur, corpus autem remota albedine manet exiſtens, & ita ibi facilè dignoſcitur quomodo ab albedine diſtinguatur realiter, reſpectu verò exiſtentiæ non ita facilè apparet, quod ab illa diſtinguatur aliqua entitas, quæ vocatur eſſentia, quia ſolùm inuenitur actu quamdiu eſt ſub exiſtentia, illa verò remota, eſſentia manet nihil, & ſolùm obiectiuè, & in ſtatu poſſibilitatis. Et ex hoc aliqui intulerunt non poſſe diſtingui eſſentiam, & exiſtentiam niſi ſicut nihil, & ens, & ſicut res in ſtatu poſſibilitatis, & ipſamet in ſtatu eſſendi extra cauſas. Quod tamen etiam dum eſſentia exiſtit, diſtinguatur ab exiſtentia ita quod alia realitas ſit exiſtentia, alia eſſentia, licet vna ſine alia nihil ſit, probabilius in via D.Thomæ defenditur. Eo quod exiſtentia eſt aliquid participatũ in creatura, & non eſſentia eius, vel pars eſſentiæ, ſed ab agente deriuatum, eique contingenter conueniens, cum nunquã poſſit fieri propoſitio æternæ veritatis, & connexionis per ſe exiſtentiæ cum creatura. Impoſſibile eſt enim, quod aliquid realiter conueniens alicui ſit idẽ cum illo, & non habeat connexionem neceſſariam cum eo, neque cum aliquo tertio, quod cum illo cõponat, nil enim magis connexum eſt, quam idem ſibi ipſi; vnde ſi exiſtentia extet identificata cum aliquo non poſſet ei aduenire contingenter, aut per extrinſecam participationem, ſed deberet per intrinſecam identitatem cõuenire, quod ſi per identitatem, ergò per connexionem.

Et ſi autem exiſtentia ſit accidens prædicabile, quia vt ſtatim diximus exiſtentia eſt extra eſſentiam rei, nõ tamen eſt accidens reale prædicamentale, ſcilicet duratio pertinens ad prædicamentũ, quando, vt volunt aliqui, ſi loquamur de exiſtentia ſubſtantiæ, implicat enim quod ſubſtantia habeat eſſe ſimpliciter ab eſſe accidentali. Relinquitur ergò quod exiſtentia ſubſtantiæ debet eſſe aliqua formalitas, ſeu realitas ſubſtantialis, non tamen tanta quod ſit prædicatum eſſentiale, & conſtitutiuum eſſentiæ, aut pertinens directè ad prædicamentum. Controuertitur tamen, an ſit realitas ſuperaddita eſſentiæ, an modus? Et vtrumque probabiliter defenditur in Schola D. Thomæ. Probabilius tamen eſt, quod exiſtentia addit realitatem eiuſdem generis cuius fuerit exiſtentia, & ad illud prædicamentum reductam, ſcilicet ſi eſt ſubſtantia ſubſtantialem, ſi accidens accidentalem, ſi modus modalem. Sumitur ratio ex duobus quę exiſtentiæ attribuuntur, quæ maximè videtur petere realitatem, & non ſufficere formalitatem modalem. Primùm quod exiſtentia eſt vltima, & sũma actualitas reſpectu omnis entitatis, quæ poteſt

exi-

existere, ipsa autem vlterius actuati non potest. Secundū quod existentia est ipsa ratio omnis realitatis, dicitur enim vnumquodque ens reale per ordinem ad esse, vel quia habet esse, & remota existentia remanet nihil, seu intra causas: non videtur autem tanta perfectio soli modali entitati attribuenda, quia modus est infimum inter entia. Vnde licet essentia in ratione entis considerata sit nobilior & perfectior existentia, vt patet in natura intellectuali, per quam homo & Angelus dicuntur esse ad imaginem & & similitudinem Dei, tamen existentia in ratione actus considerata, est nobilior & perfectior essentia quam actuat. Existentia in rebus compositis, & vnica est, & indiuisibilis, eo modo quo formæ indiuisibiles dicuntur ex modo indiuisibili informandi, licet virtualiter diuisibilis sit, quatenus reddendo compositum existens, omnes partes ex quibus constituitur actuat, & attingit. Hoc autem non est difficile intelligere supposito eo quod iam diximus; quod existentia nō identificatur cum entitate, sed superuenit entitati constitutæ ponendo illam extra causas, & consequenter se habet tanquam terminus vltimus, & totalis ipsius actualitatis totius, quia illud vltimatè ponit extra causas. Sic in compositis substantialibus existētia est actus immediatus suppositi: siue quod idem est suppositum se habet vt principium quod receptiuum existentiæ, & natura vt principium quo, sed cum hac differentia ad formas accidentales, quod licet suppositum sit etiam principium quod earum sustentatiuum & receptiuū, tamen etiam ipsa natura est medium recipiendi accidentia, ita quod mediante natura conueniunt supposito, & denominant illud, neque est necessè quod immutent ipsum suppositum inhærendo, sed solùm naturam, vt manifestè patet in accidentibus cōuenientibus Christo Domino, quæ non inhærent supposito, neque immutant illud, sed mediante humanitate illud denominant. At verò existentia non mediante natura conuenit supposito, sed immediatè respicit illud vt principium quod, & vt rationē recipiendi, quia esse productum terminatiuè, & in facto esse solùm conuenit ipsi toti, seu supposito, & mediāte toto conuenit naturæ. Natura autem dicitur principium quo existentiæ quantum ad eius specificationem, & determinationem, quia videlicet quod existentia aliqua sit talis, vel talis speciei, V. g. humana, vel Angelica, vel alterius rationis sumitur ex natura, cuius est existentia, qua ratione D.Thomas 1.p. q.50. art.5. docet, quod esse conuenit formæ per se sicut rotunditas circulo, quod intelligitur vel de existentia, vt specificata & limitata ad talem naturam, V.g. existentia, vt humana, vel Angelica, &c. sic enim ratione formæ id habet; vel intelligitur, quod esse sequitur formam non absolutè, sed vt subiectam productioni, & in se subsistentem, vel inhærentem, sic enim formæ, vt productæ per se conuenit.

Considerando iam existentiam secundum dependentiam quam habet à causis, à quibus producitur. Etsi causę particulares causent effectiuè determinationem existentiæ, quia ad hoc non est necesse quod producant entitatem ipsius, sed sufficit quod producant illud, quod est existentiæ limitatiuum, atque determinatiuum, videlicet essentiam secundum suam rationem indiuidualem. Vnde etiam causæ particulares dicuntur dare absolutè & simpliciter esse suis effectibus, quia ad hoc sufficit quod vniāt, & coniungant essentiam suorum effectuum cum ipsorum existentia: probabilius tamen est eas non concurrere per modum causæ principalis ad productionem entitatis existentiæ, quatenus limitatæ & determinatæ. Imo aliqui tam altè sentiunt de existentiæ dignitate & perfectione, vt negent creaturam etiam instrumentaliter ad eius productionem concurrere, sed à solo Deo esse; quamuis opposita sententia sit valde probabilis asserens causam secundam producere esse instrumētaliter in virtute Dei.

Non fluit tamen, nec dimanat actiuè ab essentia; cùm enim essentia habeat rationem puræ potentiæ passiuæ respectu existentiæ: non potest consequenter existentia fluere, vel dimanare ab ea actiuè. Tantùm de essentia & existentia ex quibus in creaturis fit vniuersalissima cõpositio; scilicet ex esse seu existentia, tanquam ex vniuersalissimo actu, & ex essentia tanquam ex vniuersalissima potentia.

Pars secunda de proprietatibus Entis.

PRoprietates, seu affectiones entis sunt in duplici differentia; aliæ enim sunt complexæ, aliæ verò incomplexæ seu vnitæ; complexæ sunt illæ, quæ termino complexo significantur, & quæ sub disiunctione quadam enti conueniunt, vnde etiam affectiones disiunctæ entis appellantur. Incomplexæ autem sunt, quæ vnico, & incomplexo termino significantur. Incipiendo à proprietatibus complexis siue disiunctis, sunt in triplici differentia, quędã enim sunt principales immediatæ, quædam principales mediatæ, quædam denique minus principales & accessoriæ. Principales immediatæ, id est quę ex natura entis veluti immediatè resultan', sunt duplices, secundum quod ens potest cõsiderari dupliciter, vel absolutè vel relatè; si absolutè; sunt necessarium & cõtingens: independens & dependens: increatum; actus & potentia; si relatè; sũt principium & principiatum, causa & causatum. Proprietates principales mediatæ, id est, quæ non immediatè enti, sed veluti mediantibus eius proprietatibus vnitis siue incomplexis conueniunt similiter sunt in multiplici differentia; mediante enim perfectione ens denominatur vel completum quod habet essentiam natura sua in se terminatam, vel incompletum quod non habet essentiam in se terminatam: mediante vnitate dicitur ens simplex vel compositum; idem vel diuersum; simplex est quod habet entitatem indiuisibilem, compositum quod diuisibilem, iuxta compositionum diuersitatem; identitas est conuenientia in aliquo estque extrinseca, vel intrinseca, diuersitas verò est negatio conuenientiæ, estque vel distinctionis, vel oppositionis iuxta earum diuersitatem. Ratione veritatis denominatur ens naturale, cuius veritas pendet ab intellectu diuino, & artificiale, cuius veritas pendet ab intellectu humano; ratione bonitatis vel est infinitum, cui repugnat habere essentiæ terminos, vel finitum, quod terminos de se habet, quibus limitatur. A duratione denominatur ens, vel permanens, quod habet totum suum esse simul, vel successiuum, quod habet partes sui esse in fluxu & successione continuatas; ab vbietate, vel circumscriptũ, quod clauditur terminis corporis continentis, vel incircumscriptum, quod terminis continentis corporis non clauditur natura sua. Proprietates tandem disiunctæ veluti necessarię, & minus principales quibus ens denominatur, sunt absolutum & relatiuum; subiectum & adiunctum; signum & signatum; imago & exemplar; mensura & mensuratum. Tantùm de proprietatibus entis disiunctis nunc ad vnitas, vel incomplexas.

Dari igitur veras entis proprietates incomplexas communis est Metaphysicorum sententia post Aristotelem 4. Metaphys. cap. 1. vbi ait Metaphysicam esse scientiam, quæ speculatur ens, pro vt ens est, & quæ ei per se insunt. Quæ proprietates, siue passiones debent absolutè dici reales, non tamen realiter, aut ex natura rei distinctæ ab ente, sed sola ratione ratiocinata, non quidem tanquã plures conceptus se inuicem non includentes (eo modo quo genus & differentia comparantur ad inuicem) sed tanquã conceptus, quorum vnus non dicit explicitè alterum, sed implicitè, & sic distinguntur solùm ad inuicem, per modum expliciti & impliciti. Cum enim proprietates entis non sint quid omnino synonimum cum ente, debent ex vna parte exprimere aliquem modum ex pro-

proprijs suis conceptibus, qui non exprimatur formaliter per conceptum entis; ex alia verò, cùm conceptus entis, sit conceptus transcendentalis, nullus debet esse modus realis, in quo saltem implicitè non contineatur. Circa numerum harum proprietatum diuisi sunt inter se Doctores, aliqui enim assignant quinque, videlicet vnum, verum, bonum, rem, aliquid: alij verò tres tantùm, vnum scilicet, verum & bonum. Probabilius est rem non esse proprietatem entis propriè dictam; cum non distinguatur ratione ab essentia entis, imo ex vi talis nominis, exprimit ipsam essentiam, & quidditatem entis; vt enim ens sumitur ab actu essendi, significatque ipsam essentiam & quidditatem entis, vt dicit ordinem ad esse; ita nomen rei exprimit quidditatem, siue essentiã entis, prout præscindit ab illo ordine; quod est significare essentiam sub duplici veluti statu. Similiter si vnum dicat primariò ens in se indiuisum, secundariò verò diuisum à quolibet alio; probabilius est, quod aliquid non faciat proprietatem distinctam ab vno. Illud enim quod importatur, & significatur secundariò per vnum, non facit proprietatem ab vno distinctam: sed ratio significata, & importata per aliquid, significatur & importatur secundario ab vno; si quidem supponimus quod vnum definitur, quod sit ens indiuisum in se, & diuisum à quolibet alio, seu quod non sit aliud, ergò vnum secundariò importat, quod per aliquid significatur; cum aliquid sit idem, ac aliud quid, siue quod non sit aliud, & quod ab illo consequenter diuidatur. At si, vt volunt aliqui vnum importet solùm essentialiter indiuisionem in se, neque per ipsum etiam impertitur necessariò diuisio à quocunque alio, per aliquid significatam, sed solùm ab eo; dicendum est, aliquid facere proprietatem distinctam ab vno, darique consequenter quatuor entis proprietates scilicet vnum, aliquid verum & bonum. Cæterum in confesso est apud omnes, vnum, verum, & bonum, esse proprietates entis propriè dictas, & de eo verè demonstrabiles, cum quodlibet ex illis exprimat aliquem modum, distinctum ab ente ratione ratiocinata, ipsum supponentem, & ab eo virtualiter veluti dimanantem; ex eo enim quod aliquid sit ens, sequitur per modũ veluti dimanationis, quod sit fundamentum negationis diuisionis à seipso, quam dicit respectu non entis; in quo consistit ratio vnius; similiter ex eo quod aliquid sit ens, sequitur per modum eiusdem dimanationis virtualis, quod habet conuenientiam fundamentalem cum intellectu & voluntate, seu quod habeat capacitatem, & potentiam ad hoc, vt cognoscatur ab intellectu, & ametur à voluntate, in quibus consistit ratio veri, & boni: de singulis breuiter agamus.

Incipiendo ab vnitate, non potest dici, quod de formali solam negationem diuisionis importet, aut quod ex æquo rationem entis, & dictam negationem importet, ita vt vtramque rationem significet formaliter in recto: sed dicit de formali ens, & negationem diuisionis, ita vt in recto, & intrinsecè ipsum ens significet, non quidem sub cõceptu entis, sed secundum quod exprimitur per modum fundamenti talis negationis, ipsam verò negationem in obliquo, seu connotatiuè, & ad instar cuiusdam veluti modi complentis rationem formalem specificam vnius. Intellectus igitur in cõceptione vnius hoc ordine procedit; primò concipit ens, deinde non ens; deinde concipit quod ens diuiditur à non ente, seu quod ens non est non ens, postea quod ens non habet illam distinctionem seu diuisionem à seipso, quam habet respectu non entis; & hæc negatio qua negatur diuidi ens à se, diuisione illa, qua diuiditur à non ente, est ea, quę ab vno formaliter, & primariò respicitur & significatur; deindè concipit quod vnum diuiditur à quocumque alio, siue illud existat, siue non; postea concipit multitudinem, deinde diuisionem atque distinctionem, quę reperitur inter entia multitudinem componen-

ponentia; & tandem quod vnum non habet diuisionem illam à seipso, quam plura illa entia componentia multitudinem habent inter se. Vnde apparet quomodo secundario respicitur diuisio illa, quę est in multitudine, à negatione quę est in vno, & quod diuisio quam primario respicit & negat ratio vnius, est illa, quam ipsum ens habet respectu non entis. Vtrum autem negatio diuisionis, quam formaliter significat vnitas, habeat rationem negationis, vel priuationis; dependet ab istorum terminorum explicatione; pro qua noto ad negationem puram, & simpliciter dictam, requiri quod carentia formæ, quam dicit negatio, non determinet sibi subiectum, in quo petat esse; & propterea, statim atque carentia formæ determinat sibi aliquod subiectum, statim desinit talis carentia habere rationem negationis puræ, & simpliciter dictæ, & induit rationem priuationis, quæ est negatio in subiecto, siue carentia formę subiectum sibi determinans; quod cum fieri possit quadrupliciter, tot etiam dantur priuationis acceptiones. *Prima* est, quando subiectum caret aliqua forma, quando & vbi natum est recipere eam, vt cæcitas in cane post nonum diem, & hæc est rigorosa, propriè que dicta priuatio. *Secunda* acceptio est, quando subiectum caret aliqua forma, quæ solùm nata est haberi ab aliquo sui generis proximi, vt carentia visus in talpa, visus enim potest haberi ab animali aliquo, licet talpę conuenire non possit. *Tertia* acceptio est, quando subiectum caret aliqua forma, quæ quidē non est nata haberi à tali subiecto, nec etiam ab aliquo eiusdem generis immediati, tamen nata est semper ab aliquo ente haberi, quodcumque illud sit, vt esset carentia visus in arbore, vel in plāta. *Quarta* tandem acceptio est, quando subiectum caret aliqua forma, quę à nullo ente nata est haberi, sicut est non ens, quod quidem non est natum haberi ab vllo ente, cum implicet non ens posse vlli enti, vt ens est, conuenire. Aduertendum est tamen circa quadruplicem istam priuationis acceptionē, quod tres vltimę comparatę ad primam, quæ sola rigorosa est priuatio, solent negationes appellari, licet omnes quatuor comparatæ ad carentiam formæ, quæ non determinat sibi vllum subiectum, habeant rationem priuationis, hæc verò negationis. Ex horum, inquam, terminorū explicatione soluitur facilè proposita difficultas, contrariæque circa illā sententiæ ad concordiam reuocantur. Dico enim, quod cum negatio illa diuisionis, quæ formaliter significatur per vnum determinet sibi ens pro subiecto (negatio enim illa non potest competere non enti, alias non ens, vnum dici posset) necessariò sequi, quod negatio inclusa in vno differat à negatione simpliciter, & magis trahat ad negationem priuationis, non tamen rigorosè & simpliciter dictæ; quia cum priuatio hoc modo sumpta, sit carentia formæ in subiecto apto, ad talem formam, & ens dicat incapacitatē ad hoc, vt diuidatur à seipso, illa diuisione qua diuiditur, vel à non ente, vel à multitudine, non potest consequenter talis negatio, quæ inuoluitur in vno, esse rigorosa & pura priuatio; erit ergò priuatio largo modo sumpta, in tertia videlicet, vel quarta acceptione, quæ nunc priuatio, nunc negatio appellari potest. Tantùm de vnitate, nunc de veritate.

Cum autem veritas triplex sit, prima *rei*, quæ vocatur transcendentalis, in omnibus rebus existens, rationemque entis vt sic, consequens; secunda *notionis*, quæ dicitur formalis, in intellectu residens; tertia *signi*, quæ est conformitas rei cum re significata. De veritate primo modo sumpta hic agimus, dicimusque illam non consistere formaliter in aliqua denominatione extrinseca, nec, in negatione falsi, nec in aliquo respectu rationis, vt volunt aliqui; sed primario in habitudine illa reali, atque transcendentali, qua vnaquęque res dicit conuenientiam aptitudinalem, & cōformabilitatem cum intellectu diuino, idæisque ipsius, secundariò verò in conuenien-

uenientia aptitudinali, quam potest habere cum intellectu creato; vbi sermo est de veritate transcendentali creata; si enim sermo sit de veritate abstrahente à creata, & increata, certum est eam non posse consistere in aliqua habitudine reali ad intellectum diuinum; quippe quæ ab eo realiter non distinguatur; vnde si consideretur veritas sub illa generali abstractione, ratio, & natura ipsius erit constituenda formaliter, atque primariò in ente, non quocumque modo considerato, sed quatenus est aptum facere veram sui æstimationem in intellectu diuino, & cum eo habere conformationem, & conuenientiam, abstrahendo ab hoc quod talis conuenientia induat respectum realem, vel rationis; in ente enim creato dicit respectum realem, rationis verò, in ente increato. Res ergò naturalis inter duos intellectus constituta, secundum adęquationem ad vtrũque dicitur vera; secundum enim adęquationem ad intellectum diuinum, dicitur vera, in quantum supplet hoc, ad quod est ordinata per intellectum diuinum; secundum autem adęquationem ad intellectum humanum, dicitur res vera, in quantùm nata est de se terminare veram æstimationem. Prima tamen ratio veritatis perprius inest rei, quam secunda, quia prior est comparatio ad intellectum diuinum quam humanum: vnde etiam si intellectus humanus non esset, adhuc res diceretur vera in ordine ad intellectum diuinum: sed si vterque intellectus, quod est impossibile, intelligeretur auferri, nullo modo ratio veritatis remaneret.

Bonitas tandem vt est passio entis nõ consistit formaliter in conuenientia cum alio extremo reali, quod non sit appetitus, seu voluntas, vt volunt aliqui, nec in integritate rei, vt volunt alij; sed cõsistit formaliter in ente, quatenus ens habet conuenientiam quamdam, primariò quidem, & per se eum voluntate diuina, secundario autem cum voluntate creata; proportionali modo quo de veritate dictum fuit. Sic bonitas creata dicit de formali ordinem conuenientiæ, non quidem prædicamentalem, sed trãscendentalem ad voluntatem diuinam; ad voluntatem autem creatam, ordinem rationis radicalem & fundamentalem; ita vt bonitas in recto dicat ipsum ens, quatenus præstat fundamentum ad prædictum respectum rationis. Insuper cum ratio formalis bonitatis non concipiatur in re, antequam concipiatur ratio conuenientiæ cum voluntate modo dicto, quando diuiditur bonum in illud, quod est bonum alterius, & in illud quod est bonum per se, & subsistens, diuiditur bonum materialiter, seu fundamentaliter sumptum: comparando verum transcẽdentale cum bono etiam transcendentali, verum prius reperitur in rebus, quam bonum. Etsi diuisio illa qua bonum diuiditur in honestum, vtile, & delectabile, bono humano, & morali, propriè & primariò conueniat; tamen ad bonũ etiam transcendentale transfertur, adæquateque diuiditur in honestum, vtile, & delectabile. Cum enim bonum sit terminus appetitus, secundũ diuersos modos, secundum quos terminatur appetitus ad ipsum, tot sunt diuersi bonitatis modi; tribus autem solùm modis diuersis, bonum quod est terminus appetitus, potest illum terminare; vel per modum termini vltimi in aliquo ordine, & hoc modo est bonum honestum, quod terminat appetitum, vt ad vlteriorem terminum non ordinabile, cum terminet, vt appetibile ratione sui, & non ratione alterius: vel per modum termini non vltimi, & ad vlteriorem adhuc ordinabilis; & hoc modo est bonum vtile; vel tandem per modum quietantis, & delectantis appetitum in appetibilitatis suæ suauitate, & hoc modo est bonum delectabile. Notandum est tamen dùm communiter dicitur, bonum transcendentale, adęquatè diuidi in honestum, vtile, & delectabile; non esse sensum, quod in quolibet bono transcendentali, tres prędictæ bonitatis rationes reperiantur; sed tantùm intelligitur, quod bonum ita diuiditur in honestum, vtile, & delectabile,

le, vt nulla res sit, cui non conueniat aliquod membrum ex tribus prædictis. Similiter non intelligitur ista diuisio ad hunc sensum, quod cuilibet rei non possit nisi vnum ex istis membris conuenire, adeo vt res, quæ est vtilis, non possit esse simul delectabilis & honesta; certum est enim, quod vna & eadem res potest simul tres illas bonitatis rationes habere. Sic si consideretur triplex illa ratio bonitatis, secundum quod eãdem rem denominat, diuisio erit eiusdem rei in diuersas formalitates, diuersosque respectus, similisque erit diuisioni, qua distinguitur intellectus in speculatiuum, & practicum; si autem consideretur, secundũ quod diuersas res denominat, tunc bonum diuidetur in illa membra, sicut analogum tàm proportionis, quàm proportionalitatis in sua membra.

Pars tertia. De diuisione entis.

OMissis varijs diuisionibus entis, duas alias sic possumus ordinare, vt primo diuidatur ens reale, in Deũ, & creaturas: deinde ens creatum in substantiam & accidens, seu in decem prædicamenta; nunc breuiter explicandum est, quid sit substantia, quid accidens. Pro quo dico, *esse per se*, & *esse in alio*, esse quosdam modos generales oppositos, determinantes ens ad substantiam, & accidens. Vndè sicut propria ratio accidentis est esse in alio secundum aptitudinem, seu inclinatio ad inhęrendũ: sic propria ratio, & essentia substantiæ creatæ erit aptitudinalis perseitas, seu esse rem, cui debetur per se existere independenter ab alio, non solum tanquã à subiecto, quod conuenit partibus, & modis seu terminis substantialibus, sed etiam ab alio, tanquam à comparte, seu concausa suæ subsistentiæ, vel tanquam ab essentia, quam modificet, aut terminet; quod conuenit substantiæ completæ; quæ sola proinde, loquendo propriè dicitur esse capax subsistentiæ. Subsistere enim propriè est, quod non est in alio tanquam accidens, nec est in alio per modum partis, nec per modum formæ, aut materiæ; nec alio quocumque modo. Sic persona, quæ inter omnes substantias completas primum obtinet locum, definitur ex Boetio lib. de duabus naturis, quod sit rationalis naturæ indiuidua, siue incommunicabilis substantia. Dicitur primò *rationalis naturæ*, latè sumpto vocabulo pro quauis natura intellectuali perfecta; vndè persona tãtùm dici potest de Deo, Angelo, & homine, & per hoc distinguitur ab omnibus alijs substantijs completis, quæ non sunt, nec dicuntur personæ, sed hypostases, seu supposita tanquàm vocabulis vniuersalioribus; persona enim est nomen dignitatis in quantum cõnotat naturam rationalem siue intellectualem. Dicitur *indiuidua substantia*, id est singularis, & prima substantia, & quidem completè; per quod conuenit cum alijs primis, siue completis substantijs, & differt à secundis, quæ sunt genera & species alijsque substantijs partialibus. Potest enim aliqua substantia esse singularis & indiuidua incompletè, primò si sit naturaliter pars alterius, & ordinata à natura ad constituendum vnum indiuiduum completum cum alijs partibus, vel per modum partis integrantis, vel per modum partis essentialis, & ita manus, pes, caput, non sunt personæ, sed membrũ, & pars corporis humanæ personæ. Item anima rationalis separata non est persona, quia non est indiuidua substantia completè, cum sit natura sua pars apta vniri substantialiter ad constituendum vnum indiuiduum hominis completum. Secundo potest esse aliqua substantia singularis, & indiuidua, incompletè, hoc alio modo, si scilicet habeat omnes suas partes integrantes, & integram naturam & essentiam in aliqua specie substantiæ perfectæ, sed careat vltimo termino substantiali, quo redditur omnino incommunicabilis, qui vocatur subsistentia, & personalitas; & talis fuit humana Christi Domini natura, pręscindendo à personalitate Verbi diuini, il-

lam

lam terminante, licet enim fuerit singularis, & indiuidua, modo statim dicendo, caruit tamen vltimo suo complemento creato, terminoque subsistētiali.

Quia tamen communiter, & naturaliter loquendo, omnis natura intellectualis completa secundum esse naturę, siue quod idem est singularis atque indiuidua, suam propriam habet personalitatem, ideo absolutè ponitur in pręfata personæ definitione illa particula *indiuidua*; magis tamen expressa & distincta esset, si adderetur *incommunicabilis*, quatenus ex D. Thoma in 3. sentent. ad Annibald. dist. 5. quęst. vnica art. 2. ad 4. per hanc particulam *indiuidua*, triplex excluditur communicabilitas. Prima est communicabilitas vniuersalis; quod habet persona præcisè ratione naturæ singularis, quam includit, quia singularitas opponitur vniuersalitati, & reddit naturam specificam contractam, & incommunicabilem alijs inferioribus. Secunda communicabilitas, quæ excluditur, est per modum inhęrentis; & adhuc ista incōmunicabilitas non sequitur intrinsecè ad rationem suppositi vt talis, sed ad conceptum substantiæ vt sic, hinc anima rationalis, vt pote substātia, quod idem dicitur de secundis substantijs, siue de natura vniuersalis, licet dicat incommunicabilitatem per modum inhęrentis, non tamen habet rationem suppositi, vel personæ, quia est iterum communicabilis per modum partis, & per modum alteri inexistentis, seu per negationem essendi in alio tanquam in sustentante, & est ista negatio, quæ essentialiter & intrinsecè consequitur ad rationem suppositi, vel personæ. Suppositum quippe vel persona cum sit substantia completa, & vltimo in se terminata, vlterius communicabilis non est alteri tanquam sustentanti. Igitur subsistentia quæ est ratio constitutiua suppositi, & natura indiuidua, secundum quod per particulam *indiuidua* intelligitur natura singularis, possunt considerari sicut punctum & quantitas; Quantitas enim, v.g. linea componitur ex partibus, terminatur autem puncto, quod est aliquid superadditum partibus; ita subsistentia non se habet propriè vt pars componens substantiam, sed vt terminus reddens illam in se stantem, & incommunicabilem inexistendo alteri tanquā sustentanti. Vndè optimè dixit D. Thomas 1. p. q. 24. artic. 1. ad 3. Hoc nomen indiuiduum poni in definitione personæ ad designādum modum subsistendi, qui conuenit substantijs particularibus. Vbi etiam notat articulo 2. quod iam supra insinuauimus, personam videlicet in natura intellectuali significare id, quod significatur per hæc alia nomina, subsistentiā, rem naturæ, & hypostasim, si sumatur secundū id quod formaliter significant; significant enim totum omnino cōpletum, & incommunicabile in genere substantiæ: quód quia diuersas habet habitudines, diuersis etiam exprimitur nominibus. Primò enim dicitur res naturæ, quia est entitas, & veluti materialitas, in qua concipiuntur, & à qua abstrahuntur prædicata quidditatiua, in quibus dicitur consistere essentia, & natura rei, & sic vocatur res naturæ. Deinde quia totum perfectum positiuè in se omnino existit, & nullo modo in alio, dicitur per se subsistere; quia verò omnia accidentia in illo sunt, & de illo prędicantur, sic dicitur hypostasis, seu subiectum & substantia; dicitur etiā suppositum, in quantum refertur ad naturam communem, quæ de ipso prædicatur. Et sic istud nomen suppositum videtur esse nomen secundæ intentionis, sicuti hoc nomen genus & species. Quēadmodum enim natura specifica potest significari dupliciter, & nominibus primæ intentionis, vt sunt homo, leo, equus &c. & nominibus secundæ intentionis, qualia sunt species, vniuersale, subijcibile &c. ita etiam natura particularis & indiuidua potest dupliciter significari, nempè nominibus primæ intentionis, vt sunt persona, hypostasis, prima substantia, &c. & nominibus secundæ intentionis, vt sunt hæc suppositum, indiuiduū, singulare, & particulare.

Persona seu hypostasis non distinguitur à natura indiuidua, ex solo modo significandi, in quantum natura significatur in abstracto,& vt habita; persona verò in concreto, seu per modum habentis naturam, vt volunt aliqui; sed in Deo distinguitur virtualiter, in naturis verò creatis realiter. Quod etsi fortasse solo discursu naturali demonstrari non posset, supposita tamen fide videtur omnino certum, mysteria enim Trinitatis & Incarnationis manifestarunt nobis in naturis substantialibus, præter singularitatem, & indiuiduationem debere dari subsistentiam distinctam. Nam in mysterio Incarnationis fide constat naturam humanam esse in Christo, & tamen non esse personalitatem humanam sed diuinam; & talis natura humana à Verbo diuino assumpta, non est assumpta in vniuersali, sed in singulari, ita vt illa singularitas non tribuatur ei à verbo, sed supponatur, distinguitur ergo singularitas & indiuiduatio à personalitate. Similiter in Deo multiplicantur realiter personæ, non multiplicata singularitate naturæ diuinę, siue vt est hęc, ergo ratio singulatitatis & personalitatis diuersimodè etiam se habet in diuinis; cũ hoc tamen discrimine, quod ibi virtualis tantùm reperitur distinctio; realis verò in creaturis; si quidem nullum potest esse maius, aut efficacius distinctionis realis signum aut argumentum inter duo, quam realis illorum separatio; in Christo autem Domino fides nos docet eius humanitatem esse singularem,& nõ esse personatam propria personalitate; item eiusmodi humanitatem fuisse assumptam & vnitam hypostaticę verbo diuino, non fuisse autem assumptum suppositum creatum; ergò aliquid illi deest, illud nimirum quod suppositum addit supra naturam singularem. Quod enim aliquid sit, aut concipiatur in alio per modum habiti, aut possessi præcisè, non impedit, quominus habeat rationẽ suppositi, aut personæ distinctæ, ab ea à qua dicitur haberi aut possideri, nisi desit ipsi illud quod habet constituere suppositum, vt patet in veste, quæ cooperit corpus,& significatur per modum habitæ à corpore, & tamen hoc non impedit, quin vestis sit suppositum distinctum à supposito corporis quod vestit. Ergo etiam quod natura humana Christi Verbo diuino vnita, significetur per modum habitę & possessæ à Verbo tanquam à supposito alienæ naturæ: nihil impediet quominus possit natura humana Christi habere rationem personæ condistinctæ à Verbo diuino, nisi desit ipsi entitas, vel modus quicumque sit, constitutiuus personæ creatæ. Si dicas aliquis alio modo naturam humanam in Christo, Verbo diuino vniri, quam vestem corpori, quod vestit. Respondetur hoc esse verissimum; & ita fide tenendum est contra Nestorium; verùm quænam sit illa diuersa vnio, & in quo sita sit illiùs disparitas, non potest explicari, nisi quia verbum diuinum ita vnitur sacratissimæ Christi Domini humanitati; vt suppleat in ea formaliter realitatem personalitatis naturalis in ipsa deficientem, atque adeo realiter ab ea distinctam, quod tamen non contingit in veste vnita corpori, vbi propterea reperitur vnio solùm accidentalis, quam etiam conabatur astruere Nestorius inter humanitatem, & verbum in Christo; quæque videtur manifestè sequi in sententia Durandi, & aliorum asserentium suppositum, seu personam nihil addere supra naturam indiuiduam, sed solùm ab ea ex modo significandi distingui, in quantùm natura significatur in abstracto, & vt habita; persona verò in concreto, seu per modum habentis naturam.

Illud per quod virtualiter in Deo, & realiter in creaturis persona distinguitur à natura singulari & indiuidua, non est quid merè negatiuum, sed etiã quid reale positiuum. Patet non solùm ex mysterijs Trinitatis, & Incarnationis sed etiam ex rationibus Metaphysicis; quia per subsistentiam natura substantialis habet esse in se positiuè modo perfectissimo, sed esse in se tali modo dicit con-

conceptum realem positiuum, ex cuius tamen perfectione oritur negatio depẽdentiæ ab alio, siue vnionis substantialis cum quouis alio, cum quo faciat vnũ per se, ergò natura substantialis non potest constitui formaliter in ratione subsistentis aut suppositi per solam negationem, sed per aliquid positiuum ad illam essentialiter præsuppositum à quo habet esse in se quid completum, & terminatum in genere substantiæ. Et si enim negationes alicuius perfectionis, cuiusmodi sunt in arbore, V.g. negationes visus, vel intellectus, non debeant supponere necessariò aliquid perfectum aut positiuum pro fundamento; quemadmodũ nec negationes non repugnantiæ, & capacitatis, seu aptitudinis, & potentiæ ad receptionem illius formæ cuius sunt negationes, debent fundari in aliqua perfectione positiua, vt in homine, V.g. negatio Visionis Beatificæ. Nihilominus tamen illæ negationes, quę dicunt negationem imperfectionis debent fundari in aliquo positiuo, sicut & illæ negationes, quæ dicunt, siue quæ sunt negationes repugnantiæ & incapacitatis ad aliquod maximè imperfectũ; ista autem negatio essendi in alio quomodocumque, quæ reperitur in natura personata, vel suppositata, est eiusmodi, ex sua enim summa perfectione, qua significat, & exprimit illud quod est in toto genere substantiæ completissimũ, persona vel suppositum negat illam imperfectionem, quam importat cõceptus essendi in alio; insuper dicit negationẽ repugnantiæ, & incapacitatis, negatio communicabilitatis in supposito, quia quod dat esse per se simpliciter alicui rei, non potest supponere in ea tale esse, at in naturis substantialibus ratio suppositi est eiusmodi; non potest ergò suppositum aduenìens alteri supposito facere vnum simpliciter cum eo, & consequenter ipsi communicari.

Illud reale positiuum, quod addit suppositum siue persona naturæ singulari, non est aliquod accidens, propriè loquendo de accidente. Certum est respectu Dei, in quo nullum accidens reperiri potest, loquendo verò de persona in creatis licet nõ sit tantæ certitudinis; nihilominus tamen omnino dicendum est personam creatam non esse ipsammet naturam pro vt connotat, seu dicit ordinem ad accidentia, quæ recipit, quod videtur docere Herueus quodlib. 3. q. 6. patet primò ex mysterio Incarnationis, quia cum in Christo sit natura humana secundùm totum conceptũ naturæ, & habeat ordinem ad proprias passiones, & ad extrinseca accidentia sibi adiuncta, & in se habita; & nihilominus non sit in illa natura, propria hominis personalitas, signum est manifestum personam non constitui per dictam connotationem, vel ordinem. Secundò probatur ex natura ipsa suppositi, quod est quid completum, & perfectum in genere substantiæ; illud autem quod est completum & perfectum in illo genere non potest formaliter constitui per aliquod accidens; ergò illud quod addit suppositum supra naturam, non est accidens, sed quid pertinens ad complementum substantiæ; & eiusdem generis cum illa. Quando ergò aliqui Sancti Patres explicant distinctionem suppositi à natura, per proprietates & accidentia, quibus ipsa substantia fit particularis; loquuntur solùm de supposito significatiuè, nec intendunt tradere exactam notitiam tàm suppositi, quàm distinctionis eius à sua natura, sed rudem tantum, quæ ab omnibus percipi posset, qualis est illa, quæ desumitur à proprijs quibusdam accidentibus, magis in nostram cognitionem incurrentibus, præsertim quando agitur de substantijs materialibus, & illarum accidentibus.

Illud reale positiuum, quod persona vt sic, addit supra naturam singularem, vel indiuiduam, non est actualis, & substantialis eius existẽtia formaliter sumpta: nec etiam ordo, vel habitudo ipsius naturæ substantialis ad suam existentiã. Hoc assero contra aliquos etiam Thomistas opinantes ex mente D. Thomæ existentiam per se quatenus indiuiduã seu

ſeu quatenus gradum indiuidualem naturæ ſubſtantialis reſpicit, & cum ea vt ſic coniungitur, aut ab ea connotatur, eſſe rationem ſuppoſiti; ſunt enim duo modi opinandi in hac eadem ſententia: quidam enim dicunt ſuppoſitum, ſeu perſonam addere quidem ſolam exiſtẽtiam ſupra naturam, non tamen includere illam intrinſecè, ſed tantùm extrinſecè, id eſt habitudinẽ, & in illa habitudine conſiſtere eſſentialiter rationem ſuppoſiti. Alij verò putant exiſtentiam ſubſtantialem intrinſecè, ac formaliter conſtituere ſuppoſitum, diſtinguendo in illa duas veluti rationes formales, vnã qua facit vt res ſit extra cauſas, aut extra ſuum nihil completè & perfectè; & hæc dicitur ratio exiſtentiæ, alteram verò qua res ita ſit extra cauſas, vt ſit per ſe, ſeu ſeparatim & incommunicabiliter, & hæc ratio dicitur ratio ſubſiſtentiæ. Quæ ſententia ſic explicata licet videatur habere quamdam probabilitatem, contraria tamen longè eſt probabilior, & conformior menti, & doctrinæ D. Thomæ, ac principijs ipſius: ſi quidem perpetuò tanquam diſtinctas difficultates diſputat diſtinctionem exiſtentiæ ab eſſentia, & diſtinctionem ſuppoſiti, ſeu ſubſiſtentię à natura, diuerſiſque principijs vtrumque probat 1. p. q. 2. artic. 3. & 4. in quodlib. 2. artic. 3. & 4. Signum eſt ergò manifeſtum D. Thomam non ſumere pro eodem ſubſiſtentiam & exiſtentiam; niſi velint authores contrarij Doctorem Angelicum perpetuò inutilem facere repetitionem, aut loqui cum hac impropríetate & abuſione confundendo exiſtentiam cum ſubſiſtentia, nec diſcernendo quomodo vnum diſtinguatur ab alio, de quo tamen grauis eſt difficultas. Inſuper, eodem quodlib. 2. q. 2. artic. 4. ad 2. dicit expreſſè, quod eſſe non eſt de ratione ſuppoſiti Angelici, & quod eſſe non poneretur in definitione ipſius, ſi definiretur. Item 3. p. q. 17. art. 2. & in 3. ad Hannibal. diſt. 6. quæſt. vnica artic. 2. ad 2. ait exiſtentiam non conuenire naturæ niſi medio ſuppoſito, ita quod licet natura ſit principium *quò* modo ſuperius explicato, tamen non redditur capax recipiendi exiſtentiam, vt *quod* niſi ſit ſuppoſitata & perſonata. Vnde ſic arguo, illud ex mente D. Thomę non poteſt eſſe intrinſecum, & formale conſtitutiuũ ſuppoſiti ſeu perſonæ, quod ſubſequitur ad perſonam & ſuppoſitũ, præſupponitque illud tanquam id quod recipit exiſtentiam vt *quod*; quodque ſi definiretur ſuppoſitum non poneretur in definitione ipſius, ſed ex doctrina D. Thomæ ſic ſe habet eſſe ad perſonam, vel ſuppoſitum; ergò nõ poteſt eſſe intrinſecum & formale conſtitutiuum ſuppoſiti vel perſonæ. Tandem cum in auguſtiſſimo Sanctiſſimæ Trinitatis myſterio ſuppoſita ſeu perſonæ diuinæ non conſtituantur per aliquas exiſtentias relatiuas in ſchola D. Thomæ, ſed per relationes vt formaliter ſubſiſtentes, iam ratio perſonæ vt ſic pro vt abſtrahit à creata & increata, non conſtituitur formaliter & intrinſecè per exiſtẽtiam ſubſtantialem. Cum igitur perſona creata nihil ſit aliud quam participatio quædã increatæ perſonæ, ſi ipſa in diuinis non conſtituitur formaliter & intrinſecè per exiſtentiam ſubſtantialem, ſed per relationem vt ſubſiſtentem, ſiue ſecundum quod affert ſecum formam hipoſtaticã; ita nec in creatis perſona conſtituetur formaliter per exiſtentiam, ſed per aliã quamdam realitatem mediam inter eſſentiam & exiſtentiam, realiter ab vtraque diſtinctam, quæ vocatur ſubſiſtentia; cum hoc ſolùm diſcrimine, quod in diuinis eſt ſubſiſtentia purè relatiua, ad exiſtentiam diuinam ſubſequens, cum abſoluta ſint priora relatiuis; in creatis autem abſoluta.

Illud reale quod addit perſona ſupra ſuam naturam eſt aliquis modus ſubſtãtialis, ſeu modalis aliqua entitas ſubſtantialis, quæ ad diſtinctionem exiſtentiæ, rectè vocari poteſt ſubſiſtentia. Hæc videtur eſſe vera, ac legitima D. Thomę ſententia circa naturã ſuppoſiti vel perſonæ. Nam quæſt. 9. de potent. artic. 1. ad 1. dicit, *ſubſiſtentiam eſſe modum exi-*

ſtendi

stendi in singulari substantia; & artic. 2. *persona*, inquit, *significat naturam cum quodam modo existendi, qui modus est esse per se existens*; idem sumitur ex 1.p.q.30 ad 1. Ratio est, quia quicquid est substantiale, & aduenit substantiæ completæ secundum omnes suas partes essentiales & physicas; quod tamen coniunctum & vnitum tali substantiæ facit aliquod vnum per se cum illa: illud propriè loquendo solum potest habere rationem cuiusdam modi substantialis; *modi* quidem, quia substantiam modificat, cum non componat illam intrinsecè, nec detur tanquam extremum componens, sed potius vt terminatio ipsa, seu totalitas completa, & resultans ex compositione, aut constitutione omnium partium, seu prædicatorum substantiæ; substantialis verò quia cū illa facit vnū per se in genere substantiæ. Sed entitas illa substantialis, quam persona addit supra naturam singularem, aduenit substantiæ iam completæ, quo ad suas partes essentiales, & physicas, vt per se patet, & facilè intelligitur in mysterio Incarnationis; vbi secundum fidem Verbum diuinum assumpsit humanitatem, vt quid perfectè vnū per se, quoad omnes suas partes essentiales & physicas, non assumpta tamen personalitate. Igitur entitas illa substantialis naturæ superaddita à supposito, vel persona habet solummodo rationem cuiusdā modi substantialis. Qui modus vt dicebam rectè vocari potest subsistētia, vel modus subsistentialis, à proprio quo fungitur munere, quod est facere substantiam ita positiuè existere in se, & per se, vt illam reddat incommunicabilem alteri, cui actu, vel aptitudine naturali insit, tanquam sustentanti. Insuper totum & totaliter non videntur alio modo differre, quàm vt res & modus, quia ly *totaliter* importat modum totalitatis, ipsum verò *totum* rem ipsam, seu substantiam: atqui suppositalitas seu subsistentia propriè loquendo dicit totum vt totaliter, siue incommunicabiliter se habens; superaddit ergò substantiæ vel naturæ substantiali singulari, non realitatem aliquam, sed modum rei, nempè totaliter se habere, seu per modum totius completi in genere substantiæ, secundum quod pertinet ad ordinem nominalem, estque fundamentum & basis totius prædicamenti substantiæ. Per quod facilè intelligitur & explicatur Sacrosanctum Incarnationis mysterium, in quo Verbū diuinum assumpsit naturam humanam reddendo illam non terminatam à se, sed terminatam ab alio, quatenus eo instanti, quo creata subsistentia humanitatis debebat effluere, tanquam vltimum illius in ratione primæ substantiæ, quæ appellatur maximè substantia, complementum, fuit impedita per diuinam potentiam, & eius loco personalitas Verbi diuini per intimam vnionem substituta, trahendo naturam humanam ad suam propriam totalitatem, tanquam si esset pars eius; sicut videmus, quod vt aliqua linea vel superficies, quæ erat prius terminata suis punctis, vel lineis, ponatur sub alieno termino, nihil aliud requiritur, nisi quod vniatur & continuetur cū altera, sic enim redditur pars eius; ita Verbum diuinum exclusit propriū modum terminationis & vltimationis à natura humana, reddendo illam tanquam partē Verbi, quod se habet in illa ineffabili vnione, vt persona totalis. Vnde nihil aliud fuit Deum siue Verbum diuinum hominem fieri, quam naturam humanam, quæ de se integrali, & totali modo postulabat existere, impediri à propria terminatione, & alteri termino seu personæ vniri. De quo vide D.Th. in 3. ad Hannibald. dist. 5. artic. 2. ad 3. & opusculo 2. cap. 211.

In compositis substantialibus subsistentia non est composita ex pluribus subsistentijs partialibus, nempè materię, formæ, & compositi, ita vt ex illis integretur vna totalis subsistentia, quæ, inquiunt aliqui Doctores, ad hoc datur vt existentiam naturæ compleat, in ratione subsistentię; ita vt non sit propriè terminus, aut modus naturæ secundum esse essentiæ, sed secundum esse existentiæ

ipsius

ipsius naturæ: sed est terminus omninò indiuisibilis, ordine naturæ antecedens existentiam. Ratio primæ partis desumitur ex ipsamet natura subsistētiæ personalis, quæ importat in suo conceptu formali & essentiali modum & formalitatem totius, per modum termini vltimi, ita vt ipsa ratio totalitatis & terminationis præstetur ab ipsa subsistentia; non dantur igitur in composito substantiali, partiales subsistentiæ, quæ conueniant partibus, vt ex illis integretur vna totalis subsistentia; repugnat si quidem quod ratio, seu formalitas totalitatis inueniatur partialiter, seu componatur ex modis partialibus; etsi enim, quod est valdè notandum, entitas totius componatur ex entitatibus partium, tamen status seu modus partis, non potest componere modum, seu statum totalitatis, quia ei opponitur; nam modus partialitatis est modus communicabilitatis, modus autem totalitatis, seu subsistentiæ personalis est modus incommunicabilitatis; & ita subsistentiæ partiales non possunt componere subsistentiam totalem, siue personalem. Deinde non sunt multiplicanda entia sine necessitate; vnica autem & indiuisibilis subsistentia totius compositi sufficit ad hoc vt omnes compositi partes dicantur personaliter & incommunicabiliter subsistere, terminando enim totum afficit etiam partes in quantum constituunt ipsum totum. Vnde subsistentia personalis dicitur tantùm diuisibilis, non formaliter aut habendo partes, sed virtualiter, & ex parte effectus, quia perficit rem diuisibilem, siue quia est terminus rerum diuisibilium, non secundum quod distinguntur, & extenduntur in plures partes, sed vt adunantur in vnitatem & terminationem totius, & sic solùm est in partibus terminatiuè, & inadæquatè, formaliter autem in toto, vt præcisè vnum est. Ad eum ferè modum, quo punctū non est in aliqua parte, vel partibus adæquatè, sed inadæquatè, licet omnes partes terminet, quia omnes respicit terminatiuè, in quantum in aliqua vnitate consummantur, & terminatione; non autē informatiuè quatenus plures sunt. Aut etiam anima perfectorum animaliū dicitur indiuisibilis, non quia effectum diuisibilem non habeat, perficiendo & informando partes diuisibiles, sed quia omnes illas respicit informandas per modum vnius, siue modo indiuisibili, id est per modum vnius integræ dispositionis ad animam, quatenus requirit corpus informabile, esse organicum, vt vltimam dispositionem in ratione animæ; & organicum sine pluribus partibus terminatis non inuenitur.

Altera pars, quod subsistentia sit ratio suscipiendi existentiam, ita vt sit terminus naturæ primo & per se, & antecedenter ad existentiam; est D. Thomæ quodlibet. 9. attic. 3. in 3. ad Annibald. dist. 6. quæst. vnica artic. 2. ad 2. & 3. par. q. 17. artic. 2. Prima ratio desumitur ex eo quod subsistentia, siue personalitas, ex ipsa sua formali ratione, est quid naturæ substantiali intimius, quam existentia, nam subsistentia immediatè resultat, & causatur ex ipsa vnione partium in quantum constituunt totum, & ex ipsa indiuiduatione substantiæ quatenus substantialis est, tanquam eius complementum, & terminus in ordine nominali, & sic non est prædicatum ita contingens, sicut existentia, quæ non resultat ex ipsa intrinseca ratione substantiæ, vel indiuiduatione illius, sed totaliter prouenit ab extra, scilicet ab ipsa actione agentis, ita quod ratio conueniēdi sit ipsamet actio, quæ ponit rem iam subsistentem extra causas in facto esse, siuè completè, & perfectè. Secundò probari potest ex modo vnionis aut compositionis, quo existentia & essentia debent inter se vniri, & facere compositum, quod dicitur existens; qui modus vnionis non est, quasi fiant vnum, ita quod existentia sit natura, & natura existentia, vel quasi misceantur in vno tertio, sed quia vniūtur in vno. Sicut enim docet D. Thomas in 3. ad Annibald. distinct. 5. quæst. vnica, artic. 2. ad 1. vniri dupliciter dicitur, vel vnum fieri, vel in vno fieri; quod expli-

explicat exemplo vnionis naturæ humanæ & diuinæ in Christo, quæ vniuntur, non quia fiant vnum, sed quia fiunt in vno, id est in vno supposito in quo communicant. Quæ doctrina debet extendi, & applicari ad omnia illa, quæ ita vniuntur, vt inconfusa & impermixta permaneant, qualiter contingit in vnione subiecti & accidentium, existentiæ & naturæ; vnde non prius intelliguntur vniri inter se, quàm in illo vno, in quo coniunguntur. Et ita non solùm vnitur existentia immediatè ipsi supposito aut personæ, vt subiecto denominationis, sed etiam vt immediatè susceptiuo existentiæ, & tanquam ei quod est ratio recipiendi talem vnionem, & constituendi vnitatem ex illa resultantem; cum sit tantummodo vnio in vno, nō verò vnio qua fiat vnum, non potest autem intelligi eiusmodi vnio, nisi interueniente supposito, tanquam eo in quo fit vnio. Vnde non debemus ratiocinari de vnione naturę & existentiæ, quemadmodum de vnione materiæ & formę, quæ prius vniuntur inter se tanquam partes, quā in toto quod ex illis resultat, ideo enim hoc contingit, quia sic vniuntur, vt faciant vnam naturam, seu fiant vnum, non verò in vno solùm, manendo incōfusa, & impermixta, sicut existentia cum natura vnitur. Tertiò tandem illud est directum, & immediatum subiectum existentiæ, cui competit per se fieri, & esse terminus per se productionis, si quidem rem produci nihil est aliud, quā rem transire de non esse ad esse, siue à statu possibilitatis ad statum existentiæ; suppositum autem ex communi Philosophorum consensu, per se & immediatè est terminus productionis, natura verò non producitur per se, sed comproducitur ad productionem suppositi; ergò per se, & immediatè competit existentia supposito, diciturque reddere suppositum naturam per se existentem, non actuando existentiam, aut superueniendo illi, sed supponendo se illi, quia scilicet naturam ipsam complet, & immediatè illi aduenit terminando illam singulariter & incōmunicabiliter. Tantùm de substantia completa, siue de subsistente per se per modum suppositi & personæ, nunc aliquid dicamus de accidente.

Accidens est quod inhæret substantiæ, vnde vocatur cōmuniter entis ens. Quia autem accidens substantiæ inhærere, quod etiam solet appellari inesse, seu inexistere, dupliciter intelligi potest, vel de inhærentia actuali, vel de inhærentia aptitudinali; fides augustissimi Eucharistiæ Sacramenti, vbi quantitas & alia accidentia conseruantur sine subiecto, nos docet, solam inhærentiam aptitudinalem esse de essentia accidentium; Insuper cum nullum sit efficacius argumentum realis distinctionis duorū, quam realis eorumdem separatio; & in Eodem Eucharistiæ mysterio, quantitas panis de facto separetur à substantia; dicendum est tam illam, quam alia accidentia realiter distingui à substantia, si quidem non videtur esse maior ratio de vno, quam de alio accidente; implicatq; quod eadem entitas realis sit realiter per se, & realiter inhæreat alteri. Tandem ex hoc ipso mysterio probabilius colligitur, accidentia habere etiam propriam existentiam, distinctam realiter ab existentia substantiæ, cum accidentia panis & vini, quæ remanent in augustissimo Eucharistiæ Sacramento, habeant aliquam existentiam distinctam ab existētia substantiali; si enim illam non haberent, sed existerent per existentiam substantialem, vel talis existentia esset existentia panis, qui fuit conuersus in corpus Christi, vel existentia alterius substantiæ creatæ, quia certum est quod nō existunt per existentiam increatam; ergò cum non possint existere sine existētia aliqua, si existunt per existentiam substantialem, vel illa erit existentia panis conuersi, vel existentia alterius substantiæ creatæ, aut creabilis: at neutrum dici potest; primò enim non potest dici, quod existant per existentiam panis conuersi, quia illa mirabilis & ineffabilis conuersio est transsubstantiatio; ergo

ergò cum illa definiatur, quod sit conuersio totius substantiæ, in totam substantiam, non debet quicquam substantiale remanere ex substantia conuersa, atque adeo nec existentia panis conuersi, quæ est aliquid substantiale. Quod etiam non possint existere per existentiã alterius substautiæ creatæ, aut creabilis patet ex se. De necessitate ergò existunt per existentiam aliquam accidentalem; & consequenter accidentia habent propriam existentiam, realiter distinctam ab existentia substantiæ. Tantùm de rebus Metaphysicis, quas philosophus duodecim absoluit libris; adeò tamen vt principalem, ac vltimum indagationis Metaphysices scopum esse fateatur cognitionem Dei, & Angelorum spiritalium. Quamobrem Christiani ibi incipiunt scientiæ, & sciendi initium, vbi philosophorum anchoram figebat suprema cognitio: olim ab elementis mundi orsi, & physicis, hodiè à Dei summi vera & certissima incipiunt notitia. Vnde satis apparet, quantum ad Sacræ doctrinæ studium proficua sit Metaphysica, eiusque principia, vt videbimus libro sequenti demonstrando ex illis aduersus Atheos, supremi alicuius numinis existentiam.

CAPVT XXV.

Quantum referant ad Sacræ Doctrinæ studium Philosophia moralis, singulæque eius partes.

POstquam in superioribus breuem tam rationalium, siue sermocinaliũ quam speculatiuarum scientiarum ideã proposuimus, superest iam agere de Philosophia morali habente pro obiecto actiones voluntarias, vel vt loquitur D. Thomas in proœmio lib. 1. Ethic. operationes humanas ordinatas in finem. Vocar autem operationes humanas, quę à voluntate libera procedunt, secundum quod dictat ratio & intellectus; siue quod idem est, quæ liberè fiunt propter finem, scilicet ab intellectu præcognitũ, & voluntati propositum vt bonum, & perfectiuum hominis appetentis; ita vt causa materialis, seu obiectum quasi materiale Philosophiæ moralis sint actiones humanæ; formale verò, quatenus dirigibiles secundum rectam rationem. Finis est fælicitas humana practica. Efficiens est intellectus practicus quatenus honestas actiones docet, & præcepta tradit. Ratio autem cur actio humana, siue homo liberè agens propter finem, assignatur pro obiecto moralis, est, quia hæc scientia inuenta est, non vt homo præcisè fiat sciens, sed, vt fiat bonus probatæque vitæ, & consequatur felicitatem, cuius solus homo inter entia inferiora est capax; non fit autem bonus propter actiones naturales, siquidẽ ex Philosopho, neque naturalis actio, neque violenta meretur laudem aut gloriam: neque etiam fit bonus, sed perfectus tantum secundum intellectum propter actiones merè intellectuales; nihil enim prohibet scientisimum Physicũ, aut Mathematicum agere turpia, aut iniusta; fit ergo bonus homo propter actiones quarum est dominus, siue quæ rationis imperio subsunt, cuiusmodi sunt solæ actiones liberæ, siue elicitę, siue imperatæ.

Circa diuisionem Philosophiæ moralis; communiter distinguitur in Ethicam, Oeconomicam, & Politicam; cuius distinctionis sufficientia desumitur; ex eo quod homo voluntariè agẽs propter finem dupliciter considerari potest: primò secundum se, & vt per intellectum, & voluntatem ordinat seipsum in vltimum & optimum finem, qui dicitur felicitas: secundo vt est pars multitudinis, quam iuuat, & à qua iuuatur in his, quę sunt hominibus necessaria. Nullus enim sibi soli sufficit, sed sicut in membris corporis vnum alteri confert, ita in hominibus vnus alterum iuuare potest. Multitudo autem, cuius homo est pars, est duplex, scilicet familia siue domus, & ciuitas, quæ sic differunt. Homo qui est animal naturaliter sociabile, indiget aliquibus sine quibus vita præsens tran-

figi

figi non potest, vt generatione, nutrimento, vestitu, habitatione defensiua ab aëris temperie. Indiget etiam aliquibus, vt non solùm viuat, sed & benè, & sufficienter viuat. Ratione primi instituta est multitudo domestica, siue familia in qua omnes se iuuant in necessarijs vitæ; & vocata est familia, quia vnusquisque modo suo deseruit alteri. Ratione secundi instituta est ciuitas, quæ constat ex pluribus vicis, vicus autem ex pluribus domibus. Vnde ad ciuitatē propriè dictam duo requiruntur, primò quod sit communitas perfecta, est autem perfecta communitas, in qua inueniuntur omnia vitæ humanæ necessaria. Hac de causa constat ciuitas ex multis vicis, vt in eis exerceantur diuersæ artes, quibus parantur vitæ necessaria. Secundò quod sit causa, vt homo non solùm habeat sufficientiam pro vita corporali, sed vt tutè & pacificè, & studiosè viuat. Hac de causa quamlibet ciuitatem oportet habere leges, & publicam potestatem, quibus coerceantur mali, & boni defensentur, ordineturque ciuiū vita ad virtutes.

Ex hac triplici hominis consideratione apparet sufficiētia diuisionis Philosophiæ moralis in Ethicam, Oeconomicam & Politicam. Vt enim homo benè se regat, & ordinet in optimum finem inuenta est *Ethica*, quæ & *Monastica* dici consueuit, quasi scientia vnius. In qua cognoscet homo & discet quomodo passiones moderādæ sint per morales habitus, quomodo ad proximum se habeat per iustitiam, & prudentiam & amicitiam honestam. In quo vera consistat humana fęlicitas, pro hac vita possibilis haberi viribus naturæ. Vt autem homo sciat, quomodo se habeat in domo, quomodo in familia viuendum, quid ad progenitores spectet, quid ad virum, quid ad vxorem, quid ad liberos, quid ad seruos, quis curare debeat intrinseca domus, quis extrinseca; ad hęc, inquam, omnia & similia inuenta est *Oeconomica*, id est scientia de domestica multitudine. Tandem vt homo sciat quomodo viuendum in ciuitate, siue præsidens, siue subiectus sit, quæ partes debeant; instirui in ciuitate, quæ artes, quę disciplinæ, quæ leges, quæ pœnæ, quæ præmia, quis finis, ad quem obtinendum semper contendunt ciues; inuenta est *Politica*, quę & ciuilis scientia appellari consueuit, ad quam Ethica & Oeconomica vt ad principaliorem, & architectonicam ordinantur.

De Ethica.

QVoniam qui seipsum ignorat, & animum per virtutem excolere non didicit, neque in multitudine domestica, neque ciuili laudabiliter conuiuere potest, prima ordine doctrinæ est Ethica, quam decem libris absoluit Aristoteles, quorum summa hæc est. In primo libro agit de vltimo & optimo fine rerum humanarum, gratia cuius agit homo quæcunque voluntariè agit, & communi nomine appellatur fælicitas. In secundo libro tractat de medio quo potest homo ad optimum illum finem peruenire, quod quidem medium est virtus moralis, ideo de virtute morali in communi, & generaliter discurrit, antequam descendat ad virtutes morales in specie. In tertio libro agit de causis & principijs existētibus in nobis, à quibus proueniunt actus virtutum moraliū vt de voluntario & inuoluntario, de electione & eligibili, de consilio & consiliabili, de voluntate & voluntabili. Quibus expeditis agit de duabus virtutibus moralibus in specie, scilicet de fortitudine & temperantia. In quarto libro prosequitur considerationem specialem de alijs habitibus moralibus, vsque ad considerationem de iustitia exclusiue; nimirum de liberalitate & vitijs ei oppositis; de magnanimitate, & vitio illi opposito; de mansuetudine, & vitio illi opposito; de affabilitate, quæ licet non sit amicitia propriè dicta, tamen illi assimilatur, & de vitio ei opposito; de veracitate & vitio ei opposito; de eutrapelia, & vitio ei opposito; dę verecun-

dia, quæ potius est laudabilis passio, quàm virtutis habitus. In libro quinto agit de iustitia propriè dicta, & de eius speciebus; & de epyichia, quæ est virtus dirigens communem iustitiam, & potest dici æquitas; & de iustitia impropriè dicta. In libro sextotractat de habitibus intellectualibus, id est, qui sunt subiectiuè in intellectu; vt de scientia, de arte, de prudentia, de intellectu, qui est habitus primorum principiorum, de sapientia, de prudentia politica, de eubulia id est virtute benè consiliatiua, de synesi, id est virtute benè iudicatiua, & de asynesi quam appellare possumus hebetudinem iudicij; & de eustochia, & gnome. In libro septimo agit de incontinentia, & mollitie, & de continentia, ac perseuerantia, & de delectatione ac tristitia corporali, vt de materia circa quam versantur prædicti habitus. In libro octauo pertractatur de amicitia, & de omnibus speciebus amicitiæ, siue sit inter personas æquales, siue inæquales; præcipuæ autem species sunt, amicitia vtilis, delectabilis & honesta. In libro nono agit de proprietatibus amicitiæ, quomodo conseruatur, & dissoluitur. Tandem in libro decimo agit de delectatione & felicitate, quæ est optimus finis. Nam considerationem de felicitate, quam inceperat in communi in primo libro, vt excitaret humanum desiderium, ad acquirendum virtutes morales, vt media ad felicitatem, conatur complere, & terminate in libro decimo.

Quæ tamen omnia prædictis decem libris contenta facilè reduci possunt ad duo potissimum capita, quibus tota absoluitur Ethica; primùm est de optimo fine rerum humanarum, qui dicitur felicitas; secundum de actibus moralibus, seu voluntatijs tam in communi, quàm in particulari, quibus vel ad felicitatem tendimus si sint boni & virtuosi, vel ab illa recedimus si sint mali & vitiosi. Vbi tamen non est sermo de vltimo fine, vel felicitate supernaturali, nec etiam de virtutibus supernaturalibus diuinitus infusis; sed tantùm de felicitate, secundum quod Philosophi solo lumine naturali ad illius cognitionem peruenerũt; nec nõ de virtute secundum quod significat habitum bonum, bonamque qualitatem nostro labore, exercitio, more, consuetudine, & opera, nec non industria acquisitam; cui pariter opponitur vitium nostra culpa contractum. De his igitur breuiter hic agendũ esset; verùm quia inferiùs libro 5. ad 1.2. & 2.2. Diui Thomæ redibit sermo de morali Philosophia Christiana omnibus humanis disciplinis excellentiori, ideo illis supersedeo; satis enim inde constabit, quid inter tot diuersas Philosophorum sententias, de vltimo fine, veraque felicitate, quid de virtutibus moralibus acquisitis sentiendum sit.

De Oeconomica.

Sequitur secunda pars Philosophiæ moralis, *Oeconomica* dicta, quia præscribit media domus ritè gubernandæ. In qua sicut duo potissimum sunt attendenda, primum est societas personarum, secundum possessio, seu res familiaris; ita his duobus tota absoluitur Oeconomica consideratio. Societas autem personarum, cum sit duplex, vel prima, vt coniugalis; vel orta, vt paterna, & herilis; singularum officia; & virtutes præscribit. In possessione, seu re familiari duo considerat, acquisitionem, & administrationem. Acquisitio iterum est duplex, ordinaria, & extraordinaria. Si ordinaria, vel naturalis, quæ fit beneficio agriculturæ, fossuræ mineraliũ, fissuræ lignorum &c. vel artificialis, quę diuiditur in negotiatoriam, cuiusmodi est Mercatoria, Numularia, & in Operariam, vel Mechanicam, vel Officiariã ex officio publico, priuato, ecclesiastico, ciuili. Si sit acquisitio extraordinaria, vel est directa per hæreditatem, dotes, donationes, thesauri inuentionem, & similia; vel indirecta, per lusum, certamen deposito pignore. Administratio similiter diuiditur in Atticam, Persicam, & Laconicam, iuxta triplicem modum, quem

quem imitandum proponit Aristoteles in Oeconomicis, administrationis rei familiaris seruari consuetum apud Atticos, Persas, & Laconicos. Administrationis partes sunt, cura reseruationis, cura vsurpationis. De singulis breuiter aliquid dicamus.

Prima igitur Societas, & vt Ciceto ait lib. 1. de offic. Seminariũ reipublicæ, seu fundamentum reliquarũ Societatum est coniunctio maris & fæminæ, quam nos matrimonium appellamus, quę in specie humana, sicut in alijs animalibus, est maximè de institutione naturæ, ad conseruationem speciei. Verùm quia humana species nobilissima est inter inferiora, & ratione vtitur: ideo societas viri, & mulieris nõ solùm est propter propagationem filiorũ, vt conseruetur species; sed etiã propter alias duas causas, prima, vt se mutuo adiuuent, sibique inuicem seruiant in necessitatibus vitæ. Secunda, vt filios procreent, non solùm ad perpetuandam speciem, vt cætera animalium, sed vt ex eis commoda suscipiant: nam parentes filios paruos & imbecilles suo labore tuentur & alunt; facti verò imbecilles propter Senium, à filijs adultis, & valentibus eadem commoda reportant. Præter hos fines D. Paulus 1. Corinth. cap. 2. matrimonium institutum docet ad restinguendum ignem libidinis. Circa tempus contrahendi nuptias; vt sunt plures rationes, quibus adolescentum, præproperæ nuptiæ reprobantur; ita & senum pręposteræ; ad primas enim sequitur, quod fęminæ nimium pueriles in partu plerumque moriantur; quod eneruentur corpora virorum ad concubitum ante diem properantium, & inutilia ad res gerendas efficiantur: quod ex imbecillitate parentũ imbecilles partus, & crebrius fæminæ nascantur quam viri; tandem quod in tali iuuenum coniugio perire soleat reuerentia liberorum erga parentes, quos iuuentus liberis cõtemptibiles facit: Quo enim ætate superior est parens, eo grauior quoque est, & authoritate maior. Senium quoque non est commodum ad nuptias. Tum quod & hoc imbecillum sit, tum quod illam incommoditatem habeat coniunctam, vt cogatur pater à vita abire, priusquam liberos educare, aut eorum vitæ satis prospicere possit.

Mediam proinde ætatem legislatores potissimum probarunt; varia tamen à varijs definita est, alia quidem viris, alia fæminis. Viris ætatis 37. definit Aristoteles. Et hoc est, quod Solon quintum septenarium coniugio aptum pronuntiat. Plato annum 30. assignat: Hesiodus eumdẽ: quod obseruatum est ab Aegyptijs. Germani olim in turpissimis habebant ex Cæs. lib. 6. bell. Gall. ante 20. ætatis annum vxoris notitiam habuisse. Iustinianus Imperator 14. præscribit *pr. tit. Inst. de nupt.* Leo verò *in Nou.* centesima nona 15. expressit. Atque hæc de virorũ ętate, quibus ann. 60. ætatis elapso potentiam gignendi euanescere scribit Aristoteles lib. 1. de gener. animal. cap. 18. Galen. de tuenda sanitate lib. 2. ordinariè loquendo. Fæminis autem annos nubendi præscribit Aristoteles ab anno ætatis 18. ad annũ 50. quo generare desinunt. Plato à 20. vsque ad 40. Hesiodus annum 15. Iustinianus 12. Ius Canonicum hanc rem non ex annorum numero, sed ex potentia procreandi æstimans c. puberes 3. de desponsal. minorem 12. annis interdum habet pro vxore legitima. Circa quod aduertendum est, aliud esse loqui de possibili, & aliud de congruo: nam loquendo de possibili, dicendum quod illa ætas est apta coniugio, in qua mas & fæmina possunt generare: possunt autẽ generare, quando pubescunt, pubescunt verò communiter mas 14. anno completo, fæmina verò 12. anno completo, licet in aliquibus magis & minus retardetur pubertas, propter variam complexionem. Vnde hæc ætas apta coniugio quo ad possibilitatem generationis determinata est in lege Canonica. Loquẽdo autem de congruo, dicendum cum Physicis, & pręcipuè de mente Aristotelis, quod ætas congrua in masculo est post tertium septennium, & in fæmi-

na est post annum decimumoctauum.

Quod spectat iam ad leges ac documenta obseruanda à viro erga vxorem; ad sex reducuntur ab Aristotele. 1. est vt puellam ducat, vt gratis moribus tamen induere possit. 2. vt non permittat vxorem ficto vti ornatu. 3. vt vxori iniuriã non inferat, cum externa coeundo. 4. nihil prætermittat quod ad vxoris pertineat disciplinam & eruditionem, vt ex ea quam optimos generet filios. 5. Vir appropinquet vxori, scilicet quo ad actum coniugalem cum magna temperantia, ac modestia, sitque pudor in verbis, in opere honestas, in conuersatione fides, & moderatio. 6. Vt vir non incutiat metum vxori sine verecundia & pudore, id est sine omni respectu reuerentiæ. Hæc enim meretrices, & mœchos pati decet. At cum verecundia, & pudore, iustoque amore ingenua mulier regenda est à viro. Sunt igitur prædictę leges à viro seruandæ erga vxorem, ex quibus Aristoteles sextam & primam vt præcipuas confirmat ex Homero. Vel breuius, officia mariti erga vxorem sunt partim in præstatione debiti naturalis, partim in subministratione alimentorũ, partim in defensione, partim denique in gubernatione domestica. Leges autem seruandæ ab vxore proba ex intentione Aristotelis sunt septem. 1. Est omnibus rebus, quæ intus sunt scilicet in domo, dominari oportere, curamque illarũ habere secundum præscriptas sibi leges à viro suo, & ex institutione naturæ. Sicuti enim viri est parare extra domum necessaria vitæ, sic mulieris est ea domi conseruare. 2. Est non permittat quemquam domum ingredi sine viri præcepto. 3. Sumptu & vestitu, & apparatu, & ornatu minori vtatur, quam leges permiserint ciuitatis, considerans quod nec vestimentorum nitor, nec excellentia formæ, nec auri magnitudo, tantùm valet ad mulieris laudem, quantum modestia in rebus, ac studium honestè, decoreque viuendi. 4. Non loquatur de Republica, aut de spectantibus ad connubia. 5. Magni faciat viri mores. 6. Eum timore amoris reuereatur, siue filiorũ, non seruorum. 7. Vxor in vtraque fortuna virum sustinere debet. Alij officium vxoris versari putant 1. In præstatione debiti naturalis. 2. In exhibitione honoris & obedientię. 3. Vt vnum idemque habeat cum marito domicilium. 4. Vt gratam viri defuncti memoriam retineat.

Secunda Societas est parentum ad filios, & filiorum ad parentes. Aristoteles docet quatuor leges à parentibus seruandas erga filios. 1. est in generatione. 2. in educatione. 3. in eruditione. 4. in exemplo vitæ. Prima spectat ad virum. Secunda ad vxorem, partu enim legitimè edito, proximum est, vt mater suis vberibus infantem alat, ideo binas illi mammas natura concessit: nec permittere debet nisi in casu infirmitatis, vt nutricationis officium alteri demandetur: hodiè tamen pessima consuetudine contrarium ferè inualuit, existimantibus matribus dedecori sibi esse, si ipsę hoc munus subeant. Erubescit fieri nutrix, quę facta est mater inquit Chrisostomus in Psal. homil 50. Tertia ad patrem pertinet propriè, sicut enim matris est educare, ita patris erudire. Pro eruditione autem filij transacto primo quinquennio vsque ad annum vigesimum primũ talis ordo seruandus est ex doctrina Aristotelis: prouideat in primis prudens & ingenuus pater, ne filij cum seruis versentur, vt ab auditu, & visu rerum seruilium procul sint: secundò ne pueri dicant, aut audiant quicquam turpe, ex turpiter enim loquendi licentia, sequitur & in posterum turpiter operari: tertiò ne picturas, aut imagines, aut actus deformes, & obscænos aspiciant: omnia enim primò visa, & audita nos magis delectant: quartò vt transacto primo septennio erudiantur filij communibus disciplinis, quibus solent ingenui erudiri, duæ verò sunt ętates, in quas necesse est disciplinam diuidere, vna post primum septennium vsque ad pubertatem, altera à pubertate vsque ad annum vigesimum primum. Sunt autem ex doctrina

na Aristotelis in lib.8.Politicorum quatuor disciplinę, quas filij ingenui discere cõsueuerunt, scilicet Litteraria, Figurariua, Gymnastica, & Musica; de quibus vide ibi interpretes Aristotelis pręsertim D. Thomam & Chrisostomum Iauellum. 4. tandem lex in exemplo virę consistens tam à matre, quam à patre seruari deber. De parentum officijs hactenus, sequitur de his quę liberorum sunt; quæ idem Philosophus in lib. 8. Ethicorum ad quatuor reducit. Primò seruandus est amor. Secundo honor. Tertiò obedientia. Quartò subsidium: qua ratione infames pronuntiauit liberos Solon, qui parentibus egentibus opem non tulissent. Nam vt habetur lib.9. Ethic. Deo & parentibus ęquum reddere nequimus; ex quo de mente Aristotelis corrolariè sequitur nunquã licere filio patrem abnegare, id est deserere de eo non curando, nec ei benefaciendo. Potest tamen pater filium adultum relinquere.

Tertia societas est herilis siue domini & serui; cum enim Dominus non possit in omnibus locis, vbi res eius agitur, simul apparere, nec omnia per se præstare, indiget vicarijs seruis, nam per seruos melior nostra fit conditio, non deterior *l. 133. de regul. iuris*. Sic ex Aristotele duo sunt seruorum genera, scilicet curator & opifex, curatorem appellat seruum, quem oeconomus negocijs pręficit, & eorum curam habere iubet, quem nos negotiorum gestorem dicimus. Opificem verò vocat eum, qui manibus opus facit, vt fodere, arare, serere, &c. De primo tamen genere non agitur in pręsenti, sed de secundo tantùm concernente veros seruos, qui perfectam seruitutem seruiunt. Qua ratione seruitus duplex constituitur, naturalis & legalis. Natura serui sunt, qui minus ingenij, plus roboris habent: atque ideo ob defectum prudentię, nec sibi ipsis vtilia prospicere, nec alios rectè gubernare possunt, suntque ob vires corporis laboribus ferendis, aliorumque mandatis expediendis idonei. Atque hi reguntur consilio & arbitrio alterius volentes, & cum suo commodo. Quę sententia Aristotelis lib. 1. Polit. cap.3. non pugnat cum illis, qui negant aliquem natura seruum esse. *L. quod attinet, de R.Iur. leg.5. ff. de statu homin.* vbi seruitus definitur contra naturam esse. Nam sicut *Cicero in paradoxis* ex Stoicorum sententia disputat: omnes sapientes esse liberos: ita *Aristoteles*, omnes insipientes à natura ad seruitutem destinatos dicit, non autem vult, eos actu seruos esse, sicut Iurisconsulti seruitutẽ accipiunt, quando natura seruos vocant, qui ex ancillis nascuntur. Hi enim actu serui sunt. Aristotelis autem sententia intelligenda est in eum sensũ, quo Plutarchus *in Pelopida* ait: Pelopidam natura imperatorem fuisse, non, quod talis fuerit natus, sed quod prudentiam regiam à natura habuerit. Lege serui sunt, qui ex certis causis dominorum potestati subiecti sunt, atque adeò vitam suam ad nutum arbitriumque dominorum componere coguntur. Hæc seruitus iusta est, tum quod possessio eius, quod virtute & fortitudine domini acquisitum est, iusta sit: tum, quod legibus approbata, tùm quod potentiori in inualidum iure debeatur imperium.

Serui porrò sic sumpti aut nascuntur, aut fiunt. Nascuntur ex ancilla, seu serua: suntque eius cuius ancilla est, ex qua nati sunt. Partus enim sequitur ventrem, quantum ad status cõditionem & dominium. Atque hi dicuntur Vernæ. Fiunt serui 1. captiuitate, in bello iusto intelligitur, quod est cum hostibus. Et iure sanè, quia cui licet impunè occidere, cur non liceat id, quod minus est, scilicet in seruitutem redigere. Hæc tamen seruitus ex captiuitate orta non omnino plena aut certa est, sed in suspenso, vel pendente manet ob fictionem iuris. Vnde hodie captiui vel gratis dimittuntur, vel certo lytro, vel permutatione aliorum captiuorum. 2. venditione sui ipsius serui fiunt, si dolo malo ad prætium participandum se venundari passi sunt. 3. damnatione in metal-

metallum seruituti subiungantur, adeo vt etiam serui pænæ dicantur. Item seruus est, qui ad mortem damnatus, saluatur, & in seruitutem datur. Fit enim seruus pænæ eo ipso, quod damnatur, vt ait Vlpianus *l. si quis*. cum enim seruitus sit mitior pęna quàm mors *l. capita*. iure videtur in seruitute retineri posse, quem alias mors absumpsisset. Sed sicut Leo venditionem *Nouell.* 59. sic Iustinianus *Nouell.* 22. abrogat hanc legem 17. *ff. de pænis*. Nos, inquit, hoc remittimus, & nullum ab initio benè natorũ ex supplicio permittimus fieri seruum. Neque enim mutamus nos formam liberam in seruilem statum, qui etiam dudum seruorum manumissores esse festinamus. Et hæc quidem constitutio æquior est, ne vnius patris peccatum totam posteritatem trahat in seruitutem, cum ne iudicio quidem parẽtis nisi meritis de causis summoueri hæredes à bonis damnatorum possint.

Constituta seruitute, videndum iam quid in ea iuris sit, tum quo ad personas, tum quo ad res. Personas dico Dominum & seruum, quamquam seruus propriè personam non habeat; est enim *ἀπρόσωπος l. instructum* 185. Domini officia sunt in *genere*, præstare seruis opus, cibum, animaduersionem, nam cibus sine opere facit seruum porcum: opus sine cibo asinum: castigatio sine vtroque canem; in *specie* verò sunt 1. humana seruorum tractatio. Non enim sæuire permittitur domino in seruum. 2. Dominus seruos non adigat ad inhonesta seruitia. 3. Non patiatur se se ab vxore instigari in seruos: prudens enim illud est Catonis monitum lib. 1.

Nil temere vxori de seruis, crede querenti

Sæpe etenim mulier, quem coniux diligit, odit.

Seruorum vicissim est primum amore prosequi suos dominos; deinde fideles esse & morigeros; domini ciuitatem propriæ anteferre; dominos in extrema non deserere fortuna &c. De seruitute quo ad res obseruandum est, seruum bona nulla habere posse, nec proinde successores; igitur quodcumque acquirit, suo acquirit Domino. Verùm serui tales, de quibus huc vsque diximus, cũ vix hodie inter Christianos agnoscãtur, non est quod amplius in hoc immoremur; vnde ad rei familiaris considerationem transeundum est.

Ordo doctrinæ requirit vt post leges seruandas inter virum & vxorem, & inter parentes, & filios, inter dominos & seruos, quæ sunt tres societates, ex quibus perfecta domus constare debet, postremò tractetur de legibus ac documentis ab Oeconomo seruandis in cura possessionis, seu rei familiaris; cuius nomine non solùm intelligitur pecunia, sed quæcumque in pecuniam commutari possunt, vt agri & fructus, & domicilia, & animalia, & merces, cæteraque huiusmodi; circa quæ ex intentione Aristotelis, quatuor debent attendi ab Oeconomo. Primò vt rem familiarem acquirat. Secundò sit acquisitorum seruator. Tertiò vt per acquisita sciat ornari, & honorari. Quartò vt acquisitis fruatur. Breuius alij in re familiari duo tantùm attendunt, illius scilicet acquisitionem, & conseruationem, seu administrationem; quia autem longum esset prosequi omnes modos acquisitiuos diuitiarum & pecuniç de quibus agit Philosophus lib. 1. Politicorũ; tres tantùm hic leges generales ex ipso adducemus circa acquisitionem Oeconomo obseruandas; 1. ne sua negotia in acquirendo confundat, sed singula distinguat, & ordine pertractet: nam si plura simul miscere voluerit, puta agriculturam, animalium societatem, mercaturam terrestrem, & maritimam, vnum aliud impediet: & si in vno iacturam patietur, detrimentum sentiet in omnibus. 2. est, curet plura fructuosa acquirere, quàm infructuosa, V.g. plures agros, quam plures domos, plures merces, quam plures vestes. 3. est, caueat, ne in solo vno negotio, quidquid habet periculo exponat, puta mercaturę maritimæ; imo expedit in diuersis negotiari, vt si pro vno

vno negotio patitur, pro alio acquirat. In diuersisque sitibus diuersos possidere agros, ne aut siccitate, aut grandine, aut sterilitate terræ penuriam & vniuersalē fructuum priuationem patiatur. Hæc sunt documenta ab Aristotele vniuersaliter tradita Oeconomo pro acquisitione. Specifica autem quærenda lib. 1. citato Politicorum: & in libris eorum qui de re rustica tractarunt.

Quantùm ad conseruationem, vel administrationem acquisitorum, Aristoteles proponit imitandum modum administrationis rei familiaris seruari consuetum apud Atticos, vnde dicta Attica, & modum seruatum apud Laconicos, vnde Laconica, & modum seruatū apud Persas, vnde Persica. Pro intelligentia modi Attici aduertendum est, quod Pericles Atheniensis vir præclarus in administratione rei familiaris solertissimus sic domum gubernabat. Singulis annis fructus prædiorum suorum perceptos vendebat. Et quæcumque ad victum familiæ necessaria seorsum emebat, & sic reddituum prædiorum extabat ratio, ex illis redacta pecunia: & sumptuum domesticorum quantitas nō latebat, quæ duo ad maximam diligentiam & frugalitatem pertinere videbantur. Hunc administrandi modum non solùm Pericles, sed & cæteri Athenienses obseruarunt, quoniam vt dicit Aristoteles vendentes emunt, id est vendētes fructus ex prædijs collectos emunt necessaria ad victum familiæ. Et huius quidem modi administrandi ratio fuit, securior fructuum perceptorum tuitio. Si enim venduntur nullus per annum surripit, nullus furatur, nullus decipit, Nec tam facilè consumitur emptum, quam quod prouenit ex prędijs nostris: maiori namque, ac subtiliori computo expenditur emptum. Et quoniam Attici domum sic regunt: ideò penoris institutio non est apud eos. Cum enim venderent prædicta omnia non instituebant penus, sed dietim victui necessaria emebant. Est autem penus frumenti, vini, olei, casei & similium prouisio, & congregatio pro alimentis familiæ, pro notabili temporis spatio vt pro anno vel dimidio. Hic est igitur modus administrandi Atticus, quem Arist. partim æstimat obseruandum, partim non. Et dicit quod in paruis administrationibus regula Attica circa fructus vtendum est. In magnis verò distinctio facienda est eorum quæ in anno, & quæ in singulos menses consumere oportet. Eodemque modo & in instrumentis separanda sunt, quorum vsus quotidianus est ab his, quę raro sunt vsui.

De modo seruato apud Laconicos vnū dumtaxat refert Aristoteles dicens. Ad rectum verò instrumentorum vsum illud Laconicum valet: singula suo loco iacere. De modo autem Persico tria maximè recitat Oeconomo imitanda, quorum primum est vt domum & omnia, quæ in domo sunt videat & omni diligentia discutiat, ac iubeat. In quo dictum Persæ simul & Lybici rectè se habet. Persa enim interrogatus quid equum maximè pinguem faceret, respōdit: Oculus domini. Lybicus verò interrogatus, quod sterquilinium agro foret optimum: Domini, inquit, vestigia. Secundum est quod sit Oeconomus maximè vigilans; sic expergisci decet prius dominum quam seruum: & cubitum ire posterius. Tertium est Oeconomus in ædibus parandis & construendis ad tria maximè respiciat. Primò vt sint vtiles pro rebus seruandis. Secundò vt sint commodæ pro habitatoribus. Tertiò vt sint salubres pro conseruatione rerū & corporum. Vnde inquit Aristoteles ædes quoque parandę sunt, vt & rerum possessarum & salubritatis & commoditatis rationem habeamus. Rerum possessarum dico, ceu fructuum & vestium, quales his conducant, & fructuū quales aridis: quales liquidis: & aliarū rerum quales animatis, quales inanimatis, seruisque & liberis: maribus & fœminis: ciuibus & peregrinis. Commoditatis verò & salubritatis, vt æstate quidem ventorum bonum afflatum, hyeme autem solem recipiant: erunt autem ta-

les;

les: si versus Boream fuerint, nec æqualiter latæ. Hæc Aristoteles.

Ad hanc Philosophiæ moralis partem spectant plura diuinarum Scripturarum vtriusque testamenti loca, in quibus fit sermo tàm de tribus iam dictis societatibus, officijsque & legibus ad illas pertinentibus, quàm de possessione bonorum exteriorum, sine quibus domus seruari non posset. Ex quibus locis ordinatè collectis, ritèque intellectis ordinari posset perfecta, numerisque omnibus absoluta Oeconomia sacra, cui iam pridem inter alios feliciter insudauit Chrisostomus Iauellus Ord. Prædicat. in Oeconomica, vel familiari christiana disciplina, quam diuidit in septē tractatus. Primus est de domo, & illius partibus in cōmuni, inquirendo 1. quid sit domus. 2. quæ & quot sint causæ necessitantes hominum genus ad constituendam domum, & si huiusmodi constitutio est homini naturalis, vel ex mera voluntate. 3. quot communitates, quot regimina, quot personarum genera oporteat esse in domo. Secundus tractatus est de regimine primæ partis domus, quæ est inter virum & vxorem, siue inter coniugales. Vbi 1. probat quod homo naturaliter est animal coniugale. 2. quæ sit ætas apta coniugio tam in masculo, quàm in fæmina. 3. si licet vni viro habere simul plures vxores, & vni fæminę simul plures viros, & si coniugium debet esse indissolubile per totam vitam. 4. quod non licet ducere vxorē eam, quæ est proxima consanguinitate, aut affinitate coniuncta. 5. quomodo vxores regendæ sunt à suis viris. 6. quomodo se debent regere viri erga vxores suas, quo ad debitum coniugale, & honoratum tractatum, conuersationem & zelum, & consilium, & secretorum reuelationem.

Tertius tractatus est de regimine filiorū. 1. quod parentes naturaliter debent esse maximè solliciti circa regimen filiorum. 2. quod curandi sunt filij à parentibus à principio natiuitatis suæ vsque in finem primi septennij. 3. quomodo curandi sunt filij, & erudiendi per totum secundum septennium. 4. quomodo regendi sunt per totum tertium septennium. 5. de pædagogo filijs præponendo. 6. quod pædagogi retrahant filios à societate prauorum. 7. quod informent eos in bonis moribus. 8. quomodo eos regere circa visum, & auditum, & odoratum. 9. circa sermonem, gustum & tactum. 10. quomodo ludis, gestibus, & vestitu. 11. quomodo quo ad exercitium corporale. 12. quod ante omnia instruendi sunt in fide. 13. quod dedicandi sunt disciplinis liberalibus. 14. in quibus scientijs erudiendi sunt. Quartus tractatus est de regimine filiarum nobilium, quandiu sunt sub cura paterna. 1. prohibendum esse eis, ne extra domum discurrant, sed clausæ domi viuant. 2. quod ab adolescentibus, & iuuenibus, & vniuersaliter à viris nō familiariter, & domesticè, & crebrò visitentur, neque personaliter, neque per munuscula, neque per secretas, & amęnas litteras, neque per internuntias, aut internuntios lænocinantes. 3. quod non permittantur otiosè viuere, neque cum mulieribus domesticis, lasciuisque narrationibus, & ludis vacare, sed in opere sibi conuenienti cōgruis horis sint quotidie occupatæ. 4. quod sint modo debito taciturnæ præcipuè in aspectu virorum.

Quintus tractatus est de regimine seruorum, siue ministrantium in domo perfecta. Vbi 1. declaratur, quod in domo perfecta requiritur dominus presidens, & seruus ministrans. 2. quod in diuina & christiana lege sunt quinque seruorum genera, scilicet seruus ex natura, ex lege, ex emptione, ex mercede, ex virtute, & dilectione. 3. quomodo dominus regere debet seruos, qui sunt ex natura serui. 4. quomodo serui ex lege facti, & empticij regēdi sunt. 5. quomodo regendi sunt serui, qui ex sola mercede conducti seruiunt, & quomodo qui ex virtute & amore. Sextus tractatus est de possessione Patris familias. Vbi explicatur 1. quod rerum temporalium

lium exteriorum possessio est homini naturalis. 2. quod expedit cuilibet familiæ possidere aliqua bona temporalia distinctè, & non communiter. 3. Quod non expedit Patri familias appetere bona temporalia in infinitum. 4. Quot modis potest pater familias acquirere bona temporalia, pro sustentatione familiæ, & sui status. 5. quot sint genera commutationum vsitata. 6. quot modis potest pater familias acquirere pecuniam, & qui ex eis sit licitus, & qui non. 7. qui modi conueniant Patri familias, & qui non. Septimus tandem & vltimus tractatus est de dispositione, & qualitate ædificiorum, pro vt decent in Religione Christiana. Vbi declarantur. 1. causæ propter quas oporteat patrem familias construere domum propriam. 2. qualis debeat esse quoad structuram & ædificationem. 3. quo ad aërem salubrem. 4. quo ad aquas salubres. 5. quo ad situm in ordine ad vniuersum. 6. quo ad sculpturas siue picturas. 7. quo ad diuinum cultum. Hactenus Iauellus, in quo si aliqua desint ad perfectam Oeconomiã, facilè suppleri possunt, cum inuentis addere facilè sit.

De Politica.

Tertia tandem pars, eaque dignissima Philosophiæ moralis, est Politica, siue scientia de regenda ciuitate, quam Politicam Græci, nos autem ciuilem scientiam appellamus. Hanc Aristoteles octo Politicorum libris absoluit; in quorum primo pertractat de principijs, vel fundamentis vniuersalibus, quę præcognoscenda sunt, antequã descendatur ad specificam Reipublicæ considerationem. Hæc autem sunt, ad quid ciuitas est instituta, quomodo ab alijs communitatibus differt; puta à domo, à pago, & quot sint partes domus, de singulis agens, vt de domino & seruo, de patre & filio, de viro, & vxore. Nam cum dominus & seruus, pater & filius, vir, & vxor, constituant vnam domum, plures domus cõstituant pagum, plures pagi, quos vicinias siue vicos appellare solemus, constituant ciuitatem, impossibile esset de ciuitate perfectam scientiam tradere præmissis ignoratis, quæ tamen sub altiori quadam ratione considerãtur in Politica, quam in Oeconomica. In secundo libro recitat sententias maiorum, qui de politia tractarunt, & singulas reprobat, vbi non rectè dixisse videntur. Recitat autem, & reprobat primò sententiam Platonis sub nomine Socratis, qua opinatus fuit filios ac mulieres in ciuitate debere esse communes, nec solùm filios ac mulieres, sed etiam officia & possessiones; item eius instituta & leges de numero bellatorũ, de quantitate possessionum, de multitudine generationis filiorum, de æqualitate seruanda inter ciues quo ad diuitias, & dignitates, de distinctione Principum à subditis, de duplicatione domorum, de distinctione ciuitatis in partes suas, & tandem de commixtione suę politiæ. Recitat & reprobat secundo politiam Phaleæ Carthaginensis, qui aduertens, quod ex possessionibus, & substantijs inter ciues, nisi benè ordinentur, oriuntur seditiones, dum pauperes conqueruntur de diuitibus; item quod solent ex artificibus nõ benè ordinatis tumultus & lites fieri, dum rixantur ad inuicem, & mutuò inuident propter lucrum; totum studium in politia sua conuertit ad ordinandum de substantijs, & artificijs. Et quantùm ad substantias, quod omnes ciues essent æquales, ita quod nullus esset pauper, nullusque ditior altero. Quantum autem ad artifices, vt cessarent rixæ inter eos, statuit, quod in communi operarentur iuxta artem suam, puta omnes fabri in communi, omnes textores in communi, &c. & eorum opera distribuerentur inter ciues iuxta eorum necessitates & indigẽtias. Recitat & reprobat tertiò politiã Hippodami natione Milesij, cuius tria erant principalia instituta in genere, primum spectans ad diuisionem ciuitatis, quo ad ciues in tres partes, scilicet artifices, agricolas, & propugnatores, quoad ter-

territorium, siue regionem, similiter in tres partes, sacram, de qua viuerent Sacerdotes; publicã, de qua viuerent bellatores: priuatam, quæ distingueretur, inter agricolas. Secundum ad iudicia; tertium ad disciplinam ciuium pertinebat. Agit quartò de Republica Lacedæmonum, quam instituit Licurgus; quinto de Republica Carthaginensium. Sexto tandem recitat nominatim famosiores legum conditores, & eorum singula exponit instituta.

In libro tertio distinguit politias in species suas tam bonas quam malas. Deindè declarat quis in ciuitate dominari debeat, & secundum quam excellentiam boni, distribuendi sint principatus: postremò agit in particulari de optima politia, quæ dicitur Regia, siue Regnum. In libro quarto tractat de politijs alijs à Regno, vt de populari, siue democratica, & de ea quæ est paucorum, siue Oligarchia: & de ea, quæ est optimatum, siue Aristocratia, & de pessima, quæ est tyrannis: & de partibus reipublicæ, quæ sunt consiliatiuũ, & iudicatiuum. In libro quinto discurrit de causis corrumpentibus, & saluantibus respublicas, in quibus plures dominantur, quales sunt Democratica, Oligarchica, Aristocratica, & de causis corrumpentibus ac saluantibus rempublicã in qua tantùm vnus dominatur, & dicitur Monarchia.

In libro sexto pertractat ex quibus & quomodo instituendæ sunt respublicę minus bonæ, ac minus rectæ, quales sunt respublicæ paucorum, & popularis; & de illis, qui debent in eis principari. In libro septimo agit de optima republica, quæcumque si illa: siue dicatur communi nomine respublica, siue sit respublica optimatum, siue regnum; ad quem finem ordinata sit: quæ debeat esse materia, & magnitudo & regio ciuitatis ædificandæ, quales debeant esse in ea gubernatores; & quæ partes, quomodo diuidenda eius regio, & colenda, quibus adinuentionibus fiant in ea ciues studiosi, ac probi. De modo autem instituendi tyrannidem, nulla fit mentio, cum potius laborandum sit, vt destruatur, quam instituatur. In octauo tandem & vltimo libro agit de disciplina puerorum, ac iuuenum, quibus disciplinis pro diuersa ætate erudiendi sunt. Quomodo in Musica, & quali Musica. Hęc est summa in genere eorum, quæ in octo libris Politicorum resoluit Aristoteles, de quibus priusquam agamus in particulari, sic sub vna possunt ordinari tabula Generali, quæ ad Politicam spectant.

Politica ergò tribus potissimum partibus in vniuersum distingui solet; vt prima sit de reipublicæ constitutione. Secunda de constitutæ administratione. Tertia de collapsæ restitutione. Ad primæ partis considerationem spectat primùm reipublicæ definitio, & ortus, 2. incrementa, vbi & de reipublicæ partibus, paucorum, videlicet in coniunctione maritali, Patria, herili; plurium deiunctorum inter se vinculo naturali, vt familię; ciuili, iure sodalitatis in collegijs & tribubus; vicinitatis quo ad territorium siue districtum, ciuitatem, & metropolim, Vrbem, & in ea ædificia publica, priuata. 3. forma. 4. finis reipublicæ. In administratione cum sit vel togata, vel militaris; in togata consideratur primùm efficiens causa, siue modi quibus ea deferri solet, cuiusmodi sunt electio, & successio. 2. subiectum nempè Magistratus, isque vel probus, eiusque munia, vel improbus vt tyrannus. 3. administrationis forma, quæ est in sanctione legum, custodia disciplinæ publicæ, & exercitio iurisdictionis. 4. adiũcta bonæ administrationi, Personæ nempè & res. Personæ quidem administrationẽ iuuantes partim consilio, vt consiliarij, partim expediendis legationibus vt legati, partim obsequio, vt subditi. Res ad administrationẽ pertinentes, alię sunt domi, vt opes, arma, arces, coloniæ &c. aliæ foris, vt fędera. In administratione militari considerantur, 1. belli definitio. 2. distributio. 3. causæ impellentes manifestæ, occultæ. 4. apparatus in cura subditorum exercendorum in

in tractatione armorum; instrumentorū qualia sunt pecunia, commeatus, arma ductiua, machinæ bellicæ,& clarigationum. 5. subiectum dux nimirum & milites,qui considerari possunt separatim, & collectim; separatim in delectu habendo, quo pertinet eorum conscriptio, lustratio, receptio, auctoratio; & in distinctione facienda; collectim in exercitu, cuius distributio in certos ordines; connexa in artificibus, & calonibus. 6. obiectum, hostis videlicet. 7. actus belli, vbi 1. castrorum locatio, 2. excubiarum constitutio, 3. obsessio, 4. prælium, 5. inuentio bellica, quo pertinent consilia, 6. disciplina militaris in distributione penarum, quo loco de exauctorationibus, & præmiorū, cuiusmodi sunt stipendia, & priuilegia militaria. 8. adiuncta, scilicet cædes,vastationes,incendia, captiuitas. 9. effecta,quæ vel tristia vt subactio, vel læta, vt victoria, pacificatio, & dimissio exercitus. In tertia denique Politicæ parte, quæ est de reipublicæ collapsæ restitutione. I. Agitur de euersionibus rerumpublicarum quo ad earum causas efficientem & formalem;causa efficiens principalis est Deus quem vt rerumpublicarum fundatorem benignum, ita euersorem iustum agnoscere debemus: *Manus tua, domine, gentes disperdit, & plantasti eas, afflixisti populos, & expulisti eos. Psal.* 44. *v.* 3. Et Daniel. 2. vers. 21. *Tu solio regali imponens reges, eosdemque inde deturbas*. Ex parte creaturarum sunt in Magistratibus iniustitia, discordia, ambitio,auaritia, abdicatio intempestiua; in subditis & magistratibus simul, violatio disciplinæ publicæ in religione, idololatria, libidine, luxu, superbia,& pauperum oppressione, aliisque similibus. Ad causam formalem pertinet, quomodo à conuersione reipublicæ differat euersio. II. Euersas rerumpublicarum partes contemplatur vrbes, & earum incolas. III. Adiuncta, inter quæ potissimum tempus, siue fatalis rerum publicarum periodus, & signa euersionis earumdem. IV. Effectus, siue migrationem gentium. V. Contraria, hoc est, remedia eaque tum præseruantia, tum curantia euersionum. Nunc de singulis breuiter agamus.

De prima parte Politicæ, siue de Reipublicæ constitutione.

PRimum definiri potest, respublica ordo regiminis hominum, certis iubendi parendique legibus inter se bono publico deuinctorum. Essentia enim reipublicæ est in personis vel imperantibus,vel obtemperantibus,sibi inuicem mutuis officijs obstrictis: Qui præest,fidem & protectionem debet ei, qui subest, hic illi obsequium, amorem & honorem. Quemadmodum verò omnia entia esse suum dependens & participatum habent à summo illo ente: ita & imperia, siue respublicæ ab vnico hoc fonte. Quamuis circa ortus earum causas variæ sint auctorum sententiæ. Quidam enim religionis causa homines initio conuenisse arbitrantur; alij metus causa eos conuenisse, societatemque mutuam expetiuisse putant, vt se munirent aduersus potentiorum iniurias; alij instinctu musicæ, quod Orphæo adscribunt: alij necessitatis causa id factum volunt. Melius omnibus istis causis, alijsque similibus adscribi potest, præsertim verò naturali hominum inclinationi diuino afflatu ad id incitatæ; vnde quod aliqui imperia omnia vi primum cæpisse dicunt, non videtur verum: Voluntarium enim est, non violentū, quod homines inter se mutuorum officiorum causa cōueniunt. Nunc videndum quomodo certis gradibus societas illa creuerit. Primò omnium sola fuit maritalis coniunctio: deinde tota domestica societas coaluit: ex illa integræ familiæ gentilitiæ,quibus extraneæ accesserunt, sic vt distinctis locis habitantes primo vicos, deinde pagos, post oppida, & vrbes, denique prouincias, & regna constituerent. Vicus est communio ex paucioribus domibus collecta. Ex multis pagis oritur ciuitas, in vno loco collecta,

cta, & commoditatibus maioribus, ac ampliori securitate instructa atque munita. Ex pagis & vrbibus longo interuallo inter se dissitis constat districtus, siue territorium. Causæ promouentes in genere rerum publicarum incrementa sunt. I. Vicinarum Rerump. ruina. II. Libertatis concessio. III. Ciuium dispaitas. IV. Studium armorum. V. Concordia inter ciues. VI. Coloniarum deductio, ex ijs gentibus, quarum ingenia per naturam feruntur ad ædificia eleganter extruenda. VII. Concessio immunitatum. Incrementa autem Rerump. impediunt I. laxa disciplina. II. nimia diuitiarum cupido. III. Morum prauitas. IV. Denique luxus. Tantùm quoad constitutionem reipublicæ, de eius definitione, ortu, & progressu, nunc forma considerandą est.

Cum omnis reipublicæ gubernatio vel penes vnum, vel paucos, vel omnes sit: cunctasque nationes & vrbes populus, aut primotes, aut singuli regant: inde triplex bonæ reipublicæ forma, vel status: Monarchicus, Aristocraticus, & Democraticus; vel, vt alij loquuntur Principatus, Optimatus, & populi status; quibus addi potest status mixtus, siue compositus tam ex Aristocratia, & Monarchia; quam ex Aristocratia, & Democratia. Etsi ex hypothesi cuidam ciuitati possit esse accommodatior forma Aristocratica, in qua optimates præsunt, vel etiam Democratica in qua populus; absolutè tamen Monarchica, in qua vnus præsidet, cæteris tam antiquitate, quàm perfectione præcellit; Aristoteles enim lib. 1. Politic. cap. 2. Plato 3. de legibus, & Iustinus lib. 1. aiunt: Principio, rerum, gentium, nationumque omnium imperium penes reges fuisse, quam sententiam D. Augustinus lib. 4. de ciuitate Dei cap. 6. suo calculo approbat: Monarchiæ autem perfectio, non solum apparet, ex hoc quod simplicissima sit, & cęterarum gubernandi rationum veluti mater; sed etiam ex hoc potissimum, quod ad ipsius Dei regimen, naturæque cursum quàm proximè accedat. Natura, inquit Seneca 1. de Clement. cap. 19. commenta est regem, quod ex alijs animalibus, & apibus præsertim licet cognoscere. In apibus enim rex vnus est, Plinius *lib. 11. hist. cap. 17.* & dux vnus in gregibus, & in armentis rector vnus. Cyprian. *tract. de idol. vanit.* Inter grues vnus veluti consensu reliquorum princeps electus agit, & moderatur gregem. Arist. *lib. 1. de histor. animal.* Et vt partes hominis in vno corde maximè vigent; ita & partes ciuitatis sub vno rege. Vtque solem vnum in cęlo esse, non plures expedit: ita & vnũ imperij corpus vnius animo regendum videtur. Tacitus *lib. 1. Annalium*, quod Lydij obiecerunt Cræso, cum fratrem adsumpsisset in consortium imperij. Et Alexander Darij Legatis respondit, mũdum à duobus solibus non posse regi. Curtius *lib. 4.* Pacis quoque interest omnem potestatem ad vnum conferri. Neque aliud quandoque discordantis Patriæ remedium fuit, quam si ab vno regeretur. Cuius rei præclarũ est exemplum, quod Romæ in tanta perturbatione, summa rerum redijt ad Octauium: qui sapientia sua, atque solertia perculsum vndique & perturbatum ordinauit imperij corpus: quod ita haud dubiè nunquam coire & consentire potuisset, nisi vnius pręsidis nutu, quasi anima & mente regeretur, ex Floro *lib. 4. cap. 3.* Nec tantùm tranquillior est hic regiminis modus; verum etiam constans, & minus mutationi obnoxius. Rarius enim vnus, secum multi dissident: & plures gubernatores, licet artem nouerint, tamen inuicem sibi sunt impedimento. Vide Pet. Gregor. *lib. 13. de republica cap. 12.* Patric. *lib. 1. de regno tract. 3.* Simancat *lib. 5. de republ. cap. 2.* Lips. *lib. 2. polit. c. 2.* Tandem Aristoteles adeò certum putauit, Monarchicam inter alias regendi formam primatum habere, vt inde argumentatus fuerit ad vnitatem Dei 12. Metaphysicæ. In Deo, ait ponendum, quod optimũ 8. physic. tex. 48. quoniam D. Anselmus cap. 3. prosolog. Deum ostendit esse maximum, id quod cogi-

cogitari potest. Sed melius vnum præesse, secundum versum Homeri 2. Iliad. εἷς κοίρανος ἔστω, εἷς βασιλεύς. Vnde Tarquinij ad Porsennam dictum apud Liuium lib. 2. Regnum esse rem inter Deos hominesque pulcherrimam.

Vt à Monarchia proximè abest Dominatus, inter regnum & tyrannidem ambiguus, cuius exemplum habemus in potestate Persarum, Turcarum, Tartarorum, Chinensium, Moscouitarum &c. ita longissimè ab eadem abit Tyrannis, omnium Rerumpubl. deterrima, quia optimo bono opponitur. Est igitur Tyrannis violentum vnius imperium præter mores, & leges; id est, in quo vnus homo diuinis, ac naturæ legibus solutus rebus alienis vt suis, & liberis hominibus quasi mancipijs pro suo abutitur beneplacito. Estque Tyrannus in duplici differentia: alius est absque titulo, alius exercitio: ille rempublicam sine vllo legitimo titulo vel electionis, vel successionis, sed vi aut malis artibus inuasit: hic quidem legitimè constitutus est princeps, sed tamen tyrannicè administrat. Acquiritur tyrannis technis, dolo, violentia & imposturis, ab ijs, qui cunctis malæ dominationis cupidinibus flagrant: eaque adepta, omnia sibi licere existimant. Mores tyrannorum hi ferè recenseri solent. 1. Res regni in priuatum vsum conferunt; nam vt docet Aristot. 8. Polit. cap. 10. in eo rex à tyranno distinguitur, quod rex subditorũ: at tyrãnus suum ipsius commodum spectat. 2. bella nutriunt, vt subditorum vires eneruentur. 3. sunt suspicaces, & ad omnes suspiciones pauidi, palpantibusque præcordijs, vt loquitur Seneca epist. 74. vt suam autem conseruent tyrannidem, hoc primùm solent tyranni, vt habeant delatores, exploratores, & emissarios, quibus exquirunt omnia sollicitè, quid quisque subditorum & sentiat & faciat. 2. conuentus omnes ciuium prohibent, quo efficiunt, vt ciues ipsi inter se sic ignoti sint, vt alij alijs peregrini, & hospites esse videantur: ex Aristotele lib. 5. Polit. cap. 11. 3. instigant subditos ad mutuas criminationes, & calumnias, vt amici amicis, plebeij patricijs, diuites sibi ipsis insidientur. 4. litteras abolent, vel, ne sapere incipiant homines, vel, ne ipsorum scelera mandentur memoriæ. 5. insignes viros è medio tollunt, ne quis eorum aduersus tyrannidẽ insurgat: illis enim boni, quam mali suspectiores sunt. Sed his alijsque similibus non obstantibus, non diuturna solet esse tyrannica gubernatio: nihil enim rarius tyranno sene ex Plutarcho *in Symposiacis*. Et reges consenescunt, liberisque ac nepotibus tradunt regna: Tyrannorum execrabilis breuisque potestas est, ex Seneca lib. 1. de Clement. Num verò excusandi sunt illi, qui insurgunt aduersus tyrannos, eosque tollunt è medio, ne iustè cæsi dicantur tyranni; affirmatiuam partem tenent aliqui, negatiuam alij; melius distinguunt nonnulli, dicentes eum, qui tyrannus est absque titulo, tolli posse; secus verò illum qui legitima successione regnum sibi acquisiuit. Tantùm de Monarchia, eique opposita tyrannide; nunc ad cæteras Rerumpub. formas progrediamur.

Cùm Aristocratia & Democratia, in hoc conueniant, provt à Monarchia distinguntur, quod ista sit vnius, illæ verò plurium regimen; rursus tamen tam inter se, quam ab eadem Monarchia discrepant, vel quod ad Aristocratiam requirantur pauciores, ad Democratiam verò plures ex ciuibus, vt volunt aliqui; vel, vt docent alij probabilius, quod in statu Aristocratico soli optimates præsint, & regant; in Democratico autem vniuersus populus, vel maxima eius pars. Democratiæ enim potissimus finis est libertas, seu æqualitas ciuium in regendo & imperando. Fauet huic sententiæ Philosophus 4. Polit. cap. 4. negans ex numero imperantium desumi horum statuum distinctionem. Democratiæ igitur ex omnibus his speciebus, quam minimum tribuendũ, quàm adeo vituperarunt nonnulli, vt eam inter prolapsas ponerent, teste Arist. 4. polit. eamdemque ridebat Anacharsis; quod sapien-

pientes ibi decidenda proponant, ſtulti verò iudicent. Vt Monarchiæ opponitur Tyrannis, ita Ariſtocratiæ, Oligarchia, quando in paucorũ priuatos vſus, quæ publica ſunt, interuertuntur; Democratiæ Ochlocratia, quando improba plebs pro arbitrio ſuo ſeditioſè omnia agit cum detrimento reipublicæ, aut primariorum ciuium; ſicut Argentinenſes legem tulerunt, ne quis ſummos in ciuitate magiſtratus adipiſceretur, niſi ex cerdonibus, coriarijs aut id genus ſordidis opificijs gentem ſuam arceſſere poſſet. In Ariſtocratica gubernandi ratione præcipua ſunt monita. I. quod Patricij, & Optimates dignitatem ſuam illæſam conſeruent: neque matrimonia cum plebeis ineant. Halic. lib. 10. Liuius lib. 4. II. Plebeis conuentus inhibeantur, præſertim nocturni Liuius lib. 2. III. Familijs extinctis ſurrogentur nouæ, quæ patriciatus honore gaudeant Tacit. 11. annal. IV. Patribus in munito aliquo loco ædificare non liceat, Liuius lib. 2. V. Optimates turbata Republ. vrbem non deſerant. Et ſi Ariſtocratiæ benè conſtitutæ patrocinetur, quod ab optimis, prudentiſſimiſque viris probabile ſit ſaluberrima proficiſci conſilia; Democratiæ autem, quod ipſa poſtulet æquitas, officia ijs competere, qui omnia ad ſalutem patriæ conferunt, tum etiam quod hoc pacto *ἰσονομία* introducitur: & libertas omnium ciuium ſtabilis efficitur. Quamplurima tamen ſunt vtriuſque ſtatus incommoda, I. quod diſſenſionibus omnia conturbari in multorum imperijs ferè neceſſe ſit. Voluntates enim hominum variæ ſunt, & velle ſuum cuique eſt, nec voto viuitur vno. II. cum magnum Reipublicæ munimentum ſit, cõſilia haberi ſecreta; nam propterea Romæ abrogatus eſt mos admittendi pueros in Senatum, & mulieres. In Ariſtocratia, & Democratia vix poſſunt conſilia tegi, quia multis communicantur. Quę enim à multis ſciuntur, ab aliquibus ſaltem euulgantur. III. denique incommodum hoc premit vtrumque ſtatum: quod ad pleraque officia cogantur vti vicarijs magiſtratibus: magiſtratus vero non præſumuntur tantam habituri curam Reipublicæ, atque ipſi reges, quippè cum hi curent Rempublicam ferè vt ſuam, illi vt alienam. Ne dicam de factionibus, quas contra ſe mutuo excitant ciues in adeundis magiſtratibus; de votorum corruptionibus & ambitu; vnde Plato Democratiam vocat nundinas venales, quia paupertas & ignorantia impellit populum, vt quod vno die velit, altero nolit. Tantùm de tribus gubernationis ſpeciebus, ſiue quod idem eſt de Reipublicæ benè conſtitutæ forma, ex quibus etiam ſatis patet, quis ſit illius finis? commodum ſcilicet, ſecuritas, & ſalus ciuium. Adeo vt qui præſunt Reipubl. non domini modo & arbitri rerum cenſendi ſint, ſed tutores & adminiſtri; non enim illis ciuium ſeruitus, ſed tutela tradita eſt; vnde illud Claudiani ad Honorium.

Tu ciuem patremque geras, tu conſule cunctis,
Non tibi: nec tua te moueant, ſed publica damna.

Rex enim eligitur, non vt ſe ſe curet molliter, ſed vt per ipſum ij, qui elegerunt, benè beatèque agant, & viuant. Et ſicut ſydera ſplendorem habent, vt vſibus mortalium deſeruiant, ſic illi dignitatem, ſed cum munere officiorum deuinctam.

De altera Politicæ parte, ſiue de Reipublicæ rectè conſtitutæ adminiſtratione.

PRimum quod in hac parte occurrit explicandum, ſunt modi legitimi, quibus defertur adminiſtratio, nimirum electio, & ſucceſſio. Nemini igitur dubium eſſe poteſt, quin electio ſit Reipublicæ vtilis, legitimuſque modus deferendi gubernandi poteſtatem. Nam ſi rectè inſtituta ſit ſuffragatio, nullis illaqueata præiudicijs, quis neget optimum quemque per electionem reperiri. Quod dicunt aliqui, diſſidia ex electione pullulare, nihil officit. Non enim ſemper diſſidentes ſunt electorum ſen-

ten-

tentiæ, & ne sint, certis plerumque legibus adstricti sunt: quod si illud interdum contingat, non per se, sed per accidens euenit, ob hominum malitiam. Omnis electio partim liberi est voti, partim restricti. Liberi voti electio, est suffragatio in personam quamcumque, quæ ad obtinendum magistratum videtur esse idonea, siue ea sit eiusdem, siue diuersæ nationis, aut conditionis; restricti verò, ea quæ spectat certas, & determinatas vel personas, vel leges. Vtrum autem ex his melius ambulatorium eligere magistratum, an perpetuũ, dissident inter se Politici, aliqui enim ambulatorium, siue annuum præferunt, alij perpetuum; distingunt alij 1. inter maiores, minoresque magistratus, & volunt illos perpetuos esse, hos temporales. 2. inter diuersas rerumpublicarum formas. Monarchia perpetuum requirit gubernatorem; Democratia ambulatorium, Aristocratia ex vtroque participat. Videndum tamen ante omnia, quid cuiusque reipubl. ferat consuetudo, & quod commodi & securitatis ciuibus inde redundare possit. Multis etiam ea infixa est opinio, exteris patere debere aditum ad moderanda frena Reipublicæ, quod alij negant; sicut & quod eligantur illi, qui obscuro loco nati sunt: etsi enim multi recenseri possint, quos vomis & stiua ad consulares misit secures, ex his tamen exemplis deducendum non est, negligendum esse in electione ortum cuiusque, secundum quem vel probus, vel improbus plerũque euadit. Eligendi itaque quos virtus, quos genus præcipuè reddit commendabiles. Hactenus de electione, siue de primo modo deferendi administrationẽ; nunc de successione.

Successionem quoque expedire reipublicæ, optimumque esse modum deferendi administrationem; ijs præsertim locis, quibus consuetudine, & vsu hoc receptum est; patet ex hoc primũ, quod maior soleat esse succedentium authoritas, quam electorum, qui in ordine quondã inferiore vixerunt. Ponit enim contemptum æqualitas. Deindè cohibentur prauæ aliorum spes, si successor non in incerto: & minus insidiarum extimescendum. Vndè licet aliqui putent electionem secundum se consideratam esse præferendam successioni, per accidens tamen & attentis circumstantijs malitiæ hominum successionem anteponunt electioni. Liberorum in successione primus est gradus; in quibus prærogatiuam habent, qui legitimè nati sunt non spurij: vter autem ex duobus legitimis regis filijs, quorum alter ante, alter post adeptum à patre regnum natus est, in successione præferatur, diuisi sunt Iurisconsulti, pro eo enim quem naturæ felicitas & priuilegium ætatis fecit primum militant aliqui, pro secundo genito verò alij. Quamuis aliqui reijciant consuetudinem, qua primogenitus excludit à regni, & principatus successione reliquos; nihil enim, inquiunt ęquitati magis est contrariũ, quam inæqualiter tractari eos, quos æquales ipsa fecit natura: qui communes habent parentes, & domicilium; contraria tamen sententia videtur esse probabilior, tum quia expedit reipublicę conseruari honorem familiarum, quod fit si successio penes vnum sit: opes enim & dignitas coniunctę manent, & ita deprimi non potest familiæ authoritas; tum etiam quia subditorum interest, ne multos dominos habeant: melius enim reguntur ab vno: difficilius à pluribus. An autem filius primogeniti præferatur patruo suo in successione ex iure primogenitorum? disputant inter se Iurisconsulti. Patrui enim causam tuetur Cuiacius lib. 2. de feudis cap. 11. & alij, qui rationem proximi sanguinis adspiciunt, à patre rege, & nepotem toto gradu antecedit, exempla vide apud Lipsium *in lib. monit. Politic.* Melius tamen alij nepotis successionem propugnant. Certum enim est eum succedere in locum sui patris: iam is, qui in locũ alterius succedit, eodem iure vtitur, quo auctor illius vti potuit; & surrogatum sortitur naturam sui surrogati, participatque de omnibus illius pri-

priuilegijs cui surrogatur. Filius ergò iste vt in omnia sui parentis iura succedit, ita & capax est iuris primogenituræ. Circa Gynæcocratiam, siue an mulieres ad regnandum admitti debeant? Quicquid sit de legibus, & moribus nõnullorum populorum, apud Tiraquellum *quæst.* 10. *de iure primogenit.* quos in præsenti refutandos non suscipimus, licet non sint ab omni parte optimi, illud quidem omnibus persuasum esse debet, quod tutum aut vtile imperio, siue reipublicæ minimè sit, fæminas ad rei gubernacula eleuari. Nam si naturã consulere velimus, apparet mulieribus regnum non deberi, cum ad parendum natæ videantur, non ad imperandum. Quęcumque enim ad imperandum requiruntur, natura ijs negauit, & ex cõtrario, quæ ad obediendum pertinent ijs inseuit. Sic Isaię cap. 3. dicitur: *Maledictus populus, cui infantes, & fæminæ imperant.* Quod autem quarumdam virtute præditarum mulierum mentio fiat, non est sufficiens argumentum constituendæ Gynecocratię; quandoquidem rara illa fortitudinis, vel prudentiæ muliebris exẽpla deprehenduntur; & quod à communi naturæ lege exorbitat, non trahendum ad consequentiam. Tantùm de legitimis modis, quibus administratio acquiritur, Inauguratio sequitur Magistratus, & exactio iuramenti; quæ pro varia locorum consuetudine variæ etiam sunt.

In subiecto administrationis, nempè Magistratu ad quem defertur gubernandi potestas, potissimum spectari debet virtus; vt agat piè respectu Dei & religionis; tẽperanter respectu sui ipsius, quo ad interna, vt colat sobrietatem, castitatem, magnanimitatem, fortitudinẽ, modestiam, & virtutes reliquas; quo ad externa 1. in vestitu modico: non nimio: non peregrino. Modicus dicitur, non tenuis nimis vel sordidus, nec nimium comptus, & splendidus. 2. In victu, quẽ frugalem esse conuenit, non luxuriantem: non aliundè ascitum. Pręterquam quod frugalitas sanitatis est seruatrix, auctoritatis etiam plus illa apud subditos conciliat, quam comessatio assidua. 3. In recessu temperato, vt enim continuus aspectus minus verendos magnos homines ipsa satietate facit; ita continuus recessus sua habet incommoda; miscenda sunt igitur ista principi alternandaque solitudo & frequẽtia; prima enim expedita est authoritatis obtinendæ ratio, secunda verò amoris. 4. In animi recreatione; nam vt lyram & arcum remittimus, quo melius possint tendi: ita recreãdus ocio animus, vt ad labores reddatur vegetior. Diuersa autem ludorum genera, pro vt quisque hunc vel illum magis amplectitur, principum recreationi inseruire possunt. Vt magistratus, vel princeps piè respectu Dei, temperanter respectu sui ipsius, ita & iustè se gerere debet respectu aliorum; cùm quibus illi negotium est; primùm erga eos cum quibus versatur quotidie, nempè coniugem, liberos, fratres, sorores, agnatos, cognatos, & officiarios suos, deinde erga subditos, in quibus regendis potissimum relucere debet iustitia, ęqualiter administrata, clementia, prudentia, & liberalitas; inde enim felicitas principum, bonę conscientiæ solatium, authoritas, & beneuolentia populi in Principem, quæ certè arx illi munitissima est: vnde nihil aliud laborare principes bonos decet, quam vt subditis amabiles sint: non enim vllos possunt habere firmiores muros, quã beneuolos subditorum animos. Huc vsque de administratione Reipublicæ quo ad eius causam efficientem, & veluti materialem, nunc agendum est de formali.

Forma igitur administrationis ponitur in sanctione legum, custodia disciplinę publicę, & exercitio iurisdictionis, ad primam pertinent omnia, quæ circa legum definitionem, diuisionem, causam efficientem, materiam, formam, finem, effectus, multitudinem, interpretationem, mutationem, & abrogationem doceri solent. In custodia disciplinę publicę, primùm est eius subiectum recipiens, censores videlicet, quorum est officium,

ficium, in habendo censu, & præfectura morum; cum enim vniuscuiusque reipublicę fundamenta sint mores & leges, optimum in ea fuerit, si quid in moribus labat,non deesse corrigendi auctorem. Deinde est subiectum occupans siue illud circa quod censorum cura versatur, vel occupatur; intuitione religionis; commerciorum in compescendo fęnore, honestatis, & securitatis publicę, vt tollantur lupanaria,otiosi,mendici, cingari, & similia; cuiusque rei familiaris,vt frænentur luxus conuiuiorũ, & vestium; pauperũ in ædificandis Xenodochijs, & Nosocomijs, &c. miserabilium enim personarum curam in republica esse expedit; siquidem sunt & ipsa membra ciuitatis. Quare prudenti consilio in bene constitutis rebuspublicis, earum receptacula & collegia fundata sunt. Ptochotrophia, in quibus aluntur mendici, & pauperes. Orphanotrophia, in quibus alumni minores habentur, parentibus atque substantijs destituti. Brephotrophia continentia infantes, præsertim expositiitios. Nosocomia, valetudinariorum. Xenodochia, in quibus aduenarum, ægrotorum, inopum, debilium, quique sibi ipsis per laborem de alimentis prospicere non possunt, cura geritur. Gerontocomia, quę aliàs dicuntur Gerusia, in quibus tenues homines, qui affecta ætate victum sibi suis operis parare amplius nõ possunt, aluntur & sic de cæteris. Tandem habita cura disciplinæ publicæ, iurisdictionis sequitur exercitium in genere; in specie quoad criminalem,quæ est in exigendis pœnis, & ciuilem.

Post causam efficientem, materialem & formalem administrationis quarto loco sequitur adiunctorum consideratio;adiuncta voco,tam personas iuuãtes administrationem,quam subditos, & res. Inter personas iuuantes administrationem; primo loco reponuntur cõsiliarij, quorum vsus quàm sit in republica necessarius, ex eo patet, quod omnia regna, ciuitates, nationes, vsque eo prosperum imperiũ habuere, dum apud eos vera consilia valuere. An principem nouum deceat mutare prædecessoris sui consiliarios, eosque dimittere? probabilior est negatiua sententia, si nulla eorum arguatur improbitas. Nam illi gnari sunt morum, animorumque prouinciæ: sciunt vires principatus, experientia ductrice plurima cognouerunt: de quibus & ipsum monere possunt successorem. Si dimissi fuerint, secretiora principatus communicant alijs: & ob ipsam illam dimissionem, quæ ruborem ijs incutit, vindictam meditari solent. Tria autem spectanda in consiliariorum persona à principe deligenda, ætas, doctrina, mores. Aetas ne iuuenilis sit, nec senio nimis languida: paulatim tamen admouendi sunt iuuenes consultationibus, vt senum regantur prudentia: cuius vsum deinceps excedentibus è statione sua senioribus habere possint. Doctrina consiliarij exquisita & elegans esse debet; mores autem spectandi in pietate, modestia, & continentia. In ipso consultationis articulo, vt adesse debent, suadendi libertas, sobrietas, & prouida cunctatio; ita abesse, assentatio, contumacia, discordia, & affectus. Consultatione autem habita tria requiruntur consiliario, silentium, constantia, & audacia in facto: celeriter enim deliberata peragenda sunt, deliberandum autem tardè. Nec tristari consiliarium oportet, si quod salubriter suasit, euentum felicem non sortiatur. Pessimum enim illud & frequentissimum omnibus temporibus, vt qui rem aliquam aggressi sunt, & feliciter perfecerunt, optimo consilio vsi existimentur: alij contra stultitiæ culpentur, cum re optimè deliberata voti compotes facti non sunt.

Secundo loco reponuntur Legati à legendo dicti, quod publicè lecti mitterentur. Alijs etiam nominibus appellari solent: nam & Oratores dicuntur, & Nuncij, & Ambassatores, & Responsales, à Caduceatores à caduceo hoc est baculo, à legatis gestari solito, habente ab vtraque parte insculptos duos serpẽtes inuicem implicatos, se mutuo respicien-

cientes. Pro diuersitate etiam negotiorum peragendorum, species legationum variæ sunt Pronuba, Officiosa, &c. vt magna Legatorum dignitas: ita magna ijs adhibenda cautio, vt personam quam sustinent, virtute digniorem efficiant: doctrina insuper in Legato non vulgaris requiritur, sed ex omni disciplinarum genere cumulatissima. In legatione obeunda sic se gerere debet Legatus, vt primum exhibeat principis sui scriptum mandatum, siue litteras credentiales; 2. nihil preter suum negotium agat, neque alienis, neque proprijs rebus se interponat, vnde impediri Legatio possit. 3. honoris dignitatisque sui principis summã rationem habeat: fines mandati diligenter custodiat. Quod si præter mandatum aliquid de nouo emergẽs è re principis esse videatur, illicò certiorem reddat principem: aliudque expectet mandatum, & consensum principis. Quod si moram non ferat negotium: diligentissimè laboret in capiẽdo consilio, quod Principi vtile futurum: eiusque causas statim ad ipsum principem deferat. Liberior potestas legatis indulta est, si mandato generalis ista clausula inserta fuerit: reliqua committimus tuæ prudentiæ & discretioni. 4. denique debent operam dare Legati, ne quid flagitiosè per se, vel suos fiat. Eo enim casu priuilegijs Legatorum non fruuntur, licitèque violantur. Post legationem obitam Legatus omni animi perturbatione semota, quæ in legatione actitata sunt fidelissimè renunciet; eumque separatim audiat princeps, ac solus, ne si minus iucunda referat, timorẽ ea res inferat multitudini. Cum pro Reipub. salute Legati in regionibus exteris varijs sint subiecti casibus, æquissimum fuit priuilegijs quibusdam ijs subueniri in iure, quorum contemplatione ad sustinendas itinerũ difficultates promptiores reddenrentur. Tertiò sunt ministri aulici, qui debent eligi probi & fideles: ab ijs enim pleraque praua aut recta: meliorque est Respublica, & propè modum tutior, in qua princeps malus sit, ea in qua mali principis administri.

Postremò tandem sunt subditi, in quibus tria potissimum consideranda; primùm est causa efficiens; subditi enim fiunt origine, & domicilio; quanto verò tempore domiciliũ contrahatur discrepant doctores. Alij decennij habitatione hoc fieri aiunt; alij iudicis arbitrio hoc relinquendum putant; melius consuetudini locorum. In ciuitatibus enim Germaniç passim incolatus post annum acquiri dicitur: Venetias autem annos 14. incolere necessè est ijs, qui iura ciuium plebeiorum adipisci velint: qui tamen ab imperijs omnibus, & omni suffragiorum iure summouentur. Secundum est subiectum; qui nimirum habendi numero ciuium an peregrini, an Iudæi? Tertium est adiunctum triplex, 1. officium subditorum erga Magistratum, quod consistit in genere in exhibitione honoris, obedientiæ, tributi, & operum militarium. 2. numerus ciuium, quem aliqui mediocrem esse debere cõtendunt, quoniam confusionem munerum ciuilium introducit multitudo ciuium; 3. ordo, vbi primo loco reponendi sunt, qui reipublicæ magis sunt vtiles. Sunt verò ordines siue classes quatuor; primus est ordo equestris: secundus Litteratorum, Theologorum, videlicet, Iurisconsultorum, Philosophorum Medicorum, Poetarum, Oratorum. Tertius est ordo negotiantium, & manuaria artificia tractantium, vt sunt mercatores, & alij qui procurant *victum*, cuiusmodi sunt pistores, lanij, coqui, agricolæ, venatores, piscatores: *Amictum*, cuiusmodi sunt pannifices, sartores, textores, sutores: *Medicinam & valetudinem*; vt Pharmacopæi, Chirurgi, Obstetrices, Athletæ; *Litteras*, vt Typographi; *Aedificia*, vt Structores, Sculptores ligni, fusores veluti Plumbarij, Tignarij qui ligna dolant; Scandnlarij, qui ędes scandulis tegunt &c. *Executionem* sentẽtiæ à Iudice in capitalibus latæ, vt sunt apparitores, lictores, & carnifices; quorum ministerium in Repub. maximè necessarium est, ne deficientibus illis, honestiores

res se hac macula inquinare cogantur. Quartus tandem ordo est inutilium, & ludicras artes exercentium: quo pertinent Pantomimi, Histriones, Tibicines, Fidicines, &c. Tantùm de primo bonæ administrationis adiuncto, quod est in personis, vel consilio, vel legationibus, vel obsequio rempublicam iuuantibus, alterum, quod est in rebus nunc sequitur.

Huiusmodi res sunt munimenta gubernationis politicæ; eaque vel domi, vel foris recepta: domi vel conseruando vel augendo regimini curam Magistratus intendit. Conseruatur autem, si diligens inspectio sit rerum, vel sacrarum, vel religiosarum, vel sanctarum, vel publicarum. In rebus sacris primum se offerunt ædes sacræ, bona Ecclesiæ, seminaria reipublicæ, cuiusmodi sũt scholæ triuiales, & Academiæ. In religiosis, ius sepulturæ. In Sanctis, sanctiones publicæ de pace publica, eiusque violatione, executione in delinquentes, & similibus. In publicis, flumina. Si conseruatur regimen Reipubl. diligenti prædictarum rerum intuitione; ita etiam illius augmentum, in accessione vel hominũ per colonias, vel armorum, vel arcium, vel propugnaculorum, vel opum, vel consiliorum est positum. In opibus cõsideratur illarum vsus, acquisitio per delationem ad fiscum, exactionem tributorum, collectarum, vectigalium; & tandem possessio, vbi agitur de censu habendo, annona, moneta, nundinis, & ærario. Tantùm in Politica de munimentis Rerumpublicarum, quorum domi vsus esse potest: sequitur de his quę foris sunt, qualia sunt potissimum fœdera, de quibus quærendum, quo fine, quibusve de rebus iniri soleant? quæ forma sanciendorum fœderum? quale subiectum, siue cum quibus pangere fœdus liceat, an cum infidelibus? & denique qui effectus. Atque ita absoluitur togata Reipub. administratio, nunc de militari.

Ad militaris administrationis considerationem, primum pertinet definitio belli, quod sit actio hostilis ad iniuriam propulsandam, vel vindicandam, à Magistratu vi armisque contra hostes, pacis retinendæ vel consequendæ causa, legitimè suscepta & administrata. Quod Anabaptistæ negant licere Magistratui Christiano bellum gerere, omnino falsũ est. Christianus enim non aberrauerit, si & ipsius Dei mandatis obtemperauerit, & Sanctorum vestigijs institerit, & vim truculentiorem sibi illatam defensione legitima auerterit. Secundo loco consideranda est multiplex bellorum diuisio, aut ratione obiecti, aut finis, aut subiecti, aut adiuncti temporis, & loci. Obiecti ratione bellum aliud est cum vicinis, aliud cum remotioribus: ratione finis bellum est offensiuum, vel defensiuum: ex subiecto, vel in causa propria, vel in communi: ex adiuncto temporis bellum est vel continuatum, vel interruptum; loci vel terrestre, vel nauale, vel externum, vel ciuile siue intestinum. Tertiò, vt intelligatur, satisne piũm, tutum, gloriosum, an indecorum sit quod quæritur, ante omnia causæ bellorũ probè cognoscendæ sunt; quæ sunt vel manifestæ, vel occultæ. Manifestæ dicuntur, quæ incurrunt in oculos, considerationemque hominum: occultæ quæ latent intimis animorum recessibus nec se exerunt, nisi quibusdã signis. Quartò sequitur apparatus bellicus, qui consistit vel in subditis ad tractationem armorum exercendis; nihil enim neque firmius, neque felicius, neque laudabilius est Repub. in qua abundant milites eruditi; vel in cura instrumentorum, qualia sunt 1. pecunia; quẽadmodum enim negant Medici, sine neruis homines ambulare posse, ita Politici sine re monetaria bellum. 2. commeatus, ne penuria potius, quam pugna consumat exercitum. Hoc vnum, inquit Vegetius lib. 3. mil. cap. 3. & maximum sit consilium, vt tibi sufficiat victus, hostes frangat inopia. 3. arma, quæ in genere dicuntur omnia, quibus noceri potest, suntque vel ductilia siue portatilia, vel vectilia. Ductilia minora sunt arma, ve-

veluti gladius, machęra, rhomphęa, ensis falcatus, acinaces, hasta, iacula, sagittæ, sclopeta minora, & similia. Maiora arma siue vectilia sunt tormenta, seu machinæ fulminales grandiores, de quibus vide Lipsium *in lib. Polioreticon*; vel denique apparatus bellicus consistit in iure clarigationum; clarigatio enim est legitima belli denunciatio siue indictio; in ea obseruanda necessitas, ritus, & instrumenta, quæ sunt tum fecialis, tum litteræ; fecialis enim, qui & pater patratus dicitur, hodie heraldus, est præco, quem princeps mittit ad bellum hosti denunciandum, atque is iure legatorũ fruitur, & violari nequit. Litteræ clarigationis eadem de causa per pucrum mitti solent.

Quinto loco est subiectum bellicę administrationis, dux nimirum & milites; verissimum enim est illud Curtij *lib.* 10. militarem sine duce turbam esse corpus sine spiritu. Ducum verò duo sunt genera; vnum, qui summæ rei imperant, suisque auspicijs & ductu rem gerunt; alterum, qui ab his constituti sunt. Virtutes bonorum ducum sunt. 1. vt fauorem militum probè sibi concilient. 2. sint in re militari probè exercitati, nullumque genus belli sit, in quo illos non exercuerit fortuna. 3. sint secundarum ambiguarumque scientes, eoque interriti. 4. cauti sint & circumspecti: nulloque loco, nisi quantum necessitas cogat, committant se fortunæ. 5. alacritatem & lętitiam fronte præ se ferant. 6. ne felicitate nimia patiantur se mergi in voluptates. 7. ne se patiantur corrumpi largitionibus. Quod pertinet ad milites, vel separatim, vel collectim considerari possunt. Separatim in delectu habendo, quo pertinet eorum conscriptio, lustratio, receptio, auctoratio; & distinctione facienda, 1. in equites & pedites. 2. in grauis & leuis armaturæ. 3. in tyrones & veteranos; 4. in ordinarios, & subsidiarios, qui ordinarijs tempore maioris necessitatis adduntur; 5. in gregarios & primarios, siue officiarios; qui sunt vel respectu totius exercitus, vel respectu certæ eius partis. Respectu totius exercitus officiarij sunt vel superiores, vel inferiores. Superiores sunt. 1. Dux belli. 2. illius Vicarius 3. supremus rei armamentariæ præfectus, 4. supremus excubiarum pręfectus, 5. supremus metator atque mensor. 6. supremus commissarius siue consiliarius. 7. supremus ęrarij castrensis pręfectus, siuę quęstor. 8. supremus annonæ præfectus. 9. supremus rerum capitalium pręfectus. Inferiores sunt, Secretarius ducis belli, eiusque amanuenses & fecialis, siue heraldus. Respectu partis in exercitu, eiusque vel maioris, vel minoris officiarij sunt qui sequuntur. Ratione partis maioris, vel in regimine equitum, vel peditum, vel rei armamentariæ. In regimine equestri sunt: Magister equitum, eius vicarius, pręfectus equitum, equestris metator, pręfectus excubiarum, prætor. In regimine peditum officiarij sunt: magister peditum, vicarius illius: tribuni peditum, decuriones, iudex generalis peditum, eiusque assessores, pręfectus vigilum, pedestris annonę structor, metator pedestris, lixarum & calonum ductor, &c. In re armamentaria sunt: supremus rei armamentarię pręfectus, vicarius illius, quęstor armamentarius, aggeribus struendis pręfectus, aurigarũ prępositus, quadrigarum, siue vehiculorum præfectus, fossorum & cunicularioruin præpositus, pontium magister, præfectus machinę fulminalis, nitrati pulueris custos, chirurgus armamentarius: atque hi sunt officiarij respectu partis exercitus, & quidem maioris. Respectu minoris partis sunt, officiarij cohortũ, tum in equitatu, tum peditatu. Cohortum in equitatu officiarij sunt: pręfectus equitum, illius vicarius, vexillarius, equestris diuersoriorum designator, decuriones equestres. Inter pedites officiarij cohortum sunt, superiores quidem tribunus peditum, qui totam cohortem gubernat, eius vicarius, signifer, ordinum structor superior, pedestris diuersoriorũ designator, ordinum ductor, decuriones pede-

pedestres. Atque hęc de distributione militum, siue de militibus veluti separatim consideraris, nunc de illis collectim siue in exercitu, ex collectione enim plurium militum exercitus est, cuius distributio fit secundum consuetudinem vel priscam, vel nouam. Prisco Romano more erant manipuli, ex ijs cohortes, ex his legio tota. In legione manipuli erant triginta, cohortes decem. Romulus fecit legionem trium millium, cum sumeret è singulis tribubus, quarũ tres erant singula millia: exactis regibus triũ millium fuit, ex Liuio lib. 6. ad quina millia ventum in bello Hãnibalis ex eodem Liuio lib. 12. & tandem à Scipione in Africam traiecturo sex millium facta est, ex Liuio lib. 30. Equites in decem turmas antiquis diuisi sunt; turma terdenos, id est, triginta equites continuit. Ex noua consuetudine exercitus distribuitur in regimen, equitum, peditum. Regimen equitum secatur in cohortes & turmas, quę pro arbitrio Ducis, & prefectorum modo plures, modo pauciores continent equites. Vt plurimum tamen singulę cohortes ducẽtis & quinquaginta, vel trecentis: & singulę turmę quinquaginta constãt equitibus. Regimen peditum diuiditur in cohortes & contubernia; cohors 300. vel 400. pedites continet, interdum etiam plures pro ducis arbitrio: Contubernium continet 10. pedites leuioris armaturę.

Sextò est obiectum belli, nimirum hostis, cui solemniter bellum indictum est. Quantuluscunque ille sit contemnendus tamen nullo modo est; consilio autem & armis illi obuiandum est, non venenis; eique fides quando promittitur seruanda est. Septimò sunt actus belli, 1. castrorum locatio & ductio exercitus. 2. excubiarum constitutio, quarũ connexa sunt, tessera militaris, & signa siue vexilla. 3. obsessio, cuius duę sunt veluti species: vna cum aduersarius importunis locis præsidijs ordinatis, continuis insultibus impugnat obsessos; altera cum vel aqua prohibet obsessos, vel deditionem sperat à fame, quando omnes prohibuerit commeatus: munia autem tam obsidentium, quam obsessorũ varia sunt. 4. prælium, in quo antecedentia, actus prelij, & consequentia; inter antecedẽtia reponitur ducis presentia, eiusque actiones siue officia, in selectione loci & temporis pugnę, ac instructione aciei; deinde allocutio; quæ est, cum publicè imperator suos milites affatur; allocutionem classicum pugnæ excipit; à classico autem differt signum pugnæ, quod illud auribus, hoc oculis seruit, & tempore classicum præit. In actu prælij interdum capiendum consilium ex tempore, quippè minimè omnium bellum ex decretis procedit, sed ipsum ex se se multa inuenit, & vt res sunt natæ. Præliorum consequentia hæc ferè numerari solent. 1. militum vulneratorum cura habenda est, 2. cadauera cæsorum terræ mandanda sunt. 3. obtenta victoria cohibendi sunt milites, ne citò nimis diffundantur in prædam. 4. fusi hostes non nimis longè insequendi sunt. 5. quicunque euentus fuerint, colligendi sunt superstites bello. Sextus belli actus est inuentio, siue consilia bellica tam directa, quam obliqua, qualia sunt stratagemata; etsi enim plerisque populis, vili ea habita fuerint, viroque graui indigna; potior tamen eorum sententia est, qui stratagematibus in bello plurimum tribuendum esse existimant. Nam & Deus ipse mandauit Iosue, vt ciuibus Aemiticis strueret insidias Ios. 8. & Dauidi, vt à tergo adoriretur Philistinos 2. Samuel. cap. 5. Nihilque ad iustitiam interest, cum iustum bellum susceperis, vtrum aperta pugna vel insidijs vincas. 7. Est disciplina militaris in distributione pænarum, & præmiorum. Expeditis belli actibus octauo loco consideranda sunt eius adiuncta, qualia sunt cædes, vastatio, incendia, rapinæ, & captiuitates. Vltimò sequuntur eiusdem effecta tam tristia, quam læta; inter tristia prefertur subactio: inter læta victoria declarata triumphis, tropheis, orationibus, & coronationibus; pacificatio, inducię, & tandem exercitus dimissio. Tantùm de re mili-

militari in felici bellorum administratione posita, ad tutelam Reipublicę.

De tertia Politicæ parte, siue de collapsa Reipublicæ restitutione.

BReuiter hactenus insinuata sunt ea, quæ ad Rerumpl. constitutionem & administrationem, tam togatam quā militarem pertinent: reliquum est de eorumdem euersionibus nonnihil dicere; primumque de illarum causis efficienti, & formali. Et vt omittam prouidentiam diuinam, quam efficientem causam principalem euertendarum Rerumpublicarum Sacræ prędicant Scripturę; loquendo iam de causis proximis siue ex parte hominum, duplices illæ sunt, externę & internę. Triplici autem modo ex internis causis corrumpuntur Respublicę, vel per vim, vel per fallaciam, quos duos modos ponit Aristot. *lib.5. Politic.* vel denique spontè & cum gratia tum imperantium, tum parentiū. Id quod fit vno modo, per deditionem, vt quando Campani, à Samnitibus in angustum coacti in Romanorum fidem, & ciuitatē se receperunt ex Liuio lib.7. Aliter per indulgentiam eorū, qui Reipublicę potestatem in manu habendo, illam populo reddunt; quod tamen rarò admodum accidere Aristot.4.polit.c.11. credit, nihil enim est dulcius quam imperare, vt Selimus I. dicere, solitus fuit. Per fallaciam putat Aristot. mutari Respublicas, quando vulgo, vel vniuerso populo tam callidè imponitur, vt quod fit, fieri non sentiat, quam fallaciam Aristot. 4. & 5. Politic. vocat *Sophisma* & Tacitus, *arcana imperij*. Causas denique mutationum per vim internam, vndecim recenset idem Aristot. lib. 5. 1. nimius honor vnius, qui cęteris mouet inuidiam. 2. permagnæ diuitię. 3. nimia vnius, vel aliquorum potentia. 4. nimia auxesis. 5. desperatio seu metus, quando quis sibi magnum aliquod malū metuit, occasionemque effugiendi desperat. Tum enim nihil non moliturus videtur, etiam si tartara cęlo miscenda sciat, vt impendens infortunium aliqua saltem via deuitet. 6. contemptus, qui potest corruptionis Rerumpublicarum causa esse tum respectu imperantium tum respectu parentium. 7. contumelia in bona per seueram tributorū exactionem, & corpora per homicidia & adulteria. 8. ἐρίθεια, quam vulgariter coitionem humilium interpretantur, quia ἔριθοι vocantur Hesiodo & Homero, humiles & abiecti homines, qui agros colunt, aut telas ex lana texunt. 9. ὀλιγωρία, quando nimirum per incuriam Respublica datur administranda ijs, quibus præsens status iam inuidiæ est, & odio. 10. τὸ παρὰ μικρὸν, quando propter paruam differentiam nihil interesse putatur id est, quando putatur, hoc concesso, nihil decessurum Reipublicæ. Quæ causa potissimum habet locum in Democratia, propter imperitiam vulgi, quod quātum sit in paruis initijs instar, non intelligit, & proindè à Demagogis, aut plebeijs oratoribus facilè seducitur, quos idcircò Aristoteles peculiariter nominat inter causas, Democratiām corrumpentes. Vndecima denique & vltima causa est, dissimilitudo hominum in Republica, quæ frequenter inducitur, quando peregrinorum multi recipiuntur, & in primis, vel veris ciuibus æquantur vel etiam præponuntur; adeo vt Arist.5. Polit. dixerit, omnem ciuitatem, quæ recipit extraneos, tumultibus expositam esse. Quorum omnium innumera suppeditant exempla, cunctarum nationum rerumque publicarum historiæ. Tantùm de causa efficienti mutationum, vel euersionum Rerum publicarum; nunc de formali breuiter; pro qua notandum, quod etsi plerumque ista duo inter se confundi soleant, mutatio & euersio, quantum pertinet ad præsens institutū; differunt tamen inter se, quod euersio Reipublicæ fit, cum leges, magistratus, subditi abolentur, & extinguntur, quod contingit si ἀναρχία fit, & populus delcatur funditus; anarchiam Aristoteles vocat confusionem Reipublicæ, in qua imperantium, & parentium discrimen subla-

sublatum est. Conuersio autem Reipublicæ siue mutatio est, vbi forma administrationis alicuius Reipublicę mutatur in aliam formam. Porro vtrique communes sunt superius adductæ collabentium Rerumpublicarum efficientes causæ.

In euersionibus siue corruptionibus rerumpublicarum secundo loco consideratur subiectum, euersæ videlicet vrbes, & earum incolæ, Vrbem enim ab interitu tueri non posse, vel ædificatorum structuram magnificam, vel præsidiorum vim inexhaustam, vel solertem indigenarum curam, & vigilantiam, innumera demonstrant euersarum ciuitatum exempla; vbi etiam legitur sæpius sal more à Iudæis ducto, super euersæ vrbis solo fuisse sparsum: scilicet vt in fundatione iuncti taurus & vacca symbolum futuræ sobolis & fæcunditatis: sic sal sterilitatis & inopiæ rerum omnium. Vrbium incolæ exstirpantur aut diuinitus, aut humanitus. Diuinitus deleti sunt Sodomitici tractus accolæ Genes. 19. humanitus exscindi dicuntur cũ hominum industria vna cũ vrbibus delentur, quemadmodum Bysantini à Seuero Imper. Hierosolymitani à Tito & Hadriano Imp. idem de illis ferendum iudicium, cum rediguntur in seruitutẽ; nam mortalitati comparatur seruitus. Tertio loco sunt adiuncta inter quæ primum numeratur tempus, deinde signa mutationis rerumpublicarum; per tempus intelligitur, illarum periodus siue duratio; per signa verò, cometæ, terræ motus, eclypses & similia, quibus passim leguntur fuisse denunciatæ magnæ clades orbi terrarum, excidia ciuitatum, regnorum mutationes, & aliæ calamitates publicæ. Quarto sunt effectus, euersis enim Rebuspublicis aut vrbibus migratio gentium sequitur: de qua duodecim libros scripsit Wolffangus Lazius. Quinto tandem sunt contraria, siue remedia contra prædictas rerumpublicarum corruptiones, & earum causas; quæ sunt in duplici differentia, alia aperta, alia arcana; sicut & duos corruptionum modos attulimus. Arcana vocantur ex Tacito, quæ Aristoteles vocat sophismata; quod eum, erga quem adhibentur latere soleant. Porro vtraque aut viam occludunt causis corrupturis, aut iam inualescentes amoliuntur, aut quando iam morbum pepererunt, morbo manum applicant; siue quod idem est, vel sunt remedia præseruatiua, vel curatiua. Remedia præseruatiua in genere potiora sunt, causas corruptionem portendentes in ipso exortu amputare: nihil quantumuis minimum negligere: statuta & leges reipublicæ non facile mutare: in mutationibus pristinæ rei vmbram semper retinere: nihil subito mutare: denique cum Magistratus sua cura maximè prouidere possint, rectè præcipit Aristoteles, Rerum sũmæ prudentes & versatos præponere magistratus, quippè cum talis sit respublica, qualem eam solertia, vel incuria Magistratuum efficit. Remedia curatiua, siue quæ causas ingrauescentes amputant, & morbum tollunt, sunt diuersa pro varietate causarum, ex quibus malum imminet; alia enim sunt contra seditiones, alia contra inuidiam, alia contra nimiam potentiam & auxesim, alia contra contemptum &c. Tantum de singulis Politicæ partibus; nunc breuiter agendum superest de iure Ciuili.

De Iure Ciuili.

CVm lex anima & spiritus sit Reipublicæ, vnaque ferè cum illius primordijs scribi cœperit; vt enim corpora nostra sine mente, sic respublica sine lege suis partibus vt neruis ac sanguine, & membris vti non potest. Postquam in superioribus egimus de Reipublicæ constitutione, administratione & restitutione, sequitur vt breuiter agamus de legibus; quia autem leges, siue quod idem est, ius legislatiuum est in multiplici differentia; *Aeternum*, lex nimirũ Idealis, qua statuit ab æterno Deus, mundum in temporis articulo condendum inuiolabili ordine gubernare; *Diui-*

uinum, lex duplex vetus, & noua; illa velut semen, ista velut fructus maturitate perfectus. Prior à Deo lata, Moysis ministerio, quem idcirco Angelum seu mediatorem Scripturæ appellant; posterior Euangelica gratiæ & libertatis, instituta à Christo Domino Christianorum legifero, cui similis nemo: *Naturale*, impressio scilicet in tabulis humani cordis, & participatio legis æternæ, per quam homo similis authori suo, sibi cæterisque cum iustitia & moderamine prouidens est, quam nulla delet iniquitas, nulla obliuio potest obliterare; suntque prima rationis dictamina, è quibus nemo tam vecors est aut barbarus, quin per synderesin & instinctum naturæ practicas cõclusiones elicere valeat. Quæ conclusiones, si solemni omnium populorum consensione receptæ sunt, vocantur *Ius Gentium*. E quo tandem deriuatur ius *humanum Pactiuum* duplex Ciuile & Sacerdotale, hodie Canonicum, vel Ecclesiasticum. Cum, inquam, ius legislatiuum sic multifariam diuidi possit, agimus tantum in præsenti de Ciuili, quod etiam Romanum, & Cæsareum appellatur, ex quo enim Romani eorumque Reges & Imperatores rerum domini toto orbe potiti sunt, præualuit vbique eorum ius; cuius prima sic se habet origo.

Cum Romulus omnem populum in tres tribus, tribus autem in triginta curias, curias in decurias diuisisset, quasdam etiam leges tulit, quas Curiatas appellauit. Tulerunt & alij deinceps reges, quas omnes Papyrius collegit in vnum volumen, quod à collectore *Ius Papyrianum* nuncupatum est. Exactis verò regibus, lege Tribunitia ius illud exoleuit; & ne ciuitas sine legibus pessumiret, iam viginti annorum interstitio multum labefactata; decem vel ex nonnullorum relatione tres viri à Senatu Romano Athenas missi leges à Solone & Licurgo latas Romam attulere: & eas Senatoria authoritate, iureque absolutissimo correctas & emendatas, tabulis eburneis pro rostris promulgauerunt, additis insuper duabus tabulis, quæ ad ciuitatis regimen & pacem necessariæ videbantur, hinc Duodecim Tabularũ ius, auctoritas & nomen inualuit. Itaque non temere Iustinianus originem Iuris Ciuilis repetit à Lacedæmonijs & Atheniensibus, apud quos frequẽs erat, leges aliquas certas petentibus, Atticas eorum leges vt optimas reddi. Vide Franciscum Balduinum *commentar. ad LL. xij. tabular.* & Pomponium *Enchiridio de origine iuris, & omnium magistratuum, ac successione prudentium*. At cum prædictis legibus subobscuris interpretatio desideraretur, dareturque vt plurimum sine scripto; ius istud postea in corpus compositum, *Ciuile* denominatum est. Ex quo mox legis actiones, quæ formam agendi continent, ortæ sunt; quas ne populus pro libito inuerteret, solemnes & certas esse voluerunt. Igitur ex his tribus, tabulis nimirum, interpretationibus & formulis Ius Ciuile constabat; atque omnium legum authoritas, & interpretandi scientia, iurisque actiones penes Pontifices religiosissimè seruabatur. Deindè cum à Cneo Flauio, qui à Secretis Appio Claudio erat, hæ actiones populo fuissent traditæ, liber iste *Iuris Flauiani*, nomen accepit. Nec multo post Sextus Aelius alias quoque leges composuit, quibus *Iuris Aelij* cognomen impositum est. Tandem Plebs à Patribus dissidens ius sibi proprium constituit, seu *Plebiscita*, quæ vim legis postea obtinuerunt. Opposuerunt ex aduerso Senatores *Senatus consulta*, quibus vim & audaciam populi reprimerent. Vltimo demum *Ius honorarium* dicta sunt Magistratuũ, seu Prætorum edicta; quæ cum multum hominum inuidiæ & libidini permitterent, annuos enim magistratus annua edicta sequebantur, lege Cornelia sub Hadriano Imperatore in edictum perpetuum transierunt. Verum successu temporis à Labeonianis, Saleanis, Proculianis & alijs fuerunt tam copiosè interpretata, vt librorum numerus ad duo millia excreuerit, quæ tempore Iustiniani & de-

in-

inceps contracta in vnum corpus, quatuor tomis continentur. In primo extat index generalium omnium titulorũ legum rubeo olim colore describi solitorum. Libri quatuor institutionum. Digestorum seu Pandectarum libri 50. In secundo extant Codicis libri 12. In tertio Nouellæ Imperatorum, & Canones Apostolici. In quarto Feudorum libri. De singulis breuiter agemus; si prius notauerimus signa vel symbola quibus vtuntur Iuristæ in citandis prædictis libris. V.g. C. est codex. I. Institutiones. N. nouellæ. E. edicta. N. I. nouellæ Iustiniani. L. N. Leonis nouellæ. C. I. constitutiones imperiales. F. feudorum consuetudines. C.capitulum, seu centesima in distinctionibus. D. distinctio. ff. digesta seu Pandectæ. §.paragraphus. Q. quæstio. L. lex,vel quinquagesima in distinctionibus. T. titulus. Iterum Institutionum Iustiniani libri 4. citantur per paragraphos & titulos hoc more §. 1. institut. *de authoritate tutorum*. Digestorum seu Pandectarum libri citantur ita ff. ππ. de quo vide Alciatum in lib. 1. Cod. deinde legis prima dictione & titulo. L. *hoc edicto*. Si lex sit amplior, diuiditur in paragraphos hac nota §. Vel certè citantur auctores ipsi legum,vt hic,Vlpianus lib.2. ad edictum. Non enim solent citare Iurisconsulti per libros & numeros legis, nisi valde raro, vt cum l. fin. c. fin. hoc est lege finali: aut in iure Canonico capitulo finali, hoc est vltimo illius tituli. Tituli porro sunt omnes ordinati in indice ordine alphabetico, sub initiũ totius iuris, vt iam notaui. Citatur etiã Codex per vocem primam legis, & titulos more digestorum præposito signo Codicis. C. vel cod. Nouellæ Imperatorum leges, per libros authenticorum dispositæ citantur per numeros Nouell. 17. *de mandatis Principum*, vel per authenticorum libros hoc modo, authenticor.collatione 3.&c.de mandatis principum: sunt autem collationes 9. quæ citantur per titulos & capita Nouellarum: e nouellis 168. tantum sunt authenticæ & authoritatem habent, reliquæ exauthoratæ & antiquatæ sunt.

Institutionum Iuris Oeconomia.

INstitutiones vt nomen ipsum sonat, elementa doctrinæ iuris exhibent, vnde velut & in reliquis disciplinis primordia eruditionis meritò sumuntur. Hæ artificiali diuisione in tres partes, secundum tria obiecta, circa quæ ius omne se se vertit, aptè distribuuntur: quarum prima ius Personarum, secunda rerum, tertia actionum comprehendit. Sed quia rerum causa duplex est, altera dominij,altera obligationis, idcirco alia quadam partitione, quam inartificialem vocare possumus, in quatuor libros, velut æqualia totius corporis membra, institutiones distinctæ sunt. Horum primo secundum iuris principia,quæ procemij loco rectè præmittuntur, agitur de iure & conditione personarum;nempe de liberis; Seruis. Libertinis; Ingenuis: Patribusfamil.Filijsfamil. Puberibus; Impuberibus: Pupillis: Tutoribus: Adultis,curatoribus,vt mox planius fieret, quibus eorum acquirendi, vel alienandi rerum dominia; obligandi,vel sub obligationem veniendi ius esset. Secundo agitur, quibus modis tum singulæ, tum vniuersæ res acquiruntur. Sic enim cognosci potest, num iure suam aliquis rem esse intendat. Ostenditur autem, res singulas fieri nostras, partim iure gentium, vti occupatione, traditione: Partim Ciuili iure, velut Vsucapione, in iure cessione: vniuersas autem, modis à iure ciuili institutis, velut, hæreditate; arrogatione; bonorum emptione: Hæreditates porro tum testamento, tum ab intestato nobis obuenire. Tertio tractatur de obligationibus, quarum aliæ oriuntur è rerum contractibus,qui emẽdo, locando,credendis pecunijs,habentur. Aliæ è priuatis delictis, furto, rapina, iniuria. Quarto tandem & vltimo libro agitur de actionibus. Qua voce designatur omnis iudiciorum ordo, nimirum omnes litium instituendarum, & di-

disceptandarum formulæ (qui dici solet procedendi modus) siue ad actorē, aut reum ; siue ad Prætorem, siue ad Iudicem, Arbitrumue res pertineat. Itaque cum fusius eorū qui sunt Actores, intentiones explicantur: tum reorum exceptiones, ac defensiones traduntur: ac postremo de prætorum interdictis, Iudicumque officio differitur. En materia circa quam Institutionum iuris Ciuilis; vt materia ex qua sunt veterum Iurisconsultorum definitiones ac placita. Quod pertinet iam ad horum librorum causam efficientem, authoritate fuit Iustinianus, opere verò & studio Theophilus, Dorotheus & in primis Tribonianus, qui Iustiniano Imperatori magister officiorum fuit, assessor & quæstor. Hunc Suidas improbat, tanquam omnis religionis contemptorem, auarum, nulla fide, nulla iustitia, ius quotidie nouum, variumque constituentem, quique Iustiniano persuaserit, fore, vt non moreretur, sed cum carne assumeretur in cælum: Quæ si semel vera sunt, iure cessabit aliquorum admiratio, cur Christianus Imperator Iustinianus ea interdum inseri permiserit in suos libros ad corpus Ciuile spectantes, quæ Christianæ Religioni aduersantur: quales sunt Diuinitates illæ, quæ impijs, ethnicis, & hæreticis quibusdam imperatoribus passim tribuuntur, vbi leges eorum aut edicta memorantur. Hæc enim & similia non tam ad Iustinianum, qui apud multos habitus est ἀναλφάβητος, nimirum ipsius quoque alphabeti ignarus, quàm ad impium Tribonianum sunt referenda. Quamuis Zasius, vel Rutilius in eius vita conentur illum defendere.

Pandectarum seu Digestorum Oeconomia.

PAndectarum nomen Græcum, Digestorum Latinum est: illud à materia, siue ἀπὸ τοῦ πάντα ἔχειν, quod est, omnia habere, quia disputationes veterum Iurisconsultorum, quæ quidem vsum in præsentiarum habeant, hic liber continet omnes: hoc à forma & digestione sumptum, siue ab ordine rerum per libros & titulos commodè ordinatarum. Pandectas enim istas ex duobus librorum millibus in quinquaginta tantum: & ex versibus tricies centenis millibus, in centum quinquaginta millia dumtaxat, reductas, Tribonianus, Ioannes Patritius, Theophilus, Dorotheus, & alij partiti sunt primò in septem partes, deindè hasce in libros, hos autē in titulos, vt lector cōmoda cuiusque loci inspectione ad iudiciū de rebus ipsis inuitaretur. Sic huius operis diuisio duplex, vt institutionū, inartificialis in quinquaginta libros æqualiter facta; artificialis in partes septem: quarum *prima* vocatur τὰ πρῶτα, hoc est primaria, qua nihil sit anterius: Continet enim principia Iuris, quod à Iustitia virtute præstantissima descendit: ostendens, omniū Magistratuum & prudentium in tractandis legibus officia, quaue ratione his rectè imperantibus obtemperetur. habet libros quattuor. *Altera* de iudicijs, continet materiam actionum quotidianarū, de rebus tum vniuersalibus, tum specialibus. Nam omne ius spectat aut ad personas, distribuendo vnicuique functionem suam; aut ad res, ratione quadam ad vtilitatem personarum commutandas; aut ad actiones, quibus incidentes rerum controuersiæ iudicantur, ac certa forma celeriter dirimuntur. habet libros septem. *Tertia* de rebus creditis, in qua formulæ contractuum exhibentur, quibus homines inter se, alter alterius fidem secuti, res ipsas, vel earū vtilitatem, æqualitate quadam obseruata, communicant. habet libros octo. *Quarta* ὀμφαλὸς, seu vmbilicus appellatur, quasi locus in Iure tractando medius. Comprehendit autem primùm materiam pignoratitiam; deinde ordinationes Aedilium Curulium valdè vtiles. De vsuris item, fructibus & accessionibus rerum tractat. Tum addit regulas probationum, quæ iudicijs deerant: scilicet, quomodo Iudici facienda

fit

sit fides eorum, quæ apud eum proponuntur. Vltimo matrimonij forma, dotes & donationes, & puerorum ex matrimonio procreatorum tutelæ definiũtur. habet libros octo. *Quinta* de testamentis, continet materiam vltimarũ voluntatum: vt quandoquidem anima est immortalis, regnet etiam hominis voluntas extincto corpore. Per vltimam enim voluntatem admittitur etiam post mortem liberalitas erga proximum, institutionibus, legatis, substitutionibus, fideicommissis purè, vel sub conditione, pro cuiuslibet arbitrio: idque militantibus, & defendentibus rempublicam aliquanto liberius, propter occupationes, conceditur. habet libros nouem. *Sexta* absoluit de vltimis voluntatibus tractationem. Deinde libertatis causa proponitur. Tum de acquirendis per vsucapionem rerum dominijs certa ratione stabiliendis, ne cuilibet semper sit liberum de illis controuertere, ac publicam tranquillitatem turbare. Postremo interdicta prætorum per ordinem recensentur, quibus controuersiæ hominum, celeritatem quamdam desiderantes, mirum in modum solent extingui. habet libros octo. *Septima* denique cõtinet reliquam tractationem de stipulationibus, vt certæ sint formæ per quas homines se se verbis obligent, ne omnibus passim colloquijs constringantur. His adnectuntur fideiussiones, solutiones, omnesque nouationes: hoc est, cum placet hominibus contractas inter se obligationes in nouam formam mutare. Postremo ciuilibus explicatis negociorum formulis, delinquentiũ pœnæ adijciuntur, aduersus malos, vt boni fruantur pace. De publicis quoque functionibus aliquid obiter dicitur; & verborũ significationes, ex quibus phrases Iurisconsultorum colligamus, explicantur; deinde regulæ subijciuntur, ac theses, quarum ductu vniuersi iuris cognitionẽ liceat facilè assequi, & pro vsu incidentium quotidie negotiorum exercere. habet libros sex.

Circa tertiam Pandectarum partitionem in Digestum Vetus, Infortiatũ, Nouum; præsertim vero quid ita secunda Pandectarum pars Infortiatum appelletur, cum se vehementer crucient aliqui Iurisconsulti, melius tamen alij putant cum Andrea Alciato *lib. 1 disput. in proœm.* nec secundam eam esse partem, vt quæ vigesimi quarti libri Digestorum (qui vltimus est digesti veteris) titulum vltimum secum trahat; nec vllam aut eius vocis etymologiam reddi posse, cum barbara sit, & nullius sensus, aut eius partitionis iustam rationẽ. Perpetuus enim est Digestorum ordo, ac contextus quinquaginta omnino librorum continua serie absolutus, non alia prorsus ratione ab antiquis intercisus, quam quod tanta librorum congeries, ac veluti moles, in iustum aliquod volumen consui non posset, quale quid nunc fieret, si plures libri eamdem rem aut materiam tractantes, in tres aut plures tomos diuiderentur. Per quamdam tamen accommodationem primus Pandectarũ tomus, rectè potest vocari Digestum vetus, quia priori loco, secundus Infortiatum, voce barbara significante adauctum & corroboratum, non autem φορτίον onus, quia scriberetur per *ph*, non f. Tertius tandem Nouum, quasi vltimũ. Similiter quod Mattheus Monachus quidam scripsit etiam Digestorum corpus bis editum fuisse; primum breuius, deinde auctius redditum paratitlis; & paratitla esse veluti repletiones eorum, quæ cuique titulo digestorum deerant in priori editione, & scholia; non probatur ab alijs, cum re vera vna tantùm digestorum editio fuerit, & paratitla Iustiniani, lex 1. & 2. de vet. iur. enucl. nihil aliud esse ostendat, quàm breues & subtiles titulorum interpretationes, & quasi monitoria, siue claues eorum, quæ singulis titulis continetur. Porro de Pandectarum corrupto vel incorrupto textu, præsertim Florentinarum seu potius Pisanarum, videndi sunt Boleguinus, Politianus, Budæus, Gregorius Haleander, Antonius Augustinus, & Franciscus Taurellius in Epi-

Epiſtola, quæ habetur in editione Plantiniana; vbi ſic ſcribit, Pandectarum, ſiue Digeſtorum antiquum volumen, Florentiæ nunc, olim Piſis adſeruatum, cum Amalphi prius omnem ſupra memoriam fuiſſet, inde acceptum, Piſani quod Innocentium II. Pontificem Maximum, & Lotarium Cæſarem item II, claſſe aduerſus Normannum Rogerium iuuiſſent, egregiè nouatæ operæ monumentum retulerunt, diuque penes ſe habuerunt, donec per Ginum Caponium æque nobilem ac ſtrenuum virum, anno 1406. Piſis in poteſtatem redactis, ſubiectionis ſymbolum tranſtulere. Liber itaque Florentiæ eo ex tempore eſt cuſtoditus. Rectè autem Codici Pandectæ anteponuntur, cum hæ præ illo legendæ & euoluendæ ſint: tam de Iuſtiniani præcepto, quam ex recto ſtudiorum inſtituto. Hæ enim ad Teorian, Codex ad praxin magis facit: quod genus vltimo loco iam adultis & ex ſchola ad forum properantibus eſt proponendum.

Codicis Oeconomia.

INcipiendo ab ipſo nomine, Codex idem quod Caudex, ex quo cortex extrahitur, ſtirps arboris, ſeu craſſior arboris pars quæ extra terram aſſurgit: vnde plurium tabularum contextus in nauibus & libris conficitur, atque à ſua materia Codex ſeu Caudex appellatur. Nam quia veteres nondum inuento papyri vſu, tabulas hinc compingebant ſcriptioni aptas, eo factum eſt vt Codices dicerentur plures eiuſmodi tabulæ, ad inſtar voluminis colligatæ. Quia autem doctè notante Iacobo Cuiacio in ſuis in Codicis libros paratidis, maieſtas & diuturnitas eſt maior ſcripto, ſi quid exaretur in his, hoc eſt in Codicibus, quam ſi in chartis aut membranis ſimplicibus; ſicut membranis quoque maior, quam chartis; adeo vt pleraque hodie non valeant, niſi membranis ſcripta; veluti Codicilli dignitatum, & S. Conſ. Hac ratione factum eſt, vt Iuſtinianus ſuperiorum principum ſine ordine poſitas conſtitutiones purgari curans, tùm etiam Nouellas emendatas, Codicem vt prius appellari voluerit. Neque enim id ei nominis primum dedit Iuſtinianus: ſed vt res, ita & appellationem aliunde mutuatus eſt. Nam obtinuit illud Codicis nomen primum liber, quo continebantur conſtitutiones Imperatorum ab Hadriano ad Valerianum vſque, & Gallienum, hoc ab anno Chriſti 120. ad 260.; dictuſque eſt Codex Gregorianus, à nomine iuris ſtudioſi, qui huic collectioni dedit operã. Subſecutus eſt Codex Hermogenianus, ab Hermogeniano ſimiliter eius editionis auctore; quo continebantur Claudij, Aureliani, Probi, Cari, Carini, & innumeræ Diocletiani, & Maximiani conſtitutiones; ab anno Chriſti 270. ad 306. vt perperam Codici Gregoriano adſcribantur quædam Diocletiani, & Maximiani, cum fuerint omnes in Codice Hermogeniano. Exijt poſtea tertius Codex, iam non à Iuriſconſulto aliquo, ſed ab Imperatore ipſo Theodoſio, cuius authoritate conditus eſt, denominatus Codex Theodoſianus, qui complectitur conſtitutiones Imperatorum omnium à Conſtantino vſque ad ipſum Theodoſium; hoc eſt ab anno Chriſti 306. ad 435. quo ſuum Codicem promulgauit Theodoſius. Et vt ex Gregoriano nihil ſumpſit Hermogenianus, ita nec ex hoc, vel illo, Theodoſianus quidquam; ſed omiſſas in Gregoriano ſequentium Imperatorum Conſtitutiones Hermogenianus habet vſque ad Conſtantinum; omiſſas in Hermogeniano, Theodoſianus. Vltimo tandem loco eſt Codex Iuſtiniani, cuius cõponendi alia fuit illi ratio. Non enim eas tantum conſtitutiones in ordinem, & compendium digeſſit, quas poſt Theodoſianum ſequentes Imperatores ediderant, ſed etiam ex tribus ſuperioribus Codicibus, Gregoriano, Hermogeniano, Theodoſiano, & ex Nouellis quoque poſt Theodoſianum Codicem, vel ab ipſo Theodoſio, vel ab inſequentibus imperatoribus,

bus editis, omnes quæ ad vsum sui temporis facere videbantur. Rursus, cum similes essent, contrariæque inuicem constitutiones, permixtim relatæ in illos tres Codices, Iustinianus, quantum potuit, è suo curauit tolli contraria, similia, superuacua, inutilia omnia. Et hunc quidem suum codicem edidit bis; prior editio abolita est, quæ exierat ante digesta, & institutiones, de qua sunt constitutiones huic Codici prælatæ: Posterior, de qua est constitutio illis subdita, diuisa in 12. libros, quasi 12. Tabulas, vt Harmenopulus ait, ea est, qua vtimur, & cuius titulos Cuiacius suscepit explicandos, post editionem Digestorum & Institutionum confirmata, atque confecta. Et hac quidem posteriore editione, multis quæ erant in priori, limatis, detractis, mutatis; multis etiam additis & suis, & alienis constitutionibus, ob eam rem Iustinianeus Codex repetitæ prælectionis fuit appellatus.

Nouellarum Oeconomia.

CViacius *in exposit. Nouell. const.* primam appellationis Nouellarum adducit rationem, quod noua eis, atque à veteribus diffidentia iura constituantur, quamuis non vtique omnibus. Posteriorem tamen rationem existimat veriorem esse, quod nouissimè promulgatæ sint post Codicem Iustiniani repetitæ prælectionis. Nam & sæpissimè à Græcis interpretibus appellantur *νεαρὰι μετὰ τὸν κώδικα*: & ab ipso Iustiniano. Et pariter Theodosij. Valentiniani, Martiani, Leonis, Maiorani, Seueri cõstitutiones, non alia ratione Nouellæ appellatæ sunt quàm quòd post Codicem Theodosij, & aliæ quędam Leonis Philosophi, Nicephori, Michaelis, Romani, Alexij, quod post *βασιλικῶν* libros promulgatæ essẽt. Quin & Iustiniani quę vocantur Nouellæ, nondum retractato codice hanc appellationem meruerant, editę cum essent post primam Codicis editionem: retractata, repetitave iam Codicis editione, eam amiserunt: nec enim Nouellæ sunt, quæ in corpus vnum coierunt Codicis repetitæ pręlectionis, iustum constitutionũ corpus, sed quæ post codicem illũ emerserunt nouæ, vel Iustiniani ipsius, vel Iustini, vel Tiberij, & aliorum. Igitur *τὰς νεαρὰς* seu nouellas respectu scilicet Codicis constitutiones appellamus, quę post Codicem repetitæ prælectionis sunt editę; Iustinianus enim maluit eas in aliud separatè volumen trãsferre, quam toties faciem Codicis, alijs atque alijs quotidie adiectis immutare. En ex Cuiacio cur Nouellæ dictæ sint, nunc videndum ex alijs, præsertim Alciato *lib. 2. parerg. cap. 46.* cur Authentica vocatæ. Qui rectè notant editum esse hunc librum Græcè, & cõstitutiones has Grecè *νεαρὰς* appellatas fuisse; verùm cum Asiatica quadam luxuria diffusus, prolixitateq; nimia scriptus esset liber, translatum Latinè à Iuliano Patricio, & Exconsule fuisse, sed compendiosus, & stylo, vt tum tempora ferebant, non inceleganti, qui liber adhuc extat, & Nouellæ titulo circumfertur. Ad cuius differentiam nostri integras constitutiones authentici nomine appellare maluerunt, *αὐθεντικὸν* enim *ἀπὸ τοῦ αὐθεντεῖν*, est id vnde alia exempla transumuntur: hodie originale vocant: cuiusmodi certè respectu operis illius hic liber iure putatur: quippè ex quo exemplar illud Iulianus transcripsit, & quodammodo breuiauit, ac detruncauit suum. Est igitur authenticum, volumen nouarum constitutionum, quæ post Codicem Iustiniani secundæ editionis, sunt ab eodem promulgatæ, in corpus iuris vno hoc libro redactæ, in quibus sanè dirigendis nulla alia quam qualis in Codice, nempè tẽporis ratio, neque tamen hæc quoque perpetuò deprehenditur obseruata. Tantùm de origine textus ciuilis; ad cuius formam accedunt libri 60. Basilicon Grecol. multis voluminibus, quorum etiam extat cõpendium vno volumine, quibus Basilius Imperator exauthorabat Iustiniani Codicem & Pandectas, vt suas leges stabiliret, vt videre est in Nomocanone Photij. Verum neque hi libri

bri habent authoritatem, neque Nouellæ Isaaci, Leonis, & aliorum ad calcem codicis annexæ: accedunt & leges Gothorum in libris Hispaniç illustratç, Lõgobardorum, Boiorum, Ripuariorum, Salicæ: ius Orientale Græcorum, Codex omnium legum, leges XII. Tabular. Atticæ, Spartanæ, Locrenses, constitutiones, statuta, priuilegia, consuetudines, & similia diuersarum ciuitatum, & regionum, quæ nunc pro iure vsurpantur. Ius enim ciuile, legesque Iustinianeæ vim nullam habent, nisi quam principes eis nutu & voluntate sua, tribuunt, ideo edicta legibus contraria panguntur, & plurimi cõsuetudinibus suis reguntur, nõ legibus; penes quos leges Augustales authoritatem habent nullam, nisi ornamenti & exempli. Capitularia Caroli Magni, & Caroli Calui loco legũ erant olim in Gallia nostra, priusquam ex adyto Florentino, vel Pisano Pãdectæ promerentur ante annos supra 400. vt notauimus supra. Nunc in pretio est Codex Henriceus in Gallia, & Regum ordinationes, vt vocant, habetur tamen honor Pandectis, tanto scilicet ingenio, iudicio, doctrinaque concinnatis, & secundum eas Germania, Italia, Hispania, Sabaudia, Delphinatus, Prouincia, Tolosa iudicat. Sed de his satis; nunc ad iuris vniuersi distributionem, vel partitionem veniamus.

Iuris vniuersi methodica distributio.

CVm ordo sit mater memoriæ, atque adeo ad comparandas scientias, nihil sit illo accommodatius idcircò Iurisconsulti varias etiam adinuenerunt methodos, quibus iuris vniuersi distributio fieret, certisque finibus cõcluderentur omnia ad illud pertinentia. Aliqui enim, vt Gregorius Tolosanus in amplissimo iuris Syntagmate, iuris tradidit modum secundum vulgatam illius diuisionem in res, actiones, & personas; si quidem iudicia, quorum partes necessario noscendæ sunt futuro Iurisconsulto, constant Auctore, & Reo, nempè ijs, qui litem gerunt: causa constituendi iudicij, quæ quidem propter res, vel obligationes instituitur: postulat enim quisque quod suum est, aut sibi deberi putat: certa item ratione constituendorum, & exercendorum iudiciorum. Alij reputãtes hanc diuisionem in res, actiones, & personas esse materialem, & omnibus artibus communem, partiuntur iurisprudentiam secundum diuersas iuris rationes. Ius autem, est ratio dominij seu debiti, seu ratio & titulus propter quem res tali, & tali debetur, seu ius est ratio sui, ob quam quilibet affirmat aliquam rem esse suam: Quam rationem lex determinat, conclusione, definitione, sententia, lata scilicet ab homine iusto, & perito iuris, qui rem suam voluit cuique tributam: hoc est ergò iuris omnis breuiarium, germanissimaq; illius distributio secundùm diuersas rationes debiti & sui, seu ob quas rem suam quiuis dicit meritò, & asserit sibi debitam. Inde est iustum, quod est secundum illas rationes, iniustum quod est contra eiusmodi rationes, medium rationis & rei inter plus & minus vocant Theologi: iustum quando quis habet quantùm debet habere, nec plus, nec minus. In commutatiua iustitia attenditur æqualitas rerum inter se sine personarũ consideratione: in distributiua attenduntur res secundùm personas, plus enim duci debetur Spoliorum parta victoria, quam Gregario militi: at in hominum solutione, tantùm reddendũ est ab omnibus cuilibet mutuum danti, quantum commodauit, tantùm pęnæ, & supplicij cuique imponendum, quantùm peccauit. In vindicatiua iustitia, tantam debet offenso satisfactionem, quantum offendit, hoc est ius tertiæ & læsæ partis. Iam rationes ob quas dicit aliquis rem esse suam, sunt, inuentio, occupatio, productio, piscatio, venatio, societas humana, & ciuilis, donatio, testamentum, substitutio, fideicommissum, legatum, contractus, &c. vt tamen ordo seruetur inter istas rationes sui, seu debiti & dominij, ordiendum esset à iure

natu-

naturali, & pergendum ad ius Gentium, tum ad ciuile & municipale: V. g. iure naturali comprehenduntur ea quæ omnibus hominibus sunt debita iure societatis humanæ, tum quæ ad nuptias, & patris ac filiorum officia, alimenta, testamenta &c. in Gentium iure de commercijs, bellis, &c. in ciuili de contractibus. Quia verò in sua causa iudex esse debet nemo, ad salutem publicam tuendam, & bella cædesque deuitandas dum de suo certatur, instituti sunt iudices qui non arbitratu suo, & corruptelis affectuum, & munerum, sed secundum leges de suo, seu de iure pronuntiarent; instituti aduocati, & procuratores, & dies fatales, & testes, & tabulæ, vt de iure & ratione sui constaret iudicibus, institutæ etiam actiones, quibus res repeterentur, aduocatorum postulatione, vindicationes rei, euictiones, restitutiones spoliatorum, executiones ad exhibendū, Publiciana, institoria negotiorum gestorum, & cætera huiusmodi.

Alij iuris tradiderunt modum veluti via scientiæ per principia moralis & politicæ disciplinæ, vt præses primus Senatus Sabaudię *in sua iurisprudentia Papinianea*, & per rationes legum *in suis rationalibus*, est enim anima legum ratio, & interpres earumdem oratio. Quod adhuc felicius fieret si Philosophica in omnibus docendi ratio seruaretur: citatis legibus ad singulas conclusiones disputationum, materijs iuris, ordine sciētiæ, & obiecti dispositis; definitionibus, diuisionibus, speciebus, casibus singularibus, causis, effectis, principijs, rationibus, contrarijs, similibus, obiectionibus, solutionibus, corollarijs denique omnibus adductis in medium; sic enim ius ciuile disceretur per regulas & principia vniuersalia, quę spectant ad omnia prorsus negotia, omnesque controuersias, non autem memoria legum tantum, quæ non tam medullæ, quam corticis dumtaxat delibatio videtur. Alias secuti sunt vias Hotomannus, Donnellus, Vigelius, Mysingerus, Vvesembechius & alij à Posseuino citati lib. 12. Bibliothecæ selectæ; de quibus consuli potest, nec non de pluribus alijs rebus ad Iurisprudentiæ considerationem, ac studium pertinentibus. Cui addo cap. 10. par. 2. Aurifodinæ Drexellij, de modis quibus ciuilis scientiæ amans excerpere debet. Romani iuris interpretum veterum vitas conscripsere Rutilius Coloniensis, & F. Hotomannus: neotericorum verò Ioannes Fichardus, Francofurtensis, & fusius post ipsum Ioannes Vuolfgangus Freymonius I. V. D. in libro inscripto: *Elenchus omnium auctorum, qui in iure tam ciuili, quam Canonico, vel commentando, vel quibuscumque modis explicando ad nostram vsque ætatē claruerunt, nomina, & monumenta complectens*, &c. editus Francofurti ad Menum anno 1574. Non grandis est hic liber, & leui pretio parabilis. Sed opus illud ingens est, & quod vnam bibliothecam penè constituat, cui inscriptio hæc præfigitur: *Tractatus vniuersi iuris in vnum congesti, XVIII. materias, viginti quinque voluminibus comprehendens. Præter summaria singulorum tractatuum accessere locupletissimi indices, ita distinctè & ordinatè compositi, vt lector materias, temere ante hac sparsas artificiosa distributione sub vno quasi aspectu positas contueri possit.* Hęc primi tomi frons est. Soli autem indices tribus iustis voluminibus distinguntur. Sunt ita vniuersè viginti octo grandia volumina Venetijs edita anno 1584. Tantùm de Politica, illique annexo iuri ciuili, quantum pertinet ad præsens institutum, & vt videamus quātùm hęc Philosophię Moralis pars conducat ad Sacræ doctrinæ studium, diuinasque Scripturas illustrandas.

Certè si in diuinis Scripturis præclarissima tam Ethicæ, quam Oeconomicę documenta continentur, non minus & Politicæ, ex quibus perfecta, numerisque omnibus absoluta Politica Sacra, secundum ordinem adductum disponi posset. Circa quod opus, quia iam multi sub diuersis tamen titulis feliciter insudarunt, sufficiet aliquos breuiter insinuare. Igitur post Augustinum, Orosium,

ſium, Lactantium, D. Thomam in aureo libro de regimine Principum ad Cypri regem, Sacram Rempublicam, Chriſtianumve principem ob oculos poſuerunt in primis Chriſoſtomus Iauellus in opuſculo, cui inſcriptio: *Philoſophia Politica, ſiue Ciuilis Chriſtianæ diſpoſitio, ſacrarum litterarum teſtimonijs, & authoritatibus comprobata*: quam ſex partibus, ſeu tractatibus abſoluit. Vt primus de ciuitate Chriſtiana, quid ſit. Secundus de rectore, eiusve principe: Tertius, quonam conſilio regenda ſit, velut nauis in mari agitata: Quartus de iudicio ſiue prætorio, vt in cauſis tam ciuilibus, quã criminalibus iuſtitia ſeruetur: Quintus, qualis inuicem debeat eſſe Chriſtianus populus, Rectorve & princeps: Sextus, quibuſnam legibus adminiſtranda ſit Chriſtiana ciuitas. Cardinalis Bellarmini *de officio Principis Chriſtiani libri tres*: quorum primus continet documenta ſpiritualia ex Scripturis Sacris; nimirum de officio Principis Chriſtiani, vt miniſtri principalis Dei, vt filij, vt ſerui Dei omni genere ſeruituris: iterum de officio eiuſdem erga Summum Pontificem, Epiſcopos, Confeſſores; erga populos ſibi ſubiectos, amicos, conſiliarios, milites; erga alios principes; erga perſonam ſuã. Secundus continet exẽpla ex vitis Sanctorum Principum teſtamenti veteris. Tertius verò ex vitis Sanctorum Principum noui teſtamenti. *Inſtructio Principum Ethicè, Oeconomicè, ac Polititicè ſcripta, per R. P. F. Ioannem à Ieſu Maria Carmelitam Diſcalceatum*; cuius prima pars complectitur conſilia ſelecta ethica, ſiue moralia, quæ ad principũ ipſorum mores; ſecunda Oeconomica, quę ad domus ſiue aulæ moderationem; tertia Politica, quę ad Reipublicæ gubernationem conferunt. *Theatrum vitæ ciuilis ac Sacræ, ſiue de moribus Reipublicæ Chriſtianæ commentaria, auctore Odouardo Vueſtono Anglo in quinque libros diſtributa*, *Hieropoliticon ſiue inſtitutiones Politicæ è Sacris Scripturis deprompta*, auctore Ioanne Stephano Menochio è Societate Ieſu; eiuſdem *de Republica Hebræorum libri* 8. de qua etiam Carolus Sigõnius ſcripſit. *Velaſques in Pſalmum centeſimum Dauidis commentarij, ſiue de optimo principe, & optimo principis adminiſtro libri quinque*. Primus agit de virtute principi multiplici ratione neceſſaria; Secundus de peculiaribus virtutibus, quæ ad principis perſonam ſpectant. Tertius de ſcopo quem ſibi princeps in gubernatione debet proponere. Quartus de virtutibus principis, quæ ad iudicium, & iuſtitiam peculiariter pertinent. Quintus tandem de optimi principis optimo adminiſtro.

Regnum Dei, ſeu diſſertationes in libros Regum, in quibus quæ ad inſtitutionem principum illuſtriumque virorum, totamque Politicen ſacram attinent inſigni methodo tractantur; authore R. P Nicolao Cauſſino Societatis Ieſu. Diuiditur totum opus in tractatus quinque, quorum primus eſt de origine cauſiſque regnorum: ſecundus de moribus principis; tertius de adminiculis regni: quartus de induſtrijs regni ſeruandi: quintus eſt Paradigmaticus, in quo regnantium exempla ex quatuor libris regum exponuntur. Oſorius, & Mambrinus Roſeus *de Chriſtiano principe*. Thomas Boſius Eugubinus Presbyter Congregationis Oratorij ſcripſit *de ruinis gentium & regnorum aduerſus impios Politicos*, libros octo. Item libros duos *de imperio virtutis*, ſiue imperia pendere à veris virtutibus, non à ſimularis aduerſus impiũ Machiauellum. Item aduerſus eumdem *de robore bellico Catholicorum*, contendentem imbelles homines fieri, quod Chriſtiana lex iniurias vlciſci velit, quod probat in prima parte operis, ex amplitudine regnorum, quæ noſtri ſibi armis acquiſierunt, quæ nulla vnquam gens vel bellicoſiſſima edomare potuit: in ſecunda parte occaſione prędictæ obiectionis demonſtrat, neceſſe eſſe remittere iniurias: per crucem, quæ ſingularẽ nobis deſignat patientiam, & quam nos profitemur exemplo Chriſti in tolerandis iniurijs, maximas victorias fuiſſe reportatas; Catholicos ſuperare omnes

alios

alios in amando Deo & suis, ob id omomnium fortissimos, amor enim pugnacissimos homines facit; omnium gentium regna insigniora concidisse ob luxum, qui milites effæminauit, atque adeo Catholicos milites omnium esse fortissimos, quod catholica religio maximè omnium reuocet à luxu. Ad hoc idem pertinent Harmenopuli excerpta ex legibus ad sacrorum dogmatum fidē: quo exemplo Ryntelen & Fichlerus iurisprudentiam Theologicam ediderunt ad confutandos Lutheranos & Caluinictas heroico planè, & diuino opere. Angelus Aretinus, Christophorus Porcius, & alij qui extant primo tomo tractatuū Venetijs editorū, hanc quoq; viā aptandi sacrā doctrinā ad ius ciuile mōstrarunt, cū solidiorē Ecclesiæ Catholicæ veritatem, sicubi ferebat occasio, illi opposuerunt, & ius canonicum cum ciuili contulerunt. Tandem promptuarium iuris raritate, & vtilitate commendatur, aptauit enim legibus Scripturam, aut potius leges diuinæ Scripturę in commodum concionatorum; sed de his satis, quibus facilè benignus lector poterit de suo addere.

Quantum referant ad sacræ doctrinæ studium scientiæ factiuæ.

POstquā in superioribus egimus de necessiate & vtilitate scientiarum sermocinalium, speculatiuarum; & moralium ad sacræ doctrinæ studium, superest vt breuiter agamus de scientijs factiuis, quas artes communiter appellamus. Verùm quia longum esset ac difficile velle singulas prosequi, sufficiet aliqua insinuare loca Scripturæ, quibus earum fit mentio, indè enim satis patebit, quantum earum quoque notitia conducere possit ad illustrandam, perfectèque intelligendam sacram Scripturam. Primùm igitur ad artem scriptoriam pertinet illud Iobi 19. *Quis mihi tribuat, vt scribantur sermones mei? Quis mihi det, vt exarentur in libro stylo ferreo?* de quo vide Eusebium Nierembergium lib. 1. de origine Sacræ Scripturę: & Hugonem Hermannum de origine scribendi. Secundò ad Lanificium, cuius nomine continetur omne studium, & opus, quod circa lanam, vel ex lana fit; pertinent illa quę in Scriptura leguntur de prisca ouium sollicitudine ob lanam, quæ de progressu lanificij vsque ad pannum; quæ de illius opificibus, textoribus, fullonibus &c. quæ de varijs instrumentis ad illud inseruientibus, subtegmine, stamine, fuso, &c. quæ de varijs vestium speciebus tam ex lana, quā ex alia materia, vel ad necessitatem, vel ad ornamentum; primarū aliæ sunt superiores, vt tunica, pallium, palliolum, penula, Chlamys, melota, capitium; aliæ mediæ exteriores; zona, balteus; interiores diplois, subucula; aliæ inferiores perisoma, lumbare, femoralia, feminalia, caliga, ocreæ, calceamentum. Partes vestium sunt, manica, fimbria, phylacterium, ora, margo, lacinia, ansa, ansula. Vestium ad ornamentum materia, sunt sericus, byssus, byssinus; forma, purpura, coccus, coccinum, hyacinthinus, carbasinus; species, poderis, talaris, teraphim, sertum, vitta, auricularium, superhumerale, brachiale, cidaris, & varia velaminum genera; quorum omniū fit passim mentio in sacrarum Scripturarum libris. Tertiò ad artem militarem spectant, quę passim leguntur in Scriptura de diuisione militiæ in terrestrem & naualem; quę de rei militaris actibus, bellando, præliando, oppugnando, compugnando, decertando, dimicando, fugando, obsidendo; quæ de armis inuasiuis, defensiuis; arma enim non tàm ab armis, id est humeris, ex quibus pendent, dicuntur, vt vult festus; quàm ab arcendo hoste, vt vult Varro, arcemus autem inuadendo, & propellendo. Arma inuasiua cominus quorū fit mentio in Scriptura, sunt gladius, ensis, framea, versatilis, anceps, biceps, romphęa, pugio, sica, hasta, hastile, lancea, lanceola; inuasiua eminus, sunt iaculum, telum, spiculum, arcus, sagitta, balista, funda, fundibulum. Defensiua sunt, galea,

galea, cassis; lorica, thorax, scutum, clypeus, sagum, castrum, tabernaculum, tentorium, papilio. Quæ de signis militaribus, castrorum dispositione, instructa acie, personis militaribus tam superioribus, quam inferioribus; & tandem quæ de fine rei militaris, per se vt victoria; per accidens, vt captiuitas, periculum, perturbatio, direptio, depopulatio, exterminium, vastitas, destructio, strages, clades, &c.

Quartò ad artem Nauticam pertinent quæ in Scripturis habentur de periculis nauigationum: *Qui nauigant mare*, inquit Eccles. cap. 43. *enarrant eius pericula*; quæ de nauta, & nauclero; quæ de nauibus, & earum speciebus, trieri, triremi, nauicula, scapha, classe; quæ de earum partibus, prora, carina, artemone, puppi, transtra, malo, gubernaculo, clauo; quæ de pertinentibus ad nauim, armamento, rudente, anchora, remo, remice, bolide, portu, naulo; quæ de actibus nauigandi, subnauigandi, adnauigandi, remigandi, transfretandi; quæ de tempestatum præcognitione, & sedatione; quæ denique de naufragio.

Quintò ad agriculturam, rem ve rusticam, quam Plato in Epinomide, artem non putat humanam, sed eam sine arte, ab initio beneficio Dei fuisse aggressos homines, attinent, quæ dicuntur in Scripturis de terra agri, eiusq; qualitatibus; quæ de agricola, agrario, aratore, colono, villico, pastore, messoribus, & alijs rei rusticæ administris: quæ de tritico, hordeo, & alijs in aruis serendis Isaiæ 28. *Nunquid tota die arabit arans vt serat, proscindet & sariet humum suam? nõne cum adæquauerit faciem eius seret gith, & cyminum sparget; & ponet triticum per ordinem, & hordeum, & milium, & viciã in finibus suis &c.* Quæ de instrumentis agriculturæ, reique rusticæ necessarijs; aratro cuius partes, vomer, & axis, curru, plaustro, rheda, carruca, carro, cartallo, biga, quadriga, rota, ligone, falce, tribula, paxillo, iugo, ventilabro, torculari. Quæ de triturandi, & ventilandi modo, aut loco: Plaustris enim areæ inductis spicas & paleas trituræ supponi solitas fuisse habetur Isaiæ 25. *Triturabitur Moab sub eo, sicut teruntur paleæ in plaustro*, & rursus cap. 41. *Ego posui te quasi plaustrum triturans nouum, habens rostra serrantia* &c. Amos 1. *Eo quod triturauerit in plaustris ferreis Galaad*. Boues quoque adhibebantur ad trituram, siue plaustra traherent, siue ab ijs soluti essent, & equi, vt patet ex lege Deuteron. 25. de ore non alligando bobus triturantibus. Mos etiam fuit virga excutiendi grana Isaiæ 28. *Non enim in serris triturabitur gith, nec rota plaustri super cyminum circuibit, sed in virga excutietur gith, & cyminum in baculo.* Quæ de agricolarum metentium, aut triturantiũ prandio Ruth. cap. 2. v. 14. quæ de tempore messis, & vindemiæ conuiuijs celebrandis, & alijs edendis hilaritatis significationibus, quæ de lino serendo, & colligendo; quæ de alijs arboribus in vineis serendis; quæ de bobus aut vitulis saginandis; auibus altilibus ruri habendis; viuarijs item ferarum; piscinis ad alendos pisces, & alijs similibus de quibus vide Ioannem Stephan. Menochium lib. 7. de republica Hebræorum.

Sextò, ad artem fabrilem, cuius species variæ sunt: cum hoc nomen sit generale ad omnes, qui operantur in materia aliqua dura, seu lapidea, lignatia, ferraria, aurea, argentea, &c. Ad artem inquam fabrilem sic genericè consideratam, pertinent illa omnia, quæ in scripturis leguntur de architecto, fabro, figulo, plaste, laromo, cæsore, carpentario, cæmentario, aurifice, sculptore, cælatore, statuario, pictore, eorumque operibus; item quæ de illorum instrumentis tam acutis, vt serra, scalpellum &c. quam obtusis, vt malleus, trulla, incus, &c. VII. ad medicinam, quæ hic nõ sumitur pro ea sciẽtia, quæ humani corporis complexionem, morbosq; considerat, sed pro illa duntaxat, quæ vulnera, & exteriores corporis læsiones curat, præsertim manuũ officio, vnde chirurgia vocatur; cui adde di sunt pharmacopolę pigmentarij, vnguẽtarij, &c. sunt enim hi om-

omnes Medicorum administri, ſicut & coqui, vt ait Galenus de ſanitate tuenda & Athenæus lib.7.Gymnoſophi cap.14. bonus coquus, inquit, bonus debet eſſe medicus, vt noſcat ciborũ vires; ad medicinam,inquam, ita ſumptam pertinent ea quæ continentur in Scripturis tam de ſupradictis perſonis & alijs ſimilibus; quam quæ de victu,de varijs remediorũ generibus,& inſtrumentis ad omnia illa neceſſarijs, vel cauſa terendi, vt mortarium, mortariolũ; vel cauſa tenendi humida, vt olla, lebes, cacabus, ſartago & arida, vt cophinus,caniſtrũ, ſporta, ſportula &c. VIII. tandem, vt alia plura omittam,ad venatoriam ſpectant illa omnia,quæ de venatione paſsim in ſcripturis leguntur, vbi etiam plurimæ metaphoræ,& allegoriæ occurrunt ab illa deſumptæ,& eius inſtrumentis,laqueis,retibus, foueis; quæ de tribus venationis ſpeciebus, nempè venatione,aucupio,& piſcatu; cum enim genera diuerſa ſint animalium, ſaltem tria, quorum cibo vtimur, vel etiam quæ recreationis gratia perſequimur,quadrupedia, volatilia,natantia, vel aquatica;ideo tot ſpecies venationis conſtituuntur, nempè venatio, aucupium, & piſcatio;quę de inſtrumẽtis ad capturam animalium; ſiue quod idem eſt,quæ de induſtria feras venandi, etiam maiores, quales ſunt leones, vrſi &c. quæ de induſtria aucupandi;quę de induſtria piſcandi, ſagenis, naſsis, hamo &c. & tandem,quæ de locis ad venationem aptis;de quibus omnibus vide Menochium loco iam citato.

En quomodo omnia flumina intrant in mare, & ad locum vnde exierunt, reuertuntur? quomodo, inquam, omnia ſcientiarum flumina, velut è profundiſſimo diuinarum Scripturarum mari primum orta, rurſum in illud citius properant; dum ad earum intelligentiam, nullum ferè ſit ſcientię genus, quod nõ mirificè conducat. Vnde quod pluribus doctiſsimis viris fuit ſępius in votis,vtinam aliquando adimpleretur, vt cũ nullus eſſe videatur, qui has omnes partes ſolus obire valeat, vnuſquiſq;partem illam Scripturæ Sacrę explicandã, & illuſtrandam agrederetur,quæ ad eam ſciẽtiã pertinet, in qua optimè verſatus eſt; exempli gratia Geometra inſignis, loca Scripturę accuratiſsimè expenderet,quę ad Geometriam pertinere videntur; Aſtrologus, quę ad Aſtrologiam;Medicus quę ad medicinam, & ſic de cęteris; ita iam Leuinus Lemnius de herbis & arboribus; Franciſcus Rueus doctor Medicus Inſulanus de gẽmis;Buſtamantius de animãtibus Scripturę Sacrę diſſeruerunt. Verùm quia vnicus etiam omnia ſcire, atque accuratè diſcutere nequit, operæ pretium foret,inquit Merſennius in Geneſ. cap.4. verſic. 20. Si academia erigeretur, in qua duodeni viri egregij in qualibet arte, & ſcientia honeſtis ſtipendijs alerentur, & iuſto prėmio afficerentur, qui tota vita in ſacris Scripturis explicandis operam nauarent. Quod ſi fieret, non ſolùm breui ſcientię à fundamentis reſtituerentur, totaq;Encyclopędia perficeretur; ſed etiam nullus eſſet labor, nullus timor,nulla perturbatio vbi quis in philoſophia, vel mathematicis, vel medicina, aut aliqua alia ſcientia ſententiã inauditam proponeret, etenim ſi ad Aſtrologiam pertineret, illam duodecim Aſtronomi diſcuterent, num aliqua ſaltem probabilitate fulciretur;& cum recentiores Aſtronomi planetas nouos, maculas & nubeculas in ſole, & luna repererunt, vnde nouos mundos conijciunt, quorum incolæ ſint in ſtellis, atque planetis; cũ noui philoſophi nullam materiam admittunt, dari vacuum, aſſerunt, omnia ex atomis conſtare, & alia ſexcenta huiuſcemodi; tunc, inquã, illi in vnaquaque facultate eruditiſsimi viri ſtatuerent, quid probabile, quid verè minus verum, quid in fide periculoſũ. Huiuſmodi autem Academiam multas ob rationes nullibi facilius, & commodius quã Romę ab aliquo Summo Pontifice erigi poſſet. Ad cuius nutum libentiſsimè prėclariſsima ex omnibus gentibus, & ſtatibus ingenia Romam conuenirent in tam honorificum finem; ſed de his ſatis.

SECTIO OCTAVA.

De Historia.

CAPVT PRIMVM.

Affertur quædam generalis diuisio Historiæ, rerumque ad illam pertinentium notitia.



LTIMVS sacræ doctrinæ locus, de quo superest agendum, cuique præsentem damus sectionem, est historia, non quæcumque tamē, sed illa dumtaxat, quæ extra canonicos sacræ Scripturæ libros continetur, satis enim per se patet historiam in illis comprehensam, non esse locum ab authoritate eiusdem Scripturæ distinctum. Etsi autem historiæ nomine frequentius intelligi soleat narratio rerum ab hominibus dumtaxat gestarum; quia tamen ampliori quadam significatione, se se etiam extendit ad significandas plurium aliarum rerum narrationes, sic enim accipitur apud Aristotelem historia animalium; apud Theophrastum historia plantarum, siue de obseruatis per ipsum in plantis; apud Plinium historia naturalis; quorum omnium notitia conducere potest ad perfectum sacræ doctrinę studium; ideo etiam agimus in præsenti de historia, in hac sua magis ampla, & extensa significatione.

Primum igitur historia ratione materiæ de qua tractat, siue obiecti circa quod versatur, diuidi potest in Naturalem, & Humanam; ita vt Naturalis dicatur illa, quæ rerum omnium naturalium essentiam, proprietates, secretiores virtutes, successusque ex illis mirabiliores describit; Humana verò quæ res, ac gesta hominum. Quia autem natura in triplici statu considerari potest, ac trinū veluti regimen subit. Aut enim libera est, & cursu suo ordinario se explicat; aut à prauitatibus & insolentijs materiæ, atque ab impedimentorum violentia, de statu suo detruditur; aut ab arte & ministerio humano constringitur & fingitur. Atque primus ille status ad *species* rerum refertur; secundus ad *monstra*; tertius ad *artificialia*; etenim in artificialibus natura iugum recipit ab imperio hominis, nunquam enim illa facta fuissent absque homine; at per operam & ministerium illius conspicitur noua prorsus corporum facies, & veluti rerum vniuersitas altera, siue theatrum alterum: Quia, inquam, natura sub illo triplici statu obseruari potest, triplex etiam historia naturalis distingui potest. Tractat enim aut naturæ *libertatem*, aut *errores*, aut *vincula*; vt non malè eam partiantur aliqui, in historiam Generationum, Prætergenerationum, & Artium, quarum postremam etiam Mechanicam & experimentalem appellant. Neque tamen ita diuiditur, vt hæc tria separatim tractari debeāt: historię enim monstrorum, & artificialium in singulis rerum naturalium speciebus possunt facilè cum historia ipsarum specierū coniungi, & ex his tribus perfecta rerum omnium naturalium historia confici. Cū autem historia Mechanica, siue Experimentalis veluti etiam triplex esse possit; aut enim depromitur ex artibus Mechanicis; aut ex operatiua parte scientiarū liberalium; aut ex practicis compluribus, & experimentis, quæ in artem propriam non coaluerunt; inter eiusmodi artes præferendæ sunt illæ, historiaque in illis fundata, quæ corpora naturalia & re-

& rerum materialia exhibent, alterant, & præparant, vt agricultura, chymica, tinctoria, &c. Ieiunioris verò sunt vsus, quæ præcipuè consistunt in motu subtilimanuum, & instrumentorum, quales sunt textoria, fabrilis, Architectonica, opificia molendinorum, horologiorum cum similibus; licet & istæ nullo modo negligendæ sint, tum quia accuratè informant de motu lationis, quæ res est magni prorsus ad plurima momenti. Tantum de diuisione historiæ naturalis vt sic, in suas partes veluti integrales.

Iam quod attinet ad aliam diuisionem illius ex parte obiecti, veluti in suas species, aut partes subiectiuas; tot historiæ particulares distingui possunt, quot sunt diuersa rerum naturalium genera, & species; Sic alia est historia corporum cælestium, siue Astronomica; alia historia Elementorum siue Stoecheologica; alia historia Meteororum, siue Meteorologica, quæ versatur circa corpora mixta, sed imperfecta; alia historia Mineralium, siue Mineralogica, quæ versatur circa mixta perfecta, sed inanimata; alia historia plantarum, siue Phytologica; alia historia Animalium quadrupedum, reptilium, volatilium, & natantium, vel aquaticorum; alia denique historia figuræ, & membrorum externorum hominis, staturæ, compagis, vultus & lineamentorum; eorumque varietatis secundum gentes & climata, aut alias minores differentias; deinde historia Physiognomica super ipsa; tum historia Anatomica, siue membrorum internorum hominis; & varietatis ipsorum, quatenus inuenitur in ipsa naturali compage, & structura: Historia partium similarium, humorum, excrementorum, facultatum, motuum naturalium & inuoluntariorum, motuũ mixtorum ex naturalibus & voluntarijs, motuum voluntariorum, somni & insomniorum, diuersorum habituum corporis, pinguis, macilenti, complexionum, quas vocant; generationis hominum, conceptionis, viuificationis, gestationis in vtero, partus, alimentationis, atque omnis edulij & potabilis, atque omnis diętæ, & varietatis ipsorum secundum gẽtes aut minores differentias; augmentationis & incrementi corporis in toto & partibus ipsius; decursus ætatis; infantiæ, pueritiæ, iuuentutis, senectutis, longæuitatis, breuitatis vitæ, & similiũ secundum gentes, & minores differentias: Cum autem eorum, quæ in historia recipienda sunt, necesse sit vt alia sint fidei certæ, alia fidei dubiæ, alia denique damnatæ. Primum genus simpliciter est proponendum; historia enim in hoc potissimum differt à fabularum & argumentorum fictione, quod ea vera narratio sit. Vnde quemadmodum corpora animalium, inquit Polybius lib. 12. si ossa sint exempta, totum redditur inutile; ita historia, si veritatem ademeris ei, quod reliquum est, inanis redditur narratio. Secundum genus cum nota proponendum est, exemp. gr. *traditur*, aut *referunt*, & huiusmodi. At res damnatæ fidei, oportebit non silentio reijcere, sed verbis expressis proscribere, ne illæ amplius scientijs molestæ sint. Illud insuper volenti quamcumque historiam naturalem verè contexere diligenter obseruandum est, vt omnia in naturalibus tam corporibus quam virtutibus, quantum fieri potest, numerata, appensa, dimensa, determinata proponantur v. g. in historia terræ & maris; terræ ambitus, & quantum occupet in superficie respectu aquarum; in historia metallorum, quantum vnum alteri præponderet &c. Tandem in experimento aliquo nouo, & subtiliore, addendus est modus ipse experimenti, qui adhibitus est: vt liberum sit hominum iudicium, vtrum sit fidum aut fallax tale experimentum; atque etiam excitetur industria, ad exquirendos alios modos, si fieri possit, magis accuratos. Tantùm de historia naturali in communi, nunc ad humanam venio.

Humana igitur historia illa est, quæ res ac gesta hominum prosequitur; diciturque Ecclesiastica vel sacra, dum illa in ordine ad Deum & res sacras describit; ciuilis verò vel prophana dum

solùm

solùm hominum inter se commercia, facta ue commemorat. Vtraque potest diuidi in generalem & particularem. Historia Generalis Ecclesiastica est illa, quæ res ad Ecclesiam vniuersaliter sũptam, siue toto orbe diffusam pertinentes explicat; Ciuilis autem, quæ ad tẽporalem omnium Monarchiarum vel regnorum statum; sicut particularis historia dicitur illa, quæ vnius dumtaxat regni, vel prouinciæ, v.g. Italiæ, Germaniæ, Galliæ, Hispaniæ &c. propria recenset. Cum autem historia possit ordinari, vel secundum ordinem Chronologicum, de quo infra; vel secundum aliquos titulos; si secundum ordinem Chronologicum componatur, per annos singulos, vel aliud quodcumque firmum ac certum temporis spatium, debent distribui ea quæ sub titulis proprijs continentur; tituli autem ad completam historiam Ecclesiasticam conficiendam sunt isti. I. Romanorum Pontificum vitæ. II. Sedium Episcopalium, aliarumque dignitatum Ecclesiasticarũ origo. III. Sacrorum Ecclesiæ rituum inductio, fideique per mundum Vniuersum propagatio. IV. Conciliorum tam Generalium, quam particularium historia. V. fundationes piæ, inque fauorem Ecclesiæ donationes à regibus & Imperatoribus factæ. VI. Omnium ordinum religiosorum tam Monasticorũ, quam Militarium origines, progressus, & euentus notabiles. VII. Sanctorum generalis historia, natales eorum dies, præclarè acta trophæaque nobilissima complectens, item inuentiones, translationes, illustrium miraculorum commemorationes editionesue ad pias imagines, ac reliquias sacras. Quam generalem Sanctorum historiam, qui separatim colligere, vel scribere vellet secundum ordinem Chronologicum, primum locum dare posset vitis Sanctorũ veteris testamenti describendis, tum Christi Domini, & Beatissimæ Virginis Mariæ, deinde successiuè omnium aliorum Sanctorum. Vel secundò generalis Sanctorum historia posset ordinari per modum Martyrologij, vel potius Menologij secundum duodecim anni menses, & in tot tomos distribui; cum multis indicibus, primo Chronologico secundum ordinem temporis quo vixit vnusquisque Sanctorum; secundo diuersorum statuum, vt Pontificum, Cardinalium, Episcoporum, religiosorum, regum, Imperatorum, militum, Virginũ, coniugatorum, viduarum &c. tertio topographico, siue locorum, vt in Asia, Africa, America, & Europa, subdiuidendo postea vnãquamque in suas prouincias. Huic operi, siue historiæ tanquam prolegomena præponi possent, illa, quæ pertinent tam ad ritum & historiam canonizationis Sanctorum, quam instrumentorum, quibus olim à tyrannis solebant cruciari Sancti Martyres; aliaque similia.

Vt autem hic omittam varios Scriptores, qui Sanctorum historiam generalem ediderunt, Simeonem Metaphrasten, Boninum Mombritium, Petrum de Natalibus, Aloysium Lipomanum, Laurentium Surium, Petrum Ribadeneiram, & alios plures; breuiter tantum aliquid attingam de martyrologijs. Primum est Romanũ, à quo velut ex trunco rami, omnia alia suam petunt originem, suumque principium. Post Martyrologium Romanum, quod æquè & Hieronymi nomine olim editum fuit, à quo incrementum acceperat, vt testatur Cassiodorus lib. diuinar. Institut. cap. 32. Illud Venerabilis Bedæ secundo loco ponitur, quod aliquibus additionibus postea auxit Florus Monachus ordinis Sancti Benedicti in Monasterio Sancti Trudonis Leodiensis diœcesis, vt testatur Trithemius de viris illustribus ordinis S. Bened. cap. 44. Post Bedam & Florum, annos circiter septuaginta, temporibus Caroli Magni Vsuardus, & ipse Monachus ordinis S. Benedicti natione Gallus scripsit Martyrologium, & quod ab alijs vidisset prætermissum adiecit, dictoque auxit, vt ipsemet in sua præfatione testatur. Post annos ab his circiter quinquaginta, Vvandelbertus Diaconus

conus & Monachus Prumiensis Cœnobij, qui claruit sub Lothario Imperatore circa annum Domini 850. inter illorum temporum poëtas non ignobilis heroico carmine martyrologiū scripsit, cuius meminit Sigebertus de viris Illust. cap. 130. & Trithemius cap. 36. Tandem post prædictos Ado Episcopus Treuirensis vir laudatissimus, qui claruit temporibus Gregorij Papæ VII. & ipse locupletius scribens Martyrologium, non tantum quæ ab alijs viderentur prætermissa superaddidit, sed & quæ ab illis breuius dicta essent de passionibus Martyrum fusius enarrauit. Qui autem postea diuersis temporibus in eodem scribendi genere versati sunt, consuli possunt apud Ioannem Molanū in sua tractatione quā scripsit de Martyrologijs, quamque auctam posuit in appendice sui Vsuardi secundo editi; insuper & apud Eminentissimum Cardinalem Baronium in prolegomenis ad Martyrologium Romanum. Primum est de exacta diligentia adhibita à Sancta Romana Ecclesia in conscribendis rebus gestis Sanctorum Martyrum. II. quæ de Sanctorū historijs ab hæreticis vel alijs falsa scripta sunt. III. de immensa iactura quam passa sunt acta Sanctorū Martyrum. IV. de antiquo cultu Sanctorū Martyrum, vnde Martyrologium scribendi occasio manauit. V. à quibus primum scripta sunt Martyrologia. VI. de Eusebij libro de Martyribus & Versione Hieronymi. VII. de fide Epistolarum quæ Chromatij, Heliodori, & Hieronymi nomine inscriptæ sunt. VIII. de antiquo Martyrologio Romano sæpius aucto. IX. de cæteris antiquis Martyrologijs. X. de falsis Martyribus, & pseudomartyrologijs hæreticorum.

VIII. Sanctorum generalem historiam subsequitur historia generalis Scriptorum Ecclesiasticorum; quæ ordine Chronologico scribi posset, cum indice primo Alphabetico eorumdem Scriptorum; secundo statuum, vt Summorum Pontificum, Episcoporum, religiosorū; tertiò Topographico nationum, è quibus oriundi illi Scriptores; quarto materiarum. Nonus tandem & vltimus titulus, vel locus, ex quo Historia generalis Ecclesiastica cōstare debet, sunt omnes hæreses, earumque authores secundum ordinem temporis quo primū exorti sunt, quorum primus index erit Alphabeticus nominum hæresiarcharū; secundus materiarum, circa quas tales hæreses fuerunt; tertius topographicus locorum; quartus statuum. Tantùm de historia generali Ecclesiastica veluti ex parte materię considerata, siue quantum ad præcipuos titulos, ex quibus coalescere debet. Ad Ciuilem autem spectat prosequi omnium nationum vtriusque hemisphærij, origines, genealogias, gesta, tempora, regiones, mutationes regnorum, politiarum, transmigrationes, & euentus cælestes, terrestres, maritimos &c.

Alia diuisione historia tam Ecclesiastica, quam Ciuilis ratione temporis distinguitur in Annales, & Ephemerides. Annales sunt, cum res gestæ plurium annorum, obseruato cuiusque anni ordine, deinceps componuntur. Cum verò non per annos, sed per dies singulos res gestæ scribuntur, ea historia, Ephemeris Græcis est, nobis diurnum, vel diarium; Hebræis, vt volunt aliqui, *Almanach*, à radice Hebræa *Mach*, quod numerauit, vel distribuit, significat. Porro à multiplici rerum scriptarum varietate, multifariam Ephemerides numerari consueuerunt. Domesticæ vel familiares quæ bonorum redditus ac sūptus diurnos exhibebant. Militares, quibus duces in castris degentes temporū vices & variationes examinabant. Publicæ, vel Historicæ in quibus similiter per singulos dies annotabantur rerum præcipuarum euentus, natales & obitus clarissimorum virorum, festa, ritus, acies directæ, vrbium obsidiones, eluuies aquarum, incendia, actus strenui, prospera & aduersa mortalium, bella, fœdera, læta, calamitosa, & sic de cæteris. Nocturnæ, in quibus si quis noctu aliquid in somnis viderat, describens mox inter-

interpretationem applicaret ad futura, atque inde venturorum certitudines caperet. Medicæ, quo modo ac tempore pharmacis esset vtendum. Rusticæ in quibus serendi ac totius agriculturæ leges inerant. Libitinæ, in quibus mortuorum recensebatur numerus, à Libitina funerum Dea & sepulchrorũ. Astrologicæ tandem, in quibus per singulos dies annotabantur solis locus, ortus & occasus, crepusculum matutinum & vespertinum, longitudo diei, & noctis, præcipuorum syderum ortus & occasus, cæteraque omnia, quæ in cælo singulis diebus accidunt.

Iam ad ordinem, vel methodum historiæ præsertim humanæ legēdæ, quod attinet. Puto historiam vniuersalem debere esse introitum ad historias particulares; nec alia via, quam ista ad sufficientem historiarum cognitionem feliciter perueniri posse. Quemadmodum enim falluntur, qui regionum tabulas prius intuentur, quam totius vniuersi orbis, partiumque singularum inter se, & cum toto rationem accuratè didicerint: ita non minus errare videntur, qui singulas historias prius intelligere se posse putant, quam vniuersæ historiæ, omniumque temporum, & locorum ordinem ac seriem, velut in tabula proposita iudicarint. Librorum igitur Historicorum delectu habito, omnes enim legere, multas ob causas impossibile est, ratio huius studij instituenda est, primò vt ab vniuersis paulatim ad singula delabamur; deinde inter legendum præ oculis habeamus Chronologiam, Geographiam, & Prosopographiam, siue Genealogiarum explicationem. Nam vti Deus primum creauit terram, secundò tempus, tertiò hominem Genes. 1. ita nos agressuri studium historicum, tria hæc præmittere, semperque præ oculis habere debemus, nimirum loci cognitionem, vbi quid factum sit, quod docet Geographia; deinde temporis annotationem, quandò quid factum sit, quod docet Chronologia; tandem personarum cognitionem, à quibus quid illustre gestum sit, quo faciunt Genealogiæ ductus. Notandum tamen Chronologiam hic non sumi, pro sermone de tempore absolutè considerato, vel quod naturam temporis concernit, quæ consideratio temporis Physica est, nec quod ad eius numerum, & abstractè ad motum cæli examinandum attinet, quæ consideratio pure Astronomica est; sed relatè dumtaxat ad res gestas, vt Chronologiam rectè dixeris, notationem temporis, rerum gestarum memoria illustrati; vel disciplinam demõstrantem, quo tempore res quæque, in historijs narratæ, euenere. Qua ratione putant aliqui Chronologiam pertinere partim ad prædicamentum, *Quando*, ob connotationẽ temporis, partim ad prædicamentum *Actionis*, ob connotatas res gestas, præsertim humanas, nempe Ecclesiasticas, Politicas, Scholasticas & Oeconomicas quas mensurat, vndè eius iterum necessitas & vtilitas facilè intelligitur, eum in Ecclesia, Politia & Oeconomia, nihil rectè atque ordinatè, absque certa temporum distinctione ageretur, merito dicente Seneca; Cæcum fore genus humanum, si temporum distinctione careret, & non vteretur.

Loquendo de Chronologia in hoc sensu, generaliter constituuntur duæ illius partes I. Chronographica, quæ interualla temporum examinat & demonstrat. II. Canonica, quæ interualla temporum demonstrata & collecta sigillatim, & per annos expansos, ac series suas digerit, Archontes cum consulibus annotat, Reges cum Cæsaribus, externa cum vernaculis &c. Per interualla temporum Epochæ intelliguntur, in quibus consideranda sunt tria; 1. terminus à quo, qui in Aeris inquirendus est. 2. medium per quod, quod in annis, & 3. terminus ad quem, qui in euentibus cõsistit. Vt enim se habet tempus, ita etiã se habent Epochæ, quæ sunt temporum interualla; vndè cum temporis natura sit, vt motum his terminis, à quo, ad quem, & medio per quod, constanter numeret; idem de Epochis est asserendum.

dum. Sic Aeræ, in quibus terminum à quo Epocharum inquirendum diximus, nihil aliud sunt, quam initium temporis, à quo supputationes annorum incipiunt, vocant aliqui radicem temporum. Quamuis etiam vsurpetur vocabulum Aeræ pro numero integro, ab Ecclesiasticis Scriptoribus; hinc in latiori significatione, non rarò pro ipsis Epochis: At de illa nunc non agimus in hoc sensu, sed in primo, iuxta quem tot sunt, quot annorum species, (respiciendo ad tempus tum Astronomicum, tum Politicum) apud authores inueniuntur, iuxta quos res gestæ euenisse memorantur. Vti est Aera mundi conditi, Periodus Iuliana, Periodus Iudaica, Aera ab exitu ex Aegypto, Aera annorum Iubilæorum & Sabbathicorum, Aera à Troiano excidio, Aera Nabonassaris, Olympiadum, Iphiti, Romæ conditæ, septuaginta hebdomadum Danielis, Periodi Callipicæ, Annorum Philippeorum, Chaldæorum seu Babyloniorum, Seleucidarum, Maccabæorum, Tyriorum, Aegyptiaca, Antiochena, Hispanica, Aera à cæde Iulij Cęsaris, annorum à consulatu, Aera Actiacæ victoriæ, Anni Iuliani, Annorum Augusti, Annorum Laudicensium, Edessenorum, Ascalonitarum, Aera Christiana, Aera agonū Capitolinorum, Diocletiani, siue annorum à SS. Martyribus, vt enim apud nos anni Domini, sic apud Christianos in Aegypto sunt & hactenus fuerunt in vsu anni à SS. Martyribus, qui reipsa ijdem sunt cū annis Diocletiani sub quo passi sunt; Aera ab encænijs Constantinopolitanæ vrbis; & sic de alijs pluribus, de quibus passim apud Scriptores fit mentio; quos omnes velle prosequi, quia longum, & ad præsens institutum importunum esset, breuiter tantum agemus de illis, quæ præ reliquis sunt nobiles & frequentes, cuiusmodi sunt; Aera mundi conditi, Aera Nabonassaris & Olympiadum, Aera Romæ conditæ, Aera septuaginta hebdomadum Danielis, Aera Hispanica, Aera Christiana, Aera Indictionum, Aera modernorum Imperatorum Romani Imperij.

Igitur Aera mundi conditi, est initium annorum, qui ab orbe condito numerari solent, de quo, quo ad anni partes sententiæ discrepant; aliqui enim initium omnium rerum ad æquinoctiū vernum alligant, alij ad æquinoctium autumnale; & vtraque sententia multos habet sectatores. Huius Aeræ mundi conditi fundamentum solam habemus Scripturam sacram, in numerandis etiā annis sacris diuinitus inspiratam & infallibilem. Extenditur vsque ad annum mundi termillesimum, trecentesimum sexagesimum quo anno Hierosolyma à Nabuchodonosore deuastata, Chronologia Scripturæ exspirat, & supplementum sequentium sęculorum in numerandis annis ex prophanorum Scriptorum monumentis sumendum est, vsque ad libros Machabęorum, vt iam notauimus cap. 63. sectionis primæ huius libri tertij; demptis annis 72. Esdræ.

Aera Nabonassaris, est annorū initium, quod à Regis Nabonassaris regno sumitur. Licet tàm de ipso Nabonassare, quisnam ille fuerit, quam de anno, quo à mundo condito regnare cœpit, sit inter historicos & Chronologos controuersiā. Aliqui enim ex eo Salmanasarem, Assyriorum Regem faciunt: alij id negant, afferentes, Babyloniæ regem, Patrem Mar Acdempodi, ab Isaia Merodach Baladan dicti, Nabonassarem fuisse, qui ab eodem Isaia cap. 39. VI. Baladam vocatur. Nobilis est hęc Aera, vel huius Aeræ Epocha, & magno vsui Chronologis. Etsi enim tantùm apud Ptolomęum Astronomum inuenitur, & apud Censorinum, tamen beneficio huius Epochæ omnes aliæ, quęcumque sunt, quasi catena quadam connectuntur.

Aera Olympiadum est initium annorum, iuxta quos Gręci longo tempore seriem rerum gestorum in monumentis publicis perscribere consueuerunt. Ipsæ autem Olympiades fuerunt Epochæ quatuor annorum, dictæ ab ordinatio conuentu Gręcorum ad Elidem in

in Arcadia, super monte Olympo, qui semper celebrabatur post quartum annum in plenilunio, quod solstitio æstiuo proximum est, quo Græci annum suum incipiebant. Huius etiam Aeræ vsus, siue Olympiadum numeratio in Chronologicis magnum lumen est, de qua etiam discrepant sententiæ, in quẽ annum mundi inciderit illius initium.

Aera Romæ conditæ est initium annorum Lunarium cum Epactis, qui à primordio Vrbis cõditæ à Romanis numerari solebant; de quo similiter est difficultas, in quem annum mundi inciderit. Ad hanc Aeram referri possunt anni Consulum Romanorum, dum multi olim Historici, Romanam historiã scribere agressi, cum rebus gestis simul Magistratuum nomina, qui rebus gerendis præfuerant, digesserunt, vt videre est apud Polybium, Dionysium Halicarnasseum, T. Liuium, Cornel. Tacitum, Dionem Cassium, Ammianum Marcellinum, & alios.

Aera Septuaginta Hebdomadum Danielis, est initium quadringenta nonaginta annorum per septuaginta apud Danielem Hebdomadas intellectorum: de quo iterum est controuersia in quem annum mundi inciderit. Vide dicenda libro sequenti sectione contra Iudeos.

Aera Hispanica est, cuius primus annus sub Cęsare Augusto, 1. Ianuarij incipiens, fuit octauus annus ordinationis, siue emendationis Iulianæ, duobus cyclis lunaribus, hoc est, 38. annis antiquior Aera Christiana. Dicitur etiam *Aera Cæsaris*, vel *Augusti*, & per antonomasiam Aera Aetæ. Vsitatissima est in tomis Conciliorum, quia frequentissima Concilia habita fuerunt Toleti, & alibi in Hispania, imo etiam Carthagine, & in alijs Africæ locis, cum Vandali Africam occupassent, qui ex Hispania traducti, Aeram Hispanicam retinuerunt, qua omnia ad hosce annorum numeros sunt consignata.

Aera Christiana, siue Vulgaris, est initium annorum, quos Christianus orbis à nato Christo numerat, exordio à Calendis Ianuarij sumpto. Dicitur etiã Aera Dionysiana, à Dionysio exiguo, Abbate Romano, qui illam tempore Iustiniani introduxit. De connexione huius Aeræ cum omnibus alijs, vide Henricum Philippi in Introductione Chronologica.

Aera Indictionum est initium annorum, quos Romani numerabant in priuilegijs, & conuentionibus scriptis, ne tributorum soluendorum memoria laberetur. Ipsa autem Indictio est spatium 15. annorum, ad recipienda ab extraneis tributa constitutum, à 24. Septembris incipiens. Tandem Aera modernorum Imperatorum, est initium annorum, quos ab imperij sui initio numerant. Superesset iam agere de annis tam Solari, quam Lunari, eorumque intercalationibus, cuiusmodi sunt Bissextum, & Epactæ. Etsi enim defectus minutiarum quantitatem, propter diuersitatis paruitatem inueniri fortasse impossibile sit, tamen quo ad residuas anni solaris horas, & deficientes dies anni lunaris attinet, ne ex eorum neglectu insigne vitium temporis in computando consequeretur, duo potissimum remedia inuenta sunt, nempe *Bissextum* in anno Solari absoluẽdo, & *Epacta* in anno Lunari cum Solari exęquando. Item agendum esset de characteribus annorum, verum quia iam de illis superiori sectione, vbi de Chronologia, sermonem habuimus, ad Epochas transeundum est, quæ ex Aeris & Annis consequuntur.

Epochæ igitur sunt certa & determinata temporũ interualla, ab æris certis incipientia, & aliquo vsque, nempè ad certam aliquam, aut insignem mutationem rerum gestarum, per continuationem annorum perducta: quales v.g. sunt à mundo condito ad diluuium, à diluuio ad natiuitatem Abrahæ; ab hac natiuitate ad exitum Israëlitarum ex Aegypto. Qua ratione Epocha differt ab Aera, vt principiatum à principio, totum à parte; quia hoc significatu Aera est initium temporis numerandi; Epocha verò inter-tractus temporis numerati.

rati. Nobiliores autem Epochæ, in quas Chronologi res gestas ad annos mundi distribuunt, sunt sequentes.

Prima ab initio mundi conditi, vsque ad diluuium, continens in se annos 1657. completos. *Secunda* à Diluuio vsque ad natiuitatem Abrahæ. *Tertia* à natiuitate Abrahæ, vsque ad eius vocationem: *Quarta* à vocatione Abrahæ vsque ad exitum Israelitarum ex Aegypto. *Quinta* ab exitu Israelitarum ex Aegypto, vsque ad initium Templi Salomonis. *Sexta* à fundato templo, vsque ad obitum Salomonis, & distractionem regni. *Septima* ab obitu Salomonis, & distractione regni, vsque ad captiuitatem Babylonicam, in Iechoniæ Regis Iuda captiuitate incipientem. *Octaua* à captiuitate Babylonica, in Iechonia incipiente, ad eiusdem captiuitatis finem. *Nona* à soluta per Cyrum captiuitate Babylonica, vsque ad initiũ 70. hebdomadum Danielis. *Decima* ab initio 70. hebdomadum Danielis, vsque ad earumdem finẽ, quo natus est Christus, modo libro sequenti explicando, agendo contra Iudæos.

Hæ sunt nobiliores Epochę, ad quas distributio Chronologica attẽtissimè respicit, licet magna sit inter Chronologos sententiarum diuersitas, in assignandis annis mundi ad res gestas in historijs, siue quot annos vnaquęque Epocha contineat, & in quem præcisè annum mundi incidat. Cuius causæ plures sunt. *Prima*, diuersitas interpretationum quorumdam locorũ sacræ Scripturæ, dum alij eos aliter intelligunt, & numeros annorum inde diuersimodè computant, ex hoc enim non potest non sequi calculi, in supputandis annis mũdi, varietas. *Secunda causa* est diuersitas nominum, quibus Assyriorum, Persarum & Aegyptiorum principes, apud authores appellantur, v.g. dùm inquiritur an Salmanasar sit Nabonassar? Xerces Assuerus? & alia huiusmodi. Qui enim Chronologi sibi inuicem constare possunt, si errore ob diuersa nomina in Assyriorum & Persarum Regum personis commisso, ad eosdem rationem temporis in sacris & prophanis litteris exigunt. *Tertia causa* est indefinita passim annorum numeratio, non expresso, intelliganturne anni currentes, an completi & exacti: quæ determinationis omissio in collectione plurium annorum, calculum non raro notabiliter discriminat. *Quarta causa* est, quod Solis ac Lunæ cursus satis diu à multis Scriptoribus ignoratus fuit, in quo licet omnis antiquitas valdè se torserit, efficere tamen non potuit, vt certam annorum ac mensium rationẽ haberemus, sicut nec ipse annus Iulianus ad vnguem exactus est. *Quinta causa* est Aerarum diuersitas, dum Græci annos incipiebant ab æstiuo solstitio, Latini ab Hyberno, alij à Sectione Verna, Arabes ab ingressu Solis in Leonem, Chaldæi, Persæ, Indi, Aegyptij, Hebræi, ab Autumno: ex qua etiam diuersitate non exigua in Chronologia perplexitas introducta est. *Sexta* tandem causa esse potest, quod à multis dubitatur, an in Chronographia Scripturæ sacræ intelligantur anni Solares, an Lunares. Quo adhuc dato, & tanquam certo supposito, annos in Scriptura numeratos nostris fuisse pares, quomodocumque ipsos appellemus, Solares, an cum Epactis Lunares; nihil adhuc certi ex hoc demonstrari potest circa annorum Biblicorum calculum, nõ solùm ob indefinitam eorumdem annorum numerationem, non expresso, intelliganturne anni currentes, an completi, & exacti; verum etiam quia in computandis annis vitę Patriarcharum, aut regni alicuius Regis, non exprimitur, si incipiant numerari à primo die, vel mense anni Ciuilis; an verò à primo die regni, vel natiuitatis eorumdem. Cum tamen satis constet fuisse valde inter se diuersa eiusmodi annorum principia, non enim verisimile est Patriarchas omnes natos, ac mortuos fuisse primo die anni, & ab eodem incepisse reges omnes regnare. Quid mirum ergò si in assignandis mundi annis ad res gestas in historijs, tot sũt diuersæ Chrono-

nologorum sententiæ; sique tam difficile sit exactissimam temporum rationem reddere. Ideo nouitius Historiarum studiosus primo conatu non nimiū in hoc tricarum genere, scrupulis indulgere debet, nec statim omnia ad viuum resecare velle: sed lectio lectioni multa addet. Quid tamen in hac re probabilius tenendū sit, dixi cap. 63. sect. 1. huius libri, tomo 2.

Præter Chronologiæ cognitionem, necessaria est insuper Historico, vel historias legere volenti Geographia; est enim quasi memoria localis lectionis historicæ, si attendatur quid quolibet in loco sit factum, aut gestum v. g. in Europa, Asia, Africa, America, terra marique; in harum partium mundi subdiuisis regionibus, prouincijs, principatibus, v.g. in Europæ nationibus, regnis, Germania, Italia, Gallia, Hispania, & sic deinceps. Adeo vt harum orbis partium, nationum, Regnorum &c. situs ignorare, sit apertissima confusionis historicæ causa, quæ ingenium obtundit, memoriam perturbat. Deindè cum multæ res gestæ à subiectis locis, in quibus contigerunt, descriptæ apud authores inueniantur, vt prælia Cannense, Pharsalicum, Actiacum, nostris temporibus Helepanticum, quid sunt aliud eiusmodi epitheta, quàm intenti digiti ad Geographiam, vt oculos aperiamus, vbinam locorum eiusmodi res magnæ in orbe gestæ sunt. Tantùm de ratione legendi historiam; superest iam vt breuiter aliquid dicatur de ferendo de historijs iudicio; deque vtilitate, hoc est, de effectu & vsufructu illarū in genere.

Igitur quod pertinet ad ferendum de historijs iudicium. Primum obseruandum est, in historiarum lectione disparitatem circumstantiarum vnius & eiusdem historiæ, à diuersis descriptæ, lectorem terrere non debere, vt historiam talem protinus fabulam esse suspicetur. Plerumque enim facilis est memoriæ lapsus in referendis & describendis rerum aut personarum circumstantijs, quæ tamen substantiam facti non tollunt. Secundò, quo defæcatior est historicus affectu, eo dignior habenda est fide eius historia. Quare libentius aliqui Cæsari de Gallorum moribus scribenti, aut Tacito de Germanis, aut Polybio de Romanis, aut Ammiano de Francis, assentiuntur, cum peregrini essent, & eorum, de quibus scripserunt, antiquitates planè cognitas haberent. Tertio purissima à multis reputatur historia, quæ rerum gestarum recensione acquiescit, iudicium legentibus relinquit. Sed in vtramque partem disputatur, vtrum historicus laudare, vituperare, ac de re proposita sententiam ferre, an verò legentibus iudicium integrum relinquere debeat. Certè Iustus Lipsius affirmatiuam partem tenere videtur, dū eam esse legitimam historiam asserit, quæ tres notas habet, veritatem, Explanationem, Iudicium. *Explanatio* enim est, vt res scilicet non tantum fideliter narretur, sed disponatur etiam, atque exponatur: quomodo item, & quare, quidque gestum sit addatur. Vt videlicet non modo casus, euentusque rerum, sed ratio etiam, caussæque noscantur. Hęc si auferantur ab historia, quidquid in ea reliqui, id, Polybio Iudice, ludicrum magis erit, quam doctrina. *Iudicium* autem, vt discrimen, lumenque rebus adhibeatur. Nimirum hęc probet (sed breuiter, & quasi aliud agens) hæc damnet. Quod præcipuum munus Annalium ostendit reipsa Tacitus, ne virtutes sileantur; vtque prauis dictis, factisque ex posteritate & infamia sit metus. Sed tam de his, quam de alijs regulis ad explorandam fidem ac veritatem historicorum, vide Bibliothecam Selectam Possevini lib. 16. vbi etiam plures alios citat qui scripserunt de ratione condendæ historiæ; nunc ad eius commoda veniamus.

Quamplurima esse humanæ præsertim historiæ commoda, facilè probari posset innumeris propè Scriptorum testimonijs, Diodori Siculi statim in primordio operis, Ciceronis, Basilij Imperatoris libello quem inscripsit Κεφά-

κατὰ παράστασιν, S.Gregorij Nazianzeni ad Nicobolum, & aliorum; sed pro omnibus sufficiat ad præsens institutum illud D.Augustini lib.2. de doctr.Christ. cap.28. vbi Ethnicorum etiam historias ad intelligentiam Scripturæ sacræ plurimum conferre tradit, ostenditque ex earum ignoratione quosdam circa Scripturas errasse. Adeò vt rectè ab aliquibus historia fuerit appellata Theologorum manus sinistra, quæ dexteram multis modis adiuuat, non solùm quatenus maxima pars Bibliorum historica est, sed etiam quod historiam prophanã & Ecclesiasticam, ad sacram referendam, concernit. Qui enim Theologus Prophetarum vaticinijs explicandis sufficiat, si historias, complementa vaticiniorum nescit? Qui Danielis visiones interpretari, cognitione prophanorum Historicorum susque deque habita? Qui denique probare, Ecclesiæ per singula summa Imperia mirabilem propagationem, conseruationem, nec rarò miserabilem statum, doctrinæ in ea formam, iudicia, gubernationem, disciplinam & censuram Ecclesiasticam, rituum & exercitiorum consuetudinem; quin errorum & hæresium variarum ortum, progressum, manifestationem, & refutationem, annalibus temporum sepositis, & Historia Ecclesiastica à sæculis ad sæcula, neglecta aut ignota? Hæc est tamen differentia inter prophanam & Ecclesiasticam historiam, quod illa sit locus Theologicus dumtaxat extraneus; ista autem, si non proprius, saltem ex proprijs, quippè continens materias ad Theologum pertinentes, quatenus Theologus est, sicut sunt acta Conciliorum, & Pontificum Ecclesiæ traditiones, & hæreses contrariæ, contra quas in concilijs actum est, & sic de cæteris.



CAPVT II.

Quantum referat ad Sacræ doctrinæ studium Historia plantarum.

OMissa naturali historia substantiæ corporeæ non viuentis, de qua superiori sectione satis pro instituti nostri ratione; primum in hoc capite breuiter agemus de historia naturali plantarum, siue substantiæ vegetatiuæ, sub qua continentur omnia plantarum genera; in quibus describendis, cum tam veteres, quam moderni Botanologi non eamdem methodum obseruauerint; inde etiam non eadem apud omnes habetur huius historiæ diuisio, vel distributio. Theophrastus enim differentias caudicum, lignorum, corticum, radicum, medullarum, foliorum, florum, siliquarum, fructuum, seminum, succorum & similium expendit, sicque membra & partes ita separat ac seiungit, vt vnius alicuius plantæ forma nonnisi è pluribus & subindè separatis locis, colligi queat: quod cum stirpium studiosis non parùm tædij ac molestiæ adferat, minus idonea videtur aliquibus hæc methodus, historiæque plantarum distributio. Galenus, quem Oribasius, Aetius, Paulus Aegineta Græci, & Auicenna Arabs imitantur, stirpium historiam alphabeticorum elementorum ordine digestam scripsit. Sed dum hoc modo congeneres separantur; differentes verò non modo forma, sed & viribus coniunguntur, haud exquisitus esse potest talis ordo. Dioscorides autem stirpes membratim non diuidit, & consimiles coniungere laborauit. Huius exemplũ secutus est Rembertus Dodonæus in sua stirpium historia pemtadibus sex, libris verò triginta distincta. Quia tamen difficile est tot stirpium genera, ac species ad certas classes exactè reuocare: Pemptade I. nonnullas extra illas ordine tantùm alphabetico describit; ita tamen vt congeneres & affines ab inuicem haud quaquam sint diuulsæ, cum plus affinitati, vel

vel ſimilitudini tribuendum ſit, quam ordini ab elementis alphabeticis petito.

Pemtade II. agit de floribus, coronarijs, odoratis, ac vmbelliferis herbis. Florum autem cum multa inueniri poſſent genera, & ſpecies, ſi ſcrupuloſius ipſorum differentiæ expenderentur, eos primùm in hortenſes, ac ſylueſtres diſtinguit, deinde hos ſeparat ab illis qui ex bulbis exeunt: his enim tribus generibus facilè comprehenduntur illæ plantæ, quæ floribus ſuis præcipuè medicinæ conferunt, vel oculis voluptatem adferunt: atque idcircò ab ipſis floribus potiſſimam commendationem accipiūt. Deinde agit de odoratis & coronarijs herbis ſic appellatis, quia coronis & corollis addi ſæpe numero contingit; ſi modo odoris aliqua gratia ſint commendabiles. Vltimò circa vmbelliferas deſcribendas verſatur, quæ coronarijs odoratiſque herbis, haud perperam ſuccedunt. Vmbellas ſiquidem circinatæ rotunditatis, & coronarum inſtar proferunt: ſemina verò & nonnullarum odorata ſunt; vt aniſi, fęniculi &c. profluit ex alijs odoratus liquor; quarumdam etiam radices, inter odoramenta haberi poſſunt, vt Angelicæ, Aſtrantiæ.

Pemtade III. reliquarum herbarum, quæ ad medicamentorum materiam faciunt, hiſtoriam proſequitur, & primò illarum, quarum ad multa vtiles radices, & quę purgandi facultate pollent. Secundò agit de conuoluulis, & ijs quæ alijs innituntur ſtirpibus. Sunt enim inter has multæ vi purgatoria valdè efficaces; ſunt etiam & aliæ non tales; ſed quia in circumvoluendo, ſcandendoque ſimiles illis coniungendæ erant. Tertiò tractat de deleterijs ac pernicioſis herbis; prætérquamquod enim illarum notitia Medicis ſaltem eſt neceſſaria, ne per ignorantiam aliquam aſſumant; habent etiam ſuam quandoque vtilitatem. Paucæ enim ſunt tam pernicioſæ, quæ non aliqua ex parte, quandoq; & opportuno tempore ac loco prodeſſe queant: contemperatione, & modo adhibitis. Quartò & vltimo agit de filicibus, muſcis, ac fungis, etſi enim illa plurima parte pernicioſa homini non ſint, ſubindè tamen, vel nocent, vel humano generi incommoda, vel ſaltem parum vtilia exiſtunt. Horum autem cum plures ſint ſpecies, commune tamen filicibus omnibus eſt, vt & floribus, & ſemine deſtituantur. Deſiderantur eadem in fungis: in plurimis quoque, ſed non tamen in omnibus, quę inter muſcos referuntur idem contingit.

Poſt ſtirpium herbarumque ad medicam materiam potiſſimum facientium hiſtorias, Pemtade IV. & V. tractat de illis, quæ corpus alunt, ſuntque ex numero alimentorum, frugibus videlicet & oleribus. Frugum autem nomine cum pręcipuè intelligantur frumenta, & legumina, quę Latinis Cerealia ſemina, Gręcis autem σιτηρὰ καὶ δημήτρια σπέρματα appellantur, primùm agit de frumentis, & leguminibus. Secundò de graminibus & trifolijs. Tertiò de aquatilibus & paluſtribus herbis. Cum enim harum plurimę in pabulum cedant iumentorum, aliorumque quadrupedum, nulli alteri operis parti, commodius quā huic poterant coniungi.

Pemptade V. ſermonem inſtituit de oleribus, ſiue herbis edulibus, earum autem cum duplex potiſſimum ſit genus: nonnullæ enim totę, ac ſubindè ſolę edi poſſunt, vt Beta, Braſſica, Lactuca; alię verò nec ſolę, nec totę vt plurimū eduntur, ſed ciborum ac olerum aliorū condimento ſunt. Primùm agit de herbis, quæ totę ac ſubinde ſolę eduntur; additis interim alijs, quæ cognatione aliqua ipſis adhęrent, tametſi edules nō ſint. Secundò agit de cucumerarijs, & aliquot alijs herbaceis fructibus. Tertiò de eſculentis radicibus, ac eius generis bulbis. Quartò de oleraceis, quę ſolę & per ſe vt plurimum non eduntur, ſed cibarijs admiſcentur, vel vt ipſorum qualitates corrigant, ac in melius emendent, vel vt concoctionem promoueant, languentemque appetentiam excitent. Quinto tandem loco agit de carduis, quorum nonnulli non ſolùm ad multa ſunt

sunt vtiles medicamenta, sed etiam edules. Sicque absoluit stirpium earum historiam, quæ ad suffruticum, & herbarũ censum pertinent.

Pemtade tandem VI. & vltima fruticum arborumque historiam prosequitur. Primoque loco agit de fruticibus spinosis. Secundò de spinis carentibus. Tertiò de arboribus fructiferis, quarum tria sunt fastigia, vnum fructiferarum: alterum syluestrium: Tertium perpetua fronde virentium: fructiferæ enim hę omnes sunt; quamuis illæ solùm per antonomasiam fructiferę dici soleant, quarum fructus hominibus edules ac vtiles sunt,, quæ ἥμεροι, siue domesticæ, aut cultiuæ idcircò etiam appellantur, earumque variæ sunt species. Quædam enim fructus carne edules faciunt vt poma & pyra; aliæ nucleo, vt amygdala, & nuces: nonnullæ carne & nucleo, veluti mala persica, pruna, cerasa, & id generis alia.

Historia generalis plantarum duobus tomis in folio Lugduni vna cum figuris edita in libros XVIII. diuiditur: in quorum 1. agitur de arboribus sponte in syluis nascentibus. 2. de fructibus in dumetis & frutetis spontè nascentibus. 3. de arboribus quæ in viridarijs, & pomarijs coluntur. 4. de segetibus & leguminibus, & quæ cum ijs in agris nascuntur. 6. de oleribus & herbis in hortis nascentibus. 6. de plantis vmbelliferis. 7. de plantis flore placentibus. 8. de plantis odoratis. 9. de plantis in palustribus prouenientibus. 10. de plantis in asperis, saxosis, sabulosis, & apricis nascentibus. 11. de plantis in vmbrosis, vdis, vliginosis & pinguibus locis prouenientibus. 12. de plantis ad mare & in ipso mari nascentibus. 13. de plantis alijs innexis scandentibus. 14. de carduis, & alijs spinosis, aculeatisque plantis. 15. de plantis bulbosis, carnosis radicibus, & geniculatis. 16. de plantis catharticis. 17. de plantis venenatis. 18. de plantis peregrinis. Vbi vniuscuiusque plantæ forma, nomina, tempus locus, res, & vsus accuratè describuntur.

Porrò qui tam ex supradictis, quam alijs similibus Scriptoribus, perfectam numerisque omnibus absolutam plantarum historiam contexere vellet; primo loco, siue prima veluti operis parte posset agere de plantis in genere, siue de rebus ad plantas vniuersaliter pertinentibus; de vita plantarum; vltra enim essentiam & compositionẽ cum alijs elementatis communem, habent quod viuant sua vita vegetabili, in eaque sint præditæ tribus facultatibus alendi, crescendi, & simile producendi, siue generandi. De necessarijs generationi & cõseruationi plantarum; ad plantam enim educandam, quatuor concurrunt, semen determinatum, locus conueniens, aqua moderata, aer consimilis, quibus etiam quinto loco potest addi proportionarum tempus; nam experientia constat generaliter sata semina luna crescente robustiores plantas, & insipidiores generare; vt contra luna deficiente, tenuiores & acriores. Et si autem semen sit generationis plantarum omnium principiũ, cùm verissimum sit, singulis stirpibus aut semina inesse, aut quamdam vim propagandi, proindè ac semen; atque id est quod Genes. cap. 1. dicitur iuxta genus suum semen habere herbam virentem, vt explicabitur infra; non negandum tamen, alijs quoque modis, quam ex semine plantas enasci, veluti ex auulsione, & transplantatione, vel ex surculo; item propagatione vt in vineis, & tandem insitione, cuius quinque sunt genera; vnum sub cortice, quod videlicet resecta inter librum, & materiem arbore recipit semina; alterum in trunco, quod resecta, & fissa arbore recipit insertos surculos, quæ duo genera sunt verni temporis. Tertium fit emplastro, quod ipsas gemmas cum exiguo cortice in partem sui deliberatam recipit, quod est æstatis. Quartum genus fit, Gallica terebra vsque ad medullam arbore perforata, & plaga interius inclinata & mũdata omni scobe, vitem vel ramum succidum seu humidum immittendo, duabus gemmis exterius relictis, & musco

seu

seu argilla diligenter loco operto. Quintum genus est, ramo salicis brachij magnitudinis perforato, & planta persici omnibus ramis spoliata immissa, & salicis ramo infossa. De quibus omnibus vide Ruellium *lib. 1. de natura stirpium cap.* 19. & Ioannis Baptistæ Portæ Villę libros 12. *in quibus maiori ex parte, cum verus plantarum cultus, certaque insitionis ars, & prioribus sæculis non visos producendi fructus, via monstratur: tùm ad frugum, vini ac fructuum multiplicationem experimenta propè modum infinita exhibentur*, Francofurti 1592. in 4. Huc quoque pertinet prædium Rusticũ in quo cuiusuis soli vel culti, vel inculti, plantarum vocabula ac descriptiones, earumdem conseruandarum atque excolendarum instrumenta suo ordine describuntur Paris. 1554.

De partibus plantarum, quarũ alię principales seu primariæ, aliæ secundariæ, aliæ nouissimę. Primariæ, radix, caudex, caulis, rami, surculi, folia, fructus. Secundariæ, cortex, lignum, matrix seu medulla. Nouissimæ, humor, liquor, lachryma. Radix media est inter plantam, & alimentum, & vitę causa, quæ nascitur ex semine, vt plerumque. Hac hauriunt alimentum à terra, estque arboribus, quod est os in animalibus teste philosopho lib. 4. de part. animal. cap. 10. Radice idcircò læsa vel affecta tota arbor vel planta afficitur. Quippè quod ibi tota arboris substantia, vel succus, quem caudex vt oeconomus dispẽsat, à medulla enim intus existente, veluti per siphonam, trahitur succus, & in omnes partes transmittitur, postquam ibi veluti in vtero, facta fuit humorum decoctio, remittitur inde in folia & fructus, quo etiam deficiente humore desidunt, partesque senescunt. Radix, ab humore terræ, actione cęlestis caloris, generatur, quæ si longa & recta figura acuta, significat in illa esse materiam aquosam, aërem, subtilem, calorem fortem: si rotundę figurę denotat materiam mediocrem, fortem calorem, æqualiter ex omni parte trahẽtem; at quę est hinc inde diffusa demonstrat materiam viscosam, cum calore debili; dura autem, & sicca materiam crassam & terrestrem, humore vi caloris fortius coagulato. Porrò arbor quę magnas habet, & magis in longum propagatas radices, diuturnior esse dicitur, quę parum radicat contra. Quę omnia & similia essent diligenter inuestiganda. Item de coloribus plantarum, quibus omnibus communis est viriditas, quę fit ex humoris breui digestione calore facta, & idcircò Arist. lib. 2. de plantis tradit tandiù ibi viriditatem durare illam, quamdiu humor inibi est, qui de genere terræ est, eoque sublato nigrescere, vt apparet, inquit, in corticibus, quæ humore sublato denigrantur. Adueniente itaque vere tepido, prouocatur humor ad exteriora: hyeme repercutitur; æstate autem ideò pallent remanente sicco, & terreno, quod cum sit frigore, glaucum redditur, quia medium est inter nigrum, & viride, mixtione terrena. Quamobrem dicitur nunquam flores virides fieri, propter subtilitatem materiæ, in qua si prædominantes fuerint partes aqueæ cum igneis, erit color glaucus, vel pallidus, vel citrinus pro diuersitate mixtionis; si verò præualeãt partes igneæ cum aëreis, erit color roseus: sin autem aqueæ cum terrestribus, erit color violaceus. Quod si æquè pręualere possent partes igneæ cum terrestribus, posset etiam color fieri viridis vel niger; sed quia talem commixtionem, subtilitas & rarefactio materiæ florum non admittit, nec flores etiam fiunt virides.

De facultatibus plantarum, vbi per facultates non intelliguntur illę, quibus plantæ viuunt, virent, vegetantur, & in omnem dimensionem crescunt; flores, fructus, seminaque perficiunt: sed illæ, quibus actiones suas, & quidem in humano corpore exercent. Sunt autem hæ duplices. Quędam enim humanum corpus, aut aliquam eius partem alterant ac permutant: aliæ verò alimentũ prębent, ad nutricationem faciunt, & substantiam corporis augent. Huiuscemodi

modi facultatibus stirpes, vel earum partes prœditæ, tum & alia quæcumque, alimenta sunt, & dicuntur. Sed quæ corpus alterant, ad medicamenta pertinent. Ambarum rursus variæ sunt differentiæ; ex alimentis enim quædam sunt quæ in bonum, & laudabilem succum conuertuntur, in prauum alia; crassum nonnulla succum prębent: tenuem verò pleraque. Sunt item quæ cito, ac facilè concoquantur, & è contra quæ difficiliter, ac tardè; insuper flatulenta quædam sunt; alia minimè: tardè descendunt nonnulla: cito alia, & sic de cęteris. Quod spectat iam ad facultates medicamentorum; quædam primę sunt & dicuntur; alię secundę, quæ ad has sequuntur: quibus iterum succedunt tertię: posteriores quartę, quę à prioribus non pendent, sed solis experimentis cognoscuntur. Primæ facultates sunt, calefactiua, refrigeratiua, humectatiua, reficcatiua, & quæ per horum coniugationem nascuntur, calefactiuę, & humectatiuę; calefactiuę, & reficcatiuę; refrigeratiuę, & humectatiuę; refrigeratiuæ, & reficcatiuæ. Plantæ enim à suis primis facultatibus, vel qualitatibus calidæ, frigidæ, humidæ, siccæ dicuntur non vt apud Philosophos, sed ratione effectus, vt ait Galenus lib. 3. *de simpl. aliment. facultatibus*. Medici in censendis huiusmodi qualitatibus, vel facultatibus nempè calefaciendi, refrigerandi, humectandi, reficcandi, quatuor gradus constituunt, primum, secundum, tertiũ, quartũ; quos Galenus ἀριθμοὺς siue numeros vocat, alij τάξεις siue ordines. Ad primum gradum referuntur, siue primi gradus sunt, quęcumque à medio ac moderato tam exiguum declinant, vt non euidenter alterent, sed rationali quadam dèmonstratione indigent, qua alterare ostendantur. Quæ verò manifestè ac euidenter calefacere, refrigerare, humectare, aut reficcare possunt, nec demonstratione opus habent, ea secundo gradu, vel ordine censentur. Tertio autem annumerantur his potentiora, quę vehementius, nõ tamen summè, qualitatem suam exercent: quę enim summè ad quartum pertinent gradum. Ex illis ordinibus res dicuntur à medicis siccę, frigidę, vel humidæ, vel calidę in 1.2.3.4. gradu, vel in 1. frigidę, in 2. calidę &c. commiscendo hos gradus. Secundæ facultates dicuntur, quę primas nullius alterius interuentu consequuntur; ad illas referuntur, quæ emolliunt, indurant: rarefaciunt, condensant: aperiunt, constipant: attrahunt, repellunt: abstergunt, expurgant, attenuant, illinunt, obstruunt, incrassant, dolorem sedant, atque excitant. Tertię facultates non ex primis modo consistunt, sed & vlterius progrediendo, ex ijs quoque, quas ad secundas referri cõtingit, sic vt ex ambarum mixtura consequi videantur, veluti Sarcotica absque morsu desiccant, & astringunt; siccare quidem ad primas, adstringere verò ad secundas refertur. Sunt autem ex tertij generis facultatibus, quæcumque maturant, suppurant, carnem ingenerant, cõglutinant, cicatricem inducunt, callum gignunt, vrinam mouent, menses euocant, secundas & fætus excutiunt, tussim sedant, lac generant, genituram gignunt ac extingunt. Quartę tandem facultates à superioribus sunt valdè differentes ac dissimiles: non enim ex primarum qualitatum aliqua dependere videntur, vel secundis aut tertijs succedere; sed potius substantiæ, siue essentiæ proprietatem consequi. Vnde sola experientia deprehenduntur, neque alia ratione cognosci queunt, veluti quod magnes ferrum ad se pertrahat; attractumque retineat, atque idcircò occultę, latentes, & specificę appellantur facultates.

De modo cognoscendi prædicta plantarum temperamenta; tum per effectus, siue experientia; tum per sensus nimirum per tactum, per gustum, seu sapores, addi potest odor, & color, quanquam istis duobus postremis medici fidem parum adhibeant. Caliditatis existentis in plantis, siue temperamentum calidum demonstrant sequentes effe-

ctus, calefactio, subtiliatio, rarefactio, maturatio, digestio, apertio viarum corporis, & similia. Etsi superflua caliditas in 3. gradu, mordicatio, desiccatio & similia. Si in vltimo gradu, adest inflammatio, acuitas, attractio, superflua consumptio, & opera rubificationis, & cauterizationis. Frigidę complexionis effectus, indiciaque sunt infrigidatio, inspissatio, indigestio, compactio & similia: quod si superfluat, coarctatio, & opilatio: si vltimetur congelatio, & mortificatio. Humiditatis signa, humectatio, lubrificatio, lentificatio, conglutinatio: si superfluat, opilatio, ventositas: si vltimetur nausea, & similia. Siccam naturam hæc sequuntur, desiccatio, arefactio, attenuatio & similia propter consumptionem humidi. Qualitates per tactum sic dignoscuntur; molle, rei obedientiam significat, quod facilè corrigitur, passibile, alterabile. Durum contra; asperum siccius: lene humidius. Sapores autem, ex quibus de plantarum temperaméto & facultatibus certius iudicari potest, quam ex odoribus, vel coloribus, nouem sunt, tres calidi, acris, amarus & salsus: tres frigidi, acerbus, austerus seu stipticus, & acidus: tres veluti medij temperamenti, dulcis, vnctuosus, & insipidus. Recentiores nonnulli ex signaturis, siue signaculis, quæ Græci characterismos vocant, quæ subinde stirpibus, aut earum partibus à natura indita sunt de facultatibus quartis præsertim iudicium rectè fieri antumāt. Sic ex eo quod scrofulariæ herbæ nodosæ radices, extuberantia tubercula sint: idcircò aduersus scrofulas, id est glandularum duros tumores; qui quandoque in collo, alis aut inguinibus sentiuntur tam vtilis & efficax affirmatur, vt etiam vel gestata solum prodesse queat; & sic de alijs; huiusmodi tamen signaturis non multum fidendum, nisi experientia adstipuletur, cum videamus multas eiusdem signaturæ plantas, nihil tamen conferre vni & eidem infirmitati. Vide Ioannis Baptistæ Portæ *Phytognomonicon lib.8. facili methodo tradentis, vt plantarum, animalium, metallorum, rerumque denique omnium facultates ex prima extima faciei inspectione cognoscantur, tum ad hæc confirmanda varia secreta.*

De plantarum degeneratione: dum à propria virtute deficiunt, vt non sufficiant ad propriam speciem producendā, & proindè ad alterius affinis plantæ generationem, ne otiosa natura sit, descendunt, vel si superabundet vis, in aliud quoque transeunt. Inopia alimenti in inferiores species maiores transeunt: abundantia contra in superiores. Vide Theophrastum *lib.4. de caus. plant. cap.6.* De morbis plantarum, scabie, radicatione, syderatione, vermiculatione, ęrugine & alijs de quibus idem Theophrastus lib.5. tandem de earum senectute, & interitu. Citò senescunt, quę non agunt profundas radices: quæque citò prouenìunt, vt ficus, persica & huiusmodi. His omnibus, & alijs similiter in genere, diligenter examinatis suis distinctis libris, vel tractatibus; secundo loco, siue secunda operis parte, facta diuisione plantarum per suprema veluti genera, de vnaquaque agendum est; describendo in particulari earum formas, nomina, tempus, locum, vires & vsum.

Prima autem ac summa stirpium, seu plantarum genera quatuor sunt Arbor, Frutex, Suffrutex, & Herba. *Arbor* est planta ramosa surculosa, cum caudice simplici, quæ altius è terra surgit. *Frutex* est planta ramosa assurgens caudice multiplici à radice, quales arundo, hedera, &c. *Suffrutex* est planta, quæ ab radice, caudice multiplici, ramosoque se attollit, vt rubus. *Herba* est planta quæ foliata, sine caudice quidem, sed cum caule crescit, semen caule ferens, aut surculis. Sub istis quatuor primis, ac veluti supremis plantarum generibus continentur innumeræ illarum species, quæ vt per ordinem ad diuersa multipliciter diuidi possunt; multiplici etiam illarum indice prædictum opus ornandū esset. Ita vt primo loco poneretur index topographicus plantarum vbique nascentium, tum vnicuique regioni pro-

pria-

priarum. Secundò index plantarum à qualitate siue conuenientia soli; quedã enim colles, aliæ iuga montium, aliæ syluas amant, aliæ culta, aliç calida, aliç frigida, aliæ sicca, aliæ humida; & sic de cæteris. Tertiò index à primarum qualitatum, tum saporum, odorum, & colorum diuersitate vnicuique plantæ inexistente; & sic de alijs pluribus, prout in plantis variæ sunt accidentales differentiæ; V. g. index plantarum à Diuis Sanctisque nomen habentium.

Iam quantùm referat ad sacræ doctrinę studium pro intelligẽtia Scripturæ, perfecta plantarum notitia, satis patet ex hoc, quod nulla ferè sit, cuius in sacrijs biblijs nomen & effectus non interserantur, ac comparationes ex ijs desumantur. Cum enim stirpes aliæ alijs rebus adhiberi soleant, ac nonnullæ alimenti vsum præbeant, aliæ medicamẽti, pleræque vtrumque, nonnullæ noxię sint ac naturæ infestæ, aliæ salutares, morbisque expugnandis accommodæ: ex ijs Prophetæ appositissimas similitudines, scitasque, & concinnas mutuant comparationes, quibus conciones exornant, ac fidem narrationi instruunt. De quibus vide Leuinum Lemnium in opusculo cui titulus; *Similitudinum ac parabolarum, quæ in biblijs ex herbis atque arboribus desumuntur, dilucida explicatio per 50. capita: in qua narratione singula loca explanantur, quibus prophetæ, obseruata stirpium natura, conciones suas illustrant, diuinaque oracula fulciunt*. Item Hierologiam Ludouici Ballestri *lib. 3. de substantia vegetatiua*.

Ad illustrandum verò illud Genes. cap. 1. *Germinet terra herbam virentem, & facientem semen, & lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum, cuius semen in semetipso sit super terram. Et factum est ita. Et protulit terra herbam virentem, & facientem semen iuxta genus suum lignumque faciens fructum, & habens vnumquodque sementem secundum speciem suam*. Ad illustrandum, inquam, hunc locum, vbi primam stirpium originem habemus, quam ignorasse Aristotelem Iustinus Martyr in euersione falsorum dogmatum eius, demonstrat; I. inquiri potest, an ad primam illam herbarum & arborum generationem; concurrerit terra tantùm passiuè, an etiã actiuè, virtute tamen à Deo supernaturaliter accepta; hoc posterius Caietano & Burgensi videtur probabilius: nam hoc, inquiunt, denotant verba illa Mosis, *Protulit terra*; sed hoc pernegant alij Tostatus, Pererius, Cornelius à Lapide asserentes terram germinasse herbam nõ actiuè producendo, sed materiam tantùm ministrando, nam cap. 2. dicitur Deus produxisse ex humo omne lignũ; vndè illud *protulit terra*, non aliud significat, quàm materialem terræ causalitatem & concursum ad generationẽ plantarum; sicut fæmina, quę secundum Aristotelem tantùm passiuè, ac materialiter concurrit ad generationem hominis, dicitur tamen hominem generare, & procreare. II. Inquiri potest, num singulæ plantæ ad conseruationem speciei semen habeant; aliquę enim enumerantur, quæ illo carere creduntur, vt dictamen, gramen, menta &c. sed rectè Basilius lib. Hexamer. homil. 5. respondet, complura nascentium è terra vim seminum in ipsa propagine, & radicibus obtinere, quemadmodum arundo, post annuum incremẽtum ex radicibus, quãdam appendicem elicit, seminis rationem ad ortum futurũ obtinentem: idem & innumera alia faciunt, quæ per imum vagantia, in ipsis radicibus suam sobolẽ habent. Quare verissimum esse, singulis stirpibus aut semen inesse, aut quamdam vim propagandi perinde ac semen. Atque id est, quod loco statim citato Genes. dicitur, iuxta genus suum semen habere herbam virentem.

III. Quæri potest, vtrum in exordio mundi rosa sine spinis generata sit, item herbæ venenatę: primùm enim affirmant Basilius homil. 5. Hexamer. S. Ambros. lib. 3. Hexam. cap. 11. posterius verò Beda, Rupertus, Rabanus, & Alcuinus; vtrumque D. Augustinus lib. 1. de Genes. contra Manichæos cap. 13.

Contrarium tamen verius est, die tertio terram quoque produxisse herbas venenatas, item rosam cũ spinis: Deus enim tales condidit res, quales sunt secundũ naturam suam: nec peccatum Adæ mutauit proprietates rerum atque conditiones. Rosam verò nasci inter spinas naturalem rosæ constitutionem, atque generationem consequitur; quare ante peccatum Adę erant spinæ, & tribuli, & herbę venenatę: verùm non fuissent ei in pęnam si non peccasset: & terra quam ipse victus causa coluisset, nihil infructuosum, nedum perniciosum ei protulisset. Deinde licet herbæ venenatę esu quidem sint noxiæ hominibus, prosunt tamen plurimum medicinę causa; & vtilia sunt alijs animalibus, quæ sunt propter hominem, vt Basilius & Ambrosius locis citatis, clarissimis confirmant exẽplis. Quare Augustinus quod lib. 1. aduersus Manichęos senserat, postea maturius, & accuratius perscrutatus retractauit & emendauit in lib. 3. de Genesi ad litteram cap. 18. vbi quam nos tradimus sententiam, censet probabiliorem. Ad quam comprobandam adijci potest, istiusmodi rerum species facere ad mundi consummationem, & absolutionem: Deus autem ante peccatum Adę per sex creationis dies, omnes omninò rerum species produxit, fecitque vniuersum perfectum: nec post hos sex dies vllam nouam speciem creauit. Vnde Genes. cap. 2. dicitur Deus sex diebus creasse omne virgultum agri, & die septimo quieuisse. Eorum porrò inscitiam, vel vt dicam propriè insaniam, qui quarum rerum ipsi vsum ignorant, eas prorsus inutiliter & superuacuè conditas censent, Augustinus lib. 1. de Genesi contra Manichęos cap. 16. eleganti quadam similitudine confutat.



CAPVT III.

Quantum referat ad Sacræ Doctrinæ studium Historia Animalium.

QVod de plantis superiori capite diximus ad completam illarum historiam, idem proportionaliter de animalibus asseri potest, primùm igitur pro historia animalium colligenda sunt illa, quæ ad eorum naturam in cõmuni spectant, deinde singulorum in particulari. Quia autem omne animale corpus habet tria, essentiam, vitam plantæ, qua generatum crescit, & vegetatur, & animalem seu sensualem vitam qua mouetur: sic Aristoteles lib. 1. de plantis c. 1. docet virtutes omnes, quę sunt in plantis, in animalibus reperiri, & multas insuper alias, quę tamen vicissim in plantis non inueniuntur: quia opus animalis nobilius, distinctumque à plantis, quod sensibus ornetur, non autem plantę, indeque idem author dixit animalia animam habere sensualem; proinde animal est, quod constat anima sensuali, & corpore, siue quod in idem recidit, animal, est substantia animata sensitiua; quia, inquam, omnis talis substantia, vel natura, tam ea, quę ad vitam plantę, siue vegetatiuam, quam quę ad sensitiuam pertinent, amplectitur, primùm considerari debent animalia vt generantur, vel generatione animali, seu seminali, vel ex corruptione, vel vnius speciei veluti in aliam transmutatione. Animalia quæ ex semine nascuntur, vel sunt ex viuiparis, vel ex ouiparis, vel ex vermibus vt notat Aelianus lib. 2. hist. animal. cap. 52. viuos fætus præter hominem pariunt animalia quæ pilis induuntur: & ex marinis, delphinus: Echinus tamen & Hystrix cutis pellitę loco aculeis armantur; nam Philosophus lib. 3. de vsu part. cap. 2. huiusmodi animantium aculeos pilorum quoddam genus esse affirmat. Verum viuiparorum alia perfecta, alia imperfecta animalia pariunt; Solipedes, & bisulcę animantes perfectum, mul-

multifidæ, seu digitatæ complures, imperfectũ: quia solipedes & bisulcæ singulos pariunt, ideo catulos pariunt, vt vulpes, vrsæ, Leæna, & aliæ nonnullæ, & omnes fere cæcos; sola autem inter multiparas sus parit perfectos, vt docet Aristoteles lib.4. de generat. animal.c.6. Alia porro animalia oua gignunt, ex quibus mox edunt animalia, vt aues, serpentes, excepta vipera, lacertæ, testudines, pisces, qui imperfecta tamen producunt oua; vt autem viuipara pilis integuntur, ita ouiparorum alia cute, seu membranaceo corio, alia cortice, seu cute testacea, vel squamæ simili muniuntur. At exanguia & insecta, vermiculum pariunt; vt ait Aristoteles lib. 2. de generat. Animalium cap.1. tantum de animalibus quæ ex semine nascuntur, nunc de animalibus ex corruptione vel putrefactione editis.

Quia omnia sublunaria putrefactioni obnoxia sunt, & corruptio vnius, est generationis alterius principium: idcirco nihil fere in rerum natura sub hoc sublunari habitaculo, quod aliquod animal ex putrefactione sui non producat. Ex limo itaque & materia putrescente, ex stirpibus, animalibus tam viuis, quam mortuis alia videmus animalia generari. Notat tamen Philosophus lib. 5. de historia animalium capite, eiusmodi animalia ex putri genita materia, si vel in animali, vel in stirpe, vel in eorum partibus producantur, eademque maris & fæminæ sexu distincta sint, ijs coeuntibus gigni quidem aliquid, sed ex quo nihil amplius gigni possit; vt coitu pediculorum lendes procreantur, ex quibus nullum aliud animal generatur. Tãdem quia multa sunt animalia quæ suã veluti permutant speciem, ita etiam nasci & generari noua videntur; vt vermiculus limacis, detractus à cortice expirat, & transit in erucam immobilem, quam vocat Aristoteles χρύσαλιν. Caprificus primùm suis pomis generat vermiculos, qui rupta cute postea generãt culices ficarios; de quibus & alijs, Arist. lib. 5. histor. animal. cap. 19. Ad hanc quoque generationis animalium materiam præter adductos diuersos illius modos pertinent illa quæ passim docent Philosophi de eiusdem loco, tẽpore & alijs circumstantijs.

Secundo loco considerari debent animalia in communi vt nutriuntur; tertio vt augentur; quarto vt sentiunt, pluresque vel pauciores habent potentias sensitiuas tàm internas, quàm externas; quinto vt mouentur; sexto vt respirant; septimo vt dormiunt & vigilant; octauo quoad longitudinem & breuitatem vitæ; nono denique pro vt varias habent partes præsertim organicas.

Pro secunda historiæ animaliũ parte colligenda sunt illa, quæ pertinent ad vniuscuiusque animalis naturam & proprietates in particulari, adducta prius generali aliqua animalium diuisione, quæ multiplex esse potest; quam enim difficile est, imo impossibile essentialem illorum habere diuisionem ob incognitam nobis essentialem animalium inter se differentiam, tam facile est plures accidentales in medium proferre. Primũ enim Aristoteles lib.1. de histor.animal. cap.1. & Galenus lib. 17. de vsu partium cap. 2. distingunt animalia per mores, per vitas, per actiones; quæ obseruant Plinius in libris 8. 9. 10. & 11. Aelianus in lib. 17. de animalibus, & Plutarchus lib. an bruta ratione vtantur. Ab alijs, sacris præsertim authoribus, omnium animantium naturæ in quatuor genera summa diuiduntur: ea sunt בהמה Behema, siue חיה Chaia, quod animal dicunt Latini: Alterum עוף Oph, quod volatile dicimus: Tertium רמש Rames, quod calcatile: Quartum שרץ Seres, quod motabile vertere possumus. Ad primum genus omnia quadrupedia referunt; ad secundum pennatorum omnes species; ad tertium verò minorum animantium & humilium, quæ quatuor quidem pedibus mouentur, & terram calcant, sed eam proximè contingunt, vt mures, ranæ, bufones; quarti autem generis illa sunt, quæ vel quaternis, vel pluribus etiam pedibus, rependo tamen

magis

magis quàm caleando progrediuntur, in qua definitione serpentes, viperæ, lacerti, stelliones, & omnes in vniuersum bestiolarũ, & vermiũ formæ continentur.

Tertiò distingunt aliqui animantia in gradientia, reptilia, natantia & volantia: ita vt gradientium alia sint bipeda, alia quadrupeda, alia multipeda. Bipeda vt homo; & hic præstantissimum omnium animalium & verè solum dictum, ob perfectam formam animal, vt ait Galenus lib. 17. de vsu part. cap. 2.

Pronaque cum spectent animantia cætera terram,
Os homini sublime dedit, cælumque videre
Iussit, & erectos ad sydera tollere vultus: Ouid. 1. Metamor.

Quadrupedum autem quæ Græci τετράποδα, Aristoteles etiam πέζα nuncuparunt, tria sunt veluti suprema genera, vnum ἀσχιδὲς, id est non scissum, integris nempe pedibus, ideoque μονώνυχον, siue μόνυχον dictum, Euripidi etiam μονόχηλον, quasi vna tantum præditum vngula, seu simplices aut indiuiduas vngulas habens, Plinius Solipedem, Theodorus Gaza Solipodem vocat: huiusmodi sunt Equus, Asinus, Mulus, Zebra Indica, Monoceros, Elephas, Solipes potius si pedes spectes quam digitatus: etsi enim vngula eius in digitos videatur efformari, hi tamen indiuisi sunt; quamuis aliqui inter digitata illum reponant. Alterum quadrupedum genus est, quorum pedes binis fissuris vtrimque, hoc est, à parte priore, & posteriore deducuntur, vnde Bisulca Latini, διχηλά Græci vocauerunt, qualia Chelas Aristoteles siue forcipes pro vngulis habere dixit: hoc etiam quadrupedum genus vngulam propriè diuidere in sacris Biblijs legimus: namlicet multifida, vt lepus, canis, Leo & id genus alia pedes in digitos habeant scissos, non dicuntur tamen vngulam diuidere, quin ne camelus quidem secundum aliquos, quem alioqui Aristoteles inter Bisulca recensuit, quoniam non eo quo boues, oues & capræ, modo, vngulæ eius diuiduntur. Porro Bisulcorum duo sunt alia genera, armatum cornibus vnum, cornibus carens alterũ. Cornigera omnia ruminant: ex nõ Cornutis solus camelus. Est autem ruminare degluritum semel papulum, mox ad os regurgitare, quod Apuleius rumigare vocauit, Plinius & Quintilianus remandere, græci μηρυκάζειν, vel μηρυκᾶν παρὰ τὸ μηρύειν, quod est reuolare, vndè & Latini nonnulli ruminationem non à loco, ad quem cibus reuoluitur, sed à quo sursum ad os repellitur, dixisse videntur, nimirum, rumine, quod vt ait Festus, locus est in ventre quo cibus demittitur, & vnde redditur. Quæ autem ex Bisulcorum omnium animaliũ genere percipiuntur, maxima profectò ac plurima sunt emolumenta. Præterquam enim quod omnia, quæ ad sustinendam vitam hominis sunt necessaria, subministrant, carnem videlicet ad cibum, lac ad potum, lanam & corium ad corporis tegumentum, nostros insuper labores etiam in excolendis agris, tum in quolibet ferendo trahendoque onere, si quæ alia adiuuant.

Tertium Quadrupedum genus vocatur πολυσχιδὲς & πολυδάκτυλον, quasi multifidum, & multipliciter digitatum, quoniam huius tertij generis animantium pedes ad instar manuum humanarum sunt multifidi. Propterea anteriores horum pedes, non solum gradiendi munere, sed etiam quandoque manuum officio funguntur; nam huiusmodi animantia anterioribus, sicut solipeda posterioribus pedibus se defendunt. Quæ anterioribus cibum ori admouent, Galenus omnia ferè carniuora esse putat, & ex rapto viuere, cætera herbiuora. Cuniculi tamen & lepores herbis victitant. Pariunt alia viuum animal Græcis Ζωοτόκα, nempe Viuipara, alia oua, vnde ᾠοτόκα, nempe ouipara nominantur. Ouipara autem etsi totidem habeant, quot Viuipara sensus, ingenio tamen constat esse hebetiore: quare pleraque eorum in terræ hiatibus degere natura voluit, vt lacertos, vel aqua abdi,

di, vt Crocodilum, vel alijs locis, longe ab humano consortio remotis, vt terrestrem testudinem. Quia autem Viuiparorum Polidactilorum alia sunt magna, vt tigrides, alia parua, vt mures, alia domestica vt canes, alia syluestria, vt taxi, alia nocua vt vrsi, alia innocui vt cuniculi, alia generosa vt Leones, alia insidiosa vt lupi, alia astuta vt vulpes, alia calliditatis expertia vt lepores, sunt qui tam numerosam huiusmodi animãtium cateruam, & tot & tam varijs dotibus insignitam in tria veluti genera distribuant, nimirum in fera, semifera & domestica. Tandem ouipara etiam ratione exuuiarum distinguntur, cum alia cute, seu membranaceo corio, alia cortice, seu cute testacea ad aëris euitandam iniuriam tegantur. Tantùm de Quadrupedibus, nunc ad multipeda.

Animalia multipeda sunt illa quæ plures pedes quam quatuor habent ex natura sua, vt sunt omnia ferè insectorũ genera, quæ carent sanguine, vt musca, aranei, & alia de quibus infra: hęc enim insecta, quia carent sanguine, multum frigida sunt, ideò tardiora & egenria pluribus pedibus, vt docet Philosophus lib. 4. de part. animal. cap. 6. sicuti & ea quæ propter sui corporis longitudinem frigent, vt iulis vermibus accidit, qui plures pedes habent, nempe quadraginta quatuor, habent & cancri & erucæ, & alia plures. Notandum tamen hoc in omnibus gressilibus pares à Deo datos singulis pedes, nunquam impares: cum enim ex Philosopho in Problem. sect. 10 ob necessitatem subiectionis corporis, concessi fuerint pedes animalibus, & nõ possit animal prosilire, nisi aliqua sui corporis parte consistat, totidem mouetur, quot quiescit, & contra; sic in bipedibus, vnus pes mouetur, alius quiescit; in quadrupedibus, duo. Hactenus de primo genere animalium gradientiũ, eorumque differentijs.

Secundo loco sunt animalia repentia, quæ scilicet corporis contractione, & extensione incuruantur & mouentur anterius; cum autem id fieri possit tribus modis, vel vt trahant se vi oris sicut vermes, vel vi costarum & ventris sicut serpentes, vel denique pedibus vt lacertæ & stelliones, qui licet pedes habeant, quia tamen exiguos, & parum se attollunt humo, magnamque partem corporis dum mouentur applicant terræ, idcirco inter animalia repentia connumerantur: Horum omnium cùm variæ sint species viginti enim quinque refert Pererius lib. 11. in Genesim; de serpentibus tantum dicam, duo esse veluti suprema illorum genera, vnum serpentum vulgò dictorum pedibus carentium, alterum Draconum pedes & alas habentium, licet authores hæc nomina Draconum & Serpentum sæpè sæpius confundere videantur; Rursus serpentum plura sunt discrimina, cum inter se paruitate & magnitudine, colore, loco, odore, noxa, & tandem aspectu, alijsque accidentibus dissideant: Draconum pariter alij sunt, qui pedes dumtaxat habent, alij qui pedes simul & alas; de quibus omnibus vide Vlyssem Aldrouandum inferius à nobis citandum.

Etsi sub appellatione reptilium, possent quoque contineri pisces, qui contractione quadam corporis vi pinnularum & caudæ, natant & reptant; vnde etiam Latinus interpres Genes. 1. pisces appellauit reptilia, secutus Septuaginta Interpretes, qui Græcè verterunt τὰ ἑρπετά, hoc est Latinè reptilia: Etsi, inquam, ita res se habeat, hęc tamen animalia facilioris intellectus causa natantia, vel etiam aquatilia nuncupantur, cõstituuntque tertium diuisionis superius adductæ segmentum. Primum igitur Aquatilium siue natantium animalium, alia exanguia sunt, alia sanguinea; verũ cum de exanguibus inferius sub alia diuisione acturi simus, nunc superest vt de sanguineis breuiter aliquid attingamus, ijsque tantum, quæ nullibi fine humore degere possunt, vel exiguas saltem in sicco moras trahere. Sunt enim nonnulla, quæ licet in fluido degant, & victum quoque indè comparent, cum, in siccum tamen exeant, & in terra, terre-

restrium more pariãt, amphybia potius, quam simpliciter aquatilia sunt dicenda, sicuti ex quadrupedibus lutra, fiber, Crocodilus, ex serpentibus natrix &c. Aquatilium igitur sanguineorum, quæ verè aquatilia sunt, natantiaque dumtaxat, duo sunt veluti suprema genera, vnum cui natura, quas nullis alijs branchias; alterum cui pulmones tribuit, idque ratione recta, nam vt branchiatis ob sanguinis paucitatem frigidiusculis sola aqua ad refrigerationem sufficit, ita quibus pulmo est, ob eiusdem abundantiam calidioribus aërem trahere, aliorumque sanguineorum more spirare par est: atque hinc est quod illa vbi volunt, diutissimas sub aqua moras trahere possunt, sine vllo suffocationis periculo, hęc vero sicuti & vniuersa alia spiritali hoc viscere prædita, si quis cogat diutius, quàm res postulat, sub aqua manere (vt cum retibus capta vi retinentur) suffocantur atque exanimantur, quippe quæ facultatem spirandi deperdunt; nec aliam ob causam fluctuantia interdum videntur, & erecto capite dormientia, quam ob spirationis commoditatem: secundum hoc genus Aristoteles Cete, primũ verò quia in maiori copia, voce cum exanguibus etiam communi ἰχθῦς id est pisces appellauit; vtriusque generis sunt iterum quamplurimæ differentiæ.

Et Incipiendo à piscibus duæ sunt præcipuæ: à corporis tegumento vna: à loco quo degunt, altera. Teguntur enim ex Aristotele lib. 2. histor. animal. cap. 13. vel squamis, qui plurimi, vel cute, haecque vel aspera qui pauci, vel læui qui paucissimi; locus vero eorum conueniens ac commodus, aptaque habitatio & proprium velut elementum aqua est; vnde etiam cum aqua piscibus destinata vel salsa sit, vt marina; vel dulcis, vt fluuiatilis, vt lacustris; ab illa θαλαττίους id est marinos, ab hac quosdam ποταμίους id est fluuiatiles, quosdam λιμναίους lacustres Græci vocauerunt: quibus præterea annumerandi sũt, qui vitam viuunt quodammodo ambiguam, quorum rursus alios appellare liceret ποταμοθαλαττίους, quod flumina æque ac mare incolant (quorum duo genera vnum Gręcis ἀνάδρομον dictum, quod relicto mari dulces fluuiorum aquas subit: alterum quod ex dulcibus aquis ad mare descendit, eamque ob causam κατάδρομον dici potest, alios verò λιμνοποταμίους, quod flumina simul atque lacus frequentent. Sed iterum Piscium Marinorum Græci alios quod in alto mari degãt πελαγίους, alios πετραίους siue saxatiles, alios denique αἰγιαλώδεις id est littoreos, siue littorales, Aristoteles aliquando etiam προσγείους quasi terræ proximos nominarunt. Saxatilium autem duo sunt genera; vnum quod in saxosis tantum promontorijs, & vbi saxa sunt, nascitur, vitamque omnem traducit, nunquam vel locum vel alimentum mutans; ideoque teste Galeno lib. 3. de Aliment. facult. semper extra omnem culpam: alterum quod licet iuxta saxa perlubenter obseruetur, nihilominus modo huc, modo illuc per mare vagatur, succi bonitate, & præstantia non parum inferius. Tantum de primo genere piscium; nunc de altero, quod cetorum esse ex Aristotele adnotauimus, qui à piscibus vulgò dictis non mole duntaxat, siue corporis magnitudine differunt; nam sunt & pisces grandissimi, & cetis aliquot multo maiores, ideoque cetacei, Græcè κητώδεις ἰχθῦς appellati; verum quia propriè dicatum respirationi organum habẽt, pulmonem inquam, arteriamque & collum, multasque partes alias cũ terrenis quadrupedibus communes, quibus piscium vulgò dictorum genus omne caret, renes videlicet, vesicam, testes, penem, mammas, ossa. Huiusmodi sunt balęna, physeter, pristis, siue serra, orca, delphinus, phocæna, siue tursion, scolopendra, phocas, siue vitulus marinus, manate Indorum, & alij huiusmodi.

Quartum & vltimum animantium genus, est volantium, siue eorum quæ alas habent; quia autem volantium alia pennatas habent alas, vt aues, alia vero sine

sine pennis vt vespertiliones, muscæ, & id genus alia similia; volant enim pennis aut cute quæ habent sanguinem: membranis verò siccis, quæ sanguine carent, vt insecta; tantùm hic agimus de volantibus pennatas alas habentibus, siue de auibus; quæ in tres veluti classes distribui possunt; ita vt ad primam pertineant rapaces, siue omne id genus auiũ, quod aduncis est vnguibus, carnibusque vt plurimum (quandoque enim etiam glande & pomo) victitat. Carniuora autem istæc cum quædam diurna, quędam nocturna habeantur, primi generis sunt Aquilæ, vultures, accipitres, falcones, milui, coruini generis aues, Psittaci, & alij qui rostrum habent curuum & pedes aduncos: Secundi vero bubo, Asco, siue otus, aluco, vlula, noctua, strix, caprimulgus &c. Ad secundam classem reduci debent aues terrestres, ita appellatæ quod neque in aqua, nec circa eam degant; quarum triplex potissimum genus est, graniuorum scilicet, bacciuorum, & vermiuorum; sed cum rursus graniuori aliæ pulueratrices sint, aliæ lotrices, aliæ pulueratrices & lotrices simul ex Philosopho lib. 9. histor. animal. cap. 59. ad primam speciem pertinent pauones, galli indici, phasiani, perdices, gallinæ cùm villaticæ, tùm Africanæ; ad secundam & tertiam columbi, turtures, passeres alijque similes; inter aues autem bacciuoras primũ obtinent locum turdus & merula; Vermiuoræ verò sic appellatæ, quia vermibus potissimum aluntur, sunt regulus, hirundines, pari, vpupa motacilla &c. sunt qui tribus supradictis generibus quartum addant auium canorarum, quæ videlicet deliciarum tantum causa in caueis aluntur; quod tamen non ita intelligendum est, ac si proprium quoddam genus à reliquis omnibus alijs auibus diuersum constituant. Quasdam enim quæ granis vescuntur graniuoris accenseri posse, alias quæ vermibus inter vermiuoras locum habere, nonnullas denique alijs de causis alicui alio ex iam cõmemoris generibus annumerari posse satis ex se constat; verum quia huiusmodi argutæ auiculæ hoc præter cæteras peculiare habent, vt cantus sui tantùm gratia, quo inter reliquas volucres celebres & insignes existunt, educari cõsueuerint, eam ob rem merito ab alijs distingui solent; huiusmodi sunt luscinia, carduel, spinus seu ligurinus, fringilla, alaada &c. In tertia tandem & vltima classe reponuntur aues aquaticæ, quæ vel in aqua, vel circa eam degunt: vnde etiam duplex illarum genus, vnum scilicet in aquis degentium, quæ στεγανόποδες, id est palmipedes vocantur, vt cigni, anseres, anates; alterum propè aquas obuersantium, has tamen non intrantium, vel si intrant non natant, vt potè fissipedes, atque adeò ad natandum ineptæ, cuiusmodi sunt ciconiæ, ardeæ, grues, gallinagines, & id genus aliæ. Tantùm de quadruplici animalium diuisione in gradientia, repentia, natantia & volantia.

At quia alijs etiam modis animalia distinguntur: vt quędam exanguia, quędam sanguinem habentia: alia perfecta, alia imperfecta & annulata, quæ insecta dicuntur, quorũ corpora incisuris præcinguntur, aut parte tantùm prona aut supina, quæ omnia potissimum sanguine carent: cùm inquam res ita se habeat, & huc vsque tantum egerimus de animalibus sanguineis, superest vt aliquid breuiter dicamus de exanguibus; quorum quatuor genera constituit Aristoteles lib. 1. histor. cap. 4. Molle siue Malachium, Crustatum, Testatum, siue Cõchilium, & Insectum; quibus addi potest & quintum Zoophitum, hoc est eorum, quæ inter plantam, & animal natura ambigunt: etsi enim propriè animalia dici non mereantur: tamen cum multa habeant cum exanguibus communia rectè illis annumerantur; præsertim cum Aristoteles in libris suis de animalibus eorũ naturam perscrutatus sit, sicut multi quoque recentiores. Incipiendo iam à mollibus, siue à primo genere mollium, cum molle dicatur omne quod est tenerum, tactuique cedens, cui con-

contrarium, quod durum est; Latini mollia appellant animalia illa, quæ sanguine carent, & foris carne molli obducta, solidum intus modo sanguinei generis continent; Græcis μαλάκια dicuntur; quod inquit Galenus lib. 3. de alimen. facult. neque squamam, neque asperam, neque testaceam cutem habeant, sed mollem, perindè ac in hominibus est; vt Polipodes, Sepiæ, Loligines, quæ tangenti quidem mollia videntur, quia neque squamas, neque asperum, neque testaceum tegumentum habeant, duræ autem sunt carnis. Vt autem huic secundo generi, primum mollium præcellere dicitur, non ab vsu atque vtilitate, ita enim Conchylia, & crustata præcederent, sed à corporis partibus, quarum maiorem numerum, & robur habent; ita etiam crustatum genus præferri debet testaceis siue ostracodermis: non quod maiorem hominibus præbeant vtilitatē (ob hanc enim plurima testaceorum nominatim vero ostrea, & Purpuræ, Astacis, cancris, locustis, cæterisque crustaceis essent anteponenda) sed quod membra omnia distinctiora habeāt, perfectioraque atque item plura. Ad hæc maior etiam est prudentia in his quærendo cibo, maiorque in persequendo, fugiendoque hoste celeritas: & maius denique in pugna robur, ad quam apta habent instrumenta. Contra testaceis, humida cum sit eorum natura, parum cerebri, ac per consequens prudentiæ nihil, vel parum, ac motus etiam parum natura tribuit. Porro Crustaceorum, quæ Græci & præsertim Aristoteles μαλακόστρακα vocat, septem aliqui genera constituunt, nimirum Astacos, Squillas, Locustas, Erinaceos, Vrsos, Cancros, & Paguros; verū Aristoteles lib. 4. de partibus animal. cap. 8. quatuor tantùm enumerat: summa, inquit, crustatorum genera quatuor numero sunt: locustæ, Gammari, Squillæ, Cancri: quæ singula in plures species distinguntur, quæ non modo forma, verum magnitudine multum inter se differunt: alia enim magna, alia parua admodum sunt. Alibi quinque constituere videtur, Echinum his quatuor generibus annumerans: sic enim loquitur lib. 4. citato cap. 5. natura autem crustatorū, contrà quàm mollium constat. Altera enim carnis mollitiem extra habent, altera intra: hinc foris terrenam duritiem obtinent: quāquam Echinus nihil habeat carnis; verùm cum idem Philosophus pluribus in locis disertè Echinum inter testacea recenseat, melius tertio generi annumerandus est. Tertium igitur animalium exanguium genus est testaceorum, siue Conchyliorum, quæ Græci ὀστρακόδερμα nuncupant, ac si testaceæ cutis animalia dicas; vel quæ silicea testa conclusa muniuntur, hoc est, quibus pars carnea intus, solida foris, fragilis, atque ruptilis, non collisilis, inquit Aristoteles; quod genus concharum & ostrearum est: in quibus tanta ludentis naturæ varietas est, tot colorum differentiæ, tot figuræ, vt vix numerari possint.

Quarto loco sunt animalia insecta; ea videlicet animalia exanguia, quæ vt nomen ipsum declarat, incisuras parte sui, vel supina, vel prona, vel etiam vtraque possident; nec osseum quicquam discretum, aut carneum, sed quiddam inter hęc ipsa medium continent: quippe quæ corpore pariter intus, forisque duro constēt. Aristoteles ἔντομα vocat, Plinius insecta ab incisuris, ac linearibus quibusdam diuisuris, quibus, vt statim dicebam, sunt insignita, nonnunquā etiam rugosa, Albertus annulosa, quoniam corpora eorum per quosdam annulos formata esse videantur, & distincta. Cum autem insectorum innumera ferè sint genera & species, distingui possunt in primis loco in quo degunt, vel nascuntur, quatenus alia in simplicibus vt igne, aqua, aëre, terra: alia imo pleraque in mixtis, iisque vel naturalibus, vel artificialibus: in naturalibus rursus, vel imperfectis, vt niue; vel perfectis vt in fossilibus, plātis, animalibus, (nempe hominibus, canibus, ouibus, piscibus & consimilibus alijs) eorumque partibus, & excrementis: partibus autem vel simi-

similaribus, vel dissimilaribus: excrementis vel siccis, vt in lana; liquidis vt in caseo, butyro, cera. Secundo corporis sui qualitate nempe colore differunt, quatenus alia dicuntur vno tantùm prędita colore, alia diuerso, hęcque vel in vna parte tantùm, vel in pluribus, vel in toto corpore, vt papiliones nonnulli, multaque Erucarũ genera. Tertio quantitate, ab illa enim alia dicuntur longa, alia curua, alia magna, alia parua, alia rotunda, alia angulosa, aliaque ouata. Quartò partium ratione, alia enim sunt apoda, hoc est pedibus carentia, quorum non paruus est numerus, vt Lumbricorum genera. Alia pedes habent, horumque alia paucos, sed nõ pauciores, quàm sex; alia multos, quæ multipeda dicuntur, quorum quæ pauciores habent quatuordecim, vt Erucarum genera. Iam verò pedes habentium, alia alas, siue pennas habent, alia pennis carent. Pennatorum rursus, alia alas habent apertas, siue semper conspicuas, vt papiliones, muscæ, apes; alia velut in vagina occlusas, atque lectas, quæ Coleoptera Græci, Gaza Vaginipenna ex Plinio vocat, qualia sunt Scarabei, Cantharides, Quibus alæ sunt in propatulo, horum alia binis, vt muscæ, alia quaternis, vt Apes, prædita sunt. Victu item, generatione, motu siue gressu, nec non & coitu, cum inter se multum differant, ab his quoque plures aliæ insectorum diuisiones adduci possent, sed de his satis; nunc ad Zoophita. Primum igitur, quia nec animalium, nec fruticum seu plantarum, sed tertiam ex vtroque naturam habẽt, & vt loquitur Aristoteles τὸ ἐπαμφοτερίζον φυτῷ καὶ ζώῳ, id est ambigentia plantæ & animali, rectè ζωόφυτα Græcis dicuntur: Latinè autem ea nominare non possumus, nisi plantanimes, aut plantanimalia vocemus. Talia sunt, Vrtica, Stobathuria, Tethya, Mentula marina, Malum insanum, cucumis, pulmo, Spongiæ, & reliqua similia, quamuis Spongias aliqui inter plantas imperfectas collocent. Tantùm de animalibus tam in communi, quam in particulari; de quibus cùm multi tàm ex antiquis, quam ex modernis Scriptoribus egerint, Aristoteles, Georgius Agricola, Aelianus, Albertus Magnus, Michael Ephisius, Conradus Gesnerus, Christophorus Guarinonius, Gaspar Peucerus, Ioannes Fabricius Montanus, Guillelmus Rondeletius, Simon Maiolus, Petrus Belonius, alijque plures; vnus tamen pro omnibus abundè sufficere potest Vlysses Aldrouandus Philosophus & Medicus Bononiensis, qui vniuersam animalium historiam vndecim tomis in folio, vnà cum eorum iconibus accuratissimè conscripsit. Superest iam vt videamus quantum referat ad sacræ doctrinæ studium huiusmodi historia, pro intelligendis præsertim sacris Scripturis.

Ad primum igitur caput Geneseos, vbi agitur de creatione animalium, primum aquatilium, deinde volantium, tertio gradientium, siue terrestrium; plures institui possunt quæstiones, aut difficultates ex ipsamet animalium natura dissoluendæ. I. quam ob causam creata prius sunt aquatilia, quam terrestria. Quod ordine generationis, quæ sunt imperfectiora, præmitti soleant. Sunt autem pisces ex toto genere imperfectiores, quam terrestres animantes: non sanè quia pisces memoria careant, vt docet Basilius homil. 8. in Genesim, hoc enim merito refellit D. Augustinus lib. 3. de Genesi ad litteram cap. 8. contrarium demonstrante experientia, & ratione, qua probatur, quibuscumque animantibus concessus est motus localis, quo necessaria vitæ conseruandæ quærerentur, his necessariam fuisse memoriam, ne motus eorum vagus & incertus ageretur; sed ob alias plures rationes, primò temperamenti corporis eorum multò imperfectioris, argumentum est exiguum alimentum, quod præbent pisces. In piscibus quoque obscurior est figuratio & digestio membrorum. Deindè omnes sensus tàm internos, quam externos, imbecilles & imperfectos habent pisces, cum viuant in aqua, quæ crassius est corpus

pus quam aër. Ad hoc, nunquam possunt pisces ab homine mansuefieri, nec se ab eo contrectari sinunt, nec possunt quicquam condocefieri, nec humanæ cōsuetudinis & societatis sunt capaces; excipias paucos quosdā, velut Delphinum, de cuius docilitate, & amore erga homines, & cum hominibus societate, ac consuetudine, mira narrant, cum alij, tum Plinius lib. 9. cap. 8. & Plutarchus in libro in quo disputat, vtrum ratio sit in brutis, & vtrum plus rationis sit in aquatilibus, quam in terrestribus. II. cur Latinus interpres pisces appellauit reptilia; de quo vide S. Bonauenturā in 2. distinct. 15. vbi ita distinguit reptile. Animal omne, inquit, quod mouetur, aut mouetur impellendo se in anteriora, idque facit vel pedibus & est gressile, vel alis & est volatile; aut mouetur seipsum trahendo antrorsum, idque fieri potest quatuor modis: vel vt trahat se vi oris, sicut vermes; vel vi costarum & ventris sicut serpentes: vel vi pinnularum sicut pisces: vel denique dicuntur repere non propriè, sicut lacertæ & stelliones &c. En quomodo ex principijs met Philosophicis redditur ratio cur latinus interpres pisces appellare potuerit reptilia, quamuis Hebræum vocabulum non hoc propriè significet.

III. Ad illud Genes. 1. *Producant aquæ reptile*, quæri potest quomodo dicantur pisces producti ex aqua; an tanquam ex materia, an tanquam à causa efficiente; certè ex historia animalium respondendum est, pisces dici à Mose productos ex aquis tanquam ex materia: nō quod ex aqua sola soleant, aut etiam possint naturali via & ratione generari; (etenim pisces cum sint mixta perfecta, non ex sola aqua constant, sed ex quatuor elementis) sed quod in illis præpolleat aqua, non quidem quantum ad grauitatem, sed quantum ad humiditatem & frigiditatem, & ratione temperamenti piscium, quod est planè aqueū: & quod aqua sit naturalis eorum locus habitationis, generationis, conseruationis, extra quem nec gigni, nec benè habere, nec naturales actiones suas exercere, nec vitam tueri queant. Primi igitur illi pisces proximè à Deo ex sola materia aquę ita creati sunt, vt tamen ei fuerint additæ reliquorum elementorum formæ, & qualitates. IV. Cùm vbi secundum latinam lectionē legitur *producant aquæ reptile*, sit in Hebræo verbum שרץ *Saras*, significans non quamlibet productionem, sed in maxima copia, vbertate & abundantia, seu scaturiginem & ebullitionem quamdā; huius verbi emphasim probat vulgo iactata opinio Philosophorum, multò vberiorem & copiosiorem esse, piscium quam cæterorū animalium generationem; Aristoteles enim lib. 3. de generatione animalium cap. 11. ait: *Hinc etiam fit, vt multi formiora sint; quæ in humore gignuntur, quā quę in terra, humor enim naturam habet ad effingendum efformandumque habiliorem quàm terra*. His consentanea docet Plinius lib. 9. cap. 2. nam cum dixisset, quæ sunt in aquis, & plura & maiora esse terrestribus subdit, *causa*, inquit, *euidens est humoris luxuria* &c. adde etiā & ingentem copiam ouorum, quæ in piscibus inuenitur, quo licet intelligere illorum, quam aliorum animalium, & multitudinem & varietatem esse maiorem; vnde rectè Dauid cecinit in Psalmo 103. *Hoc mare magnum & spatiosum manibus, illic reptilia, quorum non est numerus*. V. ad illud, *creauit Deus cete grandia*, vbi per cete, non intelligitur vna aliqua species piscium, sed omnes grandioris formæ & vastioris corporis pisces, quos etiam Aristoteles cetos appellauit, vt vidimus supra; ad illud, inquam, valet quod in historia animalium docetur, & enarratur de enormi quorumdam piscium magnitudine, nimirū ob vbertatem materiæ aqueæ, habilitatemque ad quantumuis extensionem; vnde etiam ad declarandam tantam piscium molem & multiplicationem peculiariter dicitur Deus benedixisse piscibus, dicens, *crescite & multiplicamini*, benedictio autem Hebraicè dicitur *Barach*, qua voce copia & affluentia desi-

gna-

gnatur, videlicet ad indicandam propè infinitam piscium multitudinem, ac varietatem.

VI. Quod latinus interpres habeat Genes. 1. *Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile super terram sub firmamento cæli.* Deinde verò cap. 2. *Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animātibus terræ, & vniuersis volatilibus cæli, adduxit ea ad Adam;* magnam continet difficultatem an aues similiter, vt terrestres animantes, è terra sint generatæ; an verò vt pisces ex elemento aquæ, pugnātibus pro vtraque parte, grauissimis Doctoribus tàm antiquis, quàm recentioribus; ex D. Augustino lib. 3. de Genesi ad litteram cap. 3. D. Thoma 1. p. quæst. 71. art. 1. dicendum est, aues non esse factas ex humo, neque ex aqua densa, quæ per terram labitur, & in ipsa terra continetur, sed ex aqua in vapores tenuata, & in nubes conformata, quæ inferiorem aëris regionem, in qua volitant aues, ascendit & obsidet. VII. ad illud idem cap. 2. Geneseos, vbi Moses tradit creationem terrestrium animantium his verbis: *Dixit quoque Deus, producat terra animam viuentem in genere suo, iumenta & reptilia, & bestias terræ secundum species suas*: ad illud, inquam, illustrandum inseruiunt multæ quæstiones Philosophicæ de causa efficiente prima generationis animalium. Deindè vtrum in exordio mundi creata sint animalia quæ generantur ex putri materia; item illa quæ generantur ex diuersarum specierum commixtione, veluti mulus ex equa & asino, ex hirco & oue Tityrus, ex leæna & pardo Leopardus, ex lupo & ceruа lynx &c.

Tandem cum nullum sit ferè animalium genus, nullaque species; quorum in diuinis Scripturis non fiat mentio, & à quorum natura, vel proprietatibus non desumantur multæ similitudines, satis patet quam sit necessaria illarum studio accurata historiæ animaliū notitia. Vnde quis ad hunc finem, vel iuxta ordinem librorum Sacræ Scripturæ, locorumque illius in quibus fit mētio alicuius animalis; vel iuxta eorumdem animalium diuisionem aliquam ex superius allatis, posset colligere ea omnia, quæ ex natura & proprietatibus animantium, tum litterali, tum mystico diuinarum Scripturarum sensui eruendo sunt necessaria; qua in re habemus opus eximiæ eruditionis Ioannis Busthamantini de animantibus Scripturę Sacræ sex libris distinctum, in quorum primo, secundo, tertio, & quarto agitur de animantibus Scripturæ Sacræ reptilibus verè dictis, hoc est de serpentibus, singulisque eorum speciebus; in quinto verò & sextò de reptilibus terrestribus communiter dictis; quæ licet pedes habeant, quia tamen exiguos, & parum se attollunt humo, magnamque partem corporis dum mouentur applicant terræ, propterea etiam repere dicuntur, minus tamen propriè vt diximus supra. Item Ludouicus Balester Hierologiæ libro 4. qui est de substantia corporea sensitiua agit capite primo de substantia quadrupeda mansueta domestica; secundò de substantia quadrupeda mansueta agresti; tertiò de substantia quadrupedā fera grandiori; quartò de quadrupedibus feris minoribus; tum de substantia animali reptili, insecta; denique de substantia animali aquatili, & volatili tàm maioris, quàm minoris quantitatis: quarum potissimum fit mentio, in Sacris Scripturis. Berchorius quoque tàm in suo dictionario seu repertorio, quam reductorio morali; Lauretus in Sylua Allegoriarum, Ioannes à Sancto Geminiano lib. 4. & 5. summæ de exemplis, & rerum similitudinibus, multa circa hanc eamdem materiam habent; & denique Vlisses Aldrouandus dum mystica vniuscuiusque animalis explicat, adductis pluribus Sacræ Scripturæ locis.



CA-

CAPVT IV.

Quantùm referat ad Sacræ doctrinæ studium humana historia, ab orbe condito, vsque ad primam Monarchiam Babylonicam.

ETsi plures, eæque valdè celebres temporis diuisiones adduci possent, quibus tota mundi duratio secundùm notabiles varietates in illo factas distribui solet; nihilominus illa dumtaxat hic vtimur; qua historia vniuersalis explicat res, vel ante Monarchias ab orbe condito, vel sub quatuor Monarchijs ad hæc vsque tempora gestas. Igitur incipiendo à prima periodo defluente ab orbe condito vsque ad primam Monarchiam, hæc complectitur annos circiter 1841. Ab orbe enim condito ad diluuium Noëticum inclusiuè, communis peritorum calculus ponit ann. 1657. pro vt nempè Vulgata editio, & fons Hebręus eos annos exhibent Genes. c. 5. à diluuio autem vsque ad Monarchiæ primæ principium annos 135. Genes. cap. 10. & 11. vbi Spiritus Sanctus ędificationem Babel tanquam primum, & eum quidem angularem lapidem Monarchiæ primæ annotauit. Loquendo enim de Nemrod ait cap. 10. v. 10. *Fuit autem principium regni eius Babylon.* Itaque ante Monarchiam primam, à mundo condito, annos ferè totos 1841. nullum propriè loquendo supremum fuit imperium in mundo, sed potius omnia intra paternæ authoritatis metam consistebant, diutissimè tum patribus viuentibus, & in suos, qui per innumeros interea generis gradus propagati, in maximam multitudinem excrescerent, eamdem potestatem retinentibus. Hinc veteres tempora mundi distribuerunt secundum τὸ ἡγεμονικὸν, θυμικὸν καὶ ἐπιθυμικὸν in homine: vt *primam ætatem* ante Monarchias adscripserint τῷ ἡγεμονικῷ, vbi excelluit sapientia, cum artes essent inuentæ, & gubernatio paterna sapientię, iustitiæ, & authoritatis adhuc plena vigeret: *Secundam ætatem* adscripserint τῷ θυμικῷ, in qua fortitudo bellica, donec imperia fuerunt constituta, & ad summitatem perducta, excelluit, quæ vsque ad Monarchiam quartam, tumultibus plenam, paulatimque languescere incipientem, & ob id ἐπιθυμητικὴν dictam durauit.

Summatim loquendo de statu generis humani ante Monarchias constitutas, siue de rebus Antemonarchicis, refertur *primò* creatio mundi, & hominis, siue opus sex dierum: scilicet primo die factum esse cælum, terram & lucem: secundo factum esse firmamentum; tertio factum esse mare, & aridam cum herbis, & plantis; quartò factum esse solē, lunam; & stellas; quinto productos esse pisces & aues; sexto iumenta, reptilia, bestia & hominem, eisque Deum benedixisse & cibum assignasse, cęterisque hominem quasi dominum præfecisse, Genes. 1. & 2. *Secundò*, narratur plantatio paradisi, formatio Euæ ex costa Adæ, Ecclesiæque & coniugij institutio in Adamo & Eua Gen. 2. & 3. *Tertiò*, lex protoplastis lata, vt obedientiæ exercitium extaret, Genes. 2. *Quartò*, institutio dominij, ibid. *Quintò*, lapsus, causa mortis & calamitatum, quibus in hac lachrymarum valle premimur. Gen. 3. *Sextò*, Christi redemptoris promissio, siue Euāgelij de semine mulieris promulgatio, ibid. *Septimò*, primæ sobolis procreatio, Genes. 4. *Octauò* legis ob fratricidium Caini concio, & homicidij prohibitio, ibid. *Nonò*, artium apud primos patres inuentio, ibid. *Decimò*, annorum à condito mundo annotatio, Genes. 5. *Vndecimò*, corruptissimi inter homines status, diluuijque cum omnibus circumstantijs narratio; videlicet, quod Noe præco iustitiæ per centum viginti annos extiterit; cum verò pœnitentiam agere nollent homines, arcam iussu Dei extruxerit, in qua cum filijs & animalibus durante diluuio (durauit autem integrū annum solarem) habitauit. Pluebat autem per dies quadraginta, & montes editissi-

tifsimos 15. cubitis aquæ superabant 5. 6. & 7. Hæc est summa rerum vsque ad diluuium inclusiuè, à principio mundi incipiendo.

Post diluuium restant tria capita, quæ donec Monarchicus status fuit stabilitus summam rerum continent, nempè caput 8. diluuij recessum, & Noæ cũ omnibus suis ex arca egressum, qui offert sacrificium Deo, per quod placatus, promittit deinceps non fore diluuium. Cap. 9. Noę & filiorum eius benedictionem; esus carnium indulgentiam, non tamen sanguinis; homicidij interdictionem; iridis significationem de non inducẽdo amplius diluuio, & Noæ ebrietatem. Capite 10. recensentur Geneologię filiorum Noæ, Iaphet, Cham & Sem, eorumque per orbem partitio, ex his enim & eorum posteris celebriores gentes ortæ & nominatæ sunt. Iosephus lib. 1. Antiquitatum cap. 6. & Sanctus Hieronymus in quæstionibus Hebraicis referunt, Iaphet eiusque posteros occupasse Europam, & partem Asiæ Septẽtrionalẽ ad occasum vergentem, à Tauro & Amano monte vsque ad Tanaim: Cham verò & eius posteros occupasse partem meridionalem Asiæ, ab Amano & Tauro, atque totam Africam. Sem denique & eius posteros occupasse Asię partem orientalem, ab Euphrate vsque ad Oceanum indicum, vide Arianum Montanum in suo apparatu, in Phaleg, siue de primis gentium originibus: Cornelium à Lapide, cæterosque interpretes ad cap. 9. & 10. Geneseos.

CAPVT V.

Quantum referat ad Sacræ doctrinæ studium humana historia sub Monarchia prima.

CVm nomine Monarchiæ nihil aliud hic intelligatur, quàm summum à Deo in mundo constitutum imperium; tot sunt numero Monarchiæ, quot sunt ex diuinis Scripturis summa eiusmodi imperia, quatuor autem enumerantur apud Prophetam Danielem, Assyriacum, Persicum, Græcum, & Romanum: primumque vaticinium exrat cap. 2. v. 31. & sequentibus; vbi Propheta Regi Babylonio sequens somnium in mentem reuocat: *Tu rex videbas, & ecce quasi statua vna grandis: statua illa magna, & statura sublimis stabat contra te, & intuitus eius erat terribilis. Huius statuæ caput ex auro optimo erat, pectus autẽ & brachia de argento, porrò venter & femora ex ære. Tibiæ autem ferreæ, pedũ quedam pars erat ferrea, quædam autem fictilis. Videbas ita, donec abscissus est lapis de monte sine manibus: & percussit statuam in pedibus eius ferreis, & fictilibus, & cõminuit eos. Tunc contrita sunt pariter ferrum, testa, æs, argentum, & aurum, & redacta quasi in fauillam æstiuę areæ, quæ rapta sunt vento: nullusque locus inuentus est eis: lapis autem qui percusserat statuam, factus est mons magnus, & impleuit vniuersam terram: Hoc est somnium: interpretationem quoque eius dicemus coram te, rex. Tu rex regum es, & Deus cæli, regnum, & fortitudinem, & imperiũ, & gloriam dedit tibi: & omnia in quibus habitant filij hominum, & bestiæ agri: volucres quoque cæli dedit in manu tua, & sub ditione tua vniuersa constituit: tu es ergo caput aureum. Et post te consurget Regnum aliud minus te, argenteum: & Regnum tertium aliud æreum, quod imperabit vniuersæ terræ. Et Regnum quartum erit velut ferrum; quomodo ferrum comminuit & domat omnia, sic comminuet & conteret omnia hæc* &c.

Alterum Danielis vaticinium de hoc quaternario Monarchiarum numero habetur cap. 7. versu 2. & sequentibus: *Videbam in visione mea nocte, & ecce quatuor venti cæli pugnabant in mari magno. Et quatuor bestiæ grandes ascendebant de mari diuersæ inter se. Prima quasi leæna alas habebat aquilæ: aspiciebam donec euulsæ sunt alæ eius, & sublata est de terra, & super pedes quasi homo stetit, & cor hominis datum est ei. Et ecce Bestia alia similis vrso in parte stetit, & tres ordines erant in ore eius, & in dentibus eius, & sic dicebant*

cebant ei: surge, comede carnes plurimas. Post hæc aspiciebam, & ecce alia quasi pardus, & alas habebat quasi auis, quatuor super se, & quatuor capita erant in bestia, & potestas data est ei. Post hæc aspiciebam in visione noctis, & ecce, Bestia quarta terribilis, atque mirabilis, & fortis nimis, dentes ferreos habebat magnos, comedens atque comminuens, & reliqua pedibus suis conculcans. Dissimilis autem erat cæteris bestijs, quas videram ante eam & habebat cornua decem. Considerabam cornua, & ecce cornu aliud paruulum ortū est de medio eorum: & tria de cornibus primis euulsa sunt à facie eius: & ecce oculi, quasi oculi hominis, erant in cornu isto, & os loquēs ingentia, &c. *Horruit spiritus meus, ego Daniel territus sum in his, & visiones capitis mei conturbauerunt me. Accessi ad vnum de assistentibus, & veritatem quærebam ab eo de omnibus his. Qui dixit mihi interpretationem sermonum, & docuit me. Hę quatuor Bestiæ magnæ quatuor sunt regna, quæ consurgent de terra.* Præcisè ergò his duobus Prophetæ locis quaternarius Monarchiarum numerus est demonstratus: quomodo autem singula tam horum, quam aliorum vaticiniorum membra ad singulas Monarchias quadrent, id in sequentibus planū faciemus, præsertim vltimo huius capitis paragrapho & sequentium.

Incipiendo igitur à Monarchia prima, dicendū est fuisse summum, à Deo in mundo constitutum imperium, quod penes Chaldęos, & Assyrios stetit à Nembrod siue Belo vsque ad Nabonnedum, quem Cyrus Persa vicit; Danielis 2. v. 38. per aureum caput statuæ, & cap. 7. per primam bestiam similē Leoni præfiguratum. Sic à subiectis nationibus hęc Monarchia, *Chaldaica* & *Assyriaca* est appellata, non quasi hæ gentes Chaldæorum & Assyriorum, distincta alia, & peculiaria regna habuerint, sed quod alternatim hanc potentiam possederint. Appellatur etiam Babylonica, & ipsi eius Monarchæ in sacris litteris vocantur reges Babylonici, ob Babylonem ciuitatem, quæ totius regni, & imperij Metropolis fuit, quamuis non semper ab his regibus habitata, quo Merodachi domus, tertia huius Monarchiæ regum series, sedem transtulit, vt ceu postliminiò gentem & vrbē redijsse imperium videretur. Circa determinationē temporis, quo hæc Monarchia in mundo durauit, variant authores ob incertitudinem initij, quod in hac Monarchia statuendum est. Nos authoritatem Sacræ Scripturæ sequentes, primum Monarcham Nembrod fuisse existimamus. Geneseos enim 10. verſ. 8. dicitur, quod *potens cæperit esse in terra, & robustus fuerit venator coram Domino*. & versu 10. quod *fuerit principium regni eius Babylon*. Etsi autem putent aliqui interpretes, Nemrod hunc fuisse, vel antecessorem, vel vt Berosius Annianus ait, Patrem Iouis Beli; auum verò Nini, scilicet Saturnum primum; melius tamen cum S. Hieronymo, Augustino, Eusebio & alijs dicendum est, Nemrod hunc fuisse ipsummet Belum, qui fuit pater Nini. Nam Nembrod & Beli tyrannis, mores, tempus, & regia Babel per omnia conueniunt, & quod vterque fuerit primus rex Babylonis: primus enim rex orbi terrarum cognitus iuxta Scripturas Sacras est Nembrod, & iuxta prophanas est Belus; ex quibus non male conijcitur Nembrod esse Belum patrem Nini; quem filius iussit quasi Deum publicè diuinis honoribus coli: atque hinc ex Belo idola apud Hebręos, Syros, & Phęnices vocata sunt Bel, Baal, Baalim, Bel enim, vel Baal idē est, quod Belus. Beli ergò proprium nomen fuit Nembrod, qui appellatiuè & antonomasticè dictus est Bel, Baal & Belus, id est, Dominus & Dominator: sicut etiā num Tartari & Turcæ suum regem magnum Cham, siue magnum Dominum appellant. Notandum insuper ita Nembrod fuisse authorem, & conditorem turris & vrbis Babel; vt eam tamen postea restaurarit, mirèque auxerit & ornarit Semiramis vxor Nini, qua de causa ab ea conditam esse Babylonem asserunt Herodotus, Diodorus Siculus Strabo

bo & alij; quibus etiam testibus eidem Belo tanquam primo Ioui, primoque & communi Gentium Deo magnificentissimum extruxit Templũ, in quo erat eius sepulchrum, magnitudine structuraque mirandum erat enim ex Strabone lib.16. stadij altitudine. Atque hæc videtur aliquibus fuisse origo Idolatriæ, licet enim Tertullianus lib. de Idolatria putet idola fuisse ante diluuium, tamen Cyrillus lib. 1. & 3. contra Iulianum asserit idolatriam nobis notam sumpsisse originem post diluuium à patre regis Nini, quem ipse Arbelum vocat, nos Belum nominamus. Huius rei indicium quoque est, quod pleraque idola Gentium, præsertim Orientalium, ab hoc Bel, siue Belo denominata sint, vt Beelzebud, Beelphegor, Baalberith, Balsames. De Beli statuis, harumque cultu euertendo vaticinatur, Isaia c. 46. & Ierem. 50. fusiusque agetur infra lib.4. sect. 2.

Priusquam autem in specie de singulis singularum sub hac prima Monarchia familiarum regibus, & Monarchis agamus breuiter eorum Catalogum pertexendo, sciendum est tametsi hæc Monarchia omnium florentissima fuerit, expertem tamen mutationis non fuisse, quin tribus præcipuè vicibus ita mutata & quassata, vt in totidem Dynastias distribui omni iure possit. Prima fuit à Nembrod siue Belo vsque ad Sardanapalum ob flagitiosam voluptatem, qua diffluebat, ab Arbace Medorum præfecto imperio exutum, & in angustias desperationis redactum. Stetit ann.1330. quamuis Eusebius dicat 1240. & Iustinus lib.1. 1300. & Diodorus lib.2. 1400. & Orosius lib. 2. 1160. Secunda Dynastia fuit Phul Belochi, eiusque stirpis, vsque ad Assarhaddonem, annos circiciter 107. in quo hæc familia desijt, quę non solùm Babylonem, sed ipsum Assyriorum Imperium seu Niniuen cum Babylone continua successione tenuit. Nã postquam Arbaces Sardanapalum vicit, ipse profectus in medos Phul Belocho, qui & Belesis, socio rebellionis contra Sardanapalum Babylonem & Assyriam commendauit, ita vt hæc dynastia diuisi in Assyrios, & Medos imperij fuerit vltra 300. annos. Tertia Dynastia, quæ teste Iosepho lib. 10. secundam sustulit durauit Babylone circiter annos 200. à Merodach Baladan vsque ad Nabonnedum vltimum huius Monarchiæ regẽ. Merodach enim Baladan, cum regnaret in Babylone, eo ipso tempore quo Assarhadon in Niniue vt patet ex lib.4. Reg. cap.10. & 20. etiam post Assarhadonem habita Niniue, Babylonem regni sedem tenuit, vt ceu postliminio ad gentem & vrbem redijsse imperium videretur; vnde post illum non fit amplius mentio in sacris litteris Regum Assyriorum, sed solum Babyloniorum. Cæterum hanc primam Monarchiã, incipiendo à Nembrod, nos vt probabilius, tom. 2. lib. 3. sect. 1. cap. 63. docuimus stetisse per annos 1578. vsque ad annum mundi 3419 quo Cyrus Chaldęorum hostis, & Iudæorum amicus Chaldęos euertit, & Monarchiam ad Persas transtulit, ideoque Iudæos è Babylone liberauit.

Catalogus Regum Chaldæorum, & Assyriorum in dynastia prima.

PRimus huius Monarchiæ rex fuit Nembrod, qui vt supradictum est fuit idem ac Belus, filius Chusi, nepos Chami, pronepos Noe. Suidas vocat eum Nebrot, seu Nebrodem; tribuuntur ei anni imperij 65.

II. Fuit Ninus, Genes. cap. 10. ver. 11 dictus Assur, quem licet Iosephus & ex eo Augustinus lib. 16. de Ciuit. Dei c. 3. Hieronymus & alij putent fuisse secundum filium Sem, probabilius tamen Pererius, Delrio, Cornelius à Lapide & alij citato Genes. loco asserunt hunc Assur non tantum esse Ninum, quod omnes concedunt, sed etiã Beli, siue Nembrod filium; vocatur autem Assur, vel quia binominis erat, vel potius per anticipationem, quia postea fuit primus rex & Monarcha Assyriorum. Babylonem enim Regiam imperij aspernatus, eam Ni-

Niniuen de suo nomine ædificatã transtulit, sicque statim à primordio Babylonicum seu Chaldæum esse desijt, & Assyrium esse incepit imperium. Armenis, Medis & Asia, vsque ad Bactrianos subiugatis, ex ictu sagittæ in oppugnatione cuiusdam vrbis anno 52. imperij perijt, regnum Semiramidi vxori relinquens. De vrbis Nini, seu Niniues magnitudine vide Prophetam Ionã cap. 1. & 3. vbi vocatur ciuitas itineris trium dierum. Geneseos vero cap. 10. *Ciuitas magna*; ambitus enim vrbis erat 480. stadiorum, id est sexaginta millium passuum, altitudo murorum erat pedum centum, latitudo tanta, vt tres currus simul incederent, turres habebat 150. singulas altitudinis 200. pedum, ita ex Diodoro, & Strabone.

Tertio loco regnauit Semiramis, tãm celebris in historijs ac Ninus ipse. Eius facta & res gestæ fuerunt, amplificatio Babylonis, eiusque muri, qui in septem mundi spectaculis numerantur. Media quoque & Persia ab ipsa perlustrata, Aegyptus, Aethiopia, & Lybia vastata, donec anno ætatis 62. regni verò sui 42. in bello Indico occubuit, incertum, vulneribus eo bello acceptis, an scelere sui filij, quem Nino Regi enixa erat. A mariti enim obitu incontinentissima fuisse scribitur, præstantissimos forma & decore in castris viros ad concubitum legere solita, quos deinde necarit; quam ipsam ob causam, quod filium ad hoc flagitium sollicitare ausa sit, à filio iugulata existimatur.

IIII. Fuit Ninus siue Ninyas, alijs Zameis, Nini & Semiramidis filius, qui mollius à matre educatus Ammonis oraculo ei insidiator prædicitur. Imperium adeptus, deposito belli studio, voluptatibus se totum mancipauit, donec anno 38. regni sui finiuit. Sunt qui putant ipsum fuisse Amraphel, cuius Moses Genes. 14. meminit, & vocat regem Sennaar, siue Babylonis.

Dehinc vsque ad Sardanapalum numerantur 32. Reges siue Monarchæ, quorum nomina hęc sunt: Arius, qui regnauit ann. 30. Aralius 40. Xerxes vel Balaneus 30. Armamettes 38. Belochus I. 35. Baleus 52. Altadas 32. Mamitus 30. Moucaleus 30. Spherus seu Saphrus 20. Mamelus 30. Sparetus seu Sputaethus 40. Ascades 40. Amynthas 45. Belochus II. 25. Bellopares 30. Lãprides 32. Solares 20. Lampares 30. Panias 45. Sosarmus 19. Mitræus 27. Tautanes 32. Teuteus 40, Tynęus 30. Percylus 40. Eupales 38. Laasthenes 45. Pritiades 30. Ophrateus 20. Ophratanes 50. Ocrasapes 41. Alij in hoc numero omittentes Tautanem, ponunt reges tantum 31.

XXXVII. Fuit Tonosconcoleros, Græcis Sardanapalus conditor Tarsi & Anchiales in Cilicia: cætera nefarius, & muliere corruptior, inter Eunuchos & scorta lanam & colum tractans, & vestem & vocem fœmineam induit. Hinc Arbacis, Medorum præfecti, & Phul Belochi (qui & Belesis) conspiratione, bello oppugnatus tribus prælijs rebelles repressit, donec vel tandem, prouincijs passim deficientibus, Ninum egregiè munitam se contulit, vbi biennium integrum obsessus, murique magna parte ex inundatione Euphratis corruente, ad desperationem adactus, se se cum mulieribus & Eunuchis vnà cremandũ in ignem coniecit. Regnauit annos 20. vltimus de familia Nini. interijt anno mundi circiter 3074.

Familia, seu Dynastia secunda Monarchiæ primæ, quæ & ipsa in Assyrijs permansit, & Phul-Belochi est, Imperij tamen inter Assyrios & Medos diuisi.

I. Phul-Belochus, qui Diodoro est Belesis, gente Chaldæus, præfectus Babylonis sub Sardanapalo, ab Arbace Satrapa Mediæ, ad defectionem contra Sardanapalum incitatus. Rebellione igitur vtriusque vel tandem ex voto procedente, Phul-Belochus Babylonem & Assyriam accepit, Arbace in Medos profecto. Cumprimis à Regum Israeliticorum intestinis discordijs inuita-

uitatus, bellum contra Manahem fecit, pacemque suppliciter petentem mille talentis mulctauit, vt videre est lib. 4. regum cap. 15. Sunt qui sub hoc rege Ionam Niniuen appulisse, & vniuersam vrbem ad pœnitentiam commouisse putant. Anni regni eius numerantur 48.

II. Phul-Assar cognomēto Teglath, vnde Teglatphalassar. Hic bellum patris contra Israelitas,& regem Phaceiam redintegrauit, & occupata Galilæa tribum Nephtali in Assyriam transtulit. Achas item Regi Iuda contra Phaceiam regem Israel & Razinem auxilium præstitit, ipso Razine cæso, Damascum vi expugnat. Vide lib.4.reg.cap.15. item 1. Paralip. 5. & 2. cap. 28. Anni regni eius numerantur 23. ab alijs 25.

III. Salmanassar, bello Israelitis truculentus, Oseam Regem Israel stipendiarium reddit, & res nouas molientem in carcerem conijcit, regnum ipsum cęde & flammis vastat, & Samaria triennali obsidione in potestatem redacta, decem tribus Israel captiuas in Assyriā transfert, agrisque in Media donat 4. Reg. cap.17.& Tobiæ 1. An hic Salmanassar, Nabonassar, à quo æra illa celeberrima incipit, ad quam Ptolomæus,& alij Astronomi Eclypses suas cōputant, an vero Nabonassar alius, quam Salmanassar fuerit, sententiæ discrepant. Anni regni eius numerantur 9.

IV. Sennacherib, qui & Sargon esse putatur, expugnator Azoti Palæstinorum per Tarthanem Isaiæ cap. 20. Res ei etiam erat cum Medis rebellibus. Vt Ezechiæ regis Iuda defectionem vindicaret, Iudæam cum infestis copijs inuasit, ipsum Ezechiam, spem suam in Deo reponentem, per Rabsacen barbarico fastu exagitauit, tandem cum conuitia in Deum iterasset, vna nocte 185000. hominum amittit,& ignobili fuga domum reuersus, in æde Nisrochi Deastri sui, à filijs de vita tollitur; Vide Isaiæ caput 36. & 37. item 4.Reg.cap.18.& 19. Anni regni eius numerantur 7.

V. Assarhaddon, subrogatur patri in imperio ob innocentiam 4. Regum cap.19. versu vltimo. Hinc fratrum armis oppugnatus, etiam Babylone nouū hostem Merodachum experitur, cum quo infeliciter congressus, interitu suo & familiam propriam & Assyriorum regnum simul finiuit. Numerantur anni regni eius 18.

Familia, seu dynastia tertia Monarchiæ primæ, nempe Merodachi quæ Babylone Chaldæorum regnauit.

I. Merodach Baladam, Sennacheribi & Assarhadonis prius Babylone præfectus. Hic Assarhadonem prælio superatum regno deijcit, idque Assyrijs ereptum denuo Babylonē retulit, Ezechiam regem, de solis regressu mirifico à Chaldæis per id tempus edoctus, ceu Deo charū muneribus honorauit lib.4. regum cap. 20. De excidio Idolorum Merodachi sequens extat vaticinium Ieremiæ cap.50. v.2. *Capta est Babylon, confusus est Bel, victus est Merodach, confusa sunt sculptilia eius, superata sunt idola eorum.* Putant aliquī hunc Merodach esse eum, qui in libro Iudith dicitur Nabuchodonosor.

II. Ben Merodachus, deseruit is amicitiam à Patre cum Iudæis initam, vindicante diuina iustitia scelera regis Manassis, quem viuum intercepit, & aliquandiu vinculis habitū humaniter dimisit, patris cum eo renouans amicitiā lib.2. paralip. cap.33. numerantur anni regni eius 21.

III. Fuit Nabulassarus, qui regnauit ann. 29. alij vocant Nabuchodonosorem I. & numerant annos regni eius 35. Ab hoc Nabulassaro, quem alij etiā vocant Nabopolassar, patre Nabuchodonosoris magni, æque ac à Nabonassaro, quem alij Baladan vocant, æram annorum fuisse constitutam docet Cornelius à Lapide in cap. 39. Isaiæ & in c. 1. Ezech. primusque Nabopolassar annus consurgit à 123. Nabonassari, qui cœpit regnare anno 12. Ioathan regis Iuda, Olymp. 6. anno 4. atque adeo anno mundi 3200. de quo vide superius di-

cta cap. 63. sectionis primæ huius libri, & infra cap. 6. huius sectionis.

IV. Nabuchodonosor cognomento Magnus. Hic in sacra Scriptura est decantatissimus; is enim ipse qui Ioachino Regi Iuda tributum indixit, & id post triennium soluere recusantem in vincula coniecit, & iugulatum sepultura priuauit, eiusdemque filium Iechoniam, quem tamen successorem nominarat, paulo post cum florentissima populi parte captiuum abduxit, Sedechiæ regno permisso. Post etiam eodem defectionem & res nouas moliente, Iudęâ noua expeditione infestauit, Hierosolymam vi expugnauit, vrbe cum ipso templo Salomonis concremata. Rege è fuga retracto, & postquam eum neces suorum spectare coegisset, excæcato. Cætera quæ de eius expeditionibus, rebusque ab ipso & circa ipsum gestis commemorantur, præsertim ex Daniele Propheta sunt repetenda. Numerantur regni eius anni 43.

V. Euilmerodachus, hic Iechoniam Regem Iuda captum è carcere extrahendum iussit, & comiter ipsum præ cęteris regibus tractauit, vt legere est Ierem. cap. 12. Huius regni anni numerantur 2. ex Beroso apud Iosephum lib. 1. contra Appionē; melius tamen alij tribuunt 22. nam lib. 4. Reg. capite vltimo dicitur Euilmerodach regnare cœpisse anno 37. transmigrationis Regis Ioachin: ex quo tempore vsque ad finem regni Babylonici constat esse annos 44. qui tamen non colligerentur, nisi darentur Euilmerodacho 22. anni. Vnde credibile est esse errorem impressorum, cum omnes alij Chronologi dent ei 22. aut 23. annos.

VI. Niriglissoor, Gener Nabuchodonosoris, non tàm proprio, quam tutorio nomine filij Laborosordochi, nepotis Nabuchodonosoris, regnat annos 4.

VII. Laborosordochus, Nabuchodonosoris ex filia nepos, postquam cum patre Niriglissoore 4. annos imperio præfuisset, regnauit solus 9. menses. Putant aliqui hunc esse illum Belsazarem vel Balthasarē Danielis in quo posteritas Nabuchodonosoris desijt Daniel. 5.

VIII. Balsasar, qui ab alijs putatur fuisse Nabonedus, ab alijs Darius ille Medus, de quo Danielis 5. 6. & 9. melius tamen alij existimant Darium Medum, qui regnat anno vno post Balsasarem, qui & Nabonedus, Danielis loco citato, eum esse Ciaxarem Astiagis filium, cuius meminit Xenophon. Tametsi enim Medus iam nihil erat, nisi Cyri præfectus quidam, aut Regulus, placuit tamen Cyro honorare illum titulo regni Babylonici, quod consanguineus & senior esset. Vide Iosephum lib. 10. Antiquit. cap. 12. & Hieronymum in Danielem. Porro Nabonedi siue Balsasatis Regis anni numerãtur 17.

Reges Medorum post diuisionem Monarchiæ sub Dynastia secunda.

QVia supra fuit annotatū, post Sardanapalum oppressum, Phul-Belocho, siue Belesi Babylonem cum Assyria, Arbaci verò Mediam, vt regi cessisse; iam breuiter videndum est, quot reges Medorum post diuisam Monarchiam Assyriacam, vsque ad secundam Monarchiā numerantur. Authores enim in hoc puncto valde discrepant, quidam pauciores, quidam plures ponendo. Nā alij liberos, & absque imperio regum, vsque ad Deiocem Medos vixisse volūt, quam sententiam Herodotus lib. 1. tuetur, Deiocem, Phraortem, Cyaxarem, Astyagen nominando, cui concordare videtur Dionys. Halicarnasseus, dum in rege quarto Medorum regnum defecisse air. Alij cum libertate regium nomen repetitum esse dicunt, primumque Regem faciunt Arbacem, cuius auspicio defectio ab Assyrijs cœpit, ab eoque vsque ad Astyagen, vltimum regem inclusiue, sequentes reges numerant. Arbaces regnauit annos 28. Mandances 50. Sarsomenes 30. Artecarmis 50. Arbianus seu Cardiceas 22. Artæus, qui & Deio-

Deioces 53. Artynes qui & Phraortes 22. Artabanus, qui & Ciaxares 40. Aliqui Ciaxarem ab Artabano separant, tribuuntque illi annos regni 32. Astyages qui & Apandas regnauit 38. Hunc Cyrus eius ex filia Mandane nepos, iuuante Arpago, cui Astyages filium coctum ad comedendum apposuerat, deuicit, & hac victoria sibi primũ gradum ad condendam nouam Persarum Monarchiam comparauit, vt dicetur capite sequenti.

Ex dictis patet, quod licet anni mũdi Monarchis Chaldæis & Assyrijs non assignati sint, vt sciri possit, quo quisque anno mundi regnare inceperit, desieritque, quia historici in recensendis Regibus Monarchiæ primæ valdè variant, præsertim quod connotationem æræ mundi spectat: Nihilominus tamen ex consignatis regnorum annis, quo quisque Chaldaicus & Assyriacus Monarcha tempore regnauerit, facilè id supputari potest, si certa siue Nembrodi, siue Nini æra statuitur; Exempli gratia, si Nembrod, vt diximus supra, annus est mundi millesimus, octingentesimus, quadragesimus primus, & addantur cuiusque regis anni quos regnauit, præter propter Chronologia huius Monarchiæ habebitur; eamque per annos 1578. circiter stetisse, vsque ad annũ mũdi 3419.

Post Scripturam sacrã, quæ aliquot horum inter primos & vltimos regum primæ Monarchiæ meminit, fide digni authores, apud quos de his regibus inquirendum, sunt Archilocus, Aelianus, Arrianus, Augustinus, Berosus, Cassiodorus, Cedrenus, Constantinus Manasses, Curtius, Cyrillus, Diodorus, Eusebius, Eustathius, Fabius Pictor, Glycas, Hieronymus, Iosephus, Iustinus, Lactantius, Macrobius, Marcellinus, Methastenes, Orosius, Philo, Plinius, Plutarchus, Solinus, Strabo, Suidas, Sulpitius Seuerus, Xenophon, Zonaras. Attamen de Beroso, Methastene, Philone de temporibus, & Annio Viterbiensi, qui circumferuntur, quid sentiendum, quidue in ijs cauendum sit, vide Bibliothecam selectam Possευini lib. 1. cap. 16.

Synchronismus rerum Ecclesiæ penes Hebræum populum stantis à diluuio vsque ad excidium Hierosolymitanũ sub Nabuchodonosore, incidens in primam Monarchiam.

AD completam huius periodi notitiam superest vt breuiter agamus primò de Synchronismo rerum Ecclesiæ, & Politiæ Iudaicæ, deinde aliorum regnorum sub Monarchia prima. Igitur tres diuersæ, vel potius quatuor Dynastiæ Hebræi populi durante prima Monarchia deprehenduntur, quarum prima fuit *Patria* sub Patriarchis 24. ab Adam, vsque ad Iosephum in Aegypto; Secunda *Heroica* sub ducibus Mose, & Iosue: Tertia veluti *conseruatoria* sub Iudicibus 16. à Iosue, qui eductum à Moyse populum Israeliticum ex Aegypto in terram promissionis introduxit, vsque ad Samuelem inclusinè. Quarta *Regia*, à Saule vsque ad excidiũ Hierosolymitanum; sub qua tamen post Salomonem tertium à Saule regem, diuisio regni Iuda comprehendentis tribuum Iuda & Beniamin; & Israel comprehendentis decem alias tribus, contigit; fueruntque reges Israel 19. ab Hieroboam, qui contra Roboam à 10. tribubus fuit electus, & nouum cultum in Bethel instituit lib. 1. Reg. cap. 12. vsque ad Osee; qui tandem à Salmanassare Assyriorum Rege captus, & vna cum 10. tribubus in perpetuam captiuitatem abductus fuit, regno Israel hoc modo totaliter euerso, circa annũ mundi 3226. Reges autem Iuda fuerunt 20. à Roboam vsque ad Sedechiam, qui anno vndecimo regni sui mũdi vero 3359 completo, vel 3360. incepto, vt alias vno, & altero diximus modo, captiuus adducitur in Babylonem, vnà cum duabus alijs tribubus, quarum tamen captiuitas durauit annos tantum septuaginta; Restant adhuc tres aliæ Dynastiæ populi Hebræi sub Monarchijs; nempe quarta, quæ *ducalis* est & Pontificum post captiuitatem Babylonicam, sub *Persica*.

Quin-

Quinta, quæ *Hasmonaeorum* seu *Maccabæorum*, sub *Græca*; & sexta, quæ *Herodiadarum* & Romanorum, sub *Romana Monarchia*, de quibus agetur capitibus sequentibus; nunc de reliquis regnis, quæ huic monarchiæ primæ Synchrona fuerunt.

De alijs regnis, quæ Monarchiæ primæ tempore floruerunt, siue illi Syncrona fuerunt.

I. IN *Asia* recensentur Regnum Chanaæum, Palæstinum, Moabiticum, Ammoniticum, Madianiticum, Idumæum, Israeliticum, in Hierosolymitanum & Samaritanum diuisum, Phœnicæum, Syriacum, Phrygium, Troianum, Mysium seu Teuthraneum & Pergamenum, Lycium, Lydium, Scythicũ, Amazonicum, Rhodium, Cretense. II. *In Africa*, Regnum Aegyptiacum, Cyrenaicum, Aethiopicum. III. *In Europa*, Regnum Sicyonium, Argiuum, Mycenæum, Spartanum, Messeniacum, Pherense, Oechaliense, Arcadium, Eleum, Corinthiacum, Atheniense, Thebanum, Locrense, Aetholicum, Pelasgium, Phocense, Phthium, Aeginæum, Salaminçũ, Cephalinæum, Ithacense, Thessalicum, Euboicum, Scyrium, Latinum, Albanũ, Romanum, Turrhenum, Ligusticum, Celticum, Celtibericum & Teutonicũ. Quia autem longum esset, & extra præsentis instituti rationem de singulis his regnis sermonem texere; breuiter tantum de illis agemus, quorum res ad maiorem historiæ & Chronologiæ lucem conducere possunt, in ordine ad sacræ doctrinæ vel scripturæ intelligentiam.

I. est *regnum Aegypti*, ab vltima antiquitate repetitum; quod tamen de illius dynastijs, ex tabulis Manethonis Sacerdotis Aegyptij adfertur, vanitati Aegyptiorum tribuendum est, cum non solum diluuium vniuersale, sed etiam creationem mundi, & hominum omniũ primum Adamũ longè anteeessisse fingantur. Hoc ergo solum certi habemus non ex Herodoto, aut Diodoro, sed ex sacris litteris, iam Aegyptum reges suos habuisse à temporibus Abrahæ ad excidiũ Hierosolymæ, quos Aegyptij Pharaones vocarunt, quorum postremus Pharao Vvaphres aut Ophrea à Propheta Ieremia nuncupatur.

II. est *Regnum Sycionium*, in Græcia omnium antiquissimum, cuius authorẽ Pausanias, Eusebius & Suidas Aegialeũ celebrant circa annum mundi *1966*. Per Reges vsque ad tempora excidij Troiani, & post gubernatum fuit. Tandem Aegialei familiæ successit familia Phaësti ex Heraclidis. De Sycionis vrbis primordijs & dominationibus vide Strabonem lib.8.

III. est *Regnum Argiuorum*, qui erãt Aegyptij, sed Græcis permixti, quorum primus rex fuit Inachus circa annum mundi *2199*. cuius filiam Io, siue Isidem mirè celebrant Poëtæ. Post Inachum regnarunt Phoroneus, Apis, Argus, Criasus, Phorbas, Triopas, Crotopus, Stheuelas, Danaus, Lynceus, Abas, Prætus Acrisius vltimus.

IV. est *Regnum Atheniensium*, quorum Regum familiæ diuersæ fuerunt. *Prima Cecropidarum*, à Cecrope, primo rege, tempore Mosis adulti. Secunda *Erichtonij*. Tertia *Melanthi*. Sed cum non tantum à Regibus, verum etiam post Reges à principibus Athenæ fuerint gubernatæ; hinc etiam Dynastiarum eorumdem diuersitas. Quarum prima fuit regum 17. à Cecrope vsque ad vltimum Codrum, qui pro salute patriæ cum se hostibus deuouisset, in tantæ pietatis memoriam, Athenienses deinceps neminem in se regnare passi sũt, vt Iustinus testatur. Hinc *Dynastia secunda* quæ erat XIII. ἀρχόντων perpetuorum, quorum principatus morte dũtaxat finiebatur: horũ primus fuit Medon Codri filius, penultimus Aeschylus, cuius anno secundo, dicuntur cœpisse Olympiades ab Iphito instauratæ: postremus Alcmęon non totis annis duobus præfuit. Hos excepere ἄρχοντες Decennales numero VII. per annos lxx. quorum fuit *Dynastia tertia*. Donec tãdem

dem mutata Reipublicæ gubernãdæ rationę creati sunt loco vnius Archontis decennalis, Archontes nouem annui: quorum vnus propriè ἄρχων, qui nomine suo annum signabat, alter rex, tertius polemerchus, reliqui sex Thesmothetæ dicebantur. Atque hæc fuit *quarta Dynastia*, principiumque plenæ libertatis, & veræ democratiæ Atticæ. Et hic status durauit diutissimè, cui leges tulit Dracon, anno ab initio huius status 73. idemque postea quoque fecit, & simul Rempublicam totam ordinauit Solon.

V. est *Regnum Troianum*, cuius primus rex fuit Teucer, vnde Teucrorum nomen ortum, paulo ante exitum Israelitarum ex Aegypto. Post quem Dardanius, à quo Dardanij dicti: indè Erichtonius, tum Tros, vndè Troiani nũcupati: hinc Ilus à quo Ilium conditum, & nominatum: cuius filius Laomedon Herculi Coæuus, & demũ Laomedontis filius Priamus regum Troianorum vltimus, quo sene Troia à Græcis euersa post annos 300. circiter durationis.

VI. est *Regnum Aboriginum*, quod etiam Latinum & Albanum, nam Aborigines postea Latini dicti fuerunt, à temporibus Deboræ & Barac Iudicum, annos circiter 150. sub quinque regibus vsque ad excidium Troianum durans, cuius anno secundo Aeneas in Italiam venit, generque Latini Regis factus Dynastiam secundam suscitat Aeneadarum. Aeneæ post 7. annis successit Iulius Ascanius qui Albam longam condidit sedem 14. Regum sequentium, quorum vltimus Numitor fuit, Rómuli auus maternus, à quo Roma condita, tertiaque regum Romanorum Dynastia incœpit, quæ sub regibus septem durauit anuos 244. vsque in Monarchiam secundam.

VII. est *Regnum Spartanum*, quod etiam Laconum siue Lacedæmoniorum: quorum primus Rex Eurotas fuisse dicitur, à quo Dynastia prima 12. Regum ordine sibi mutuo succedentium: sed quamdiu regnarint tum singuli tũ vniuersi est incertum. Dynastia secunda fuit Heraclidarum; regnante enim Tisameno vltimo primæ dynastiæ rege Heraclidæ in Peloponnesum rediere, & ex his Aristodemi duo filij Eurysthenes & Procles regnum Lacedęmone inierunt, anno post excidium Troiæ 80. absoluto. Atque ex hoc tempore Lacedæmonij duos semper reges habuerunt simul regnantes, alterum ex Eurysthenis, alterum ex Proclis prosapia: quibus Licurgus adnepos Proclis, Eunomi regis filius, cum Rempublicam ordinaret, & leges ciuitati ferret Senatum 28. virorum adiunxit, sine cuius voluntate & consilio ipsis agere in Republica nihil licuit. Quod factum post regnum ab Eurysthene ac Proclo initum annis circiter 232. Deinde post annos circiter 131. atque adeò ab exordio regni Eurysthenis, & Proclis 363. cum regnum administrarent Polydorus Alcamenis filius Eurysthenides, & Theopompus Nicandri filius Proclides, surgente tum bello contra Messenios primo, authore ipso Theopompo, Regibus & Senatui appositi sunt Ephori quinque velut plebis patroni, absentiumque regum vicem gesturi: quibus data potestas annua; quæ cum temporis progressu creuit supra modum, vt etiam regibus & Senatoribus, & alijs ciuitatis primoribus esset formidini, simillima tribunitiæ in ciuitate Romana. In primis sub Theopompo creatus fuit Elatus, teste Plutarcho. Rursum post annos circiter 188. ab hoc Ephororum primordio, institutum, vt è numero quinque Ephororum, qui quotannis designabantur, vnus anno suo nomen daret, quem ex eo ἐπώνυμον siue cognominem dicebant, quemadmodũ apud Athenienses ἄρχων, & apud Romanos Consules. Factusque est primus ἐπώνυμος Ephorus Cleon, inter septem Græciæ sapientes numeratus, qui honorem illum gessit, si Eusebio credimus, Olympiadis 55. anno 3. cum ante triennium ferè in Persia regnum auspicatus esset Cyrus.

VIII. est *Regnum Corinthiorum*, cuius dynastiam primã fundauit Sisiphus Glau-

Glauci, & Ornythionis parens. Quorum Glaucus Bellerophontem chimeræ interemptorem, in Lycia regno potitum; Bellerophon Hippolochum, hic Glaucum, qui bello Troiano cum Diomede arma permutauit, genuit, vt ex Homero cognoscimus. Vnde patet quarta ante bellum Troianum ætate Sisyphum fuisse, primamque Corinthiorum dynastiã incepisse. At ex Ornythione nati sunt Phocus Phocensium gentis origo, & Thoas, qui in patria manens Demophontem, Demophon Propodium, & is Doridam & Hyantidam procreauit, omnes in ciuitate sua principatum tenentes. Postremis verò ad clauum sedentibus venit Corinthum Aletes Herculis abnepos cum Doriensibus, & oppressis illis rempublicam occupauit, ab eoque secunda dynastia incepit, & in generationem vsque quintam durauit. Postquã tertia fuit Bacchiadum, tempore Asæ Regis Iuda, qui à Bacchide Prinandis filio otti dominatum Oligarchicum Corinthi inuasere, & ad Telesten Aristodemo genitũ familię istius caput per quinque pariter ætates tenuere: quod tempus annis quasi ducentum metitur Strabo. Teleste autem ab inimicis perempto dominatui huic quoque finis datus est, & Prytanibus eiusdem Bacchiadici generis annuis Respublica commissa. Verum Prytanes hos euertit Cypselus Aetionis filius, Aechecratis nepos, potestatemque vniuersæ Reipublicæ in se vertens quartæ Cypselidarum dynastiæ author fuit. E Cypselo genitus est Periander ex septem Græciæ sapientibus vnus, tyrannus patriæ satis asper, vnde illo occiso Corinthij libertatem recuperarunt tempore captiuitatis Babylonicę, eamque cõseruarunt quo ad ciuitas stetit incolumis.

IX. est *Regnum Lydorum*, cuius prima dynastia fuit obscurior, quæ erat Atyadarum; secunda Heraclidarum, quæ ab Agrone circa tẽpora Iair Iudicis Hebræorum incepit, & reges viginti duo habuit, quorum vltimus fuit Caudaules à Gyge primo Mermnadarum euersus; vnde tertia Mermnadarum dynastia, circa tempus Ezechiæ regis Iuda, in qua fuerunt reges quinque Gyges, Ardys, Sadyattes, Alyattes, & Cræsus, quo à Cyro Persa cum Sardibus capto fuit finis regni Lydiæ.

X. est *Regnum Macedonum*, cuius conditorem Iustinus Caranum ex Heraclidis esse dicit; quemadmodum enim ex Aristedemo abnepote Herculis per filios eius duos Eurysthenem & Proclem propagatæ sunt duæ familiæ Regum Spartanorum, ita ex Temeno eius fratre descendcrunt reges, qui longo ordine rerum potiti sunt in Macedonia; quorum primus fuit prædictus Caranus, qui domicilium illic constituit, & regnum sibi parauit perangustis finibus circumscriptum, paulò ante finem Amasiæ Regis Iuda circa annum mundi termillesimum centesimum trigesimum septimum. Mansitque regnum obscurum & tenue per tempora successorum Carani numero VII. Cæni, Tyrimæ, Perdiccæ, Argæi, Philippi, Aeropi, Alcetæ, vsque ad Amyntham primum Alcetæ filium, qui primum supra maiores suos inclaruit, regnumque tenuit per annos totos quinquaginta. Quem excepit filius Perdiccas Thucydidi memoratus in historia belli Peloponnesiaci: & hunc Archelaus ex concubina natus, qui cęde fratris legitimi, item patrui Alcetæ, & filij eius regnum sibi parauit. Inde per varias mutationes tandem diadema peruenit ad Amyntam eius nominis secundum, patrem Philippi pariter secundi; qui Philippus post tres fratres regno potitus id ipsum plurimum auxit multis nationibus vicinis subactis: successoremque reliquit Alexandrum Magnum, Asiæ Orientisque domitorem, primum tertiæ Monarchiæ conditorem, quæ ipsa erat Macedonia, vt dicetur infra.

XI. est *Regnum Tyri*, quod fuit pars Regni Phænicei, cuius imperia potissimum erant Sidoniorum, Tyriorum & Aradiorum. Reges Tyri fuere XIV. quorum primus apud Iosephum lib. 8. cap. 2.

cap. 2. ex Menandro Ephesio memoratur Abibalus Dauidi regi Coæuus: alter Hiram, vel Hiramus Abibali filius Dauidis amicus, quique Salomoni ad ædificiũ templi ligna suppeditauit, vt lib. 1. Reg. cap. 5. videre est. Tertius Baalefer filius Hirami, amicus Salomonis: nonus Ithbaal, socer Achabi Regis Israel per filiam Iesabel: Tyri, & Sydonis rex XII. Pigmalion Didonis, quæ Cartaginem condidit frater: XIII. Ithbaal secundus debellatus à Nabuchodonosore, Olympiadis quadragesimę sextæ anno primo: vltimus Baal, contemporaneus Sedechiæ postremi regis Iuda, finijt Olympiadis quadragesimæ octauo anno secundo. Post quem Iudices præfuere sibi inuicem succedentes, numero septẽ: quorum antepenultimus Abdelinus, penultimus Merbal; vltimus Hiromus desijt Olympiadis quinquagesimæ sextæ anno secundo, aut tertio, Cyri in Persia regnantis octauo, triennio post euersum Astyagen Medum. Sunt qui ab initio Abibali, ad finẽ huius Hiromi numerent annos circiter quingentos durationis huius regni Tyri in Syria. Sed de his satis.

Asseruntur & expenduntur loca S. Scripturæ, quibus intelligendis prodesse potest notitia rerum historicarum ad primam Monarchiam attinentium.

ETsi varia sint Sacræ Scripturæ loca, in quibus fit mentio Monarchiæ Assyriacæ, seu Babylonicæ, rerũque ad illam spectantium, præcipua tamen sunt illa, quæ habentur Danielis cap. 2. vbi assimilatur capiti aureo; *Tu Rex Regum es*, &c. *tu es ergo caput aureum*; Capit. 7. vbi Leænæ, quæ alas habebat aquilæ; *Videbam in visione mea nocte, & ecce quatuor venti cæli pugnabant in mari magno. Et quatuor bestiæ grandes ascendebant de mari diuersæ inter se. Prima quasi leæna, & alas habebat aquilæ: aspiciebam donec euulsæ sunt alæ eius, & sublata est de terra, & super pedes quasi homo stetit, & cor hominis datum est ei.* Antequam autem explicemus vtrumq; locum, quo ad singulas partes, siue secundum quod pertinent ad vnamquamque Monarchiam in particulari, supponendum est tanquam certum, ex communi & vera interpretum sententia, tàm in primo sub statuæ hieroglyphico, quã in secundo loco sub specie quatuor ventorum cæli pugnantium in mari magno, è quo ascendebant quatuor bestiæ grandes, portẽdi quatuor celeberrima totius orbis imperia (quæ vulgo Monarchias appellamus, sicut Regem Galliæ & Hispaniæ vocamus Monarchas ob amplitudinem regnorum esto toti orbi non dominentur,) quorum vnum alteri immediatè successit prius euertendo, scilicet Chaldæorum, Persarum, Græcorum & Romanorum. Quæ quatuor regna comparantur vni statuæ, non quatuor, vel quia vnum alteri successit, & ex eo quasi natum est, sicut in statua vna pars alteri succedit, & inseritur; vel quia respectu orbis terræ, & respectu temporis continui in quo fuerunt, vnum quid fuerunt: vel tandem maximè respectu summi Monarchę, Dei Optimi Maximi per quem Reges regnare dicuntur, & Christi Domini in quem desierunt, vnũ quasi regnum fuerunt.

Cur verò supradicta quatuor regna potissimum à Daniele fuerint significata, prætermissis alijs plurimis variè solent adduci causæ. Prima est quia Daniel & Iudæi hæc quatuor imperia ferè tantùm agnouerunt, eorumque potentiam ac tyrannidem experti sunt, quando primò à Babylonijs, mox à Persis deinde à Græcis, puta ab Antiochis, denique à Romanis subacti, & in captiuitatem adducti fuerunt.

Secunda esse potest, quia exprimuntur quatuor tantum regna totius terræ florentissima, præteritis compluribus alijs tunc humilibus, & obscuris, & angustis, sicut erat regnum Sycioniorum, Atheniensium, Lacedemoniorum, Lydorum & aliorum huiusmodi; nec significabãtur hac imagine omnia regna post

futura simpliciter, sed tantùm futura vsque ad aduentum, & tempus Christi, cuius sempiternum imperium in lapide, qui ex tantula mole orbem totum impleuerat, expressum est; quocirca quæ post exorta sunt imperia, Gothorum, Saracenorum, Turcarum, Chinensium, ad huius figuræ significationem minimè videntur pertinere, nisi secundum quod aliqua eorum sunt diuisi imperij Romani membra. Tertia causa est, quia imago hæc significabat reuolutionem, seu conuersionem non quorumlibet regnorum, sed eorum quorum vnum ita proximè successit alteri, vt posterius euerteret prius, & prioris ruina, posterioris imperij origo & dilatatio esset. Id quod in his quatuor regnis Chaldæorum, Persarum, Græcorum & Romanorum cōtigisse, liquidum videmus: quo fit vt extra huius imaginis significationem sint antiqua Aegyptiorum, Scytharum, & Cartaginensium imperia, quæ nec inter se, nec cum his quatuor regnis, prædictum ordinem, & seriem successionis habuerunt. Non rectè igitur Prosper in lib. de promiss. & prædict. Dei part. 2. cap. 33. secutus Paulū Orosium, interpretatus est per ventrem & femora ærea huius statuæ, figuratum fuisse Punicum, seu Cartaginense imperium. Quarta causa est, quia volebat Deus regis animum ab omni cupiditate terrenorum regnorum auocare, & ad Christi regnum erigere; quod illa omnia caduca sint, atque mortalia; hoc sempiternum vt docet v. 44. propterea de illis tantùm monarchijs similitudinem proposuit, quæ vt diximus recta & continua serie ac successione Christi regnū erant præcessuræ, in eoque terminandæ. Quinta tandem & vltima causa, quam præcipuam putant, est; quod Nabuchodonosor tantùm cogitabat de suo regno, quidque post illum futurum esset, & an sicut ipse successerat Assyrijs, ita Medi, Persæ, Aegyptij vel aliqui alij ipsi succederent, & imperium ad aliam gentem transferrent. Hoc enim eum cogitasse patet ex ver. 29. Huic autem cogitationi Deus per hoc somnium, perque hanc statuam respondere voluit, scilicet illi & Babilonijs successuros Persas, Persis Macedones, hisce Romanos, & hosce in Christum, qui est Rex Regum desituros; itaque de hisce solis agit, reliqua verò regna, vt ad cogitationem Nabuchodonosoris, & ad rem propositam nō pertinentia prætermittit. Porrò Medi hic sub Persis intelliguntur; vtrique enim euerterunt imperium Babylonicum, vt dicemus capite sequenti; sicut sub Babylonijs intelligi possunt Assyrij siue Chaldæi; Babyloniorum enim monarchia, pars & propago quædam fuit monarchiæ Assyriorum vt iam notauimus supra.

Statua autem hæc, vt singula prosequamur, referebat figuram, vel similitudinem hominis, quia significabat conuersionem regnorum: ratio autem regni potissimum in hominibus consistit, hoc est in Rege, & subditis; regni quoque splendor, nobilitas, potentia, antiquitas, magnificentia & fortitudo præcipuè in hominibus posita est, quin cōmutatio regnorum ob imperij ex vna gente in aliam translationem maximè fieri solet. Verùm cum inferius capite nimirum septimo, eadem Monarchiarū varietas monstretur per quatuor bestias ascendentes de mari, putant aliqui per hanc rationem nodum propositum non sufficienter solui; aliterque cum Theodoreto respondent hoc loco. *Imago*, inquit, *figura rei est, non ipsa res*. Quibus verbis duo breuiter ponderare videtur Theodoretus in prædicta apparitione humanæ imaginis, & quod imago sit, & quod humana. Primùm, omnes mundi Monarchias in statuam per imaginationem compactas, hoc ipso non esse quid stabile, sed imaginarium; adeoque regalem in eis præeminentiam, re vera non esse realem, sed fictitiam. Secundùm, quod in Theodoreti dicto inest, illud est: cum homo, cuius imaginem fert statua, sit ipsa vanitas, Psal. 38. ideo Monarchias sub specie hominis demonstrari, vt significetur, eo quoque ipso res esse vanissi-

nissimas, quod imago figura rei sit, non ipsa res, id est minus adhuc soliditatis, & constantiæ habens; de quo vide Fernandes visione 21. vbi Theodoreti dictum sic pluribus explicat. Dicitur insuper intuitus illius statuæ terribilis; ob admirationem, secundum aliquos, minus tamen benè ad præsens institutum: etsi enim, *terribilis, horribilis*, & similia non semper id valeant, quod timorem incutit, & malorum expectatione animũ turbat: sed interdum, idque non rarò, vt non prophanorum solùm; sed etiam Sacrorum Scriptorum exempla confirmant Matth. 9. Lucæ 1. & 7. quod stuporem affert, & admirationem propter pulchritudinem, artificium, aut speciem aliquam inusitatam, & variam, qualis fuit hæc, quæ Nabuchodonosori per quietem oblata est; probabilius tamen est hic dici intuitum statuæ terribilem, non tam ob admirationem, quam ob pauorem & horripilationem regi incussam, quod statim in principio capitis satis ostenditur. Viso etenim somnio de Rege dicitur, *Conterritus est spiritus eius*. Nec certè poterat esse statua non terribilis in hoc sensu, quæ tot regnorũ casum, aut constitutionem significaret, cum vtrumque fieri non possit sine magno terrore bellorum, sine fæda principum cæde, sine depopulatione, & vastatione regionum, ac populorum; sine multa hominum internecione. Deinde non poterat non speciem formidabilem obijcere tantæ imaginis confractio, & vsque in puluerem resolutio, exigui lapidis allisione, qui mox instar magni montis vniuersam terrã occupabat. Ad hæc credendum est, minacem fuisse spectri vultum, quem in se intentum, & quodammodo imminentem Rex ipse intueri videbatur. Tantùm de prima Danielis visione, in qua sub specie humanæ statuę è diuersis metallis compactæ monstratę sunt varię regnorum successiones; nunc ad secundam.

Altera Danielis visio est illa, qua sub specie quatuor ventorum confligentium in mari magno, & quatuor bestiarum grandium inde ascendentium, eamdem significauit eorumdem quatuor regnorum commutationem; vnde patet secundam hanc, & primam illam Danielis visionem iam explicatam, partim inter se conuenire, partim verò differre. Conueniunt dupliciter, tùm in re figurata, & significata, quæ est conuersio illorum quatuor regnorum, tum in modo visionis: vtramque enim contigisse dormientibus per somniũ, habetur in sacro Textu. Sed plurimis modis differunt, primùm tempore, nam secunda visio accidit post primam quadraginta annis, tot enim anni reperiuntur à vigesimo quinto anno Nabuchodonosoris, quo anno somnium hoc ei euenit, vsque ad primum annum regni Balthasaris. Secundò ratione personæ, nam secunda soli Danieli, prima verò prius regi Nabuchodonosor, tùm Danieli etiam obuenit. Tertiò in qualitate figuræ, ac similitudinis. Nam prima sub specie vnius statuæ è diuersis metallis conflatæ expressa est, secunda sub similitudine quatuor ventorum in mari magno confligẽtium, & quatuor animalium ex eodem mari emergentium. Quam vltimam dumtaxat differentiam hic explicabimus.

Primum igitur constare debet, per *mare magnum*, consuetudine Sacrę Scripturę, intelligi Mediterraneum quod Hebræi, quia Oceanum nunquam viderant, magnum appellabant, comparatione maris mortui, aut maris Tyberiadis, quæ licet sinus potius, aut stagna appellari potuerint, maria tamen appellantur, quia sunt aquarum congregationes, quæ secundum proprietatem linguę Hebraicæ, vocantur maria. Quomodo etiam vas latum, quod ad templi sacrorumque munditiam conflatum à Salomone fuit, mare dicitur ęneum. Per quatuor ventos significantur quatuor principales venti, qui ex quatuor principibus mundi partibus ortum & motum habent, nempè ex Oriente, Eurus; ex Occidente, Zephyrus; ex Septentrione Boreas; ex Meridie Auster. Quos ventos

tos etiam intellexit Dominus Matth. 24. cùm de extremo Iudicio loquens dixit: *Mittet Angelos suos cum tuba, & voce magna, & congregabunt electos eius à quatuor ventis.* Et Isaias 43. expressè eosdem nominans ait: *Ab Oriente adducam semen tuum, & ab Occidente congregabo te. Dicam Aquiloni, da; & Austro noli prohibere. Affer filios meos à longinquo, & filias meas ab extremis terræ.* Quoniam autem vis, impetus, pugna ventorum, & maior & vehementior in mari, quàm in terra, & in ampliori mari, quàm in angustiori esse solet, idcircò vidit Daniel, ventos in mari magno valdè concitatos inter se pugnare.

Sed est maior difficultas inter Sacros Doctores, quid eiusmodi visio ventorum inter se pugnantium significauerit; tres enim circa hos sunt interpretationes. Prima D. Hieronymi per quatuor ventos intelligentis Angelos quatuor regnorum, de quibus loquitur, præsides; sunt enim Angeli vt venti, inuisibiles & celeres: vnde ait Psaltes; *qui facit Angelos suos spiritus*; cuilibet enim regno præsidere vnum aliquem Angelum, cõmunis est Patrum doctrina, pugnare autem inter se se pro suis regnis Angelos habetur cap. 10. Danielis; Secunda est Alberti Magni, nomine ventorum interpretantis Angelos malos, qui in quatuor monarchijs, de quibus in hac visione agitur, maximam potentiam & imperiũ habuerunt: si quidem in illis, non verus Deus, sed dæmon, & idola colebantur. Qui dicuntur pugnare inter se, scilicet effectiuè, quod homines illarum monarchiarum, ad bella atrocissima, fædissimasque cædes concitarunt. Tertia interpretatio propius accedens ad verum Theodoreti est, qui in quatuor ventis significari putat, quatuor insignes bellorum tumultus, qui quatuor bestiarum, id est quatuor orbis imperiorum exortus præcesserunt: vt enim nonnisi prius turbato mari, emerserunt belluæ, in quibus adumbrari imperia ab Angelo didicit Daniel, sic etiam nonnisi exagitato prius bellicis tumultibus mundo, orbis obtinuerunt imperia illi, quos varia belluarum natura, significabat iuxta Scriptorum ea de re communem fidem. Narrat enim in primis Iustinus initio suę historiæ, & Diodorus lib. 3. Ninum Monarchiæ Assyriorum primum conditorẽ maximam orbi terrarũ attulisse perturbationem. Deinde author est Herodotus lib. 1. Monarchiam Persarum sub Cyro exorientem totam Asiam tremefecisse. Sed & de exortu Monarchiæ Græcorum sub Alexandro, cum ex alijs rerum eius Scriptoribus, tum ex proœmio prioris libri Machabæorum, perspicuè habemus totum terrarum orbem exagitatum & conuulsum. Tandem, Romanorum imperium, aliorum mundi regnorum labefactione, & interitu, ortum auctum firmatumque esse, omnium ferè Scriptorum monumenta testantur.

Vltima est Ruperti lib. 1. in Daniel cap. 12. qui idem significari putat in quatuor cæli vẽtis, quod in totidem belluis, quæ ex illo maris æstu prodierunt; quatuor nimirum imperia, quorum ingenium varium, & mores diuersi. Huius sententiæ, iuxta quam videtur magis suauiter fluere sensus litteræ, duas adducit rationes Maldonatus qui illã amplectitur. Prima est, quia cum de rebus, quas in somnio viderat Daniel, ab Angelo rogaret; de imperijs tantùm egit quia nimirum tota illa visio ad illa orbis imperia tantùm pertinebat; alioqui aliquid etiam aliud de ventis addidisset. Altera ratio est, quia vsitatum est in Scriptura, vt rerum certitudo, & firmitas duplici spectro, aut similitudine declaretur: vt constat in septem vaccis pinguibus ac nitidis, & totidem macilentis & horridis; & rursus in septem spicis plenis, & totidem vredine percussis, quę oblatę fuernt Pharaoni dormienti; quibus septem anni vberes, & pleni; & totidem infelices, ac steriles significabantur. Quod Iosephus ipse somniorum interpres declarauit Genes. 41. *Quod autem vidisti secundò ad eamdem rem pertinens somnium, firmitatis indicium est.* Tertiã rationem adhuc magis efficacem addit San-

Sanctius in commentarijs super Zachariam ad illud cap.6. *Isti sunt quatuor venti cæli*; Viderat eo loco Zacharias quatuor quadrigas; ignorabat tamen quid ille quadrigarum cursus portenderet, cumque ea de re Angelum rogaret: respondit: *Isti sunt quatuor venti cæli*. Quæ responsio nihil dubitanti prophetæ lucis attulisset; nisi allusum fuisset ad aliquid, quod sub eo nomine, vel metaphora notum esset omnibus, quodque cum quadrigarum spectro significatione conueniret. Certum est autem obiectis Zachariæ quadrigis adumbrata fuisse gentium imperia: quare dum quadrigæ quatuor cæli venti fuisse dicuntur, id planè dicuntur significare, quod venti quatuor de quorum sinificatione non dubitabat Zacharias; quia id sæpe aut legerat, aut ab ipso didicerat Daniele, cum quo vixisse extremo captiuitatis tempore verisimile est. Sed iam videamus, quid habent venti, qui mare conturbant & exagitant, cum imperijs commune; quid bestiæ, quibus comparantur.

Dicendum est tam in quadrigis, quã ventis imperia designari ea figura, qua ex causa effecta, aut ex antecedentibus consequentia intelliguntur. Imperium antecedunt bella, & varij motus, quæ optimè exprimuntur quadrigis, quæ maxima sunt, ac præcipua bellorum instrumenta. Mutationes etiam, & rerũ vicissitudines optimè significantur à vẽtis, qui in mare incumbunt, illudque turbant, & magnis ac crebris æstibus exagitant. Vnde sicut quadrigæ imperia non sunt, sed illorum comparandorum instrumenta, in quibus ipsa designantur imperia: sic etiam venti bestiæ non sunt aut imperatores, seu imperia in bestijs adumbrata, sed id quod turbato mari deinde ad imperium emersit. Hinc patet tertiam Theodoreti sententiam, cum quarta facilè accommodari posse, & cũ illa coincidere. Monarchiæ autem comparantur bestijs, vel ad exprimendam amplitudinem ditionis, & magnitudinẽ imperij, quod in vnaquaque illarum quatuor monarchiarum diu floruit, sicut ad cap. 4. Danielis per bestias illas sub arbore regia degentes intepretantur aliqui magnates in republica, atque in aula regia principes viros, quos terræ Monarchas dicere solemus, de quo vide Fernandes vision.24. vel certè quod verisimilius est, ad significandam crudelitatem & ferocitatem, qua omnes ferè reges cuiusque Monarchiæ multa inhumaniter gesserunt, morumque immanitate bestijs, quam hominibus fuerunt similiores: in Scriptura enim frequentius bestias dicimus, quæ ferocitate præualent, quasi à vastando. Psal.73. *ne tradas bestijs animas confitentes tibi*, id est hostibus ferocibus ac vastatoribus. Vel denique hæc imperia assimilãtur bestijs, non hominibus, quia magna ex parte fuerunt iniustè ac tyrannicè acquisita, æquè ac gubernata. *Commune etiam vitium Monarchiæ est tyrannis*, ait Elias Cretẽsis in Apologetico Nazianz. orat. 1 & S. Augustinus lib. 4. de Ciuitate Dei cap. 4. & 6. talia regna vocat magna latrocinia. Quod quidem in vno illo ex quatuor Monarchis Alexandro vrbaniter admodum, ac planè liberè exprobrauit quidam comprehensus pirata, vt citato loco refert Augustinus. Illum namque reprehendens Alexander, quid tu inquit, nauigio tuo, hoc mare infestum habes? & tu, inquit, cur orbem terrarũ hac tua classe? quasi diceret, hoc solùm differimus, quod ego nauigio paruo, tu grandi classe piraticam exerceamus, ac adeo, paruus ego sim, tu grandis latro. Itaque remota iustitia, concludit Augustinus, quid aliud sunt regna nisi magna latrocinia, & quid latrocinia nisi parua regna? Dicuntur tamen subinde hæc imperia à Deo fuisse data & concessa; primò, quia Deus ea permisit. Secundò, quia ijs vsus est ad Iudæorum, & aliarum gentium punitionem. Tertiò, nominatim de Cyro dicitur, quod eum Deus crearit regem, quia cum direxit ad imperium hoc fine, vt ille Iudæos è captiuitate Babylonica liberatos dimitteret. Illud portò notandum, bestias dici

diei aſcendere de mari, conuenienti metaphora, quia quod aſcendit, id prius erat in humili loco, vnde paulatim euehitur in celſiorem locum: ſic principia cuiuſque Monarchiæ fuerunt admodum parua & obſcura: paulatim verò quaſi per gradus, ad ſummum imperij, & potentiæ faſtigium aſcenderunt. Ad extremum in hac viſione, *mare magnum*, ſignificat hunc mundum, vel ſtatum & conditionem rerum humanarum: ſanè meritiſſimè. Eſt enim mundus hic amaritudinis, & acerbitatis vſquequaque pleniſsimus: eſt item admodum inconſtans, & inſtabilis, periculiſque refertus. Hactenus de quatuor Monarchijs veluti in genere, ſiue quantum ad generalia quædam earum attributa in ſupradictis duobus Danielis viſionibus deſignata; ſupereſt iam vt primum ea, quæ ſunt Monarchiæ Aſsyriorum, vel Babyloniorum propria explicemus.

In prima igitur viſione Danielis c. 2. ſub ſpecie capitis aurei ſtatuæ deſignata fuit Monarchia, vel regnum Chaldæorum; quod enim dixit Daniel Regi Nabuchodonoſori verſ. 37. *Tu es rex regum & ſub ditione tua vniuerſa cõſtituit Deus, tu es ergo caput aureum*; ponit ibi regem pro regno, in quo eſt velut in capite totum regnum: non enim hic agitur de regibus, ſed de regnis: id quod patet ex eo, quod proximè ſequitur, *poſt te conſurget aliud regnum*, quibus verbis non ſignificatur regnum Perſarum ſurrecturum poſt obitum Nabuchodonoſor, ſed poſt regnum Chaldæorum, cui tunc ipſe præerat. Vnde notandum eſt in illis verbis, *tu es caput aureum*, triplicem latere figuram: nam primo ponitur vt diximus, rex pro regno, *tu es caput aureum*, id eſt tuum regnum eſt caput aureum. Altera figura eſt in eo, quod rex, ſeu regnum Chaldæorũ dicitur eſse caput aureum, pro eo, quod eſt, ſignificari ſeu figurari capite aureo, res enim ſignificata & figurata nominatur vocabulo ſigni, & figuræ: qua figura orationis vtitur Scriptura, cum Eccleſiam Chriſti appellat Sion, vel Hieruſalem, & ipſum Chriſtum vocat Dauidem: ſicut interdum contra fit, vt quod eſt figura nominetur vocabulo rei figuratæ: quemadmodum D. Paulus 1. Corinth. cap. 10. dixit: *Petra autem erat Chriſtus*; id eſt petra figurabat Chriſtum. Lege D. Auguſtinum in quæſtionibus ſuper Leuiticum quæſt. 57. Tertia figura eſt in illis verbis: *caput aureum*, continens duplicem metaphoram, alteram capitis, alteram auri. Vtramque explicemus, vocatur caput, vt oſtendatur Monarchiæ Chaldæorum ordo, quo omnium prima & antiquiſſima dicitur, ſicut caput in animali membrorum omnium caput eſt, quod maximè verum eſt, ſi cum alijs regnis, quæ deinde conſecuta ſunt, conferatur, de quibus potiſſimum eſt ſermo. Cum enim de futuris eſſet hoc ſtatuæ portentum, ad vota regis, qui cogitabat, *quid eſſet futurum poſt hæc*, nihil intererat quę aut qualia anteceſsiſſent imperia, eum hæc de illis regius animus non laboraret. Aſsimilatur etiam capiti regnũ Chaldęorum, vel Babiloniorum, quia in eo viguit ſapientia, cuius ſedes eſt caput; vt patet Iſaiæ cap. 47. verſ. 10. *Sapientia tua & ſcientia tua hæc decepit te*.

Sed eſt maior difficultas de ſecunda Metaphora, cur nimirum imperium Babyloniorum vocetur aureum? pręſertim cum Perſarum poſtea videatur fuiſſe ęquè opulentum, vel opulentius. Reſpondent aliqui primò per aurum, argentum, æs, & ferrum ſignificari quatuor horum regnorum non opes, potentiam, aliasve qualitates, ſed tantùm ſeriem & ordinem temporis: quaſi diceretur, ſicut inter metalla, primum dignitate eſt aurum, ſecundum argentum, tertium ęs, quartum ferrum: ita inter hæc regna primum tempore & duratione erit Babyloniorum, ſecundum Perſarum, tertium Græcorum, quartum Romanorum. Verùm cum hæc primitas temporis monarchiæ Babyloniorũ ſufficienter iam pręſignata fuiſſet in prima capitis metaphora, dicendum eſt, non tam vocari auream, ad ſignificandam eiuſmodi primitatem, quàm alias plures ſingu-

singulares illius monarchiæ qualitates. Quare alia ineunda est ratio; & primùm statuendum, in alijs regnis aliquid esse deterius, neque accedere ad id quod in Chaldæorum regno eximium fuit aut optabile; quod docent communiter Patres, & ipsa natura metallorum ostendit. Quamuis quid illud sit valde inter doctores dubitetur.

Primò enim putant aliqui ideò Babyloniorum imperium vocari aureum, vel vt ait Ieremias cap. 51. ver. 7. *Calix aureus*, quia non tantum opulentum fuit & splendidum, sed & felicissimum, gloriosissimum, famosissimum, & amplissimum. Sic enim explicat Daniel dicens: *Tu rex regum es: Et Deus cæli regnum, & fortitudinem & imperium & gloriam dedit tibi &c. Tu es ergò caput aureum.* Nam breuissimo tẽpore subiugatis Syris, Iudæis, Tyrijs, Ammonitis, Moabitis & Aegyptijs, qui tunc erant potentissimi, atque à tempore Iosiæ cum Assyrijs & Babylonijs de imperio & summa rerum decertarant, amplissimũ euasit Babyloniorum imperium. Vnde Ieremias omnes gentes, scilicet tunc cognitas & celebres, Nabuchodonosori fore subiectas & seruituras prędicit cap. 27. & Habacuc cap. 1. v. 10. *Ipse*, inquit, *de regibus triumphabit, & tyranni ridiculi eius erunt*, quasi diceret, erunt ei risui & contemptui. Et Daniel c. 4. v. 19. *Tu rex*, ait, *magnificatus es, & magnitudo tua peruenit vsque ad cælos, & potestas tua ad terminos vniuersæ terræ.* Quocirca Isaias cap. 7. Babylonem appellat dominam regnorum, & cap. 14. gloriosam in regnis & inclytam, & à Ieremia c. 50. vers. 21. eadem dicitur terra dominantium, & vers. 23. malleus vniuersæ terræ. Quinimò tota ferè prophetia Ieremiæ & Ezechielis est de Nabuchodonosore, deque eius in Iudæos, omnesque gentes dominatu, idque ex voluntate Dei. Sic ergò ipse Persis fuit maior & felicior: vnde & magnus cognominatus est, ac vt talis in Scriptura, & historijs est celeberrimus. Vocatur hic à Daniele *rex regum*: Isaiæ cap. 14. comparatur Lucifero, qui fuit summus inter Angelos: Ezechiel. 17. assimilatur aquilæ grandi magnarum alarum: & Ieremiæ 4. vocatur Leo & prædo Gentium. Quod igitur ait Daniel, *consurget regnum aliud minus te*; particula minus verti non potest, post te, siue posterum, id est minus antiquum, & minus diuturnum; si nihil aliud addatur: cum verbum Chaldæum *ara*, non significet posterius, sed minus, humilius, inferius, vt vertunt Septuaginta, nostra vulgata, Vatablus & alij passim. Vnde ab *ara* Chaldaicè pauimentum vocatur *arit*, quia in domo est infimum & imum; & terra vocatur *ara*, quia in mundo est infima, eiusque centrum.

Secundò Babyloniorum imperium vocatur aureum, quia eorum potentia & gloria non tam armis, laboribus & fortitudine bellica, vti Persarum, Græcorum, & Romanorum (qui cum gentibus fortioribus & in armis iam exercitatis concertarunt) quam hostium in bellando inexperientia, & ignauia, æque ac opibus & luxu creuit, fuitque hoc nomine orbi illustris, & splendida. Vnde Ieremias cap. 5. de Babylonijs ait: *Calix aureus Babylon in manu Domini inebriãs omnem terram: de vino eius biberunt gẽtes, & ideo commotæ sunt*: Calix enim aureus significat opes, luxum, ac consequenter idololatriam quam Babylonij alijs gentibus triumphantes inuexerunt.

Tertiò Theodoretus censet per hanc metallorum distinctionem, non tam populorum, qui imperia deinceps tenuerunt, opulentiam, quam vires & robur significari. Vt enim magis durum est argentum auro, argento æs, & hoc ferrum: sic etiam Persicæ vires Babylonicis, Persicis Græcæ, Græcis deinde Romanæ præcelluerunt. Cui sententiæ videtur fauere, quod vers. 40. ideo quartum regnum ferreum esse dicitur quia, *quomodo ferrum comminuit, & domat omnia; sic comminuet, & conteret omnia hæc.*

Quartò Isidorus putat ideo aureum vocari Chaldæorum imperium, Persarum argenteum, æreum Grecorum, Romano-

manorum ferreum, quia illud primum magis diururnum fuit, magis pacatum, & vnitum; alia verò posteriora perrurbationum plena dissipata, neque adeò in regio splendore diuturna; vt pluribus ostendit Gaspar Sanctius in hunc locum.

Quintò his metallis, quæ à primo semper ad deteriora labuntur, potest significari potentiam humanam sensim collabi,& ad interitum continenter ruere, donec quæ magna visa sunt, & omni casu superiora, vanescant in nihilum: igitur quia res humanæ plerumque in peius ruunt, prima Monarchia si cum secunda compararetur, aurea potest appellari; secunda argentea, si cum tertia; tertia tandem ærea, si cum quarta quæ ferrea dicitur.

Sextò Babyloniorum imperium vocatur à Daniele aureum, quia Babylonij auri erant studiosissimi, illudque à gentibus subactis exportabāt & coacervabant, vti ex Iudæa abstulerant omnia vasa aurea, & argentea, etiam templi, eaque plurima & maximi pretij. Ad hoc igitur respicere potuit Daniel, vt pote Iudæus, significans Salomonis thesauros, & Iudęorum aurum & opes in Babylonem esse translatas, dum illam auream appellauit.

Hæ sunt pręcipuæ rationes, ob quas sacri interpretes putāt aureum dici Babyloniorum imperium, quæ licet sint valdè congruæ, non tamen omnino certæ, quia multa sunt postea in sacro textu, quæ non ita facile se cum omnibus illis conciliare possunt. Solum ergo est certum, quod sicut ab auri nobilitate quicquid est pulchrum, honestum, nobile, aureum appellari solet: quomodo aurei dicuntur mores, aurea simplicitas, aurea sęcula, quia pacata, quia in illis rerum ad vitam necessariarum prompta subsidia; ita etiam imperium Babylonicum ob aliquod præ alijs insigne priuilegium, vocatur aureum; sed ob quod præcisè, in dubio est positum.

Aduertendum est vltimò, non ita à Daniele Nabuchodonosorem regem regum appellari, vt pro omnibus mundi regibus sumatur dictum: quemadmodū Apocalipseos 19. pro singulari prærogariua de Christo effertur: *Habet scriptum in vestimento, & in femore suo, Rex Regum, & Dominus Dominantium.* Certùm est enim idem non posse de rege isto pronunriari; sicut nec illud, quod Deus sub ditione eius vniuersa constituerit, vt subijcit idem Propheta. Constat enim, nec Europam saltem totam, quidquid sit de Hispania, quā Megasthenes asserit fuisse ab illo subactam, nec Indiam, vt alias complures prouincias, & gentes taceam, sub regis eius imperio & dominatione fuisse subiectas. Quapropter dicendum est, Nabuchodonosorem quia debellauerat magnam, & principalem partem orbis, tum Chaldæis cogniti & famosi, ideo dictum vniuersæ terræ dominatorem, & eodē sensu Regem regum, idque per figuram Synecdochen in Scriptura sacra frequēter vsitatam; veluti Lucæ 2. dicitur, *Exijsse edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis.* Cùm tamen vniuersus orbis nō fuerit descriptus, sed Romanus, id est, Romanis armis subactus, qui quoniam amplitudine sua latè fundebatur, orbis appellatione significari consueuerat. Vel in his verbis est hyperbole, figura sacris etiam litteris perfrequens, qua, vt magnitudo rei exprimatur, ea supra veritatem extollitur, quomodo Genes. 22. dicitur semen Abrahæ, tanquam arenam maris multiplicandum; & in lib. 2. Reg. cap. 1. Saul & Ionathas dicuntur Aquilis velociores; & in 3. Reg. cap. 10. dicitur tempore Salomonis fuisse tanta copia argenti, quanta erat lapidum. Vel Phrasis est hęc peculiaris diuinæ Scripturæ ponere omnes pro multis, sicut contra multos pro omnibus. Prioris exemplum habetur Genes. 22. in quo dicuntur benedicendæ omnes gentes, pro eo quod est, multæ gentes. Nam cap. 17. dixerat ei Deus, *Patrem multarum gentium constitui te.* Posterioris exemplum reperitur in cap. 5. Epist. ad Romanos; vbi

Pau-

Paulus ait: propter inobedientiam Adami constitutos esse peccatores multos, id est, omnes, nam ibi dixerat, omnes peccasse in Adamo. Vel Daniel hęc dixit secundum existimationem, & morē loquendi Chaldęorum, qui regem suū, quo magnitudinem imperij eius extollerent, vel quo magis ei adularentur, Regem Regum, & dominum vniuersæ terræ appellare solebant. Vel etiam quia rex ipse inanes hos sibi tribuebat titulos. Neque sane mirandum, si hæc de se tam superbè sentiret, cùm in deorum numero censeri voluerit; eoque studio auream excitauerit statuam, quam illustri loco populis adorandam proposuit. A quo idem didicit Balthasar nepos, qui vt imperium ab auo; sic etiam insanos illos spiritus accepit. De quo Isaiæ cap. 14. *Corruisti in terram qui vulnerabas gentes, qui dicebas in corde tuo, in cælum conscendam; super astra Dei exaltabo solium meum; sedebo in monte testamenti in lateribus Aquilonis; ascendam super altitudinem nubium; similis ero altissimo*. Vel appellatur Rex regum, quia tunc plures habuit reges suæ potestati subiectos, aut qui confœderati essent, & tributa dependerent; quales fuerunt, qui paulo ante regnarunt Hierosolymæ, aut qui eo tempore captiui Babylone tenebantur. Reges nempe Tyri, Aegypti, Idumeæ, Moabitarum, & Ammonitarū, quorum regiones ante hoc tempus bello domuerat. Reges porro regionum illarum fuisse captiuos, indicat Ieremias cap. 25. & 27. Vel denique dicitur Rex regum, vniuersæque terræ dominator, non actu, sed potentia, quia de facto ita suę dominationi plura subiecerat regna, vt etiam præ suis viribus, suaque fortitudine potuisset omnia alia subiugare. Tantùm de prima visione, ex qua fortasse Gentiles fabulam acceperunt de primo sęculo aureo, secundo argenteæ, tertio æneo, quarto ferreo, quam Virgilius Ecloga 4. & lib. 8. Aeneidos describit, sed omnium optimè Ouidius lib. 1. Metam. vbi quatuor depinxit ætates iisdem omninò metallis expressas, quæ oblata sunt regi dormienti, ita vt sibi omnino proposuisse videatur hunc Danielis locum, quem exprimeret.

In secunda visione cap. 7. Danielis Monarchia Chaldęorum Leænæ assimilatur, quæ alas habet aquilæ; non solum quia vtrumque animal regiæ maiestatis symbolum est. Leo ob generositatem, aquila ab altissimum volatum: Aut quia vt Leo belluarum est princeps & caput, & eo nomine aliqua ratione primus; sic etiam Chaldęorum imperium primum fuit, natum videlicet non longe post mundum communi inundatione deletum; non ob has, inquam, duntaxat rationes Daniel Monarchiam Chaldęorū Leænæ comparat, quæ alas habet aquilæ, sed ob alias etiam plures; D. Hieronymus duas adducit, primò, quia sicut Leæna crudelis est, secundo ad libidinē vehementer ardens: sic Assyrij, atque Chaldæi præferoces fuerunt, & sanguinarij; & in omnem Veneris intemperantiam effręnes: vnde ad hoc exaggerandum, licet in Hebræo non sit hęc differentia, imo sit אריה quo significatur Leo, rectè nostra vulgata vertit, Leæna; quæ vt tradunt Aristoteles & Plinius, Leone est ferocior, maximè cum nutrit catulos, semperque gestit ad coitum, nec vnius Leonis contenta congressu, etiam cum hyæna, & pardo miscetur. Quamobrem si Pierio Valeriano credimus, Leæna meretricis est symbolum, & ita fingitur monstrum quoddam leonino corpore cum fęminea facie: & Laidis scorti à corporis quęstu insignis sepulchro insculptam fuisse Leænā vulgatam est. Quanta autem fuerit Chaldęorum crudelitas, quam barbarus furor, diuina Scriptura multis locis exaggerat; Ieremias in Threnis, vbi neque ætatis, neque sexus vllam habitam esse rationem lamentatur: atque ideo sæpe Leones appellantur Chaldæi, quorum ingenium optimè Isaias expressit cap. 5. vers. 29. *Rugitus eius vt Leonis, rugiet, vt catuli leonū, & frendet, & tenebit prædā; & amplexabitur, & non erit qui eruat.* Et Ieremias cap. 4. v. 7. *Ascendet Leo de cubili*

tubili suo, & prędo Gentium se leuabit. Quanta insuper fuerit eorumdem intemperantia, & incredibilis libidinum obscænitas, ex eo patet, quia vt inquit Baruch c.6. honori esse ducebant Babyloniæ fęminæ cum pluribus concubuisse: immo & pecuniam ex meretricio quæstu, aut ex prostituto pudore coactam, sacram esse putabant, & illius oblatione placari Deos, & eorum conciliari gratiam. De quo vide Herodotum lib. 1. in Clio, & Q. Curtium lib.5.

Quod autem Leæna hęc dicitur habuisse alas aquilæ, significat mira eius regni, breuissimo tempore, incrementa, & incredibilem regis pręsertim Nabuchodonosor in consequendis victorijs, & dilatando imperio celeritatem. Vndè rex hic fuit quasi monstrum: partim enim fuit Leo ob sęuitiam, partim aquila ob celeritatem in conficiendis bellis. Nam Leo fortissimus est, sed aquila velocior: aquila velocissima est, sed Leo fortior. Sic Chaldęorum in subiugandis prouincijs admiranda celeritas non semel in sacris Scripturis aquilarum similitudine declaratur. Ieremiæ cap. 4. *Ecce quasi nubes ascendet, & quasi tempestas currus eius, velociores aquilis equi illius*. Et cap. 48. *Ecce quasi aquila volabit, & extendet alas suas ad Moab*. Eadem item verba repetit cap.49. cum loquitur de Bosra, & Thren. cap.4. *Velociores fuerunt persecutores nostri aquilis*. De eisdem habetur Habacuc cap.1. *Ego suscitabo Chaldæos, gentem amaram & velocem, ambulantem super latitudinem terræ, vt possideat tabernacula non sua; horribilis, & terribilis est, leuiores pardis equi eius, & velociores lupis vespertinis, equi eius volabunt, quasi aquila festinans ad comedendum*. Chaldæa gens amara, & velox; expressa explanatio Leænæ alatæ, fortis, videlicet, audacis, ac celeris in agendo. Quæ duo necessaria sunt, & abunde sufficiunt ad imperiū breui amplificandum. Cęteræ comparationes huc similiter tendunt, vt fortitudinem & audaciam cum velocitate coniunctam declarent. Quod enim de lupis vespertinis dicitur, scitum est eos vespertino tēpore, ob diurnam inediam velociores surgere ad agendas prædas, Ierem. cap.6. Item per alas aquilæ putant aliqui significari Nabuchodonosoris superbiā, quia sicut aquila omnium auium volat altissimè, nec reuerita solem, contumaci constantique acie in ipsum intuetur: ita rex ille tanta fuit superbia, vt Deum contemneret, & se se pro Deo adorari iuberet. Eius superbissima illa verba refert Isaias cap.14. *Ascendam super cælum, super astra exaltabo solium meum, similis ero altissimo*.

Postea dicuntur euulsæ ipsi alæ; *Aspiciebam donec euulsæ sunt aliæ eius*; quæ verba de Nabuchodonosore accipiunt aliqui, cui congruenter dicuntur auulsæ alæ, quoniam ob prędictam superbiam, quasi detractis pennis contusus, & compressus à Deo est, & in bestiam mutatus, vt habetur Danielis cap.4. Consequenter dicitur postea Leæna stetisse super pedes, vt homo, & cor hominis datum ei, quoniam Dei miseratione post septennale spatiū à bellnino statu ad humanum, à quo excidisse videbatur, reuocatus est, vt citato cap.4. latè explicant interpretes. Alij tribuunt hunc locum Balthasari, cui euulsæ sunt alæ, cum occisus est, tumque apparuit, non esse Leo, sed habere cor hominis, id est, esse imbecillis ac mortalis. Verum magis placet illorum sententia, qui non de aliqua singulari persona, sed de imperio toto partem hanc visionis interpretantur; ratio est, quia Propheta non tam hic historicè loqui videtur, quàm propheticè, id est, de rebus agere futuris, magis quam de præteritis, aut præsentibus; neque spectaret Daniel donec euellerentur pennæ, si iam antea forent à bellua sublatæ. Adde quod vaticinia hęc imperiorum continent ortum & interitum; sed neque in Nabuchodonosore extincta est Chaldęorum potentia, cum post illum rei Babylonicæ potiti fuerint duo Reges Euilmerodach, & Balthasar: neque Persicum imperium exordium habuerit, nisi multis post annis à

Na-

Nabuchodonosoris obitu. Iam ergò explorandum est, quomodo ex imperio toto pennæ defluxerint. Certè alæ imperiorum exercitus sunt, quibus imperiū latè, & festinato progressu regiones non tam passibus qnam victorijs lustrat. Sic Ezechiel eum de hoc ipso imperio ageret, eius exercitus alas appellauit c. 17. ver. 3. Alæ item prouinciæ dici possunt, quæ imperatoribus ad res breuiter expediendas, ac feliciter presto adsunt, viribusque suis & regnum amplificant & regiam dignitatem. Iuxta hunc sensum, tunc alæ euelluntur ac defluunt quando ciuitates, & prouinciæ, aut vltro deficiunt, aut ab hoste subactæ alienæ subduntur potestati. Quando igitur Medi & Persæ prius eum Babylonijs federati, illisque subiecti, ab illis defecerunt simulque coniuncti fuerunt ad obsidendam expugnandamque Babyloniam, vt patet ex illo Isaiæ cap. 21. ver. 4. Ascende Aelam, obside Mede, vbi per Aelam Persia, aut Persa intelligitur; tunc euulsæ sunt pennæ, quibus Chaldeorum, vel Babyloniorum imperium subsistebat. Defecerunt item sub eadem tempestate Lydij, quibus dominabatur Cresus, qui federatus erat Babylonijs, à quibus, vt tradit Herodotus in Clio, tanquàm à federatis auxilium contra Cyrum petere statuerant. Et ijdem vt pote iam à Cyro subiugati bellicam illi operam contra Babylonios prestitere. Adde quod ex ipso quasi Regis Babylonici complexu duces quidam ad Cyrum, cum Babylonem obsideret, transfugerūt. Vt enim refert Xenophon lib. 7. Cyropediæ, Gadaras, & Gebrias deserto, ac penè prodito suo rege transierunt ad Persarum castra, magnoque vsui fuerūt patriæ suę hostibus. Cum enim essent vrbis, viarumque periti, omnium primi in vrbem, & in regiam domum irrepsere, oppressereque Regem securum & incautum: Quod autem predicta trāslatio, seu metaphora nec sit dura, nec inusitata; patet ex hoc, quod Latinus additas alas alicui dicit, cùm animos assumit & vires; & incidi pennas, cum vires demuntur, & authoritas; & easdē renasci, cùm quis reuocatis viribus ad illum locum, statumque reuertitur, vndè exciderat. Sic sanè Cicero lib. 4. epist. ad Atticum, *Qui mihi pennas inciderant, nolunt easdem renasci*. Imo omnes ferè nationes ex communi modo loquendi, auulsas dicunt, vel fractas pennas illius, cui vires & auxilia desunt.

Iuxta hanc interpretationem, quæ videtur magis expedita & ad litteram, sequentia quoque verba ad totum imperium, gentemque Babylonicam referenda sunt; *Et sublatā est de terra, & super pedes quasi homo stetit, & cor hominis datum est ei*; tolli de terra perire significat, idque cum ignominia, qualem subeunt, qui tolluntur in crucem, seu attolluntur; quia igitur bellua, id est Gēs Babylonica per illam prefigurata, regnare desijt in terra, nempè Babylonica, vbi antè floruerat, rectè in hoc sensu perijsse dicitur; qui enim de statu magno cadit, maximè si ignobilis, atque ærumnosa conditio succedat; perijsse censetur, & in statu infelici, quasi in sepulchro quodam tumulatus; Insuper gens illa, quæ prius cor habebat non hominis, qui rerum vicissitudines, & fortunæ mutationes metuit, & in statu sublimi ruinam timet, & si sapit, semper est pauidus; sed Leonis qui ad nullius pauebit occursum, immò & Dei, qui nulli parcet, & omnia suo sibi subiecit imperio, ad regis sui exemplum, qui dicebat Isaiæ 14. *Similis ero altissimo*: quæ assumpserat pennas aquilinas, quibus se altè supra homines efferebat, quia supra homines aliquid habere se putabat eximium; Gens, inquam, illa Babylonica *Super pedes quasi homo stetit &c.* quando bello à Medis Persisque contrita, & subiugata, homines se ceterorumque simili conditione natam agnouit, nihilque se habere supra humanas vires. Et hęc tàm de prima, quàm de secunda visione dicta sufficiant, pro vt ad primā pertinent Monarchiam.

CAPVT VI.

Quantum referat ad sacræ doctrinæ studium humana Historia sub Monarchia secunda.

SEcunda Monarchia veluti definiri ac describi potest, fuisse summum in mundo imperium, Daniel. 2. per argenteum pectus & brachia statuæ, & cap. 7. per secundam bestiam Vrso similem præfiguratum; quod à Cyro, vsque ad Darium vltimum, quem Alexander Magnus deuicit, penes Persas stetit, à quibus Persicum dictum est. Notandum est tamen, quia sub Persis erant Medi, factum fuisse, vt hęc Monarchia interdum etiam à Medis appellationem habuerit; vel potius, quia Persæ vnà cum Medis & eorum ope Assyriorum imperium euerterunt, indeque Medorum regnum per Arbacem Assyrijs ereptum diu potentissimum fuit, orta est hęc nominum Medorũ cum Persis confusio. Nec prętereundum hic eosdem etiam appellari Elimęos, & in sacra Scriptura Elamitas, à conditore gentis Elã filio Sem, vt videre est ex collatione Genes. 10. Isaiæ 11. vers. 21. 22. Ieremiæ 25. ver. 49. Ezechielis 32. De trãslatione Monarchię à Babylonijs ad Persas, item de Chronologia sub hac Monarchia obseruanda, diuersa sunt historicorum placita, siue quod in idem redit, quis tum rex Babyloniorum fuerit, quẽ Cyrus dignitate monarchica exuit, quãtaque fuerit Monarchiæ Persicę duratio.

Circa primum putant aliqui Belsazerem, alijs Balthasarem, quem etiam & Nabonidum, seu Nabonidochum appellant, à Cyro victum fuisse; alij verò opinantur in Balthasare quidem posteritatem Nabuchodonosoris defecisse, non tamen Babyloniorum reges, sed adhuc dum residuum ei regem successisse, Darium videlicet Medum, alijs Ciaxarem Astyagis filium cuius meminit Xenophon, Herodoto lib. 1. Labinithum; de quo superiori capite egimus. Sed vtraque sententia facilè potest ad concordiam reuocari, si dicatur, placuisse quidem Cyro honorare Darium Medum titulo regni Babylonici, regnasseque cum illo anno vno post Balthasarem; sed quia per tam breue tempus, & nonnisi dependenter à Cyro, concludẽdum est non tam in illo, quàm in Balthasare, non solum Nabuchodonosoris posteritatem, sed etiam Babyloniorum reges, supremamque illorum monarchiã defecisse: ex quibus etiam liquidum apparet, quomodo illud Propheticum, *Phares* Danielis 5. completum sit, diuisum regnum tuum & datum est Medis & Persis; Quomodo insuper Medi partim ad Assyrios, partim etiam ad Persas sint referendi.

Circa secundum, temporis videlicet continuationem, quo hoc imperium Monarchicè durauit, diuersi diuersam concinnauere Chronologiã; nam Strabo collegit annos 250. Methastenes 175. Suidas amplius 200. Clemens 235. Cõstantinus Manasses 213. cuius diuersitatis causa videtur esse, quod aliqui magis, vel minus altè repetunt huius Monarchiæ originem, vel plures aut pauciores regni sui annos vnicuique Regi tribuunt; alij verò Chronologiam amplexantur euentibus huius Monarchiæ analogam, & in regum successione fundatam, quos statim describemus ex Diodoro Siculo lib. 11. 13. & 17. item Herodoto lib. 2. & 3. & Eusebio. Interim aduertendum est fundamentum Chronologiæ, ad quam rerum euentus sub hac secunda & subsequenti Monarchia exigi debent esse planè diuersum. Nam sicut S. Scriptura historiam à mundo cõdito annorum termille trecentorum & sexaginta, paulò plus, vel minus, secundum diuersum Chronologorum computum vsque ad euersionem Politiæ Iudaicæ, à Nabuchodonosore factam continua serie nobis exhibet, Ita Historiæ, quæ post vastationem Hierosolymorum sequuntur, nullo certo temporis intermedij nexu cum prioribus in Sacra Scriptura

ptura cohærent. Singulari autem Dei prouidentia factum est, vt vbi Chronologia Scripturæ desinit, ibi prophana scripta eam continuent, cum non longo tempore ante Chronologiam Scripturæ expirantem, certæ in illis Aeræ, & Epochæ inueniantur, quales sunt præsertim Olympiadum, vrbis Romæ conditæ, & Nabonassarea, ad quas historiarum veritas, quoad temporis connotationem, tutissimè exigi potest; modum tamen alligationis, siue viam qua ad eiusmodi Aeras cum annis à condito mundo iusta serie continuandis deuenitur, tanquam rem altioris indaginis libenter prætermittimus, quæ ex Chronologis rationē temporum ex proposito tractantibus, accuratè petenda est. Sufficiet modo pro instituti nostri ratione supponere, quod vt volunt aliqui inciderit Olympiadum Aera in annum mūdi 3176. Vrbis conditæ in annum mundi 3199. Nabonassaris in annum mundi 3200. Inde enim colligetur calculum Scripturę aliquandiu decurrere cum his æris, donec is absoluatur circa annum mundi termillesimum trecentesimum sexagesimum: V. g. iuxta suppositiones factas, Aera Olympiadum decurret cum hoc Scripturæ calculo annos 183. Vrbis conditæ 160. Nabonassaris 161. qui anni spontè ad annum mundi 3360. aliosque annos subsequentes se se alligāt, iuxta probabilius dicta lib. 3. sect. 1. c. 63 tomo 2. vbi etiam notauimus stetisse Regnum Persarum per annos 330. Monarchiam verò per annos 203. vsque ad annum mundi 3622.

Catalogus Regum Persarum, qui donec Regnum hoc fuit Monarchicum regnauerunt.

CVm de Persiæ regibus ac regimine dupliciter loqui possimus, vel ante Monarchicam eius dignitatem, vel illa durante; relicta prima parte, cuius intricatissimæ sunt historiæ; de secunda tantum agemus, nimirum de successione Regum Persiæ, donec hoc regnum fuit Monarchicum.

Cum igitur Persæ Assyrijs prius, & etiam Medis parerent, primus Cyrus armis, quę auo materno Astyagi intulit, dignitatem Monarchicam à Babylonijs & Medis ad Persas transtulit. Hic Cyrus fuit filius Cambysis Persæ & Mandanes Astyagis filiæ; cùm enim Astyages Medorum rex metueret, ne suus ex filia Mandane nepos, quem nasciturum, nondum natum, ob visiones suspectum habuit, tota Asia potiretur, & consequēter regiam Medorum maiestatem à Medis ad Persas transferret; tradit Herodotus lib. 1. elocasse filiam nulli Medorū, sed Cambysi cuidam Persę, ingenio sedato, & obscura gente orto, planè tamen contrario, quàm intenderat euentu, vti exitus postmodum demonstrauit. Huius regni triplex veluti initium cōstituitur; primum quando victo Astyage Medorū regnum ad Persas transtulit; secundum quando deuicta Babylone omne demū imperium ad illum peruenit, & monarchiam stabiliuit; tertium circa annum mundi 2419. quando Iudęis ex Babylone reditum in patriam concessit; quæ diuersa Cyri initia omnino obseruanda sunt, tum vt Chronologiam S. Scripturę huius Cyri multoties, cum annotatione annorum eius regni, mentionem facientis, rectè quis assequi valeat; tùm etiam quia constat eum regnasse post Astyagem translato ante captam Babylonem ad Persas Medorum imperio, vt habetur Danielis 3. & apud Herodotum lib. 1. Diodorum lib. 2. & Iustinum lib. 1. Tum insuper quia Berosus apud Iosephum lib. 1. contra Appionē; Herodotus lib. 1. Iustinus lib. 1. & alij dicunt, Cyrum post adeptum imperium Asiæ tandem venisse contra Babylonem; non igitur incepit absolutè regnum Cyri post euersam Babylonem; sed antea; Tum denique, quia Herodotus lib. 1. tribuit Cyro annos 29. regni sui, vel vt alij volunt 30. sed nondum completos; Xenophon autem libro vltimo Cyropędię septē duntaxat; quod vtrumque facilè concordari potest; si dicatur Cyrum regnasse in vniuersum an-

nos

nos 30. ſed poſt adeptum imperium Babylonis tres tantùm. Porrò, vt quæ Sacra Scriptura de hoc rege tradit authentica ſunt & extra omnem dubitationem, ita quæ ab alijs hiſtoricis illius hiſtoriā referentibus ſcribuntur valdè incerta, cū inter ſe multum diſſentiant. Eius res geſtæ inter alia ſunt: Aſtyagis aui materni ſubactio; Medorum ſub Perſas ſubiectio; Babylonis occupatio; totius Aſię per Mardonium dominatio; Crœſi Lydorum regis ſuppreſsio; Iudæorum ex captiuitate Babylonica dimiſsio; tandemque infelix aduerſus Meſſagetas expeditio, in qua occubuit, eiuſque caput à Tomyri Regina in vtrem, humano cruore completum, demiſſum ſcribitur cum inſultatione: *Ego verò te ſanguine ſatiabo*. Regnauit à primo regni principio annos 30. natique ſunt ei ex Caſſandane, Cambyſes, & Smerdes filij, Meroe, Artiſtona, & Artoſſa filiæ.

II. Cambyſes Cyri filius anno mundi 3421. Rex à Patre in Meſſagetas profecturo deſignatur. Expeditionem in Aegypto contra Regem Pſammenitum ſuſcipit, & deditione captum humaniter tractat, alij captum, & occiſum dicunt. Fratrem Smerdem propter ſuſpicionem iniuriarum occidit; ſorores Artoſſan, & Meroen in vxores duxit, alteramque, ob fraternam cædem nonnihil dicentem, ſimiliter interemit. Tandē, multis facinoribus deſignatis, in Ecbatanis Syriæ proprio gladio fortè euaginato vulneratus, in morbumque lethalē incidens, miſerabiliter deceſsit, cum regnaſſet annos ſeptem menſes ſex; vnde alij numerant annos octo. Hi duo tantùm reges ex familia Cyri fuere; qui autem ſequuntur, ex familia Hyſtaſpidis. Quod enim poſt obitum Cābyſis, Smerdes Magus anno mundi 3428. ſe verum Smerdem Cyri filium mentitus, ponatur ab aliquibus imperaſſe ſeptem menſes, qui menſes ad complendum octauū annum Cambyſis fuerunt reliqui; huiuſmodi tempus pro interregno potius, quam ipſo regno habendum eſt. Lege eius hiſtoriam apud Herodotum lib. 3.

III. Perſarum Rex Darius, Hiſtaſpis filius, Arſamenis nepos, frater Artabani, cui Artyphius, Ariomardus, & Tygranes filij; Artaphernis, cui Artaphernes filius; Otanis, cui Smerdes filius, & Amaſtris vxor Xercis; Atarnis, cui Phragathunta filia. Hic Darius occiſis in Perſia Magis, fulmine confirmatur, induſtria Equiſonis Ocbaris ad regnum deſignatus anno mundi 3429. poſtquam pro regio ſtatu contra Otanem & Megabyſum acriter dimicaſſet. Inter alias eius expeditiones notabilis eſt Babylonis recuperatio, quæ ſub Cyro occupata poſtea rebellauerat, qua in recuperatione comprimis notanda eſt Zopiri pręſtita fidelitas de qua Herodotus. Rex creatus, vt dignitatem connubijs ſtabiliret, duas Cyri filias Artiſtonam, & Artoſſam prius Cambyſis vxorem, & totidem neptes, Pantapten ſcilicet Cambyſis, & Parmim Smerdis filias vxores duxit. Ab Athenienſibus duce Miltiade in campo Maratonio ingenti prælio victus eſt. Regnauit annos 36. natique ſunt ei ex Artiſtona Arſames & Gobrias, ex Artoſſa verò Xerces Rex, Achæmenes, Maſiſtes, Hyſtaſpes, Mandane. Huius Darij tempore Conſules Romani creari cœperunt, Sexto Tarquinio Regis Tarquinij filio, cum Patre & tota familia, ob ſtuprum Lucretię Roma expulſo. Primi cōſules fuere Iunius Brutus, & ipſe L. Tarquinius Collatinus, Lucretiæ à Sexto Tarquinio ſtupratæ maritus.

IV. Perſarum Rex fuit Xerces anno mundi 3465. Variæ & inconſtantis fortunę fuerunt huius Regis expeditiones, nam Aegyptios rebellantes feliciter in ordinem redegit, patris bellum contra Gręcos redintegrauit; decies ſepties centena millia peditum, equitum octoginta millia contra illos ducendo; Athon mōtem incredibili labore perfodit; Helleſpontum pontè iunxit; ad Magneſiam naues 400. naufragio amiſit; Græcorum præſidium in Thermopylis infeliciter tentauit, mari ad Aphetas, & Artemyſium dubia pugna certauit; Athenas vi captas incendit, quas tamen Themiſto-

cles

cles restaurauit, sed tandem classe ad Salaminem cum Græcis sub eodem Themistocle infeliciter congressus, Mardonio pedestribus copijs relictis; præcipiti fuga se in Asiam recepit, rebus eius magis magisque in peius collabentibus, donec tandem ab Artabano, patruo suo, occisus, omni fortunæ finem imposuit. Regnauit annos 20. cui nati ex Amastre Darius, Artaxerxes, Hystaspes, Dariæa. Notandum etiam hic Artabanum post Xerxen trucidatum regnasse septē menses, sed qui pro interregno habendi sunt, & à quibusdam 20. annis Xerxis annumerantur; sunt etiam qui pro V. Persarum rege ponant Darium, verum cum fraude Artabani à fratre Artaxerxe fuerit occisus, melius ponitur Artaxerxes. Clarum putāt aliqui quatuor prædictos Persiæ Reges Cyrum, Cambysen, Darium & Xerxen esse illos ipsos reges, de quibus Danielis 11. v. 2. 3. *Ecce adhuc stabunt tres Reges in Perside, & quartus ditabitur opibus magnis præ omnibus, cumque præualuerit opibus suis, excitabit omnes contra regnum Græciæ*. Et mox: *Stabit autem Rex fortis, cum steterit, conteretur regnum eius, ut diuidatur in 4. ventos cæli*. Vbi per quartum Regem Xerxen, & per eum, quem subiungit, Alexandrum Magnum per saltum intelligit.

V. Artaxerxes μακρόχειρ latinè longimanus, quod brachiorum & vlnarum tanta longitudine fuerit, vt genua contingeret; cæpit regnare circa annū mundi 3486. Eius res gestę præcipuæ sunt; Artabani patrui cum liberis euersio; Aegypti magna opum vi sub pristinum iugum reductio; Atheniensibus maris imperio permisso, Græcas per Asiam colonias liberas esse iussit: clementiæ insignis insigue fuit exemplum; eo tamen calumnijs aures patefaciente Iudæi grauiter accusati, à templi & vrbis Hierosolymorum structura, ferio edicto disturbantur. Regnauit annos 40. cui nati Xerces, Sogdianus, Arsites, Darius Nothus ex concubina, Parysatis ex concubina Andia, soror consanguinea & vxor Darij, Bagapæus germanus frater Parysatidis. Sunt qui Artaxerxis successorem Xerxen II. filium ponunt in cuius regni assignato tempore Eusebius & Diodorus differunt, dum hic vnius anni numerū, ille duos dumtaxat menses numerat: ipsi verò Xerxi II. successisse Sogdianum septem mensium Regem; verum cum apud alios horum duorum regum tempus pro interregno habeatur, annisque Darij sequentis adijciatur, secundū hoc VI. Persarum Rex Darius Nothus recensendus est.

VI. Darius Nothus ante regnum dictus Ochus, is interempto & in cineribus suffocato Sogdiano anno mundi 3526. Rex fit; Lacedęmonijs contra Athenienses primò per Thissaphernem, post per Cyrum auxilia mittit. Regnauit annos 19. natique sunt illi ex Parysatide Artaxerxes Mnemon, Cyrus cognomento Iunior, Ostanes, Oxanes, & Aspasia quæ duorum fratrum Artaxerxis & Cyri fuit concubina.

VII. Artaxerxes Mnemon siue Memor ab insigni memoria, Darij Nothi filius, anno mundi 3545. regnare cæpit, Cyrum fratrem, cui Xenophon militauit, vicit, pecunia in Gręciam submissa, Agesilaum à se persequendo reuocauit, cum Græcis pacem fecit, Regem Cypri rebellem trucidauit. Regnauit ann. 43. ipsique nati sunt ex Statira vxore legitima Darius, Ariaspes, Artaxerxes cognōmento Ochus; ex Aspasia verò concubina, Arsames, Sisygambis soror & vxor Arsamis, Atossa filia & vxor, Amastris patri quoque nupta, Rhodogune, Apune, & Ocha.

VIII. Artaxerxes Ochus Mnemonis filius natu minimus, viuente adhuc patre occisis fratribus Dario & Ariaspe, regnauit anno mundi 3588. cum primis Atossæ Nouercę, & sororis studia sibi concilians, quas stupro ad coniugium, & regni societatem pellexit. Ingenio quidē acri & industrio, sed sæuo & auaro fuisse dicitur: hinc multæ expeditiones ab inquieto eius ingenio profectæ, successu multiplici; donec vel tandem Bagoæ Eunuchi insidijs perijt, cadauere

eius

eius felibus proiecto, & ossibus in gladiorum manubria versis. Regnauit annos 23. natique sunt illi Arses, vel Arsames, Bysthanes, & Parysatis.

IX. Arses vel Arsames Ochi filius, ob ætatem parricidæ Bagoæ nondum formidabilem cõseruatus fit Rex ab eodem Bagoa, sed cum vindictæ de eo sumendæ suspicionem postea incurrisset, cum tota stirpe ab illo extinctus fuit, postquam regnasset annos 4.

X. Darius vltimus, Codomannus à Iustino appellatus fuit filius Arsamis & Sysigambis filiorum Artaxerxis Mnemonis ex Aspasia concubina, vt statim diximus. Hic anno mundi 3614. Bagoæ opera ad regnum euectus fuit, vetũ ab eodem insidias sibi necti compertus, prudenter exitium præuenit, cogendo Bagoam venenum bibere, quod in necẽ suam parauerat. Rebus firmatis, Asiæ aditus contra Macedonas muniuit, sed frustra. Tribus enim pugnis contra Alexandrum Magnum habitis in vltima occidit trucidatus à suis. In prima, victis ad Granicum flumen ducibus suis, militibusque vltra centum millia amissis, Asia omni anteriore exuitur. In secunda nouis copijs trecentum millia peditum,& centum millia equitum coactis ad Issum Ciliciæ grauiter vulneratus, matris, coniugis & liberorum turpem captiuitatem vidit. Acceptaque ab Alexandro superba denuntiatione, *vt regni arbitriũ victori supplex submitteret, quia mundus nec duobus solibus regi, nec duo summa regna, saluo terrarum statu, habere possit*, bellum copiarum superiorũ numero duplicato, tertiò instaurat,inito ad Gangamela, secundum Strabonem initio lib. 16. seu vt multi volunt, ad Arbelam,cum hoste cruento pręlio; vbi iterum fusus, fugatusque in Bactrianam, à Besso, & Nabarsane præfectus suis interimitur, cuius corpus ab Alexandro repertum in Persiam deportari, regijsque monumentis inferri iussit. Regnauit annos 6. natique sunt illi ex Statira sorore simul & vxore, Ochus, Statira, Drypetis, Statipna & alia filia anonimis.

Ex dictis patet secundam hanc Persarum Monarchiam durasse circiter annos 203. ab anno videlicet mundi 3419 quo primum eius principium supra stabiliuimus vsque ad annum mundi 3622 quo Darium vltimũ Alexander Magnus deuicit. Cum verò Reges eius fuerint, vel ex familijs illustribus, vel ex obscurioribus: ideo etiam ab aliquibus in duas classes diuiduntur. Familiæ illustres fuere vel Cyri, vel Darij Hystaspidis. Ex illa fuit ipse Cyrus cum Cambyse; ex ista verò Darius, Xerxes, Artaxerxes Longimanus, Darius Nothus, Artaxerxes Mnemon, Artaxerxes, Ochus, & Arses. Familiæ obscurioris solus Rex Darius Codomãnus fuit, quod filius Arsamis,& Sysigambis ex concubina natorum.

Caruerunt Persæ imperij honore post casum Darij Codomanni per annos circiter 560. parueruntque primum Macædonibus Syriæ regibus Seleuco & Seleuci successoribus, deinde Parthis vicinis suis vsque ad euersum Artabanum vltimum Parthorum Regem ab Artaxerxe Persa, qui imperium Orienti regi suę reddidit. Quod factum secundum aliquos anno ęrę Christianę 230. imperante Romanis Alexandro Seuero, Olympiadis 252. anno 2. Vrbis Romæ 983. Nabonassari 977. à quo tempore Persæ rerum rursum potiti sunt in Oriente, clarique nominis reges multos habuere Romano imperio infestos per ann. 302. quorum regum vltimus Ormisda Iesdegird anno Christi circiter 533. à Saraceno Ben-Omar, qui alter post Mahometem fuit, duce Abdallo, regno & vita exutus est, imperium Romanum tenente Heraclio. Hinc Saraceni Mahometani latè dominati sunt in Perside & toto Oriente, resque administrarunt per Sultanos,& Caliphas sacrorum præsides per multa sæcula, donec tandem Vsuncassanus ex Turcico genere familiæ Assambeiæ, loco natus humili, imperium illic inuasit circiter annum Christi 1467 magnisque rebus gestis, occupata Persia, Parthia, Media, Assyria, Armenia, Mesopotamia anno 1478. moriens filio Iacup-

Iacuppo id reliquit. A cuius morte, quæ incidit in annum eiusdem æræ 1485 fluctuarunt aliquandiu Orientis res, interq; paucos annos reges varios habuerunt, imperij omnes breuissimi, excepto vno Rustano, tyranno potius immani quam rege, qui septem annos regnauit. Tandem Hismael extitit non modo primus illius nominis inter Reges Persiæ, sed & familiæ illius, quæ hodie Persiæ imperat, vocaturque Sophina; hic fuit gente Persa, stirpe nobilis, è vetusto genere regio, religione Mahometanus, sectæ eius, quæ Aly doctrinam sequebatur, quam tanto post patrem Aydar zelo amplexus dicitur, vt illius causa, quum Persię regnum acquireret, inauditas crudelitates admitteret in aduersarios sectæ *Suni* quam Arabes & Turcæ sectantur. Et quia in lingua Persica communiter *Sufy* appellantur, qui relicto sæculo, soli diuino cultui vacant, huic ob insignem religionis zelum, à suis datum fuit nomen Sufy; ita vt Sufy non sit nomen proprium, aut Regum commune, sed adiectiuum, nam nullus Regum post illũ id nomen sibi sumpsit. Hoc igitur duce Persæ alas cæperunt rursus mouere circiter annum Domini 1498. fortunaque secundante Hismaelem regem creatum, subactis vicinis prouincijs Orientis dominum cõstituerunt, pristinamq; maiorum potestatem ac gloriam recuperarunt. Hismaeli successit Tamasus filius, Tamaso Ismael II. eius secundogenitus; Ismaeli II. à suis occiso Mahomethes Chodabendes, frater eius Germanus primogenitus; Chodabendæ Schiah-Abbas eius filius, Schiah-Abbæ, Schiah-Seffyt; Schiah Seffyt, Schiah Abbas Hossen.

Synchronismus rerum tam Politicarum, quam Ecclesiasticarum populi Iudaici, durante secunda Persarum Monarchia.

Vt duratite prima Assyriorũ Monarchia Iudaicæ Politię forma; *Patria* sub Patriarchis; *Heroica* sub ducibus; *Conseruatoria* sub Iudicibus; *Regia* sub regibus vsque ad captiuitatem Babylonicam; ita post illam sub Monarchia Persica *Ducalis* & *Pontificum* fuit; Pontificum tamen potestas maior fuit, quam Ducum, pręsertim postquam ad Asmonęos hęc dignitas fuit deuoluta. Et si autem hęc quarta Politię Iudaicę Dynastia à veteribus valdè negligenter in historias sit relata, vt nimium perplexa sit controuersia de Zorobabelis primi ducis successoribus, & Iehosue primi Pontificis; ex Iosephi tamen & Eusebij historijs, Iudaicorum Ducum & Pontificũ nomina à soluta captiuitate vsque ad Maccabęorum tempora sic se habent vtcumque.

Iudæorum Pontificum Catalogus sub Persica Monarchia, & vlterius sub tertia, vsque ad Maccabæos.

I. Iehosua, vel vt Esdras eum appellat, Iesua, filius Iosedech. ann.28.

II. Ioachim, Iesuę filius, Nehem. cap.12. v.10. ann.42.

III. Eliasib, Ioachimi filius, ibid. ann. 21.

IV. Ioiada, Eliasibi filius. ibid. ver. 11. ann.24.

V. Ionathas, Ioiadę filius, ibid. an.24.

VI. Iaddus Ionathę filius, cuius historiam Ioseph lib.11. cap.8. describit, quod monitu Dei in somnis Alexandro Magno cum populo candidato, Sacerdotali habitu indutus, obuiam iuerit, iratumque flexerit. Cuius è contra frater Manasses filiam Sanaballati in vxorẽ duxerat. permissuque Alexandri nouum templum in monte Garisim extruxerat, & nouum cultum instruxerat, de quo Nehem. cap. 13. ver.28. Ioseph lib. 11. cap.8. ann.10.

VII. Onias Priscus, Iaddi filius lib.1. Macchab. cap.12. v. 20. Ioseph lib. 11. cap.8. ann.27.

VIII. Simon Iustus, Oniæ filius, Ptolomeo Lago contemporaneus, de quo Ioseph lib.12. cap.2. ann.13.

IX. Eleasar frater Simonis Iusti, Ptolomęo Philadelpho contemporeus, ibid. ann. 20.

X. Manasses Simonis & Eleasari patruus, ibid. ann. 17.

XI. Onias II. Simonis Iusti filius, Ioseph lib. 12. cap. 3. ann. 30.

XII. Simon II. Oniæ filius, cuius filij de Pontificatu contendentes, magnas turbas excitarunt, & Antiochum Epiphanem in Iudeæ perniciẽ attraxerunt, vnde magna rerum in Ecclesia confusio, præsertim quod Sacerdotes Sũmos concernebat, quorum successio magis violenta, quam ad præscriptum legis exacta erat, Ioseph lib. 12. cap. 6.

XIII. Onias III. qui pius erat, sub Seleuco Philopatre, Heliodoro thesauros exigenti denegans 2. Maccab. 3. ver. 4. cui coniungendi sunt tres fratres, Iason ope Antiochi Epiphanis Pontificatum adeptus, ann. 3. Onias, siue Menelaus, qui fratri Pontificatum eripuit, ab Eupatore Epiphanis filio, iusto Dei ob eius impietatem iudicio occisus, annos 12. Ioseph lib. 12. cap. 15. Lysimachus 2. Maccab. cap. 4. v. 29.

XIV. His successit Alcimus, natus quidem ex Aaronis progenie, sed è familia Pontificali non oriundus, euectus à Demetrio lib. 1. Maccab. cap. 7. v. 5. & 9. alio nomine vocatur Iacimus, Ioseph lib. 20. cap. 8.

XV. Huic successit Onias IV. Oniæ III. filius, qui à Ptolemeo Philometore Rege & Regina Cleopatra, obtinuit veniam Heliopoli in Aegypto condendi templum Hierosolymitano simile lib. 13. cap. 6.

Catalogus Ducum, durante dynastia quarta Iudæorum.

QVia post captiuitatem Babylonicã vsque ad Herodem, sub quo natus est Dominus, præcipua & primaria Iudæorum dignitas & authoritas exterior fuit penes Pontifices; vnde & eorum constans, certa & illustris est successio, non item Principum, tam apud Esdram, quàm Hebręos alios Scriptores ideo etiam pręposuimus Pontifices Ducibus, qui hoc ordine habẽtur in Chronicis Hebræorũ, & in Cabbala R. Abra.

I. Zorobabel filius Salathiel, Dux primus post captiuitatem Babylonicam. Hic est Zorobabel, qui ponitur in Christi Genealogia Matth. 1. Alter ab eo qui memoratur in eiusdẽ genealogia Luc. 3. Nempè quia hic numerantur maiores Virginis, illic Patres Iosephi Virginis viri, Dicitur in Aggęo, Zacharia, Esdra filius Salathielis, cum duntaxat fuerit nepos, nempè filius Padaiæ filij Salathielis, filij Iechoniæ, 1. par. 3. quoniam nepotes habentur pro filijs. ann. 32.

II. Mesullam, Zorobabelis filius, alio nomine Mosollam, & Resa. ann. 46.

III. Hananias IV. Mathathias. V. Barachias, VI. Hasadias, VII. Esaias; & alij de quibus vide Chronographiam Genebrardi lib. 2.

Quod pertinet iam ad Chronologiã Pontificum & Ducum regni Iudaici, quomodò nimirum eorum anni ad certos annos mundi affigi possint; communis est sententia Zorobabelis primi Ducis & Iehosuæ primi Pontificis primordium administrationis post solutam captiuitatem Babylonicam in annum mũdi 3420. circiter incidisse. Succedentium autem anni probabiliter ex plurifi administratione colligi quidem, dimonstratiuè autem concludi vix possunt, donec ad Maccabęos retũ summa fuit deuoluta, vbi plus luminis Chronologici, etiam in rebus ad Ecclesiam pertinentibus oriri videtur.

Cum autem in hoc temporis interuallum, certum sit apud omnes Chronologos, incidisse secundi templi Iudaici instaurationem, nobilissimamque Septuaginta Danielis hebdomadum æram; magna tamen inter illos est difficultas, à quonam præcisè anno earum computatio incipienda sit. De quo latè disputant Pererius, Sanctius, Cornelius & alij interpretes cum D. Hieronymo in c. 9. Danielis, Gordonus & alij Chronologi, Salmeron Prolegom. 43. in Euangelia;

Sua-

Suares in 3. partem sub initium, Ioannes à S. Thoma in prolegomenis in 1. partem D. Thom. & alij plures; vide quæ dicentur infra lib. 4. huius operis sect. 7. cap. 4. vbi ex hoc Danielis loco probamus aduersus Iudęos Christum iam venisse, nec posse amplius ab illis expectari.

De alijs regnis, quæ tempore secundæ Monarchiæ floruerunt, illique fuere Synchrona.

ETsi pauciora fuerint regna, vel etiã respublicæ autonomicæ sub Monarchia secunda, quàm sub prima, postquam nobiliora in Asia & Africa regna Persis cessere, & quæ non cessere, Monarchiæ tamen huius maiestatem agnouerunt; nihilominus plura etiam ex historicorum monumentis habemus, quę, Monarchia Persica stante, steterunt. Primum in Asia, *Regna 6.* Sacęum, Massageticum, Cilicium, Caricum, Bosphoranum, Cyprium, & pręcipuè Salaminium Teucrindarum; secundò Tyrannides 8. Hellespontiæ, Ionicæ quinque, Milesia, Phocensis, Ephesia, Chia, Samia; Aeolicæ duæ, Cumæa, Lesbia; Atarnensis, Heracliensis, Sinopensis, Naxia, Coa. In Africa regnum Aegyptium; Respublica Carthaginensis. In Europa, Regna 9. Thracium, Macedonicum Elymiotarum, & Lincestrarum; Pæonicum & Pannonicum; Epiroticũ, in primis Molossicum Pyrrhidarum; Geticum, Dacicum, Mysium triplex, Dardanicum, Triballorum, Mysorum; Scythicum, Celticum. Respublicæ 13. Attica, Thebana, Phocensis, Aeginea, Locrensis, Crotoniensis, Tarentina, Romana, Campana, Sabina, Samnitica, Lucana, Brutana; Tyrannides 11. Sicyonia, Argiua, Epidauria, Phliasia, Messenia, Megarensis, Ocanthensis, Thessalicæ & potissimum Pherea, Eubicæ, Siculæ tredecim vti erant, Leontina, Agrigentina, Geloa, Syracusana, Zanclęa, seu Messanensis, Himerensis, Catanensis, Aetnea, Apolloniensis, Selinuntia, Tauromitana, Agyrina, Centuripina, Italicæ quatuor, Rhegina, Cumana, Sybaritica, Eleatica. De quibus omnibus, quia longum esset, narrationem instituere; breuiter solùm agemus, de regno Cyprio in Asia; de Republica Cartaginensi in Africa; in Europa verò de regno Thracico, & Epirotico.

Cyprum antiquitus barbari Asiani tenuere. Deinde Græci colonias illic constituerunt, quarum nobilissima fuit Salamis à Teucro Salaminio, Aiacis Telamonij fratre, Aeaci nepote, vt ferunt condita aliquot annis post Troiæ excidium. Paruit Cyprus quondam regulis suis, præsertim ijs, qui ex Teucro descenderunt. At inualescente Medorum primum, postea Persarum potentia, in eorum obsequio fuit, ita tamen vt proprios eorum permissu Reges ac principes habuerit: in quibus Euagoras & Nicocles Salaminij è Teucri posteris, ab oratore Isocrate celebrati, fuere. Euerso Persarum imperio ab Alexandro Magno, Macedonum in oriente dominantium post Alexandrum, præcipuè in Aegypto regnantium imperium agnouit. Tandem Ptolemęo, Auletæ Aegyptij fratre, ob ingratitudinis crimen in Romanos, ab ijsdem Romanis destructo, in eorum potestatem venit circa annum vrbis Romæ 696. in eaque mansit vsque dùm à Saracenis tempore Heraclij Imperatoris est occupata circa annum Domini 636. Nec huius Saracenicæ seruitutis finis fuit, antequã Europæi Christiani insulam cœperunt duce Richardo Angliæ Rege anno Christi circiter 1192. Ab Anglo verò eam accepit anno sequente Guido Lusignanus Gallus idẽ ille, qui Regis Hierosolymitani quoque titulum obtinuerat. Et huius posteri regnum in insula retinuere per annos propemodum 300. varijs fortunæ casibus exagitati. Ex quibus Petrus Saracenorum hostis spoliata Alexandria, cũ præda domum reuersus à fratre Germano fuit occisus. Fratricida regno potitus ob sęuitiam in Genuenses, quos crudelibus supplicijs affecerat, à Republica

ea Genuensi bello petitus, captusque congiuge grauida Genuam in triumphū est auectus: nec antè dimissus, quam se vectigalem reipublicæ futurū deinceps promisisset, & Famagustam regni emporium præcipuum, quæ Salamis olim dicta fuit, in fidei pignus ei reliquisset. Filius autem eius, qui Genuæ in captiuitate natus patri successerat, prælio nauali cum Aegyptijs commisso, in eorū potestatē venit: à quibus Nicosia quoque, caput regni, capta & direpta, incendioque data fuit. Denique Rex vt ex Soldani vinculis se redimeret, tum ingentem pecuniarum summam, tum annuam tributi pensionem spondere necesse habuit. Iano huic, id enim ei nomen erat, filius fuit Ioannes; qui ex Helena Palæologa filiam vnicam legitimā suscepit Carlottam, & ex concubina filium Iacobum. Hic à morte Patris cum regnum occupasset, à sorore & Sororio principe Sabaudo pulsus ope Soldani Aegyptij in regnum redijt, vxoremque duxit Catherinam Corneliam patritij ciuis Veneti filiam, Georgij Cornelij viri illustris germanam sororē, ac breui deinde mortuus regnum prægnanti coniugi sub tutela Reipublicæ Venetæ reliquit. Illa extincto filio infante idem regnum eidem Reip. Venetæ tradidit anno Christi 1488. Veneti demum ex insula crudeliter eiecti sunt à Selimo II. Turcarum Imperatore anno 1570. cum eam possedissent annis circiter 82. postquam eadem à Richardo Anglo è manibus Saracenorum erepta fuisset, quasi 378. sub Turcarū Tyrannide etiā nunc, sicut & alia multa regna, ingemiscit.

Etsi magnus de initio Carthaginis perantiquæ Africæ vrbis maritimæ sit inter historicis dissensus, communis est tamen sententia primum illam à Phenicibus fuisse conditam sub auspicijs Didonis patria Tyro profugæ ob tyrannidem fratris Pigmalionis circa annum mundi 2928. vel secundum alios 3067. annis 107. ante initium Olympiadum ab Iphito instauratarum; 130. antè Romam à Romulo conditam. Ea vt maturè libertatem, repudiato statu regio apprehendit, ita prolatis imperij sui finibus in continente, ob situm in littore oportunum, & portum longè commodissimū augendis opibus maritimis summo studio incubuit. Primum cum Romanis fędus inijt anno Vrbis Romę 245 vt tradit Polybius ab initio vero sui 374 Quo tempore grauissima inter Carthaginenses & Siculos varia tamen vtrimque fortuna fuerunt bella; donec tandem violato, quod cum Romanis habebant, fędere ob Mamertinos, longè difficillimum ac diuturnum inter ipsos & Romanos bellum enatum est, anno Vrbis Romæ conditæ 490. ab exordio verò structę in cōtinenti Carthaginis 619. quod antecessit extructio prima in insula Cothone vicina toto octennio. Finitum idem anno Romæ 502. Carthaginis 641. pacemque Carthaginenses cum Romanis coluere per annos 23. quot bellum prius durauerat, sed bello grauissimo cum finitimis Afris, & milite peregrino tumultuante impliciti per triennium & quadrimestre, vt ait Polybius, in summo rerum omnium discrimine fuere. Postea reparatis viribus cum Romanis bellum denuo instauratū Annibale duce anno Vrbis Romę 536. Carthaginis 666. quod durauit per annos circiter 17. Victores Romani fuere, victorięque gloriam tulit P. Scipio, qui Africanus indè nominatus, quod Afros Carthaginenses in ordinem redegisset. Ab hoc tempore pax vtrisque mansit per annos totos 52. Anno autem 53. qui fuit Vrbis Romæ 605. bellum ijs renatum est: cuius anno quarto Carthago capta & excisa est auspicijs P. Scipionis Iunioris, sic iubente Senatu Populoque Romano. Hic Carthaginis à Didone & Phęnicibus in Africæ ora cōstructæ, vrbis potentissimæ & clarissimę finis fuit, cum stetisset annos à primordio suo 737. post conditam Romā 608. Ab hoc excidio desolata iacuit Carthago annos 22. anno autem desolationis 23. colonia illuc deducta auctore C. Graccho tribuno pl. instaurari cœpit,

sed

ſed omine haud felici, nomenque ei datum Iunoniæ. Verum cum fortuna eius maneret humilis & perexigua, anno demum poſt deſolationẽ 102. quo C. Cæſar Romæ in curia cæſus occubuit, authore ipſo Cęſare, maiori mole & copia miſſis magno numero colonis nouis inſtaurata eſt felicius. A qua inſtauratione Carthago (hoc enim ei nomen ex voluntate Cęſaris reſtitutum) caput rurſum extulit ſupra omnes cęteras Africę vrbes. Occupata deinde fuit à Vandalis poſt eamdem inſtaurationem anno 482. Sed recepta à Romanis duce Belliſario poſt annos 94. imperij Iuſtiniani Magni 7. manſit deinceps ſub imperio Romano, & Sedes prędidis Africani fuit annis circiter 162. In quorum fine, ob pericula turpiter deſerta à Romanis, qui eam cum Afris habitabant, & à Gothis prędidiarijs ſegniter propugnata in poteſtatem Saracenorũ Africam deuaſtantium venit, totaque pœne diruta concidit imperante tum Conſtantinopoli Cõſtantino Pogonato Conſtantis filio, Heraclij nepote, anno ęræ Chriſtianæ Vulgaris 685. Ab hoc caſu nunquam Carthago reſurrexit, ſed in ruderibus iacens permanſit vſque ad nos. Ex ruina vero eius, creuit Tunetum oppidum vicinũ; ſed tum temporis tenue & obſcurum, tantumque incrementum cœpit, vt tota regio circumiacens Tunetani regni nomen ex eo obtinuerit: quod etiam nunc durat. Stetit ab inſtauratione Cęſariana ad excidium hoc Saracenicum per annos circiter 728. Ab initio autem conditæ quondam à Didone, ad hanc eamdem à Saracenis profectam deſolationẽ anni fluxere 1567. Cui durationi ſi exemeris interuallum ab excidio priore ad inſtaurationem cuius author C. Cæſar fuit, manebunt anni, quibus floruit Carthago 1465.

Thracia gens antiquitatis vltimæ, regionem tenuit ſupra Macedoniã verſus Boream ortumque ſe porrigentẽ, ſui generis & prorſus diuerſa à Græcis, cognata vero Dacis & Gethis vel Gotthis, quibus affirmat Strabo fuiſſe & eiuſdem linguæ, & eorumdem morum. Ex illa tamen parte, qua Macedoniæ propinquauit, & ſecundum mare Aegeum, Helleſpontum, Propontidem, Boſphorum, Pontum Euxiuum ſe extendit, tam frequentibus Gręcorum colonijs fuit olim obſita, & aſsiduis commercijs maritimis cum ijs connexa Thracia, vt propemodum in eorum mores & inſtituta abierit. Eadem gens belli ſtudijs ſemper floruit, vix vt vllum ſęculum dari poſsit, quo non reges eius & populi aliquid memorentur patraſſe. Sed cum pleraque non connexa inter ſe, verùm hic illic diſperſa aut diſtracta narrentur, non ita facilè eorum tempora contexi poſſunt. Notandum ſolum Byſantium, quæ Gręcorum Colonia ac ciuitas Græca erat cõmodiſsimo loco in Thracia ſita, cum in ruderibus iaceret, à Conſtantino Magno Romano Imperatore inſtauratum atque auctum, ac Conſtantinopolis nouæque Romæ nomine donatum, alteram ſedem Romani imperij fuiſſe per annos 1133. ipſique adeo Thraciæ nomen Romaniæ dediſſe, quod adhuc ſub Turcis, quibus nunc paret, ipſi remanet.

Epirotæ cum Moloſſis, qui, Illyrijs, Macedonibus, Græcis finitimi ſunt, regum ſuorum genus antiquiſſimum ad Pyrrhum Achillis filium referunt. In eorum ſerie Admetus poſteris ex hiſtoria notus fuit, Alcone natus, ad quem Themiſtocles patria profugus ſupplex venit. Cui filius fuit Tharymbas, & Tharymbæ Alcetas Primus. Ex quo geniti Neoptolemus Moloſſorũ princeps, & Arybbas Epiri Rex. Ex Neoptolemo fuere Alexander, auunculus Alexandri Magni Macedonis, & Olympias eiuſdem Alexandri Magni mater. Ex Arybba verò Alcetas Secundus Epiri rex, & Aeacides Pyrrhi Regis incliti pater. Pyrrho ſucceſſit Alexander Secundus filius: huic Ptolemęus, Ptolemeo Pyrrhus Secundus obſcuræ famæ, recta linea deſcendentes. Hic familiæ huius terminus & regni finis, cuius pręcipuũ ornamentum fuit à Pyrrho Aeacidis filio. Sed de his ſatis.

Addu-

Adducuntur & expenduntur loca S. Scripturæ, quibus illustrandis conducere potest notitia rerum Historicarum ad II. Monarchiam spectantium.

SEcunda Persarum Monarchia Danielis 2. v. 39. per argenteum statuæ pectus & brachia præsignatur verba enim illa versus 32. *Pectus autem & brachia de argento*; sic exponit versu 39. *& post te consurget regnum aliud minus te argenteum*; quod doctores accipiunt communiter pro regno Persarum: De quo statim prima occurrit quęstio, cur dicatur minus? Chaldaicè *araminnach*, id est, inferius & humilius? amplitudinene? an potentia? an diuitijs? cum in quauis ex ijs fuisse maius Chaldaico, in comperto esse videatur. Nam quod attinet ad amplitudinem, ex Scriptura constat ditionem Persarum multò fuisse ampliorem, quam Chaldęorum: Si quidem in libro Esther 1. & 10. capite, de Assuero Persarum rege dicitur quod regnauerit ab India vsque ad Aethiopiam supra centum viginti septē prouincias, cunctasque maris insulas: tantum autem non fuisse, sed angustius Chaldęorum imperium, per se manifestum est. Præsertim cum Cyrus primus Persarum rex Chaldęorum imperium bello captum adiunxerit suo; quod enim ex vtroque conflatum est imperium, maius fuisse necesse est.

Quod spectat ad potentiam regni Persici, in eodem Cyro patet quanta fuerit, vt pote cum diuina potentia miro modo coniuncta, ipso Deo multo ante apud Isaiam attestante cap. 45. 1. *Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro, cuius apprehendi dexteram, vt subijciam ante faciem eius gentes, & dorsa regum vertam, & aperiam coram eo iannas, & portæ non claudentur. Ego ante te ibo, & gloriosos terræ humiliabo, portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam.* Vbi D. Hieronymus & cōmuniter interpretes post illum ad illa verba, cuius apprehendi dexteram, potentiam plusquam humanam insinuar, vt illi, inquit, nemo iam resistere possit. Solius enim diuinæ dexteræ, id est, potentiæ singularis & connaturalis prærogatiua est, vt illi nemo resistere possit: ex priuilegio autem Dei, etiam eius hominis dextera, quam ipse speciali vi & efficacia roborat, vt loco citato de Cyro dicitur, & significatur egregio verbo, *apprehendi*. Eadem Imperij Persici potentia apparet, ex innumerabili illo exercitu Xercis, quo terrā & maria strauit, erant enim in eo plusquam duo milliones hominum.

Tandem si agatur de opulentia, manifestum est, Persicum regnum Chaldaico fuisse maius. Primo quia Cyrus conditor imperij Persarum, victo Cræso Lydorum rege, totius Asiæ ditissimo, adeo vt prouerbij loco diceretur, Ditior Cræso, debellato item Baltassare rege Chaldęorum, omnes Lydorum & Chaldęorum diuitias in suam potestatem redegit, suisque adiunxit. Quantum verò auri & argenti Cyrus deuicta Asia reportauerit, ostendit Plinius lib. 33. c. 3. his verbis: *Cyrus deuicta Asia pondo auri 34. millia inuenit, præter vasa aurea, aurumque factum, & in eo folia, ac platanū, vitemque. Qua victoria, argenti quingenta millia talentorū reportauit*, hoc est, si ad rationem Atticorum talentorum, & ad vulgarem nostram computationem redigantur trecenti milliones, *& insuper craterem Semiramidis, cuius pondus 15. talenta Aegyptiaca colligebat. Talentum autem Aegyptiū pondo lxxx. capere, Varro tradit.* Tantam futuram Cyri opulentiam vaticinatus fuerat Isaias apud quē cap. 45. Deus promittit se daturum illi *thesauros absconditos, & arcana secret orū*, id est diuitias maximas. Eamdem Persarum opulentiam satis declarat Assuerus ille maritus Esther in illo sumptuosissimo conuiuio, quod in exordio libri Esther describitur. Narrat quoque Atheneus lib. 12. Danum regem Persarum ad caput sui cubiculi conclaue habuisse pariete vno interstitum, ea magnitudine, quæ quinque lectos caperet, in quo sem-

per

per essent condita talenta auri quinque millia, quod conclaue ceruical regis vocabatur: è regione vero huius, quasi ad pedes, alterum habuisse, capax trium duntaxat lectorū, in quo talenta argenti tria millia perpetuo seruabantur, quod scamnum regis suppedaneum appellabatur. In ipso autem regis cubiculo vitem auream fuisse, ad modum pergulæ regio cubili obtentam, quæ racemos habebat pensiles è lapillis pretiosissimis concinnatos. Quod facilè confirmatur ex prçda Alexandri Magni è gaza Persica, quam Quintus Curtius fuisse ait ad centum & quinquaginta septem millia talentorum, absque Babylonica pecunia. Strabo autem omnia complexus, centū & octoginta millia posuit, id est, millies, & octies centena millia aureorum; aliter, centum & octo milliones.

Dicendum est ergo regnum Persarū vocari minus regno Chaldçorum, non amplitudine, non potentia, vel opulentia, sed aliunde. Primò antiquitate; sicut enim qui nos tempore antecesserūt, solemus appellare maiores, & qui subsequuti sunt minores, seu posteri apud Latinos dici consueuerunt; ita cū Chaldæorum imperium absolutè fuerit primum, Persicum verò secundum, rectè illud maius, hoc verò minus dicitur: vbi vulgata editio habet: *consurget aliud regnum minus te*, vertere potuisset, *consurget aliud regnum post te*, siue *posterum*. Consultò tamen vertit minus, vt auri & argenti differentiæ se accommodans, significaret inferioritatem in regno Persarum, & eminentiam vel superioritatem in regno Chaldæorum, quam scilicet, vel solum ipsa antiquitatis titulo merebatur: consentaneum quippe rationi est, vt quæ antiquiora sunt præcedant. Vnde Daniel de extremo Iudicio vaticinans cap. 7. ait: *Throni positi sunt, & Antiquus dierum sedit*; vbi per antiquum dierum intelligit æternum Patrē, qui paulo inferius inducitur cōmittens filio iudiciariam potestatem. Animaduersione autem dignissimum est, Deum Patrem, qui cum filio eiusdem est omnino essentiæ, & potestatis, propter solam prioritatem originis, Antiquum dierum dici, & ob id solum prius sedere, quàm filium: vt non videatur mirum, si Chaldæorum imperium ob antiquitatem præcedat, ac prius dicatur Persico.

Secundo regnum Persarum dicitur minus Chaldaico diuturnitate, constat enim, regnum Chaldæorum ab ortu suo sub primo rege Nino, vsque ad interitū sub Baltassare vltimo rege, stetisse mille quingentos & septuaginta octo annos; cum Monarchia Persarum intra ducentos & tres annos, & condita & euersa fuerit. Vnde ob id ipsum aptissimè Monarchia Chaldçorum auri prærogatiuam habet super Monarchiam Persarū, quoniam aurum diuturnitatis symbolū est, cū nec vsu atteratur, nec igne depereat, nec ex se habeat, quod bonitatem consumat, imò ipsa temporis fiat longinquitate pretiosius. Tertio Persarum imperium dicitur minus, quia felicitate & gloria inferius Chaldæorum imperio. Nam vt alia taceam, quæ prodit Paulus Orosius lib. 3. à capite septimo, vbi Persici imperij Dominos, & clades subijsse ingentes, & exitus habuisse miserabiles tradit, Cyrus ipse illius conditor infelicissime cæsus est à Tomyri regina Scytharum. Xerces in Græcia à paucis cæsus & fugatus, infamem cladem accepit, ita vt solus in scapha fugere coactus fuerit. Darius Codomannus miserrime ab Alexandro sæpius fusus, tandem regno & vita spoliatus est. Quarto tandē & vltimo potuit dici à Daniele regnum Persarum minus regno Chaldæorum, non absolutè, siue pro vt postea futurū erat, sed pro vt erat tunc regnante Nabuchodonosor, quo tempore in omnibus multo angustius, & obscurius erat, quam tunc erat regnum Chaldçorum; vt hæc sit Danielis sententia, post te, consurget aliud regnum, quod nunc est minus tuo. Hoc autem ideo dixit Daniel, vt rex ille præsenti felicitate nimis elatus, ac superbus agnosceret miram regnorum vicissitudinem, qua fit, vt regna, quæ multo tempore latissimè, &

glo-

gloriosissimè imperauerant, postea exiguis restricta finibus, magna in obscuritate, & humilitate iaceant: contra verò, quæ diu parua, & ignobilia fuerant, deinde amplissimum & nobilissimum imperium consequantur.

Ex dictis patet solutio alterius quæstionis, cur regnum Persarum comparatum sit argento: si quidem in illa statua, per pectus, & brachia argentea præfiguratum est. Hoc enim non tàm factum fuisse puto, quia argento abundauit, fuitque opulentissimum, vt aliqui volunt, quàm quia Persarum imperium fuit in omnibus supradictis inferius Chaldæorum imperio, sicut argentum inferius est, & cedit auro.

Tertia quæstio est cur comparatum fuerit Persicum imperiũ pectori & brachijs? Multas ob rationes. Primò ad ostendendum Monarchiarum ordinem ac successionem, sicut enim pectus & brachia proximè cohærent collo & capiti, ita regnum Persarum, regno Chaldæorum proximè successit. Secundò designatur per duo brachia, quia regnum Chaldæorum, à duobus velut brachijs, id est, à Dario Medo Cyri auunculo, & ab ipso Cyro destructum est. Vel tertiò quia vt in pectore coniunguntur duo brachia; sic primum in Cyro, duo regna Medorum & Persarum, quæ antea fuerant diuisa, sunt coniuncta. Quarto quia Cyrus matre Meda, & patre Persa natus est; atque vt Theodoretus ait, per dexteram paternum genus, per sinistrã maternum significatur. Quinto tandem & vltimo significatur Cyrum pectore, idest singulari prudentia, & animi magnitudine: brachij item, id est fortitudine & labore multo, tota nimirum vita sua laborando & bellando, regnum hoc sibi suisque Persis comparasse.

Iterum eiusdem Danielis cap. 7. versu 5. communis est interpretum sententia in Vrso exprimi Persicum imperium. *Et ecce bestia alia similis Vrso, in parte stetit: & tres ordines erant in ore eius, & in dentibus eius: & sic dicebant ei; surge, comede carnes plurimas.* Cum, inquam, communis sit interpretum sententia similitudine vrsi figurari regnum Persarum; cur tamen vrsus mores exprimat Persicos, non omnes eamdem causam adducunt; pro diuersitate proprietatum quæ reperiuntur in vrso, ob quas Persarum regnum ei comparari potest. Primum igitur Hieronymus conferri putat Persas cum vrso propter ferocitatem, & immanem crudelitatem. Quod idem putant Theodoretus, & S. Thomas, & cum illis plerique alij; à quibus tamen dissentit Pererius asserens, nec tantam fuisse Persarum immanitatem, nec id congruere figuræ; sed immerito. Quod enim vrsi crudeles sint, ipsa docet Scriptura, quæ in rei crudelis, ac sanguinariæ comparationem vrsi crudelitatem adducit, & vrso plerumque Leonem adiungit, Oseæ cap. 13. *Occurrã eis quasi vrsa raptis catulis, & dirumpam interiora iecoris eorum, & consumam eos ibi quasi Leo.* Prouerb. 28. *Leo rugiens, & vrsus esuriens Princeps impius super populum pauperem.* Amos cap. 15. *Quomodo si fugiat vir à facie Leonis, & occurrat illi vrsus.* Thren. 3. *Vrsus insidians factus est mihi Leo in absconditis.* Quæ omnia Scripturæ loca satis ostendunt vrsi crudelem esse naturam, æque ac Leonis aut Pardi, si non crudeliorem. Porro Persarum crudele ingenium fuisse, multis probat Theodoretus lib. 5. cap. 18. & Socrates lib. 7. cap. 18. Certè Tomyris regina Scytharum cæso Cyro exprobrauit auiditatem sanguinis, quando caput eius in saccum sanguine plenum inijciens dixit: *Satia te Cyre sanguine, quem sitijsti, & cuius insatiabilis fuisti.* Et quidem si tempora Euangelij spectemus, Persicæ potentiæ reliquias Christianorum sanguine redundasse videbimus, & miris crudelitatis exemplis efferatas, viuis hominibus cutes detrahendo per partes, sed & integras quandoque; membratim corpora secando, pro vt de Sapore, Isdegerde, Bararane, & alijs Persarum regibus tradunt annales sacri.

Dantur insuper aliæ plures vrsi proprietates ob quas ei regnum Persarum assi-

assimilatur. Prima est vrsum tolerantissimum & patientissimum esse laborum, cibique adeò parcum, vt longissimum Hiemis tempus, sine vllo pastu, cibatuque transigat, & solo suctu priorum pedum viuat; vt docent Aristoteles lib.7. de Histor.animal.cap.17. Aelianus lib.6. cap.3. Plinius lib.8. cap.36. Antiquos autem Persas continentissimos fuisse, & simplicissimo, ac vilissimo vsos esse victu tradit Xenophon lib.7. Et de eisdē ait hoc loco D.Hieronymus, parciorem amasse victum Lacædemoniorum in morem, ita vt pro pulmento nihil adhiberent ad panem præter Salem, & Cardamum. Idem pene ex Trogo Pompeio adducit S.Thomas, *Adeo*, inquit, *parci in victu sunt, vt penè sicco pane semper vtantur, nisi gratia hospitū, vel festi causa*. Tandem de Persarum parsimonia, atque abstinentia, sic Herodotus lib. 1. *E corys reliquam vestem ferunt, qui non quibus volunt cibis vescuntur, sed quos habent, vt pote regionem asperam incolentes. Ad hæc potu non vini vtuntur sed aqua*.

Secunda proprietas est vrsorum informis fœtus, cum in ortu nihil sit aliud, nisi per candida quędam caro, rudis atque informis, sine oculis, & pilo, vngues duntaxat prominentes ostendens, quam lambendo parens, paulatim figurat, & ad speciem vrsi conformat. Qua vili & imperfecta vrsi origine, non abs re denotatur, abiecta fuisse Persarum primordia: sed postea multo labore, & industria, claritatem illis & potentiam accessisse. Imo ipsiusmet Cyri, qui Persici imperij princeps, & author, non admodum dissimile fuit principium: vt enim Herodotus & Iustinus produnt, vterque lib.1. iussus est Cyrus, cum primum in lucem susceptus fuit, in syluis exponi, vt ibi aut fame, aut à feris laceratus interiret; qui status non procul aberat à morte. Inde tamen in tantum imperatorem euasit, sicut vrsus ex informi, & penè mortua carne in horribilem feram.

Tertiò cum tàm sit vrsus robustus & ferus, visum tamen habet infirmum, & vitijs ophtalmiæ obnoxium, quique sæpius hebetetur, & ideo Plinius ait libro 8. cap.36. eos aluaria expetere, vt conuulneratum os ab apibus leuet sanguine grauedinem. Sunt insuper capite adeo infirmo & molli, vt minimum vulnus in illo exceptum lethale aut certè graue admodum sit. hinc si vrgente vi eum præcipitare se ex aliqua rupe contingat, docet idem Plinius, capite manibus cooperto se deijcere; addit quoque non semel in spectaculis Romanis colapho impacto capiti vrsorum, eos exanimatos fuisse. Hac re significatur, Persas in bellis, non tam solertia ingenij, prudentiaue disciplinæ militaris, aut corporum robore, quàm innumerabili hominum multitudine, vel eorum, quibus cum belligerabant, ignauia præualuisse. Nisi velimus etiam ad litteram dicere, Persis caput mollissimum fuisse, & si carnem detrahas cranium facilè friabile. Audiamus Herodotum in Thalia, vbi cum pugnam inter Persas, Aegyptiosque commissam descripsisset, ait, *Ibi ego rem mirandam vidi, ab indigenis edoctus. Ossa eorum, qui in acie ceciderunt, cùm iacerent fusa, vt ab initio distincta fuerant, seorsum erant Persarum, seorsum Aegyptiorum. Sed Persarum capita adeò fragilia sunt, vt si velis ferire, vel solo calculo perforare possis: Aegyptiorum autem ita firma, vt ea vix ictu lapidis elidas*. Tantùm Herodotus ad rem propositam.

Hæc sunt quę in vrso præcipuè mores Persarum & ingenium adumbrare possunt. Sed etiam si inter illos prædictæ deessent analogiæ; non deesset tamen alia ratio, cur in vrso Persicum diceretur exprimi imperium: Persica enim Prouincia pluribus in partibus cōfragosa, ac sterilis vrsos alit quam plurimos, & magis quàm alibi feroces. Qua de re consule Cęlium Rodigin. lib. 18. Antiquit. cap.19. Cum autem, vt multis constat exemplis, Prouinciæ aut regni alicuius stemma sit, & symbolum id, quod in ea prouincia aut regno præcipuum est, vel nobilitatum magis, optimum regni Persici symbolum est vrsus,

cuius in Perfide, & ingens copia, & nota crudelitas.

Deinde quod sequitur, *in parte stetit*, variè à varijs accipitur. Hebræi enim, vt ait D. Hieronymus, ideo putant Persicam crudelitatem stetisse in parte; quia cum in alias nationes sæuiret, latèque concideret; mitius tamen agendo cum Hebræis, quasi stetit, siue se cohibuit. Secundò Theodoretus hanc particulam sic explicat: quia etsi regnum Persarum destructum ab Alexandro Magno diu iacuerit: postea tamen tempore Imperatorum Romanorum, rursus erexit caput, ac stetit, sed in parte tantùm. Non enim omne imperium, quod olim habuerat recuperauit: sed aliquam dumtaxat ipsius partem. Verum hæ explicationes multis non placent; prima, quia nimis coarctat vaticinium, quod cum exordium, atque incrementum spectet Monarchiæ Persicæ, nihil pro re tanta habuisse videtur momēti, priuatus amor ac humanitas Regum Persarum in Hebræos. Ob idem secunda non videtur rem attingere, quoniam non de restitutione Monarchiarum, sed de exordio, & occasu illarum agitur. Illud ergo similius vero, propterea dici regnum Persarum *in parte stetisse*, vel vt habet Syrus, *ad vnum latus stetisse*; quia ad latus vnū tantum irruit, scilicet in Babylonios: ijs enim à Cyro superatis Persæ potiti sunt imperio. Siue quod idem est *in parte stetit*, quoniam, cum quasi iaceret antè gens Persarum, nec vllam adhuc Monarchiæ claritudinem assequuta esset, capta primùm Babylone, & ab ea pulsis Chaldæis hac primùm in parte stetit, seu erexit se, & inde in plures alias propagauit imperium. Quam D. Hieronymi interpretationem, confirmat idem loquendi modus, quo vsus est Isaias c. 10. *Confortamini*, inquit, *adhuc dies est, vt in Nobe stetur*. Multa præmiserat de aduētu Sennacherib contra Hierusalem, & de timore ciuitatū, per quas ducebat exercitum; nunc prædicit fore vt in Nobe vicino oppido, quo loco rex castrametatus fuerat, post vnum diem, qui oppressi fuerant, ac pessundati per Assyrios, tandem capita erigant, & in pedes suos statuti respirent. Tandem, quod in idem ferè recidit, cum *pars, possessio, & hereditas* in Scriptura Sacra, aut idē sint, aut certè non rarò voces adhibeantur Synonimæ. Sic impij Sap. cap. 2. *Hæc est pars nostra, & hæc est sors nostra*. Hæc bellua, in qua gens Persica significatur, *in parte stetit*, id est in hæreditate, & regno vbi Leæna fuerat, gens nimirum Chaldæa, quia illi in imperio seu Monachica dignitate succesit.

Quod verò additur, *& tres ordines erant in ore eius, & in dentibus eius*, magis est obscurum. Primùm enim variant lectiones. D. Hieronymus legit, *tres versus erant in ore eius*, Theodotion Τριά πλευρά, id est, *tria latera*; Theodoretus præter hoc legit etiam, *tres alas*: alij *tres molares dentes*: quidam ex Chaldaico vertunt, *tres bolos*, siue *frusta*, quæ inter dentes teruntur, comminunturque & iuxta has translationes variæ ab interpretibus excogitatæ sententiæ. Primùm enim Hebræi per hæc tria, quæ vrsus habebat in ore, seu inter dentes, intelligebant tres reges, qui post Cyrum in Perside regnauerunt; quos rectè D. Hieronymus redarguit, quatuordecim Persarum reges commemorando. Secundò Theodoretus significari putauit tres mundi partes, Orientem, Septemptrionem, & Meridiem, ad quas porrigebatur, & pertinebat Persarum Imperium. Cyrus enim omnem Orientem vsque ad Hellespontum in suam ditionē redegit; Cambyses in Meridie obtinuit Aegyptum & Aethiopas; Darius Hystaspis in Septemtrione Scythas atque Nomades. Dicuntur autem tria illa fuisse in ore, & in dentibus vrsi: quoniā ex omnibus subiectis gentibus, amplissima capiebant tributa, quibus magna ex parte ad nimium luxum, & delitias abutebantur, vt patet ex illo sumptuosissimo conuiuio Assueri, quod in exordio libri Esther describitur.

Verùm cum hęc Monarchia non fuerit complexa tres mundi partes absolutè,

tè, verè autem ac propriè tria illa Medorum, Persarum, Chaldæorum regna sua ditione comprehenderit: verius ac proprius dicendum est cum D.Hieronymo, quod probat, & sequitur S.Thomas, per hos tres ordines, seu versus dentiũ, quibus instructum erat os illius belluæ, aut significari tria prædicta regna, ex quibus primò coaluit, & conualuit Persarum imperium; aut certè tres Principes, qui tempore Darij, vt narratur Danielis 6. centum viginti Satrapis præerant, è quibus vnus erat Daniel. Cur autem tria illa regna, tresve principes per tres ordines dentium in ore vrsi significentur ambiguum est.

De tribus principibus id interpretãtur aliqui, quoniam quæ illi viginti centum Satrapæ primò decernebant, & quasi concoquendo præparabant, ad illos tres postea deferebantur, qui maturioribus adhuc consilijs, quasi dentibus cõminuta, & commolita proponebant regi vt facilius digesta statueret. Quod potest illustrari altero Amos loco cap.4. vers. 6. *Vnde & ego dedi vobis stuporem dentium in omnibus vrbibus vestris*. Vbi sermo est contra vaccas pingues, hoc est contra imbelles optimates Samariæ, qui suis sibi consilijs, & non communi bono apud regem seruiebant: omnem, scilicet administrandi rationem in propria commoda referentes; in cuius pænam minatur stuporem, ac propriè loquendo generalem infatuationem dentium, hoc est, consiliariorum in omnibus vrbibus eorum, vt quæ facienda, vel non facienda sint, aptè digerere, ac regem per id conuenienter dirigere nequeant? En quomodo tres Principes Consiliarij per tres ordines dentium satis probabiliter significari possunt.

Cur iam tria regna dicantur etiam dentes illius immanis belluæ, vel est, quia horum opibus, & copijs instructa lacerauit, vorauitque regiones alias, quas suo deinde subiugauit imperio. Vel certè ad denotandam, quasi ter maximã in hac Monarchia potentiam, ex prædictis tribus regnis in vnum coalescentẽ, egregiè in vrso conueniente metaphora: sunt enim in bestijs dentes pro armis, atque in eis præcipuum inest earum robur. Vnde Iob cap.40. v.13. de bestia illa immani Behemot dicitur: *Ossa eius fistulæ æris*. Per ossa enim est, qui intelligit dentes; quasi velit Deus cum Iob disputans, huic immani belluæ dentes ipso esse pro fistulis, ac bombardis æneis id est, quod hominibus pręstant eiusmodi tormenta bellica, id illi præstare dentes. Et cap.41. de eadem bestia, *Per gyrum dentium eius formido*. Quasi dicat dentes eius quasi in gyrum, & in ordinem bellicum dispositi formidinem ingerunt, vel aspicientibus. Similiter ergo bellua præsens vrso similis triplici dentiũ ordine quasi armata Monarchiã Persarũ exhibet ex coniunctione illorũ trium regnorum potentissimam. Quæ explicatio de tribus regnis primùm à Persarum Principe subactis, videtur omnium optima, maximèque probari D. Hieronymo; etsi enim ex modo loquendi Scripturæ, vt vidimus satis probabiliter per ordines dentium principes consiliarij adumbrari possint, tamen huic loco non rectè quadrare videtur: vbi generalius accipiendum videtur, quod tres illi ordines præferunt: non enim quod vnius, vel duorum regum placito in Monarchiam inductum est, sed quod toti Monarchię latius, ac vniuersalius cõuenit, spectare debemus, cum hic de illius exordio, & incremento principalius agatur.

Tandem quod huic bestiæ dicitur: *Surge comede carnes plurimas*; bifariam exponitur. D.Hieronymus namque, ac plerique cum illo referũt ad regem Assuerum maritum Esther, cui Aman suaserat, vt omnem Iudęorum gentem vna die internecione deleret: idcircò hoc loco exprimitur sola suasio *surge comede*, &c. quam tamen rex opere non compleuit; sed quod vnius hominis sęua admodum suggestio regi statim placuerit, declarat optimè innatam ex vitio nationis belluinam, vt notauimus supra crudelitatem: rem enim per se grauem ad ra-

rationis trutinam non expendit, sed in eam vno verbo propositam pro libidine sua bestialiter cõsentiens dixit ad Aman hostem Iudęorum: *De populo age quod tibi placet*. Alij referunt ad Cyrum, huius Monarchiæ conditorem, quem ferinam etiam habuisse immanitatem satis euincit, illud quod adduximus supra de Thomiri Scytharum Regina ex Iustino lib.1. Vnde de quocumque intelligantur prędicta verba, quę aliqui profecta esse putant à tribus regnis, aut principibus, qui centum & viginti Satrapijs pręerãt; alij ab Aman, cum Assuero suasit, vt Iudęorum genus funditus extingueret; alij ab ipsomet regio animo, seu spiritu, qui non patiebatur regem, nempè Cyrum, aut eos qui in Persico dominatu Cyro successere, quietos esse, vt potè gloriæ auidos, & amplificandi imperij sitientissimos; de quocumque, inquam, intelligatur, aut à quocumque vox illa hortatoria sit profecta, significat vel immitem quandam Persarum auiditatem ad dilaniandos insuper & extinguendos homines; quod ea quæ comeduntur, non modo auidè conteruntur, sed per deglutionem de medio penitus tolluntur; vel etiam ingens dominandi desiderium, & populos omnes suo sibi imperio subiugandi. Et si enim vorare metaphora sit à bellua petita, quæ non aliam ob causã insectatur prædam, quàm vt ex illa sibi paret alimentum: vorare tamen ac comedere Hebraico idiomate ad plures alios vsus extenditur. Quomodo dicimus, *vorat gladius*, *flamma*, &c. quare etiam vorare carnes plurimas idem esse potest quam sternere subiugareque prouincias.

Tertiò Danielis cap.8.vers.3. regnum Persarum, & Medorum arieti comparatur: *Et ecce Aries vnus stabat ante paludem, habens cornua excelsa, & vnum cornu excelsius altero, atque succrescens. Vidi Arietem cornibus ventilantem contra Occidentem, & contra Aquilonem, & contra Meridiẽ, & omnes bestiæ non poterant resistere ei*. Quæ verba ipsemet Angelus vt nullus esset dubitationi locus ver.20. eiusdem capitis interpretatus est de Rege Persarum atque Medorum. *Aries*, inquit, *quem vidisti habere cornua, rex Medorum est atque Persarum*. Circa quod primum, *quæsitu dignum est*, inquit Rupertus lib.8. de Victoria Verbi Dei c.30 *cur in visione priori, regnum Persarum per similitudinem vrsi: in hac autem visione per similitudinem arietis signatum fuerit. Ad quod congruè responderi potest: quia causæ diuersæ, imo contrariæ regni illius fuere erga Dei populum. Causas illas, tam longè diuersas dicere non dubitauerim, quã diuersæ sunt naturæ horum animaliũ, vrsi & arietis, quorum alterum rapto & cruore viuit: alterum innocuum, neque sanguinem sitit neque rapto viuit. Promptum est hoc discerni, si respicias regnum illud, secundum Aman, quam crudele fuerit: secundum reges, quam clementer illi populo se impenderit. Aman quippè moribus veraciter vrsus, truci furore, immani rabie Iudæorum genus vniuersum ore aperto hians deuorare voluit. Reges autem, maximè Assuerus more Arietis, lanis suis, id est opibus multis, quibus regnum illud abundauit, eundem populum fouit & ditauit, nullumque dentem malignitatis infixit, sicut aries dente neminem petit, immo vitam gentis illius lætificauit, gratia reginæ Esther, & Mardochæi*, hactenus Rupertus.

Vnde secundum illum doctorem, cũ similitudo non debeat tenere in omnibus, atque adeo vna & eadem res secundum diuersos respectus, diuersis etiam imo contrarijs symbolis adumbrari possit, vt patet innumeris Diuinarum Scripturarum exemplis, V.g. in Christo Domino, qui nunc leoni fortissimo, nunc agno mansuetissimo comparatur; in tantùm primo regnum Persarum arieti assimilatur, in quantum plures eius reges Cyrus, Darius Histaspis, Longimanus & Mnemon, humanissimè Iudæos tractarunt. Secundò putant aliqui Persarũ regnum arieti comparari, quia aries dux ouium suo ductu & incessu magnifico refert ducem, & regem Prouerb.30. repræsentatque pugnas, & prælia Cyri & successorum. Aries enim simul vt cor-

nua

nua creuerunt, fit pugnacissimus. Quocirca Romani cuipiam bellum illaturi, arietem per fęcialem præmittebant, quê in hostiū fines immitteret, qui eos quasi capite & cornibus impeteret, & arietaret. Inde & machina bellica muros olim quatiens dicta est aries. Trabs enim erat, aduncum in capite habens ferrum, instar cornu arietis, quod vi in muros adigebatur, ac more arietum retrocedebat, vt cum impetu vehementius feriret, inquit Vegetius lib. 4. de re militari cap. 14. Qua forte de causa docet etiam Pierius lib. 1. Hieroglif. cap. 29. cælestem arietem fuisse Marti dedicatum, & Origenes in cap. 1. Leuit. Hebræos immolasse Deo arietes, vt per eos significarent nos iracundiam iugulare debere. Verùm cùm nihil horum sit regni Persici, aut regum eius proprium, vel speciale; sed omnibus alijs regnis communia esse possint. Dicendum est tertiò, & magis appositè ad hunc locum cum Theodoreto, arietem notasse Darium Codomannum, eiusque regnum; quia sicut aries sua lana grauatur, & tam propter illam, quam propter carnes neci datur, ita ipse & cum eo regnū Persarum, nimia opum & deliciarum abundantia, quasi grauatū pressumque corruit, & à Græcis occupatum fuit. Fassus est id ipsum Darij legatus apud Alexandrum, qui vt ei pacem persuaderet, vtque enm Dario imperium diuideret: *Periculosum est*, ait, *prægraue imperium, difficile est continere, quod capere non possis. Videsne vt nauigia, quæ modum excedunt, regi nequeant? Nescio an Darius ideo tam multa amiserit quia nimiæ opes magnæ iacturæ locum faciunt. Facilius est quædam vincere quam tueri*. Ita Curtius lib. 4.

Per lanificium autem siue lanam significari grandes opes apud veteres docet D. Thomas Iob. 1. & tradit Plinius lib. 9. cap. 47. manifestoque argumento esse possunt tum celebres illę tonsiones gregum, ad quas reges ipsi ac principes, euocatis omnibus aulæ regiæ magnatibus, conuenire solebant, vt patet lib. 2. Regum cap. 13. cum Princeps Absalom omnes filios regis, imo & ipsum regem patrem ad solemnem tonsionem lanarū inuitauit. Tum illud Prouerb. 31. de muliere forti. *Quæsiuit lanam & linum, & operata est consilio mannum suarum*. Et subditur *facta est quasi nauis institoris de longè portans panem suum*. Est enim sensus, non alio ditatam esse nobilem fęminam, quam lana & lino, addito labore & industria manuum suarum, eoque factum, vt similis euaserit naui institoris industrij, quæ ex longinquis regionibus, per labores quidem plurimos, pretiosas opes transuehit. Quod ergò nauis per labores ac pericula incerti maris, bona fæmina labore tantùm manuū lanam trahens intra domum suam lucrata est.

Quartò tandem quod de vrso supra diximus, idem hic de ariete possumus asserere in ordine ad significandum Persicum imperium, quoniam sunt in illis regionibus insignes arietes prægrandibus ac pinguibus caudis: cruribus autē ita præcelsis, & toto corpore sic obeso, ac forti, vt ephippijs impositis, frænisque adhibitis, pueri ijs inequitare dicantur.

Qnid autem significent duo cornua arietis, vnum excelsius altero, plures sunt interpretationes; primò D. Hieronymus ait significari primos duos reges huius imperij & Monarchiæ Persarum ac Medorum conditores, Darium Medū & Cyrum: sed quia hic potentior illo fuit, multoque latius imperium amplificauit, propterea celsiori cornu denorari. Verum huic explicationi, quam sequitur Rupertus lib. 8. de victoria Verbi Dei cap. 31. obstare videtur, quod nō appareat, quomodo Alexander, qui per hircum in subsequentibus indicatur, cōminuerit duo cornua, scilicet Darium ac Cyrum, qui ducentos ante annos iam decesserant. Secundò igitur Theodoretus duo cornua, duas familias regias intellexit, penes quas hæc monarchia semper fuit, nempè familiam Cyri, & familiam Darij; sed quia familia Cyri, qui hanc Monarchiam fundauit, mox in filio

lio eius Cambyse extincta est: at familia Darij vsque ad Alexandrum perdurauit, ideo alterum cornu dicitur excelsius, & productius altero; Hæc quoque interpretatio Theodoreti non satisfacit; si quidem vltimus Rex Persarum Darius qui victus ab Alexandro perdidit imperium, ex neutra familia fuit, vt tradunt Iustinus lib.10. & Strabo lib. 16. quidquid sentiat Diodorus lib.17.

Quare probabilior est tertia aliorum sententia dicentium, duo cornua, duo esse regna huius Monarchiæ, Medorum videlicet & Persarum, ita tamen vt cornu illud excelsius sit Persarum regnum, quod fuit longè potentius latiusque diffusum, quorum duorum tanquam præcipuorum dumtaxat appellatione, tam ipsum imperium, quam reges, licet plurimis alijs regnis dominarentur, nominabantur. Nam & ipsi se, & alij eos, nonnisi reges Persarum & Medorum appellabant. Quod indicauit Angelus, cũ visionem bicornis arietis exponẽs: *Aries* inquit, *est Rex Medorum, & Persarum*. Et sic intelligitur, hircus cum ariete cõgressus, fregisse eius cornua: quoniam Alexander cum vltimo rege Dario prælians, vicit eum, & imperium Medorũ ac Persarum ad Græcos transtulit. Quod autem dicatur aries *ventilare contra Occidentem, Aquilonem & Meridiem*: significatur his verbis; quas partes orbis, Persæ bello appetierint, & deuicerint, videlicet Australem, in qua est Aegyptus, Aethiopia & Lybia: Aquilonarẽ, vbi sunt Ponticæ gentes: & Occidentalem, hoc est insulas Maris Mediterranei, quod Persis est Occidentale: vnde pro illo (*contra Occidentem*) Græcè est (*contra mare.*) Vide cap.10. libri Esther.

CAPVT VII.

Quantum referat ad Sacræ doctrinæ studium humana historia, sub tertia Monarchia.

PEr tertiam Monarchiam, quæ fuit Græcorum, seu Macedonum, intelligitur summum, à Deo in mundo cõstitutum imperium, Daniel. 2. *per ventrem & fæmora ex ære*. Ibidem cap.7. *per Pardum quatuor alas, & quatuor capita habentem*. Ibid. cap. 8. *per Hircum*, primò *cornu magnum*, deinceps co fracto, *cornua quatuor habentem*, diuinitus præfiguratum & ostensum; quod ab Alexandro Magno, vsque ad victum Antoniũ, mortemque Cleopatræ, & redactam ab Octauiano Augusto Aegyptum in Prouinciæ formam, annos 300. circiter, penes Græcos sub diuersis tamen ducibus stetit. Fundamentum Chronologicum huius durationis idem est, quod superiori capite pro Monarchia Persica fuit stabilitum, nempè prophanorum Scriptorum in connotandis temporibus cõtinuatio, in primis Olympiadum diligẽtissima annotatio; cum Alexandri magni mors omnium ferè Scriptorum consensu in Olympiadis 114. annum primũ incidisse statuatur.

Primus igitur Græcorum Monarcha fuit Alexander Magnus, qui anno 7. regni sui Macedonici, mundi verò 3622: occiso Dario, Aegypto, Babylone, Susis, Ecbatanis & Persepoli occupatis, transtulit Monarchiam Persicã ad Græcos. Deinde cum imperasset adhuc annos 5. multasque illo tempore victorias reportasset, tandem Babylonẽ reuersus ebrietate extinctus est anno 33. ætatis 12. regni & 6. Monarchiæ. Post cuius obitũ diuisa fuit Monarchia in plures Reges, vel potius in quatuor Alexandri duces distributa huius Monarchiæ administratio, qui erant *Seleucus Nicanor, Ptolomeus Lagi filius, Arideus frater Alexandri, & Antigonus*, iuxta illud Propheticum Daniel. cap.11. v.4. *cum steterit, conteretur regnum eius, diuidetur in quatuor ventos cæli, sed non in posteros eius, neque secundùm potentiam illius, qua domi natus est, lacerabitur enim regnum eius etiam in exteros*. Vnde propriè in linea recta nulla regum sub hac Monarchia datur successio, sed secundum lineam quasi collateralem tantùm, quatuor prædicti duces successere Alexandro Magno, quorum singu-

finguli fingulas fuas portiones de Monarchia apprehenderunt, Ptolomęus Lagi filius Aegyptum, Aridæus Macedoniam, Seleucus Nicanor Babylonem, & Syriā cum omnibus Orientis regnis, Antigonus Afiam; attamen cum dignitas Monarchica his regibus, & eorum fucceſſoribus non feparatim fingulis, fed coniunctim omnibus, fimul intellectis fuerit, veluti præfectis, & locum tenentibus vnius Principis aut Monarchæ, fi is deceſſerit; dicendum eſt iuxta regulā logicam de cauſis focijs, quæ fimul fumptę, pro cauſa vna ſtare cenſentur; dicendum eſt, inquam Græcorum Monarchiam ſub quatuor prædictis regibus ſtare potuiſſe, nec prius defiiſſe, antequam tota in aliorum nempè Romanorum manus deuenerit; qui progreſſu temporis omnia iſta regna in poteſtatem fuam redegerunt. Primùm quidem Afiam Minorem, victo Antiocho Magno, vt teſtatur Liuius & Iuſtinus. Deinceps Macedoniam, victo Perſeo, annis 156. circiter poſt mortem Alexandri. Macedoniam fecuta eſt Syria, victo Tigrane à Pompeio, annis circiter, 260. poſt mortem Alexandri. Tandem ipſa Aegyptus à Iulio Cæſare victa, atque ab Auguſto in prouinciæ formam redacta, in Romanorum poteſtatem venit; tuncque præcisè dicendum eſt deſijſſe Monarchiam Græcam, inque eius locum Romanam ſucceſſiſſe. Sicut enim vi viſionis Propheticæ Danielis, Romanum imperium ob ſolam plantam pedis ſuperſtitem & reſiduam, adhuc Monarchicum dici meretur: ſic etiam Grecorum imperium ob ſolam Aegyptum ſuperſtitem, Monarchicum dici meruit, qua victa, & in poteſtatem Romanorum deuoluta, etiam de dignitate Monarchica actum eſt. Sublatis enim omnibus partibus, totum negari cōſequens eſt. Supereſt iam vt proferamus in medium, quinam poſt Alexandrum fuerint Reges Monarchiæ Græcorum, iuxta ſtatim adductam eorum diuiſionem. Quia autem regnum Antigoni, qui Afiā obtinuit, Regiſque titulum vna cum filio Demetrio aſſumpſit, diuturnum non fuit, ſed ante eius nepotes expirauit. Demetrius enim Antigoni filius anno mundi circiter 3650. Patri ſuccedens, à Seleuco Nicanore, Rege Syriæ, cuius ſocer erat Demetrius, bello captus, & vſque ad eius mortem in cuſtodia detentus fuit; vnde regnum Aſiæ ad Seleucidas peruenit, & cum Syria coniunctum fuit. Quia, inquam, ſic ſe res habuit circa Regnum Antigoni; de alijs tribus tantum agemus.

Catalogus Seleucidarum Regum Syriæ & Orientis.

PRimus fuit Seleucus Nicanor anno mundi 3640. à quo poſteri Seleucidæ dicti; hic cum Lyſimachum viciſſet, ipſe à Ptolomæo Cerauno Lyſimachi affine occiſus fuit, poſtquam regnaſſet 30. annos. Fuerūt ipſi duæ vxores, Apame ſoror Barſines, quæ Alexandro Magno pepererat Herculem filium, & Stratonice Demetrij filia, Antigoni Neptis, quam ſibi nuptam Seleucus ceſſit poſtea filio Antiocho eandem deperienti, ſibi ex Apame prius nato.

II. Antiochus Soter, cui pater coniugem ſuam Stratonicen conceſsit, patri ſucceſsit anno mundi 3670. regnauitq; per annos 19. & nati ſunt illi ex Stratonice Antiochus Theos, & Apame nupta Magæ regi Cyrenarum, pellex filiæ Beronices nuptæ Demetrio Poliorcetæ filio, qui cum Socru conſueſcens ab vxore eſt occiſus.

III. Antiochus Theos anno mundi 3689. qui regnauit annos 15. longo bello conflictatus cum Ptolemæo Philadelpho Aegypti rege. Hunc Laodice vxor ob ſuperinductam ſibi Beronicen veneno necauit. Natī ſunt ipſi ex Laodice Seleucus Callinicus, Stratonice nupta Ariarathi IV. Cappad. regi, & Antiochus Hierax, qui Aſiam ſortitus, eaque non contentus cum fratre de regno armis certauit vſus auxilio Gallorum.

IV. Seleucus Callinicus anno mundi 3704. hic interempta nouerca bellum ſibi

ſibi attraxit ab ipſius fratre Ptolemæo Euergete Aegypti rege: cum fratre de regno dimicauit, captus à Parthis deficientibus, & in regnum remiſſus, regnauit annos 20. habuitque duos filios Seleucum Ceraunum & Antiochum Magnum, & duas filias anonimas, primam nuptam Mithridati V. Ponti Regi, alteram Demetrio II. Maced. Regi.

V. Seleucus Ceraunus Patri ſucceſſit anno mundi 3724. infeliciter bellum geſsit contra Attalum II. Pergami regem; à ſuis tandem interemptus, poſtquam regnauit tres annos; huic filius Antipater, qui res geſsit ſub patruo contra Aegyptios, & Romanos pacis internuntius ad vtroſque.

VI. Antiochus Magnus fratri Seleuco Ceranno ſucceſsit anno mũdi 3727. multa & grauia bella geſsit, præſertim contra Achæum, Parthos, Aegyptios, Romanos, à quibus duce L. Scipione victus fuit ad Magneſiã, & magna Aſiæ parte mulctatus, cui vxor prima Laodice Pontica, ſecunda Eubia Chalcidenſis; filij verò Seleucus Philopater vel Soter, Antiochus maritus ſororis Laodices ex voluntate patris, à patre necatus, Laodice nupta Antiocho fratri, Mithridates qui militauit ſub patre contra Romanos, Ardis cum Mithridate Sardes præmiſſus contra Romanos, Demetrius obſes Romæ cum fratre Antiocho Epiphane, Antiochus Epiphanes, Cleopatra nupta Ptolomæo Epiphani, mater Philometoris & Phyſconis, Antiochis nupta Ariarathi V. Cappad. regi. Regnauit Antiochus 37. annos.

VI. Seleucus Philopater vel Soter ſucceſsit patri anno mundi 3764. per Heliodorum templum Hieroſolymitanũ ſpoliare conatus moritur inglorius; regnauit annos 12. natuſque eſt illi filius Demetrius Soter & filia nupta Perſeo, vltimo Macedoniæ Regi.

VII. Antiochus Epiphanes fratri Seleuco ſucceſsit anno mundi 3776. fuit hic tyrannus crudeliſsimus præſertim aduerſus Iudæos, quem Propheta Daniel cap. 8. v. 23. vocat regem impudentem facie & intelligentem propoſitiones; euius crudeliſsimas res geſtas libri Machabæorum deſcribunt, ob quas per antonomaſiam non *Epiphanes* ſed Epimanes dici ſolebat: fœdo morbo perijt, poſtquam regnauit annos 12. natuſque eſt illi Antiochus Eupater, & Alexander Epiphanes nothus aut ſuppoſititius, Ionathæ Aſmoneo, & Iudæis amicus, qui Demetrium Soterem occidit.

VIII. Antiochus Eupater patri ſucceſsit anno mundi 3788. puer ſub tutela Lyſiæ Iudam Maccabæum bello petijt, à patruele Demetrio Sotere regno exutus, regnauit duos tantum annos.

IX. Demetrius Soter filius Seleuci Philopatris vt diximus ſupra, euerſo Antiocho Eupatore, patrueli ſuo ſucceſſit anno mundi 3790. Iudam Maccabæũ per duces Nicanorem & Bacchidem oppugnauit, ſed tandem ab Alexandro Epiphane occiſus fuit; regnauit annos vndecim; habuit duos filios Demetriũ Nicanorem & Antiochum Siditem.

X. Alexander Bala ſeu Veles anno mundi 3801. hic fuit extraneus, & ſecundum aliquos regnauit annos 6. ſecundum alios 10.

XI. Demetrius Nicanor Demetrij Soteris filius anno mundi 3807. Alexandro eiecto rex fuit, Ionathæ Aſmonæo & Iudæis primum hoſtis, dein amicus, gener Ptolomæi Philometoris à Parthis captus, & poſt aliquot annos contra fratrem in regnum remiſſus, demum ab Alexandro Zebenna peremptus fuit; regnauit annos 5. & habuit ex Cleopatra prædicti Ptolomæi filia, duos filios, Seleucum à matre necatum ob coronam iniuſſu ipſius ſumptam, & Antiochum Griphum.

XII. Antiochus Entheus, Alexandri Epiphanis, de quo ſupra, filius, anno mundi 3812. qui à Tryphone excitatus contra Demetrium Nicanorem nomen regium tenuit annis 2. ſed eiuſdem Tryphonis fraude è medio poſtea ſublatus fuit.

XIII. Tryphon extraneus anno mũdi 3814. qui fugato Demetrio Nicano-

re & occiso Antiocho Entheo, regnauit annos 3.

XIV. Antiochus Sidetes, Demetrij Nicanoris apud Parthos captiui frater, pulso Tryphone regni occupatore rex fuit anno mundi 3817. Pius & Soter dictus ob beneficia in Iudæos collata, quos tamen etiam grauiter afflixit; tandem à Phraate Partho, cui bellum inferebat, in acie cæsus, regnauit annos 10. habuit ex Cleopatra Ptolemęi Philometoris filia duobus fratribus Demetrio Nicanori & Antiocho Sideti nupta, Antiochum Cyzicenum.

XV. Demetrius Nicanor, e Parthica captiuitate dimissus, iterum regnat anno mundi 3827. post tres annos, ab Alexandro Zebenna occisus.

XVI. Alexander Zebenna, extraneus à Ptolomæo Physcone rege Aegypti contra Demetrium subornatus regnum obtinuit anno mundi 3830. postea ingratus pellitur ab eodem, anno 3. regni sui.

XVII. Antiochus Gryphus, ita dictus à Naso, Demetrij Nicanoris filius occiso Alexandro Zebenna regno potitur anno mundi 3833. matrem Cleopatram Ptolemæi Philometoris filiam venenum sibi ab ea paratum bibere coegit. Cum fratre vterino Antiocho Cysiceno regni ęmulo longum bellum gessit: regnauit annos 18. cui nati ex Gryphina, Seleuce, Cleopatra Sororibus germanis Ptolemæi Phiscònis filiabus, Seleucus qui Cyzicenum patruum interfecit: ipse vicissim à filio eius Antiocho Eusebi interfectus; Antiochus, qui Patruelem Antiochum Eusebem regno exuit; Demetrius Ecairos rex contra Antiochum Euseba à Parthis captus & abductus: Philippus Demetrij fratris æmulus à Gabinio captus; Antiochus Dionysius rex ab Areta Arabe occisus. Sic Cysiceni, nec non filiorum Antiochi Gryphi, bella intestina, non tàm regnum, quàm interregnum fuerunt per annos 8.

XVIII. Tigranes Armeniæ rex, anno mundi 3863. ob intestina Seleucidarum bella à Syris euocatus, regnauit pacificè annos 18. Sed postea à Romanis regno fuit exutus, & Syria in Prouinciam redacta.

Catalogus Regum Macedoniæ post Alexandrum Magnum.

PRimus fuit Philippus Aridæus frater Alexandri nothus, ex saltatrice Latissæa, anno mundi 3626. administratorem Perdiccam habuit, eoque occiso Antipatrum; regnauit annos 7.

II. Cassãder Antipatris rectoris Macedoniæ & Græciæ absente in Asia Alexandro Magno filius, nepos Iolai Macedonis obscuri nominis; regnare cœpit anno mundi 3633. Hic interfecit Alexandri Magni matrem Olympiadem, sororem Cleopatram, vxorem Aoxanem cum duobus filijs; regnauit annos nouem, habuitque ex Thessalonica filia Philippi ex concubina, sorore Alexandri Magni, Philippum qui in Macedonia patri succedens mox obijt; Antipatrem & Alexandrum.

III. Antipater, alijs Antigonus, cum fratre Alexandro, regnum obtinuit anno mundi 3652. matrem occidit, in cuius vltionem Alexander contra fratrem euocauit Pyrrhum & Demetrium, à quo postea interemptus fuit; Antipater autem Gener Lysimachi per Eurydicen eiusce filiam, à socero demum occisus, regnauit annos 4.

IV. Demetrius Poliorcetes, Rex Asię filius Antigoni ducis Alexandri anno mundi 3656. ascitus ab Alexandro Cassandri filio regnum occupauit per sex annos.

V. Pyrrhus rex Epiri anno mundi 3662. eiecto Demetrio, vnà cum Lysimacho Dynasta Thraciæ regnat septem menses.

VI. Lysimachus clarus inter duces & successores Alexandri Magni Macedoniæ rex post Pyrrhum fuit anno mũdi 3662. regnauitque annos 5.

VII. Ptolemæus Ceraunus Ptolemęi Philadelphi frater, Lysimacho à Seleu-

eo occiso, regnum occupat anno mundi 3667. Lysimachi viduam Arsinoen sororem suam duxit, & paulo post in exilium pepulit, crudeliter contra fidem datam tribus eius filijs in gremio interfectis Ptolemæo, Lysimacho & Philippo, regnum 210. dies tenuit.

VIII. Meleager occiso à Gallis Cerauno 2. menses regnauit. IX. Antipater ibidem à Gallis occiso Meleagro 45. dies. X. Sosthenes pulsis Gallis annos 2.

XI. Antigonus Gonates, Demetrij Poliorcetæ filius anno mundi 3676. regnum recuperat, cum diu post patrem inde deiectum fluctuasset, permansitque penes eius posteritatem vsque ad finem. Regnauit annos 36. habuit ex iusto matrimonio Demetrium, & Alcionæum nothum, cui rursus duo filij Antigonus Doson & Echecrates.

XII. Demetrius Secundus Patri Antigono successit anno mundi 3706. natus est illi ex Phthia filia Alexandri nepti Pyrrhi regis Epiri, Philippus; regnauit annos 10.

XIII. Antigonus tertius cognomento doson, quod multa promitteret vel daret, ex tutore Philippi patruelis, cui eidem & vitricus erat, à morte enim Demetrij eius vxor Phthia fuerat illi nupta, Macedoniæ rex designatus fuit, anno mundi 3716. nomineque Patruelis regnauit 13. annos.

XIV. Philippus III. Antigono successit anno mundi 3729. victus fuit à Romanis, Græcis sua libertate ab ijsdem restituta, regnauit annos 42. fuerunt illi duo filij Demetrius præstantissimæ indolis iuuenis legitimè natus, obses patris apud Romanos, & Perseus suppositius, vt vulgò creditum, qui fratrem calumnijs suis perpetuis ita apud Patrē euertit, vt ab ipso interfectus fuerit; ipseque regnum Macedoniæ obtinuerit.

XV. Perseus vltimus Macedoniæ rex anno mundi 3771. victus à Romanis & perpetuo carceri mancipatus fuit; in eo regnum Macedoniæ defecit, & in Romanorum potestatem translatum fuit habuit duos filios Philippum qui cum ipso in carcere Romano mortuus est, & Alexandrum qui litteras Latinas edoctus fuit scriba magistratuum Romæ.

Catalogus Lagidarum Regum Aegypti post Alexandrum Magnum.

PRimus post Alexandrum Magnum rex Aegypti fuit anno mūdi 3626. Ptolomęus Lagi Macedonis equitum præfecti sub Philippo obscuræ originis, filius, à quo posteri Ptolemæi Lagidæ sunt appellati. Habuit ex priore vxore Euridice filia Antipatris Macedoniæ rectoris Ptolemæum Ceraunum, Ptolemaidem nuptam Demetrio Poliorcetæ, & Lysandram nuptā Agatocli filio Lysimachi; ex posteriore vero vxore Beronice nupta ante Philippo cuidam Macedoni, nepti Cassandri, qui frater fuit Antipatris, habuit Ptolemæum Philadelphum, Argęum insidiarum paratarū reum à fratre occisum, & Arsinoem quę Agatoclem Sororis filium priuignum interemit. Post Lysimachum Regem Thraciæ à Seleuco in acie interemptum fratri Ptolomæo Cerauno, demum alteri fratri Philadelpho nupsit. Regnauit annos 40.

II. Ptolomæus Philadelphus patri in Aegypto successit anno mundi 3666. ita dictus fuit, quia Sororem Arsinoen in vxorem duxerat. Erga litteras & litteratos munificentissimus fuit. Extruxit Alexandriæ Bibliothecam copiosissimā: qua occasione Biblia Hebræa in sermonem Gręcum conuersa fuerunt, vt suo loco diximus. Nati sunt illi ex Arsinoe Lysimachi filia Ptolemæus Euergetes, Lysimachus qui perijt fraude Sosibij curatoris Ptolemæi Philopatoris, & Beronice nupta Antiocho Theo Syriæ regi, quæ necata fuit à priuigno Seleuco Callinico. Regnauit annos 38.

III. Ptolomęus Euergetes patri successit anno mundi 3703. hic ob occisam Sororem Beronicen Syriam afflixit eiusque regem Seleucum Callinicum inijt, Aratum Sycionium iuuit, à filio interfectus,

fectus, regnauit annos 26. habuit tres filios Ptolemæum Philopatorem, Magam ex Beronice natum à fratre Philopatore cum alijs fratribus necatum, & Arſinoen, quam Euridicen Iuſtinus appellat.

IV. Ptolomæus Philopater, per antiphraſin ſic dictus, vt pote qui interemit patrem, matrem & fratrem, regnare cœpit anno mundi 3704. Arſinoen ſororē duxit in vxorem, fraude pellicis Agatoclææ poſtea occiſam, cū Antiocho Magno bellum geſſit, poſt victoriam ab illo reportatam voluptatibus ſe dedidit, regnauitque annos 17. relicto ex Arſinoe filio Ptolemæo Epiphane.

V. Ptolomęus Epiphanes anno mūdi 3746. quinquennis à patre relictus, à Romanis defenſus fuit contra Antiochū Magnum Syriæ, & Philippum Macedoniæ reges. Verum Antiocho poſtea per nuptias Cleopatræ eius filiæ reconciliatus fuit, quæ mariro velut in dotem attulit Cælesyriam, Phæniceen & Iudæam, quas parens Antiochus antè occuparat. Regnauit annos 24. relictis ex Cleopatra vxore duobus filijs Ptolomæo Philometro, Ptolomæo Euergete ſiue Phiſcone, & Cleopatra filia.

VI. Ptolomęus Philometer anno mūdi 3770. per antiphraſin ita dictus, cùm matri fuerit inuiſiſſimus; contra auunculi Antiochi Epiphanis conſilia ſeruatus à Romanis in Syria victor ex vulnere obijt; regnauit annos 35. & ex Sorore Cleopatra vtrique fratri ſuo ſucceſſiuè nupta reliquit Cleopatram maiorē nuptam tribus Syriç regibus Alexandro Epiphani, Demetrio Nicanori, Antiocho Sedetæ; Cleopatram minorem nuptam Phyſconi Patruo, & filium anonymum in complexu matris in ipſis nuptijs à patruo & vitrico Phyſcone iugulatum.

VII. Ptolomæus Euergetes & Phyſcon anno mundi 3805. ad inſtar farciminis ſic dictus à ſagina ventris, Euergetes autem per antiphraſim, quia fuit crudeliſsimus. Primum Cyrenarum, dein poſt fratris mortem Aegypti quo- que rex fuit; habuit ex Cleopatra ſorore Memphitem filium, quem truncatis manibus, pedibus, capite, matri inter epulas feſtiuitatis diei natalis in offenſionem miſit; ex Irene concubina Ptolomęum Apionem Cyrenarum regem; ex Cleopatra vero Sorore eiuſdem & fratre Philometore nata, viuentis matris pellice, Ptolomæum Lathurum, Seleucem Cleopatram, Ptolomęum Alexandrum, & Gryphinā. regnauit annos 29.

VIII. Ptolomęus Lathurus, ſeu Lamyrus anno mundi 3834. Phyſcon ab Euſebio, Soter ab Epiphanio appellatus, crudelis, multa millia Iudęorum interficiens, & occiſorum carnibus captiuos veſci cogens, regnauit annos 16. poſt quos è regno deiectus fuit ab Alexandro fratre; ſed ad illud poſtmodum redijt.

IX. Ptolomæus Alexander anno mūdi 3850. Ptolomęum Lathurum fratrem è regno deiecit, vanè lactatus ambitione matris, quæ, cum etiā ipſi inſidias ſtrueret, ab eodem propter crudelitatem interfecta fuit; regnauit annos 10.

X. Ptolomęus Lathurus anno mundi 3860. redux pulſo Alexandro ab Aegyptijs, rurſus regnauit annos 8. habuit ex Sorore Seleuce, quam in vxorem duxerat, Ptolomęum Auletem, Ptolomæū Cypri Regem, & Beronicen ærea ſtatua honoratam ab Athenienſibus.

XI. Ptolomæus Auletes anno mundi 3868. ſic dictus, quia in habitu regio cum tibicinibus publicè certauit, à ſubditis ob ignauiam & crudelitatem regno pulſus, per Romanos authoritate Pompeij reſtituitur. regnauit annos 31. reliquit duos filios Ptolomæum Dionyſium & Ptolomæum Iuniorem; tres filias, Beronicen è liberis natu maximam; Cleopatram nuptam duobus fratribus Ptolomæis; amaſiam C. Cęſaris & Marci Antonij; Arſinoem nuptā fratri Ptolomæo Iuniori ante Cleopatram, Cęſari & Sorori infenſam, occiſam Mileti ab Antonio.

XII. Ptolomæus Dionyſius anno mundi 3899. rex Aegypti ex teſtamen- to

to Patris relictus fuit; fuit primus Cleopatræ sororis maritus, dum bellum gerit contra C. Cæsarem in Nilo perijt, postquam regnasset annos 4. Ptolomęus autem Iunior secundus Cleopatræ sororis maritus & rex ex voluntate Cęsaris victoris, ab Antonio riuali instigante Cleopatra Ephesi peremptus fuit.

XIII. Cleopatra anno mundi 3903. libidinosa & luxuriosa mulier, amasia C. Cæsaris & Marci Antonij, ex quorum primo habuit Ptolomæum filium; ex secundo verò Alexandrum, Cleopatram nuptam Iubab II. Numidiæ & Mauritaniæ regi, & Ptolomæum Syria Phœnicia, & Cilicia à patre Antonio donatum. Cleopatra, victo Antonio suo amasio, victore Augusto, sibi per aspides mortem asciuit, postquam regnasset annos 18. sic deficiente Lagidarum stirpe, Aegyptoque in prouinciam versa, reliquisque Græcorum regnis à Romanis occupatis, Græcorum quoque Monarchia desijt, Romanorũ verò incepit.

De Iudæorum Dynastia, sub tertia Græcorum Monarchia.

SVperiori capite vidimus, quis populi Iudaici status sub Persica Monarchia, & vlterius vsque ad Maccabæos, fuerit: nunc breuiter considerandum est, quis eiusdem status extiterit à tempore Maccabæorum vsque ad Monarchiam quartam. Excepta igitur historia Iaddi Pontificis à Iosepho lib. 11. c. 8. de qua capite pręcedenti dictum, descripta, & Ptolomæi Lagidæ, aduersus Iudęos exercita perfidia, ab eodem lib. 12. cap. 1. relata; cum Hebræorum res vsque ad Antiochum Epiphanem & Maccabæos, in historia obscuræ sint: Antiochi tandem Epiphanis crudelitas, qua Ecclesiam horrendum in modum afflixit, eas clariores reddit; hinc enim Asmonæorum siue Machabęorum historia, qui repurgato templo ab Antiochi abominationibus, & armis libertate recuperata, in Dynastia Iudęorum quinta Pontificali seu Sacerdotali, rerum summa potiti sunt, iuxta Iosephum lib. 14. cap. vltimo annos 126. vsque ad regnum Herodis, qui capta Hierosolyma, principatum ad se transtulit, annis 7. ante victoriam Actiacam, finemque Monarchiæ Gręcorum, vt idem Iosephus testatur lib. 15. cap. 7.

Priusquam autem referamus Pontificum nomina de Maccabęorum siue Asmonęorum stirpe & familia, breuiter aperiendum est, vnde fuerit deducta huiuscemodi appellatio. Primum igitur *Asmonæi* dicti fuerunt, quia patrem habebât Mathatiam ex familia Asamonęi. Huic Matathiæ quinque filij erant, Iohannes, Simon, Iudas, Eleasar, & Ionathas, quos ad constanter Antiocho resistendum, exemplo & verbis acriter instigauit lib. 1. Machab. cap. 2. dicendo. *Nunc ergò, ò filij, æmulatores estote legis, & date animas vestras pro testamento patrum nostrorum, & mementote operum patrum nostrorum, quæ fecerunt in generationibus suis, & accipietis gloriam magnã, & nomen æternum.* Per quod nomen æternum principaliter nomen Maccabęi intelligitur, quod cognomen fuit Iudæ, filij tertij Mathathiæ, cui vt videre est loco statim citato Pater summam belli, armis aduersus Antiochum gerendis cõmisit; *Et Iudas* Maccabęus, fortis viribus à iuuentute sua, sit vobis princeps militiæ, & ipse agat bellum populi. Huic ergò cognomen suum loco symboli fuit, quo Deum suum pro inuictissimo Deo confessus est, ex loco Exodi c. 15. v. 11. מיכמכה באלים יהוה, *quis similis tui in Dijs Domine*, Cuius dicti initiales litterę מכבי constituunt nomen Maccabæi; à quo Maccabęorũ nomen in sacra Scriptura mansit. De quo plura vide apud Serrarium, cęterosque interpretes.

Nomina Pontificum de Maccabæorum stirpe, à tempore Antiochi Nobilis, siue Epiphanis, & templi à Iuda repurgati, altari nouo nouis è lapidibus instaurato.

IVdas Maccabęus, anno mundi circiter 3785. filius Mathathiæ Asmonæi.

næi. qui templũ, quod gentes sub Antiocho contaminauerant, repurgauit; deinde eius ἐγκαίνισμόν magna lætitia celebrauit, & à posteris annuatim celebrari imperauit. Quod æuo Christi adhuc Iudæi multa cum religione seruabant. Exemplo patris Antiocho se fortiter opposuit, vitam pro lege patria paciscendo, tandemque sanguinem fundendo, generosè occubuit, præfuit annos 6.

Ionathas, anno mundi 3791. frater Iudæ, cognomine Apphus, itidem heros strenuus, ab Alexandro Rege Syriæ Pŏtifex constitutus fuit, purpuram & coronam auream ad eum misit. Addidit postea fibulam auream, consanguineorum regis insigne, prefuit annos 19.

Simon, frater Iudæ, anno mundi 3810. cognomine Thasi ab vniuerso populo Iudaico princeps constitutus fuit; Arcem Sion recepit & mundauit. Qui inde cũ Romanis fędus renouat, eisque clypeum mille minarum mittit, pręfuit annos 7.

Iohannes Hircanus, anno mũdi 3817 filius Simonis, destructor templi in Garisim, quod Manasses ędificauerat, & euersor Samariæ pręfuit annos 31.

Aristobulus, anno mundi 3848. Hircani filius, qui primus titulũ regis post captiuitatem Babylonicam resumpsit, pręfuit anno 1.

Alexander Ianneus anno mũdi 3849 itidem Hircani filius, princeps fortunatus, pręfuit annos 27.

Alexandra Salome, anno mũdi 3876 Iannæi vxor, marito defuncto, pręfuit annos 9. post eius mortem contendentibus filijs eius Aristobulo & Hircano de regno, Pompeius capta Hierosolyma Iudęos tributarios fecit, & Aristobulum quidem Romam captiuum duxit, Hircano pontificatum absque regno confirmauit, procurationem prouinciæ Antipatro tradidit, cuius filius Herodes postea ad regnum peruenit; inde aliqui immediatè post Alexandrum, Hircanũ annumerant relicto Aristobulo.

Aristobulus Iunior Iannæi filius, anno mundi 3885. Hircano fratre seniore excluso regnauit annos 3.

Hircanus anno mundi 3888. ab Aristobulo fratre minore per tres annos pulsus, à Pompeio in sacerdotium absque regno restituitur: Autonomia Ecclesiastica Iudæis relicta, politica vero iisdem adempta, inque Romanos translata, vt statim diximus, pręfuit ann. 22.

Alexander Aristobuli filius Roma elapsus anno mundi 3910. Iudęam occupare conatus est, sed à Gabinio captus est post 3. annos.

Antigonus, anno mundi 3913. filius item Aristobuli, Hircanum auribus trũcatis, captiuum misit in Parthiam, pręfuitq; annos 3. cum dimidio.

Herodes Ascalonita anno mũdi 3916 expugnata Hierosolyma, Antigonum interfecit, regnumque ex Romanorum concessione arripuit, & occupauit per annos 35. deficiente stirpe Maccabęorum, circa initium Monarchiæ quartæ. Herodi successit Archelaus, Archelao Herodes Antipas, Herodi Antipæ Agrippa, Agrippæ tandem alius Agrippa Iunior; in quo regnum Iudęorum totaliter defecit. Vide dicta tomo 2. lib. 3. sectione 1. cap. 63.

Quod pertinet iam ad alia regna & respublicas extra Ecclesiam, quæ tertiæ Monarchiæ Synchrona fuerunt; meminerunt historiæ regnorum Armeniæ, Ponti, Epiri, Cappadociæ, Numidiæ, Mauritaniæ; fuit etiam regnum Scotorum, quod initium circa tempora Alexandri Magni sumpsisse dicitur, de quo sequenti capite; fuit regnum Parthorũ, qui à Callinio & Hierace fratribus, regibus Syriæ, in mutua bella ruentibus, defecerunt, inque tantam potentiam excreuerunt, vt multum negotij sequutis temporibus Romanis fecerint, vsque ad Alexandrum Seuerum. Fuerunt tandem Respublicę Gręcorum, Spartana, Attica, Rhodia, Massiliensis, & omnium potentissima Romana, quæ, labente paulatim Seleucidarum, Ptolomęorum & Macedonum imperio, quasi candidata dignitatis Monarchicæ fuit.

Expen-

Expenduntur loca sacræ Scripturæ, quibus intelligendis conducere potest notitia rerum Historicarum ad III. Monarchiam pertinentium.

PRimò tertia Græcorum, siue Alexandri Monarchia Danielis cap. 2. versu 32. & 36. diuinitus per ventrem & femora ex ære præfigurata & ostensa legitur: *Et regnum tertium aliud æreum, quod imperabit vniuersæ terræ*. Qua in visione duo sunt consideranda & explicanda: vnum est, cur regnum Alexandri & Græcorum, figuratum sit in illa statua, ventre & femoribus; alterum, cur comparatum sit æri. Ac primo quidem assimilatum est ventri, ad significandum Monarchiæ Græcorum ordinem & successionem. Sicut enim venter subest pectori: sic regnum Alexandri, & Græcorum successit proximè Persarum imperio. Secundò indicatur huius Monarchiæ insatiabilis dominandi cupiditas. Sicut enim venter omnem cibum appetit, ad se trahit, & subigit conficitque. Sic Alexandri Magni habendi regna cupiditas fuit insatiabilis; quod satis colligitur, tum ex superbo eius responso, quando Dario denuntiauit, *Mundum nec duobus solibus regi, nec duo summa regna, saluo terrarum statu, habere posse*: tum etiam ex eo quod audiens Democritum de infinitate mundorum disserentem, ingemuerit quod ne vnum quidem totum sibi subiugasset. Et re verà adeo Græcorum propagauit imperium, vt non temere ab alijs aut existimatus fuerit, aut appellatus vniuersæ terræ Dominus. Audiamus Plinium lib. 4. cap. 10. de Alexandro. *Hæc est*, inquit, *Macedonia terrarum imperij potita quondam. Hæc Asiam, Armeniam, Iberiam, Albaniam, Cappadociam, Syriam, Aegyptum, Taurum, Caucasum transgressa. Hæc in Bactris, Medis, Persis dominata, toto Oriente possesso. Hæc etiam Indi victrix, per vestigia Liberi patris, atque Herculis vagata*. Adde quod plurimæ aliæ gentes, quæ bello domitæ ab Alexandro non fuerant; secundis bellorum euentibus commotæ per legatos illi seipsas aut tradiderunt, aut studuerunt illum habere amicum. Vt refert Iustinus libro 12. *Ab vltimis*, inquit, *littoribus Oceani Babyloniam reuertenti nuntiantur legationes Carthaginensium, cæterarumque Africæ ciuitatum, sed & Hispaniarum, Siciliæ, Galliæ, Sardiniæ, nonnullas quoque ex Italia eius aduentũ Babyloniæ operiri. Adeo vniuersum terrarum orbem nominis eius terror inuaserat, vt cunctæ gentes veluti destinato sibi regi adularentur*. Hęc eadem propè Curtius lib. 10. & addit: *Igitur tanquam conuentum vniuersi orbis acturus Babyloniam peruenire festinabat, quò cùm venisset, legatos omnes benignè susceptos domum remisit*. Neque valde his dissimilia leguntur lib. 1. Machab. cap. 1. *Constituit prælia multa, & obtinuit omnium munitiones, & interfecit reges terræ, & pertransijt vsque ad fines terræ &c. & siluit terra in conspectu eius*. Vnde apparet, quomodo accommodans se hoc loco Propheta, quod sæpe faciũt Scriptores sacri, hominum opinioni, qui postea Alexandrũ ob insignes eius victorias vniuersæ terræ dominum aut existimabant, aut adulatorio, seu hyperbolico modo salutabant, de regno eius dixerit, *quod imperabit vniuersæ terræ*.

Tertiò denotatur ipsius Alexandri Magni breuitas, qua in medio victoriarum cursu defecit. Quemadmodum enim venter cibum confectum diu in se non retinet, sed ad alia membra transmittit: ita Alexander Magnus regnis, quæ in suam redegerat potestatem, diu frui non potuit, sed Ducibus suis ea possidenda reliquit. Idque Theodoretus significari vult per diuisionem femorum, in quam visus est scindi venter statuæ. Quamuis alij putent per femora eius statuæ denotari lasciuiam, & Veneris intemperantiam, non tam Alexandri, qui vt in illa ætate & potentia, eius voluptatis satis continens fuisse dicitur, vt mox dicemus, sed successorum eius, præsertim autem regum Aegypti. Quarto tandem

dem figura ventris notatur immodica vini cupiditas, & intemperantia, qua infamis fuit Alexander, quæque ei mortis fuit causa, ex Q. Curtio lib. 5. Arbitratur autem Plutarchus in vita Alexandri, fuisse eum auidissimum vini, propterea quod erat temperamento corporis præferuido & igneo. Sunt etiam, qui in eius ebrietatem referant, quod adeò luxuriosus non fuerit: ebriosi enim sicut vino sopiunt sensus, ita & sopiunt hebetantque orexin ad venerem: rursum, semen prolificum vino diluunt, & dissipant. Posset aliquis obijcere per figuram ventris hic non ita propriè significari Alexandri intemperantiam & ebrietatem, quia etiã primæ & secundæ Monarchiæ reges fuerunt intemperantes; sed immeritò, non enim ita ac Alexander, in quo vitium adeo insigne ac notabile fuisse asserunt, qui res eius scripserunt, vt sæpissimè totas noctes comessaretur, ac potaret, noctibusque dies iungeret, quin nonnunquam tantùm vini hausit, vt totum triduum mero, somnoque sepultus iaceret, donec vinum edormisceret. Instituebat etiam in exercitu potationum certamina, amplo cæteros vincenti constituto præmio. In conuiuio Temulentus, suasu Thaidis procacissimæ meretricis, vt refert Curtius lib. 5. incendio concremauit clarissimam & nobilissimam Orientis vrbem, ob id à Persis nominatam Persepolim. Iterum ex temulétia in furorem versus, Clytum sibi familiarissimum, ducem strenuum, fratrem eius à quo fuerat nutritus, & educatus, denique vitæ suæ conseruatorem, quod res gestas Philippi patris rebus ab ipso gestis, anteponeret lancea transfodit. Hinc vulgatum fuit, Alexandrum mitiorem fuisse in bellis aduersus hostes, quàm in conuiuijs erga amicos. Ne multa, tandem ob intemperiem ebrietatis interijt, licet aliqui veneno eum occidisse prodiderint. Ex quibus omnibus satis patet quomodo per ventrem præfigurari potuit præ omnibus aliarum Monarchiarum regibus Alexandri in bibendo intemperantia.

Circa secundum, cur nimirum imperium Alexandri, & Græcorum ære figuratum sit, plures adduci possunt causæ. Prima est, neque in ventre, ac femoribus, quæ ficta videbantur ex ęre neque in ærea materia aliud indicari, quam imperium istud futurum esse post Persicum, sicut venter etiam pectori subijcitur, & eodem vilius, sicut æs ad argenti notam & pretium non ascendit. Secunda est æreum dici Græcorum imperium, non solùm ratione ordinis, & successionis, siue quia posterum ad Chaldaicum & Persicum, sicut æs inferius est ad aurum, & argentum, sed etiã quia minus felix in sua duratione. Mortuo quippè Alexandro, statim imperium euanuisse videri potuit, cum dissipatum fuerit atque diuisũ in multa capita, mutuis inter se odijs, atque armis diffidentia. Vide Paulum Orosium lib. 5. c. 23. Tertiò æs significat ęneas tubas, galeas, loricas & arma Alexandri, puta clangorem tubarum, & armorum æneorum strepitum, & fragorem inter quæ assiduè ipse versabatur, ijsque quasi musica suauissima delectabatur; fuit enim ipse pugnacissimus, nonnisi arma & Martem spirans. Porrò veteres armis æreis, pro ferreis vsos fuisse, ærisque vsum esse antiquiorem, quam ferri docet Cælius Rhodiginus lib. 10. antiquit. cap. 50. Hinc & Gabriel Archangelus Daniel. cap. 10. brachia, femora, & tibias habuit instar æris candentis: quia hac specie repræsentabat Machabæorũ fortitudinem, & armorum splendorem. Sic & Deus Ezechielis cap. 1. in curru Cherubico pugnaturus contra Iudæos, induit corpus ex electro: id est aurichalco, quod est æs optimum, & fulgidissimum.

Quartò quia æs non tantùm forte est & durum ad arma conficienda; sed & vocalissimum, & sonantissimum, ideo dum venter & femora ex ęre fuisse dicuntur, existimat D. Hieronymus indicari nominis Alexandri Magni, & Græcorum celebritatem, non tantùm ob potentiam, & bella fortiter gesta, sed etiã

ob

ob sapientiam, & eloquentiam quę apud Græcos floruit, dicente ipsomet Apostolo illos Sapientiam quæsiuisse. *Sicut enim æs vocalissimum*, sunt verba D. Hieronymi, *& sonantissimum, sonum magnũ & clarum longè latèque diffundit: ita hac re denotatur magna imperij Græcorum fama & gloria, non solùm ob potentiam, sed etiam sapientiam, & eloquentiã, quæ apud Græcos maximè floruit. Præcipuè verò significatur famam Alexandri Magni super omnes reges, & imperatores omni æuo fore clarissimam & celebratissimam.* Vnde Pererius hic decem in primis res enumerat quæ nomen Alexandri omnibus sæculis cunctisque gentibus admodum mirabile & memorabile reddiderunt. 1. *ætas eius* qua res tantas gessit: suscepit enim regnum defuncto patre Philippo annum agens 20. & anno ætatis 33. extinctus est. Hinc Iulium Cæsarem, Suetonius refert, Gadibus, cum in templo Herculis simulachrũ Alexandri M. aspexisset, quasi ignauiam suam pertæsum, ingemuisse, quod qua ætate Alexãder totũ orbẽ subegerat, ea ipsa ætate nihil dum memorabile gessisset. 2. *paruitas exercitus* qua vniuersum orbẽ subiugare aggressus est: *tanta enim apparatus exiguitate incertum est*, inquit Iustinus, *vtrum sit admirabilius, Alexandrum vicisse orbem, an vincere aggressũ esse.* 3. *Felicitas* in sũmis rebus expediendis, vt nullo vnquam cum hoste congressus sit, ex eodem Iustino, quin eum deuicerit. 4. *Secundissima eius fortuna*, maximè verò in euadendo ex innumeris periculis. 5. *Amplitudo imperij*, quod acquisiuit, hinc Daniel vt diximus supra, in interpretatione huius ventris ænei, hoc regnum vniuersæ terræ imperaturum prædixit. Et Lysippus, quo amplitudinem imperij Alexandri exprimeret, finxit ex ære Alexandrum supina facie cælum suspicientem, subiectis hisce versibus:

Aereus in cælum suspectans, fare quid aiat:
Iuppiter, asserui terram mihi, tu assere cælum.

6. *Victoriarum eius celeritas*: dum 13. annorum spatio tot & tam diffitas gentes deuicit, quod tempus ijs vix obeundis, & videndis sufficere videtur: ex quo factum vt Apelles Alexandrum fulminiferum pinxerit. 7. *Nominis eius fama & terror*, quo plura subiecit sibi quam bello. 8. *Monumenta stupenda*, vt sunt ciuitates ab eo extructæ, quas Plutarchus in priori oratione de fortuna Alexandri, amplius 60. fuisse affirmat. 9. *Eximiæ naturæ dotes*; & virtutes planè regales, quas Curtius lib. 10. recenset. 10. *Scriptorum illius sæculi celebritas*, quorum calamus rebus gestis Alexandri Magni cõscribendis egregiè par erat, quales fuerunt Hecathæus, Aristobulus, Callisthenes, Duris, Onesieratus, Diodorus Siculus, Trogus Pompeius siue Iustinus, Q. Curtius, Plutarchus, Arrianus, & alij, adeo vt, quod ipse prædicauerat de Achille, fortunatum eum fuisse, quod rerum suarum præconem Homerum habuerit, id sanè multò verius de ipso dici possit, quippè non vnum Homerum, sed plurimos Scriptores clarissimos rerum à se gestarum præcones habuerit.

Cornelius autem à Lapide ex prædictis authoribus latè prosequitur in cap. 2. Danielis, duodecim quæ in Alexandro eluxerunt dotes eximiæ, & elogia rara, quæ eius nomen apud omnes gentes celebrarunt. 1. fuerunt magnitudinis eius præsagia & portenta. 2. Eius cõplexio feruida & indoles ignea. 3. Mira celeritas. 4. Constans felicitas. 5. Amplitudo imperij. 6. Incredibilis mentis vigor, ingenij solertia, animi fortitudo ad quęuis ardua, atque periculorum & mortis contemptus. 7. Eius temperantia in cibo. 8. Continentia. 9. Magnanimitas. 10. Iustitia, æquitas & liberalitas in suos. 11. Insignis in victos clementia, & in omnes, etiam hostes, fides. 12. Eius eruditio, & in litteratos amor, ac fauor. Quæ omnia dilucidè interpretandis, planèque intelligendis, tàm hoc secundo capite, quam 7. & 11. Danielis de hoc Monarcha loquentibus locis, multum lucis afferre possunt.

Secundò de tertia bestia sic Daniel cap. 7.

cap.7. ver.6. *Post hæc aspiciebam; & ecce alia quasi pardus, & alas habebat, quasi auis, quatuor super se, & quatuor capita erant in bestia, & potestas data est ei.* Qua visione nemo dubitat, Græcorum, seu Macedonum imperium designari, quod deuicto Dario Persis eripuit Alexander. Tantùm ex Hebræis quidam opinantur in pardo duo regna coniungi, Græcorũ scilicet & Romanorum; quod ideo asserunt, vt quartam belluam pro Turcarum imperio referuent. Sed illorum opinionem improbant communiter alij, & textus ipse facer per se satis confutat & euertit. Cum igitur certum sit in Pardo Monarchiam Græcorum & Alexandri significari; vt interpretatio benè constet, opus est inuestigare, quæ sit natura Pardi, siue Pantheræ. Etsi enim Solinus cap.21. pardum, & pantheram censeat esse duas & diuersas animalium species, tamen Aristoteles, Plinius, Dioscor.Gaza, & alij dicunt esse eamdẽ speciem, idemque animal; solummodo Panthera sæpius fæminam, pardus & panther marem significant. Pardus igitur primò est maculosus ex Plinio lib.8. cap.17. quod etiam Scriptura testatur, Ierem. 13. *Si mutare potest Aethiops pellẽ suam, aut Pardus varietates suas, & vos poteritis benè facere, cum didiceritis malum.* Loquitur de hominibus longo studio malis, quasi tàm sit impossibile eos corrigi, quàm Aethiopem dealbari, aut pardum esse vnicolorem, cùm & nigredo & varietas insint eis à natura.

Secundò ex eodem Plinio pardus animal est velocissimum quodque præceps fertur, & saltu ruit in prædam. De quo est illud Habacuc cap. 1. *Leuiores pardis equi eius.* Sermo est de Chaldæis, quos armaturus est Deus contra Hierusalem; ne autem Hierosolymitani equos suos equis Chaldæorum opponerent, rectè exaggerans ait, *Leuiores pardis equi eius,* id est, Chaldæorum equi velocitate sunt incomprehensibiles, qui non solùm communibus equis, sed & pardis pernicissimis velocitate antestant. Tertiò innatus huic ferè odor est gratissimus. Quarto miram habet calliditatem ad capiendam prædam, & quod viribus nequit, id fraude assequitur & artificio; partim enim pellis varietate, & pulchritudine, partim odore sibi innato, animalia ad se allicit (occultans interim caput turpe & horridum) ac deuorat, præsertim hinnulos, dorcadas, capras, ceruos & alia eiusmodi animalia, vt docent Aelianus, Aristoteles, Gesnerus. Quintò vino delectatur, quocirca vino inebriatũ capi docent Oppianus & Gesnerus. Sextò pardus est superbus, aliasque bestias præ se contemnit, vt patet ex apologo, quem de illo refert Plutarchus in Moralib. Cum, inquit, pardus aliquando vulpem præ se contemneret, quod ipse pellem haberet omnigenis colorum maculis variegatam: respondit vulpes, sibi id decoris in animo esse, quod illi esset in cute: neque verò paulò satius esse ingenio præditum esse vafrũ, quam cute versicolore. Septimò esto pardi sint fortes, & sæui, vt docuit Ieremias cap.5. & Oseas cap.13. tamen vbi venatorem, aut hostem sentiunt viribus sibi parem, meticulosos esse tradunt Aristotel. Plinius & Gesnerus. Nunc ista ad Alexandri Græcorumque mores & ingenium conferenda sunt; expendendumque quomodo illorum pardus symbolum esse possit. Primò si pardus maculosus est, neque vnum habet simplicem colorem, fuit etiam Alexander varius & maculosus vitijs & virtutibus de quibus Curtius lib. 10. significat etiam pardus ita variè distinctus maculis Alexandrum quaternus varia regna suo imperio complexus est. Secundò in velocitate pardi, celeritas victoriarum exprimitur Alexandri, *Quippè qui* vt ait D. Hieronymus *ab Illyrico, & Adriatico mari, vsque ad Oceanum Indicum, & Gangem fluuium, victorijs magis, quam prælijs orbem percurrit.* Tertiò si innatus est pantheræ, seu pardo gratus odor, quod nulli aliorum animalium concessum dicit Plinius lib. 21. cap.7. id quoque in Alexandro reperitur, quem Plutarchus lib. 1. quæst. conuiual. quæst.6. tradit odorem ex se vsque

adeo gratum aspiraſſe, vt eius veſtes viderentur, aut delibatæ aromate, aut vnguentis aſperſæ: propterea quod erat temperamento corporis præferuido & igneo. Giguitur enim ſuauitas odoris, vt Theophraſti opinio eſt, concoctis à calore humoribus: vnde aridi & feruidi tractus terrarum optimorum odorũ ſunt feraciſsimi. Quartò ſi pardus ſagax & aſtutus in capiẽda præda;& quod viribus nequit, id fraude aſſequitur & artificio; tale eſt etiam Græcorum ingenium, quod in Vliſſe Homerus, & in Sinone Virgilius expreſſit, quem Græcorum omnium exemplar eſſe voluit.

Accipe nunc Danaum inſidias, & crimine ab vno
Diſce omnes.

Ac ſi diceret, tales ſunt Græci omnes, quales in Sinone deſcribi vides. Neque à Græcis minus calliditate atque æſtu, quam virtutę & res magnæ confectæ, aut vrbeş captæ ſunt. Exemplo ſunt & ante Alexandrum Philippus pater, & poſt illum, qui ſtatim in eius regna ſucceſſere, quos cum Machabęis ſępe congreſſos fuiſſe fraudulenter, & callidè legimus. Verſipelle quoque ac multiplex Alexandri ingenium, maximè apparuit in eo, quod mores deuictarum gentium, habitumq; facilè æmulatus eſt, ex Curtio. Quintò ſi vino delectatur pardus, vinolentus quoque fuit Alexander, vt vidimus ſupra. Sextò gloriæ etiam in eo laudiſque vt iuſto maior cupido, inquit Curtius, rectè exprimitur cum in ſuperbia pardi;tum etiam in ipſamet variegata, & ocellis quaſi interſtincta eius pelle, *quæ facit eas beſtias memorabiles*, ait Solinus cap. 21. Sicut enim inter aues pauo ob caudam verſicolorem, & ocellatam, inanem mundi gloriam mirè exprimit;ita inter feras eandem optimè repræſentat pardus ocellis variegatus. Attamen ſicut pauo in pennis ſuperbit, in pedibus ſe deijcit: vbi enim ſuos deſpicit pedes, ſpecioſum plumarum orbem deprimit, expanſumque contrahit: ſicut pardus in ocellis extollitur, at vbi pedes beſtiales intuetur faſtum deponit. Ita & Alexander animos & criſtas deiecit, cum pedes hominis intuitus, fragilem ſe ſe & mortalem in morte agnouit. Septimò tandem cum pardo mixtum audaciæ habuit, non tam timorem, quam pudorem, vel etiam fortunæ caſus. Nam ſi viuens victorijs fuit felix, moriens valdè infelix, vt potè qui à ſuis cum tota ſua ſtirpe ſit extinctus.

Quod verò additur, *& alas habebat quaſi auis, quatuor ſuper ſe*; ad exaggerationẽ velocitatis dictum putant Theodoretus, Hieronymus, & cũ illis S. Thomas, qua ſex annis totum ferè orbem ſubegit, quaſi non tantùm pedibus, ſed pennis inſuper volucris inſtar ad hanc vniuerſalem expugnationem vſus fuerit. Quamuis aliqui per quatuor alas hic intelligant quatuor virtutes Imperatorias, quibus Alexander Monarchiam ſuam tam breuiter coëgit, & amplificauit. Prima fuit eximia laborũ tolerantia. Secunda fortitudo animi. Tertia vigor, & ingenium. Quarta liberalitas, de quibus Curtius lib. 10. Tertiò alij in alis nihil aliud ſignificari volunt, quam quod ſtatim in quatuor capitibus, nempè quatuor principes, ad quos Alexandro mortuo imperium peruenit; & per quos aut viuente prius Alexandro, aut eo poſtea mortuo imperij fines amplificati ſunt. Sed quod viſum eſt D. Hieron. de velocitate, magis videtur expeditum, & obuium. Niſi quarto velimus dicere per illas alas denotari Alexandri ambitionem, aut inſanam diuinitatis cupiditatem, quam ille non minus odioſè, quàm inſolenter affectabat. Non enim ſat illi fuit terrarũ orbi dominari, niſi etiam in cælum volare contenderet, ſeque Deum non dici modo, ſed etiam credi iuberet, tanquam perinde animis, ait Curtius, imperare poſſet ac linguis. Vnde & à Sacerdote Iouis Ammonij per adulationem ſalutatus eſt, ὦ παῖ Διός, id eſt, ô fili Iouis, pro eo quod dicere debuiſſet ὦ παιδίον, id eſt, ô filiole, ait Plutarchus.

Vltimò per pardum quadricipitem, *& quatuor capita erant in beſtia*; ſignificantur, quatuor præcipui Alexandri ſucceſſo-

cessores, qui illius imperium post obitū eius, quadripartito diuisum tenuerunt. Philippus Aridæus, seu Antipater, qui regnauit in Macedonia; Antigonus, qui in Asia; Seleucus, qui in Syria: & Ptolomæus Lagi, qui in Aegypto. In magnā profectò commendationem Alexandri, cuius capitis defectum vix quatuor supplere potuerint. Vndè præclarè dictum à Curtio lib. 10. Huic regi, ducique successor quærebatur, sed maior moles erat quam vt vnus subire eam posset: clarissimique sunt habiti, qui etiam minimæ parti tantæ fortunæ adhæserunt. Verùm quæret hic aliquis, quomodo mortuo Alexandro tot illi principes regna sibi assumpsisse, aut vendicasse dicantur à prophanis Scriptoribus, & nullum ab Alexandro designatum, qui regno succederet cum lib. 1. Machab. cap. 1. de Alexandro referatur: *Et post hæc decidit in lectum, & cognouit quia moreretur. Et vocauit pueros suos nobiles, qui secū erant nutriti à iuuentute, & diuisit illis regnū suum, cum adhuc viueret.* Etsi prima facie solutio huius dubij aliquam præ se difficultatem ferre videatur, nullam tamen re vera habet, si historias consulamus eorum, qui contra sentire videbantur, Iustini lib. 3. Curtij lib. 10. Diodori lib. 8. Referunt enim Alexandrum morti vicinum Perdicæ tradidisse annulum suum, quo regius mandabatur honor: quærentibusque his qui propè aderant, cui relinqueret regnum, respondisse: *Ei qui esset optimus: Quasi nefas esset*, inquit Iustinus, *viro forti alium, quàm virum fortem succedere, aut regni opes alijs quam probatis relinqui*; Eo igitur mortuo Perdicas regia sella in cōspectum vulgi data, in qua diadema, vestisque Alexandri cum armis erant, annuloque sibi pridie à rege tradito, in eadem sede proposito, inter alia, quæ coram multitudine perorauit, hoc addidit; capite opus, hoc ne vno, an pluribus, in vestra potestate est. Denique non sine tumultu variantium opinionem diuisum est imperium, in prædictos illos quatuor. Quare dum adhuc viueret, regna distribuisse dicitur Alexander loco citato Machab. quia amico dixit, quis in distribuendo seruandus esset modus, atque ordo.

Tandem in illis verbis, *& potestas data est ei*, declaratur Alexandrum, non tam viribus suis, quam Dei dono, tantū imperium esse consequutum. Vnde licet hoc Alexandro cōmune fuerit cum Nabuchodonosor, quem etiam elegit Dominus, seque ipsum Babylonici exercitus ducem præbuit Ierem. cap. 27. & cum Cyro Isaiæ cap. 45. nihilominus tamen aliquid hic in Alexandro peculiare Theodoretus agnoscit, nempè datam fuisse Alexandro maiorem, quàm alijs potestatem, in eas videlicet regiones, quas imperatores alij subiugare sibi non potuerunt. Quod verò non tam Alexandro, quàm Deo euentus illi tanti tribuendi sint, ipsi quoque Scriptores prophani censuerunt, Curtius lib. 10. confessusque est Alexander; nam vt narrat Iosephus lib. 11. Iudaicarum antiquitatum cap. 8. cum Alexander venisset Hierosolimam, vidissetque Iudæorum Pontificem Iaddum, qui sibi obuiam extra vrbem, pontificali habitu, ornatuque decoratus processerat, protinus ad illius se pedes abiecit, eumque adorauit; quod abiectum obsequij genus admirantibus amicis, ipsumque regem excidisse mente arbitrantibus, respondit ea de re à Parmenione rogatus: *Non Pontificem se adorasse, sed Deo, cuius Pontifex esset, honorem illum extribuisse. Hunc enim*, inquit, *vidi & antea hoc ipso habitu, cum adhuc essem in Dio Macedoniæ, qui me deliberantem, quomodo Asiam possem subigere, hortatus est forti esse animo & sine mora exercitum traijcere: nam suo ductu potiturum me Persarum imperio. Quapropter quia nunc primum talem habitum vidi, agnoscens hunc, & visionis memor, quæ me ad hanc expeditionem impulit, puto me non sine numine in Darium exercitum ducere, & breui fore victoriæ compotem: & sublato Persarum imperio cessura mihi omnia ex sententia.* Hactenus Iosephus loco citato, vbi etiam statim addit: *ostensoque sibi Danielis libro, in quo Græcum* quem-

quemdam debellaturum significat, hunc ipsum se esse interpretatus lætus dimisit multitudinem.

Tertiò tam Monarchia Græcorum, quam eius author Alexander similitudine hirci præfiguratur Danielis c.8.ver.5. *Ecce autem hircus caprarum veniebat ab Occidente super faciem totius terræ, non tangens terram, habens cornu insigne inter oculos suos: & concurrit ad arietem, in impetu fortitudinis suæ, & percussit eum, comminuit duo cornua eius*, &c. Quam visionem hirci congredientis cum ariete, eumque vincentis, manifestam habere significationem victoriarum Alexandri Magni de Persis, quibus triplici prælio victis, eorum ad Græcos transtulit imperium, patet ex verbis Angeli versu 21. eiusdem capitis: *Porrò hircus caprarum, rex Græcorum est, & cornu grande, quod erat inter oculos eius, ipse est rex primus*. Nunc videamus quomodo singula conueniant tum regi, tum Græcorum Monarchiæ, in hac enim visione non solùm de rege, sed etiam de regno, aut Monarchia sermonem esse constat, ex eo quod in hirco, qui semper idem est, dicitur modo vnum apparere cornu, modo quatuor, & tandem cornu quoddam exiguum: quæ quidem in regnum optimè, in Regem vnum nullo modo conueniunt.

Primùm igitur sicut hircus hic vocatur hircus caprarum, qui eas quasi dux præit & ducit, vti aries ducit oues: nimirum, *dux gregis ipse caper*; sic Alexander fuit dux Græcorum, qui rectè capris assimilari possunt, ob animi mobilitatem & sagacitatem, atque ob acumen ingenij. Nam vt docet Plinius lib. 8. c. 50. capræ sagacioris sunt ingenij, acutioris visus, & ad motum agiliores, quam sint oues. Tales fuere Græci præ Persis. Pro hac interpretatione facit, quod hirci in Scriptura Sacra illi dicuntur, qui ciuitati præsunt, aut quoquomodo alijs duces sunt, & magistri. Zachar. cap. 10. *Super pastores iratus est furor meus, & super hircos visitabo*. Et Isaiæ cap. 10. v. 13. vbi vulgatus *principes*, & cap. 14. v. 9. vbi idē *gigantes*, hebraicè est *atudim*, quæ vox hircum valet. Sed licet ista sint vera, huic tamen loco perfectè non quadrant; cum enim in diuinis Scripturis duo sint Hebraica nomina, quæ hircum significant: alterum est *atud*, quod non omnē hircum significat, sed illum, qui adultus est, & gregem antegreditur, illumque tanquam pastor & educit ad papulum, & ad caulas reducit. Alterum est *Saphir*, quod hircum significat aut celerē, quales sunt hæduli, inquietissimum ea ætate animalium genus; aut certè non ducem, quales sunt illi, quorum ætati parum accessit firmitatis ac roboris. De primo duntaxat loquūtur prophetæ nuper citatis locis, cum principes appellant hircos. At in præsenti loco vbi vulgatus hircus, hebraicè est *Sephir* dictus à celeritate. Quare placet magis hic hircum significare non ita adultum, vt vocari possit *atud*; sed in ætate quasi iuuenili, lasciuienti, inquieta, & vaga; vt patet ex ipsomet dicendi modo, qui aliquid sonat tenerum, & molle, in quocumque animaliū genere: *hircus caprarum, agnus ouium, pullus asinarum*, &c. qui omnium consensu ætatem indicant teneram adhuc, quæque à matrum latere discedere non soleat; ad significandum quod quo tempore Alexander ab Occidente venire visus est, id est cum aciem ducere, & castris præesse cępit, adhuc erat iuuenis; & iuuenili spiritu, id est ęstuante, atque alacri res moderabatur bellicas. Sanè viginti erat annorum, cum regnum suscepit nec multò post rem Persicam tentauit, de qua nunc Propheta. Quare optimè ante primum congressum cum Persis, hircus caprarum dici potuit, id est iuuenis, ardens nimirum, alacer & velox, spiritus alens militares, & regios. Nisi velimus dicere, per hunc loquendi modum, notari Alexandri natales spurios, scilicet eum ex matre adultera fuisse genitum. Hircum enim olim vocabant, & etiamnum vocant eum, qui coniugem habet adulteram. Hircus ergò fuit Philippus: hircus verò caprarum siue hędus, fuit Alexander spurius. Vnde ada-

adagium ferebatur in spurios, vt si de patre eorum quispiam quæreret, responderetur eum esse filium matris instar capræ: eo quod haberet matrem certam, patrem incertum. Caprarum enim natura instabilis, lubrica, & motabilis admodum est, ac cum varijs maribus congrediuntur: quare hædus in caprilibus à matre tantum dignosci potest. ita ex Pierio Hierogl. 10. Quamobrem Alexāder, vt patris adulteri nomen, & probrū tegeret, imo in decus verteret, finxit se filium Iouis Hammonij.

Hinc secundo Alexāder vocatur hircus, quia voluit haberi & coli vt filius Hammonis qui hirci specie figurabatur; Hammon enim Aegyptiacè hircum significat. Tertio ob fætorem vinolentiæ suæ, & ob libidinem Græcorum, inquit Rupertus: Etsi enim vt notauimus supra Alexander ipse in venerem nō adeò fuerit procliuis, eo quod esset vinolentus, hoc tamen vitio laborat, & audit pessimè Græcorum genus. Neque aliud significat vox Hebraica, quæ Græcos, & Græciam afficit, quam hoc loco, & alijs adhibuit. *Iauen* enim quæ Græciam, lutum etiā, cænumque significat, quod non minus grauem, & molestum odorem, quam hircus aspirat. Quarto vocatur hircus Alexander, quia sicut hircus fortior est ariete: sic Alexander vicit Darium. Quinto hircus breuis est æui: nam antè sex annos consenescit: quia libidine vires exhaurit vt ex Columella & Palladio docet Gesnerus in hirco: significat ergò breuem vitam & breue regnum Alexandri. Sextò tandem, hircus notat Alexandri gulam & auiditatem cùm bibendi, tùm præcipuè carpendi & prædandi gentes & regna. Capri enim & capræ omnia depascuntur, indeque caper Græcè vocatur τράγος à voracitate.

10 Sicut autem hircus hic *ab occidente* venisse subditur: sic Alexander è Macedonia & Græcia, quæ Persidi occidentalis est: sicut Persis orientalis esse significatur versu 4. Quod verò noster dicit venisse ab Occidente, Græcè dicitur venisse à Lybia: quia Alexander, postquam primo prælio ad Granicum flumen Persas vicit, secundò verò in angustijs Ciliciæ ipsum Darium, in Aegyptū, Lybiamque venit, quibus victis, rursus Darium adorsus, eo tandem superato, & à suis occiso, Monarchiam Persarum obtinuit. Venisse dicitur *super faciem totius terræ*; aut quia imperio vniuersæ terræ, vt habet visiō Danielis cap. 2. potitus est; aut quia magis videbatur super terram, id est, eleuatus à terra instar volantis aquilæ, quam in terra suum instituere volatum, aut cursum, quod eximiam illius velocitatem indicat. Cui secundæ explicationi fauet id, quod proximè succedit. *Et non tangebat terram*; si dicatur illud *&*, hoc loco particulam esse exponentem, quæ idem valet quod, *id est*, in hanc sententiam, *Veniebat super faciem totius terræ, id est non tangebat terram*. Qui dicendi modus prouerbiali specie summam indicat celeritatem, non solum apud prophanos authores, sed etiam in Scriptura sacra, Isaiæ cap. 41. *Semita in pedibus eius non apparebit*: ad significandam summam Abrahami, siue Cyri in victoriarum cursu celeritatem, qui non videntur vllum, cùm incederēt, in terra reliquisse vestigium.

Quod sequitur, *porro hircus habebat cornu insigne inter oculos suos*: Etsi non tam de Alexandro, quàm de regno ipso siue Monarchia dici videatur, quæ primum Imperatorem Alexandrum Magnum quasi cornu excellentissimum habuit inter oculos suos; nihilominus tamen facilè etiam de Alexandro intelligi potest, ita vt cornu accipiatur, vel pro insigni eius ingenio, prudentia & sagacitate; vel quod verisimilius est pro potentia & fortitudine; quod innuitur statim cum dicitur hircus in impetu fortitudinis suæ percutere arietem: non intelligitur autem aliquo alio armorum genere, quàm suo cornu id facere; significaturque, Alexandrum totam vim suā quasi cornu exerentem, Darium, ac eius copias profligasse; sicque vtrūque arietis cornu, hoc est, duo illa præcipua

Mo-

Monarchiæ Persarum regna, vt supra diximus, comminuisse. Post hęc autem dicitur hircus caprarum factus magnus, & creuisse; quia Alexander ob res gestas ex professo dictus est *Magnus*. Notandum est hic aliquid videri alienum ab hircina natura: neque enim hircina frons ab ea parte cornuta est, quæ media est inter oculos. Sed quia hic multa explicantur, quæ nisi aliquid affingatur naturæ, exprimi non possunt; idcirco aliquid monstri obiectum est prophetæ: neque id nunc primum, sed etiā quandò antè bellua multicornis apparuit, & alatus pardus. Sic ergo hircus primum vnicornis, deinde quinque cornis visus est, quia illam vmbram, & typum exigebat rerum varius euentus. An sit hircus alicubi vnicornis, non legitur; habere tamen aliquod hircorum genus apud Libyam cornua à pectore pendentia docet Aelianus ex Aristotele lib. 6. de histor. Animal. cap. 31. quod certè aque rarum, atque monstrosum videri debet, ac mediam frontem habere cornu munitam.

Deinde per illa verba, *cumque creuisset fractum est cornu magnum*, significatur violenta mors Alexandri, qui in flore ætatis, scilicet cum vixisset triginta duos annos, & octo menses; atque duodecim circiter annos regnasset in summa felicitate & gloria, vel crapula vt vult Athenęus, vel veneno, vt volunt alij, Babylone decessit anno primo Olympiadis 114. Vide apud Pererium & Cornelium hic breuem chronographiam vitæ, rerum gestarum, & mortis Alexandri Magni. Porro quod dicitur; *Et orta sunt*, (loco insignis illius cornu iam fracti, vt habent Hebræi) *quatuor cornua subter illud per quatuor ventos cæli*; denotat quatuor supradictos Alexandri duces, qui eo mortuo sibi imperium diuiserunt: Etsi enim ex Iustino, Curtio, Diodoro, Orosio, plures duces his quatuor nominari possint, qui mortuo Alexandro, partem de tunica Monarchiæ scidisse videntur, tamē hi quatuor fuerunt quasi principes, quibus de imperio decertātibus reliqui adhęserunt, singuli singulis, à quibus defensionem contra vim factam expectare poterant. Sic explicat Angelus ipse versu 22. *Quod autem fracto illo surrexerūt quatuor pro eo, quatuor reges de gente eius consurgent, sed non in fortitudine eius*; id est non fortitudine Alexandro pares; illud enim *in*, sicut alibi in Scriptura sæpe, hoc loco idem est quod *secundum* vel *iuxta*. Quare *non in fortitudine eius*, idem est quod non secundum illius fortitudinem.

Tandem in subsequētibus versibus; vbi dicitur; *De vno autem ex eis egressum est cornu vnum modicum; & factum est grande contra Meridiem, & contra Orientem & contra fortitudinem*; describitur Antiochus Epiphanes; de quo iterū versu 23. dicitur, *Et post regnum eorum cum creuerint iniquitates, consurget rex impudens facie &c.* Igitur sicut ex vno cornu ex quatuor, quæ fracto cornu magno repentè apparuerunt in hirco, ortū est aliud exiguum: sic ex vno aliquo quatuor successorum Alexandri genus suum & originem duxit Antiochus Epiphanes, nempe ex Seleuco Nicanore, qui post Alexandrum fundator imperij Syriaci, & Asiatici fuit, à quo ille *Epiphanes*, propter tyrannidem dictus *Epimanes*, genus & originem ducens, octauus rex Syriæ numeratur, anno Seleucidarum 137. anno verò ab Alexandro mortuo, id est ab eo tempore quo reges illi quatuor regnum inierunt 149. Seleucus enim obtinuit tantùm suum in Asia regnum, anno post Alexandri mortem duodecimo, vt probabilius docet Eusebius tam in Chronico, quàm lib. 8. de demonst. Euangel. cap. 2. & ex ipso Pererius hic, alijque interpretes communiter, qui rectè notant ab initio regni huius Seleuci, annis duodecim post mortem Alexandri Magni, annos Gręcorū, qui etiam dicuntur Seleucidarum, quorum in libris Machabęorum frequens est sermo, non autē à morte ipsius Alexandri, vt multi falsò putauerunt, numerati debere. De his porro regibus, qui succes-

successerunt Alexandro ad tempus vsque Antiochi, nihil præterea oblatum est Prophetæ, quia ab illis neque vexata valde fuit, aut ornata res Iudaica; sed solum de Antiocho, cuius expeditiones, vt ex libris Maccabęorum constat, Ecclesiæ Dei fuerunt funestissimæ, donec à Deo punitus perijt.

Primum in hac visione *modicum cornu* dicitur, quia minor natu fuit filius Antiochi Magni, qui cum Hannibale contra Romanos dimicans; sed victus fususque pacem cum Romanis inijt, obsidemque illis misit filium hunc Antiochum Epiphanem, qui paulo post mortuo fratre Seleuco Philopatore, qui patri in regno successit, Roma fugiens, eiecto fratris filio Demetrio, per vim regnū Syriæ inuasit. Subditur, *factum esse grāde contra Meridiem & contra Orientem*; quia ad Orientem Artaxiam regem Armeniæ deuicit, mox ad Meridiem profligauit Ptolomęum Philometorem regem Aegypti, atque Alexandriam obsedit, eamque obtinuisset, nisi à Romanis coactus fuisset abscedere. Missus enim ab eis Popilius Lænas, Antiochum virga per circulum circumscripsit, dicens: Non excedes hoc circulo, nisi respondeas: iubet populus Romanus te Aegypto, vt pote eis amica, abscedere. Respondit Antiochus, Parebo: vnde fremens frendensque discessit, omnemque deinde iram suam *contra fortitudinem*, id est contra Iudęam effudit; vt patet ex libris Maccabæorum. Cuius indignationis & furoris tanta fuit in illa persequenda acerbitas, vt ob eam ille apud authores sacros pro figura Antichristi habitus fuerit, de quo vide interpretes ad hunc locum, prę̨sertim Gasparem Sanctium. Omne huius persecutionis tempus durauit ab anno regni Græcorum centesimo quadragesimo tertio, vsque ad centesimum quadragesimū octauum. Profanatio tamen, & pollutio tēpli, ab anno centesimo quadragesimo quinto mansit, vsque ad 148. quo à Iuda Machabęo templum repurgatum, & ritè renouatum est, posita lege, vt in posterum eius rei memoria, mense nono per singulos annos celebraretur, qui dies festi, appellabantur *Encæniorum*, quorum mentionem facit Ioannes in 7. cap. historiæ Euangelicæ.

Sed hic difficultas occurrit, quomodo tempus huius persecutionis determinatum in priori libro Machabęorum cap. 1. & 4. ab anno videlicet centesimo quadragesimo tertio vsque ad annum 148. quod non potuit esse longius sex annis integris, nulloque modo sex annos solidos excedere potuit; occurrit inquam difficultas, quomodo illud tēpus concordet cum bis mille, & trecentis diebus, quibus hoc loco Daniel spatium eiusdem persecutionis circumscribit, faciunt enim sex annos, tres menses, diesque viginti: Respondent communiter interpretes Danielem hoc numero bis mille trecentorum dierum, ita designasse tempus Antiochiæ persecutionis, vt eius terminum non posuerit in purgatione & renouatione templi, vt fit in citato libro Macabęorum, sed eam extenderit vsque ad mortem Antiochi, quę contigit anno regni Gręcorum 149. Ipso enim viuo non videbatur restituta pax rebus, atque ideo nondum in templo profanato pacata religionis restitutæ possessio. Prę̨sertim verò, cum ex nouo capite posterioris libri Maccabęorum constet, quo tempore Antiochus mortuus est, eo tempore fuisse eum ferocissimo & sęuissimo animo aduersus Iudęos: nec nisi extrema mala, atque immanem crudelitatem contra ipsos anhelasse. Sed de hac computatione vide Serarium tam in harmonia cap. 1. quam lib. 1. Machabęorum cap. 6. Interim accipe verba Ruperti lib. 8. de victoria Verbi Dei cap. 29. Cur regnum Gręcorum supra per pardum, & hic per hircū fuerit figuratum. *Non sine causa tam diuersa vnius, & eiusdem regni figura est præmonstrata; sed ob res diuersas, visionū species diuersa est. Nam Spiritus Sanctus sicut præsciuit res venturas, ita rerū venturarum sciuit congruè præeuntes accommodare figuras: futurum quippe erat vt re-*

regnum Græcorum & ferinam pardi ferocitatem, & effœminatam hirci habens libidinem sua vibraret cornua contra Altissimum, suam obfirmaret sæuitiam contra firmum diuinæ promissionis verbum. Ex sacris libris constat, quàm fuerit hoc regnũ ferreum, quam libidinosum: ferreum secundum pardi sæuitiam: libidinosum secundum hirci semper in libidinem proni petulantiam: astutum, atque versutum secundum pardi varietatem: fluxum atque incontinens, secundum immoderatum hircini sanguinis calorem. Vitijs istis tam diuersis ferocitate & libidine regnũ Græcorum contra populum Dei laborauit: & ideo priori visione per pardum, & hac per hircum præmonstrari dignum fuit. Hactenus Rupertus. Vnde etiam, cum exactissimè euentus rerum his Danielis vaticinijs ac visionibus longè ante habitis correspondeant, (quadringentos octo annos numerat Iosephus lib. 12. Antiquit. cap. 7. manifestum est, vt alias notauimus agendo supra de sacra Scriptura, diuinitatis horum vaticiniorum & aliorum similium, ipsiusque libri Danielis, & aliorum Prophetarum, argumentum. Quicumque enim libri in se continent verissima & euentu probatissima vaticinia de ijs rebus, quorum nullum signum in rebus creatis haberi potuit; illi, inquam, libri sunt diuinitus inspirati, diuinamque habent authoritatem; sed tam Danielis, quam aliorum Prophetarum libri sunt huiusmodi; ergò fuerunt diuinitus inspirati, diuinamque habent authoritatem.

Quarto loco Danielis cap. 11. ver. 3. 4. & sequentibus, fit mentio Alexandri Magni, regnique Græcorum. *Surget verò rex fortis, & dominabitur potestate multa, & faciet quod placuerit ei. Et cum steterit, conteretur regnum eius, & diuidetur in quatuor ventos cæli: sed non in posteros eius, neque secundum potentiam illius qua dominatus est &c.* Circa quæ suppositis dictis, nihil aliud occurrit notandum, nisi quod Propheta immediatè iungit Alexandrum Magnum eiusque regnum post quartum Persarum regem: *Ecce*, inquit, *adhuc tres reges stabunt in Perside, quartus ditabitur opibus*; deinde ad Alexandrum immediatè descendens ait: *Surget verò rex fortis &c.* Iudæi ex hoc Danielis loco putarunt, quinque duntaxat reges Persarum esse oportere, Cyrum videlicet, quem hic propheta non numerat, quia iam regnabat, & quatuor alios, qui proximè Cyro successerunt, quos hic numerat Daniel, scilicet Cambyses, Smerdes, Darius Hystaspis, & Xerxes. Sed hic manifestus est error, nam vt vidimus supra, longè plures fuerunt Persarum reges; quos hic præterit Angelus, quia, vt ait S. Hieronymus, spiritui Prophetico non fuit curæ ordinem historiæ prosequi, sed tantùm ea attingere, quæ ad eius scopum pertinent. Scopus autem eius hic est, describere regnum Græcorum, puta Alexandri, eiusque successorum. Transit ergò à Xerxe ad Græcos; quia cum ipsi Xerxem tam infami clade occiderunt, tum cœperunt se erigere, atque Xerxis & Persarum opibus & regno inhiare.

CAPVT VIII.

Quantum referat ad sacra doctrinæ studium, Humana Historia, sub quarta Monarchia.

QVarta Monarchia, quæ Romana dicitur, est summum à Deo in mundo constitutum imperium, à Iulio Cæsare incipiens, & adhuc dum durans, Danielis cap. 2. per *tibias ferreas, pedesque ex parte ferreos, ex parte fictiles*; item in eodem propheta cap. 7. per *ferocissimam & terribilem admodum bestiam, dentibus ferreis omnia deuorantem, & comminuentem*, præsignatum.

Cùm definitum huius definitionis sit Monarchia Romana sic dicta ab vrbe Roma, quæ Metropolis erat Monarchica huius imperij, breuiter eius initia & incrementa expendenda sunt; Neque enim, vt Cyrus ex abrupto surgens, primus Persicam, sic Iulius Cæsar Romanam Monarchiam fundauit. Magnæ molis

molis prius erat Romanam condere gẽtem. Vt igitur præcedentium Romanorum heroicas res gestas, quibus via ad Monarchiam latissimè strata fuit, distinctius cognoscamus considerandum est primum interuallum annorum 245. quibus populus Romanus Regũ dominio, circa ipsam matrem suam cum finitimis colluctatus, circummurana pertulit bella. Secundum annorum 244. à tempore exactorum regum vsque ad primum bellum Punicum. Quo tempore Populus Romanus orbi terrarum in potestatem redigendo par esse didicit, tam in otio quam in negotio. In otio enim, vt tranquillior esset reipublicæ status, leges latæ sunt 12. tabularum anno Vrbis conditæ 302. Inde Magistratus legibus custodiendis electi: primi Censores anno V.C. 212. prætura & Aedilitas 388. In negotio autem mirandum est sufficere potuisse populum Romanum in tot hostium conflictibus & assaltibus. Quales fuere Tarquinienses, Sabini, Veientes, Latini, Cærites, Tiburtes, Caleni, Priuernates, Volsci, Aedui, Hetrusci, Antiales, Hardeates, Falisci, Capenates, Sassinates, Picentes, Heurici, Galli, Senones, Aurunci & Samnites. Tertium interuallum annorum 203. fuit à primo bello Punico vsque ad tẽpora Iulij Cęsaris, qui circa annum mundi 3902. paulo plus, vel minus secundum diuersum Chronologorum computum, victo in pugna Pharsalica Pompeio, priusquam fugato Ptolomæo Dionysio, vltimo Aegypti Rege, anno quinto post inceptum bellum ciuile, in vrbem rediens, primus rerum Monarchicè potitus est, Dictatoris nomine sibi perpetuo sumpto, & ad suum arbitrium Senatu constituto; plenissimè autem Augustus, Aegypto sibi & Romanis subiugata, anno mũdi 3921 vt tom. 2. lib. 3. sect. 1. cap. 63. iam notauimus.

Vt autem ante, ita etiam post stabilitam Romanam Monarchiam, variacius fuerunt symptomata, & mutationũ interualla, quæ breuiter cõsiderabimus, & ad subsequentia reducemus. Primum mutationis interuallum est annorũ 353. à Iulio Cęsare vsque ad Constantinum Magnum, anno Christi 306. qui primus pacem per orbem dedit Ecclesiæ, & imperij Sedem Constantinopolim transtulit, post cuius obitum prima diuisio imperij facta fuit inter filios eius. Sub decursu primi huius interualli à Iulio Cęsare, ad Constantinum Magnum exclusiuè numerantur 40. Imperatores; qui sic diuidi possunt, primum in illos, qui vel ex solis Romanis erant, vel ex Romanis & exteris simul; rursus imperatores ex Romanis familijs electi, vel fuerunt vnius familiæ vt primi sex, Iulius Cæsar, Augustus, Tiberius, Caligula, Claudius, Nero; vel diuersarum familiarum, vt alij sex, Seruius Sulpitius Galba, M. Saluius Otto, Aulus Vitellius, Flauius Vespasianus, Titus, Domitianus. Imperatores autem ex Romanis & exteris promiscuè sumpti similiter distinguntur in illos qui antè Dyarchiam puram, sub Dyarchia, ante Dyarchiam cũ Polyarchia mixtam, sub Diarchia cum Polyarchia mixta fuere. Priorũ numerantur tredecim Cocceius Nerua, M. Vlpius Traianus, Aelius Adrianus, Antoninus Pius, M. Antoninus Philosophus, L. Commodus Antoninus, Heluius Pertinax, Didius Iulianus, Septimius Seuerus, Antoninus Caracalla, Opilius Macrinus, Antoninus Heliogabalus, Alexander Seuerus. Sub Dyarchia, id est regimine duorum octo fuisse scribuntur, Iulius Maximinus cum filio, Gordianus Iunior, M. Iulius Philippus Arabs cum filio Seuero, Decius cum filio, Gallus cum filio Volusiano, Aemilianus, Licinius Valerianus cũ filio Valeriano, Gallienus. Imperatores ante Dyarchiam cum Polyarchia mixtam fuere quatuor, Claudianus Dalmata, Valerius Aurelianus, Claudius Tacitus, Aurelius Probus. Sub Dyarchia cum Polyarchia coniuncta continetur historia M. Aurelij Cari, Valerij Diocletiani, Constantij Chlori, & illorum qui cum ijs imperauere. Marcus enim Aurelius Carus Narbonensis propter vir-

tutem à militibus Imperator factus, Carinum & Numerianum filios, Cęsares nuncupauit. Valerius Diocletianus, initio imperij victo Carino, qui Patri Caro succedere voluit, metuens ne ob nouos in Prouincijs motus alibi alij Imperatores crearentur, Maximianum, fortem & militaris rei peritum, sed truculentum & libidinosum collegam sibi fidum elegit, pari potestate Augustum eum appellans. Cumque propter crescentes passim motus pluribus ducibus fidelibus opus esset, vterque, Diocletianus Galerium Maximinum; Maximianus verò Flauium Constantium Chlorum, Constantini Magni patrem, ob insignem eius virtutem, Cęsares nominauerunt. Flauius Constantius Chlorus, interfecto Maximiano, Galerium Maximinum primò, mox Seuerum, Maximinum, & Licinium à Galerio adoptatos, Maxentium à militibus electum, socium imperij habuit.

Secundum interuallum est annorũ 506. à Constantino Magno ad Carolum Magnum anno Christi 800. hoceque interuallo decurrente, facta est prima, secunda, & tertia imperij diuisio: *prima* inter filios Constantini: *Secunda* inter filios Theodosij, paulo post Occidentali imperio in Augustulo anno 476. definente, & paulo ante sub ipso Theodosio I. & II. barbarorum exercitu imperium inuadente, diripiente, dilacerante: Tertia verò sub ipso Carolo, sub quo vltima diuisio Imperij in orientem & occidentem contigit. Quia igitur sub huius interualli decursu, ita Imperium distractum fuit eius sede Roma, Constantinopolim, ex occidente in orientem, translata, inde fit, vt in linea successionis imperatorum recta permaneri non possit sub hoc & sequenti interuallo, sed mox digrediendum sit ad lineam collateralem, conferendo imperatores Orientales cum Occidentalibus, id quod in primis anno Christi 364. sub Gratiano & Valentiniano fieri incepit, vt Imperatores in Oriente, & Imperatores in Occidente simul regnauerint, quorum numerus & nomina ex sequenti catalogo cognosci possunt.

I. Constantinus Magnus Constantij Chlori, & Helenæ filius, ex Gallijs, vbi agebat, à Senatu euocatus, ad vrbem Romam liberandam à Tyrannide & libidine intolerabili quam in ea exercebat Maxentius, prælijs aliquot cum illo initis, eum tandem ad angustias adegit, vt victus vnà cum equo in Tiberim insilierit, submersusque amplius apparuerit nulli. Hocque modo occidens sub vno Constantino vnitus fuit. Fulgida crux, ex lucis splendore formata, cum inscriptione, IN HOC VINCE, victoriam ei promisisse legitur. Orientẽ adhuc tenuit Licinius, parentibus quidem rusticis natus, sed adoptatus à Galerio, vt supra notauimus. Cum hoc fœdus icit Constantinus, tradita ei sorore sua Constantia in vxorem, hac lege, vt Christianis parceret: persecutus enim eos est grauiter Licinius; sed eo ad persecutionis ingeniũ denuo relapso, Constantinus posthabita affinitate, ad arma progressus, eumdemque tanquam fœdifragum & Tyrannum persecutus est, eo progressu, vt victor vitam petenti, purpuramque, quam 16. annis gestarat, ponenti, copiam cum vxore Thessalonicæ priuatim viuendi concesserit, vbi quietis impatiens, & res nouas moliens, anno 70. ætatis à præsidio Constantini oppressus fuit. Exindeque vnus Constantinus vtriusque imperij Orientalis & Occidentalis dignitatem consecutus est, Magnusque & Maximus dictus. Hic est ille imperator, qui abolita superstitione Ethnica Christianam religionem passim introduxit, nullos labores pro ea afferenda defugiens. Successibus tamen insolentior factus, auaritia, cædibusque multorum nobilium, vt & suorum, regias quibus pollebat virtutes, non parum obscurasse scribitur, quod vel ex eo colligendum est, quod proprio filio Crispo Cæsari non pepercit, sed pronus ad deteriora credenda, eum supplicio affecit, circumuentus ab Augusta fausta, Crispi nouerca, quam ipsam, eius frau-

de

de perſpecta, deinceps neci tradidit. Imperij eius anni numerantur circiter 30. menſes 10.

II. Conſtantius, Conſtantinus & Cõſtans, Conſtantino Magno, ex Fauſta Galerij Maximini filia geniti, vxores enim duas Cõſtantinus Magnus habuit, præter Fauſtam, etiam Mineruinam, ex qua Criſpũ Cęſarem, Fauſtę artibus oppreſſum, ſuſcepit. Hi tres ex Fauſta fratres diuiſum à Patre acceperunt imperium. Conſtantinus Alpes Cottias, Galliam, Hiſpaniam, Britanniam, Orcades, Thule; Conſtans verò Italiam, Africam cum inſulis, Illyricum, Macedoniam, Gręciam; & Conſtantius orientem cum Thracia; quos ipſos latius regnandi cupido aduerſus ſe diuiſit, & in mutua pręlia armauit. Nam Conſtantinus Conſtanti bellum intulit, ſed ad Aquileiam, feruente pręlio, à fratris ducibus per inſidias circumuentus, occiditur imperij anno 4. Conſtans autem perſequendo victoriam, propter inſolentiã grauis militi & populo, cauſa fuit conſpirationis Centurionum aduerſus ſe, qui Maxentium Imperatorẽ ſalutarunt, cuius iuſſu percuſſores Conſtantem necarunt, quieſcentem in tentorio, ann. 30 ętatis, regni 13. Sic percuſſo Conſtante à Maxentio, imperium ad vnum Conſtantium, Conſtantini Magni primogenitum, reuolutum fuit, qui victo, & ad deſperationem adacto Maxentio, fratris ſui interfectore, triumphans Romam venit. Hic ille Conſtantius eſt, à quo Conſtantia, vrbs illa Epiſcopalis ad lacũ Podamicum, fuit ædificata. Imperij eius anni numerantur 24.

III. Iulianus Apoſtata, ita dictus, quia cum initio Chriſtianus eſſet, ad Ethnicã ſuperſtitionem, cuius ſemina adoleſcens inſcio Euſebio, à Philoſophis hauſit, fuit delapſus; hinc Chriſtianorum perſecutor, & oppreſſor. Anni ętatis eius numerantur 32. Imperij 1. menſes 9.

IV. Iouianus qui & Iouinianus, militari fauore fit Imperator, & quia chriſtianum ſe fuit profeſſus, gentibus ſe imperare nolle ſignificanti, milites acclamauerunt, etiam ſe Chriſtianos eſſe. Imperij eius menſes ſunt 7. dies 20.

De hinc aliquandiu vtcumque diuiſum Imperium in Orientem, & Occidentem, ab Orientalibus & Occidentalibus Cæſaribus adminiſtratum; hi fuerunt Valentinianus, Valens, Gratianus, Valentinianus II. Theodoſius. Valentinianus enim, mortuo Iouiano, ab exercitu Imperator factus, fratrẽ Valentem, quem exercitus prius Collegam Valentiniano obtulerat, Auguſtum Conſtantinopoli pronuntiauit, Occidentis imperio ſibi ſeruato, Orientis Valenti commiſſo. Aliquantò poſt etiam filium Gratianum Auguſtum nominauit; qui Gratianus Valentiniani I. filius natus ex Seuera, Valentinianum II. fratrem, natum ex Iuſtina, vix quadrimum à militibus Cæſarem appellatum, Iubens in conſortium dignitatis admiſit. Erat is egregiè doctus, & Orthodoxæ fidei addictus, Epiſcopos Orthodoxos ab exilio reuocans, hæreticos exeſſe cogens, omneſque Eccleſias ad amplectendum ſymbolum Nicænum incitans. Viuo adhuc Valente, ad Argentoratum 30000. Alemannorum trucidauit. Valenti contra Gothos ſuccurſurus, ſerò venit, eo iam interfecto, anno regni 25. adiuncto ſibi præter Valentinianum fratrẽ, Theodoſio, curã gubernationis imperij omiſit, ludis & venationibus deditus. Maximi Galliæ Præſidis, & Andragathij conſpiratione è medio fuit ſublatus, diuina tamen vindicta in homicidas animaduertente, dum alter à Theodoſio peremptus, alter metu deditionis in mare proſiliens, vitæ finem impoſuit. Valentinianus ſimiliter poſt Maximi interitum cum Galliam quinque circiter annos rexiſſet, à cubicularijs, per Eugenium Scribam & Arbogaſtum exercituũ Valentiniani ducem corruptis, ſtrangulatus interijt. Imperij Gratiani, & Valentiniani anni numerantur 17.

Tandem Theodoſius I. Magnus, cũ regnaſſet cum Gratiano, & Valentiniano annos 4. cum Valentiniano tantùm annos 10. ſolus annos circiter tres Ro-

manum imperium in Occidente, & Oriente integrum tenuit; consummata deinde sequuta illius diuisione, vt potè quę Orientem & Occidentem ita distraxit, vt nunquam amplius sub vnius Imperatoris regimine coaluerint, vtrinque varijs vicissitudinibus euenientibus, donec oppresso Occidente, solus Oriens dignitate Monarchica insignis aliquando permansit. Ante oppressum tamen Occidentem tres Orientales Imperatores, nempè Arcadius, Theodosius II. & Martianus, duo verò Occidentales Honorius & Valentinianus III. Ita vt Arcadio Orientis Imperatori iungendus sit ad latus Honorius Imperator Occidentis, vterque Theodosio I. Magno genitus; Theodosio II. Arcadij ex Eudoxia filio, & in Orientis Imperio successori; Valentinianus III. Honorij è sorore Placida prima nepos; similiter Martiano iā grandæuo à Pulcheria Arcadij filia, Theodosij secundi sorore natu maxima, fæmina prudentissima ad imperium vocato, vtque ei maior esset authoritas sibi desponsato, hac conditione vt intacta maneret ipsius Virginitas; huic inquam Martiano ob synchronismum regiminis in Occidente ad latus iungendi sunt 1. idem Valentinianus III. quo adhuc viuente Martianus successit Theodosio II. 2. Maximus, Valentiniani interfector Imperij inuasor, & Eudoxiæ vxoris Valentiniani, quam turpibus nuptijs sibi copulauit; huius iniurię adeo impatientem, vt Gensericus Vandalorum rex, ab ea vocatus Romam venerit, vlrum iniurias. Maximus ergo, veniente Genserico, membratim discissus in Tiberim proijcitur, & Roma orbis domina, tanquam mancipium, diripienda, & stupranda in prædatoris manus venit, cum in ea Maximus regnasset menses tres. 3. Auitus, creatus à Senatu Imperator, cū quo Martianus fœdus iterat, qui anno nondū finito à Richimero Gotho apud Placentiam captus, Imperiumque deponere coactus est. 4. Maioranus, Rauennæ Imperator factus, qui Vandalis in Africa bello illato, tertio anno Imperij mortuus est. 5. Seuerus, qui Rauennæ Maiorano succedens, tertio, secundum alios quinto imperij anno veneno extinctus est. 6. Anthemius, à Marriano missus in Italiam, vt Occidentis imperium teneret, qui Richimerum Gothum, pacis causa in collegam asciuit, elocata ei sua filia; sed Richimerus Arianus, cum Episcopos suos Romæ cathedris prohiberi videret, arma in socerum sumpsit, in ipsa vrbe dimicans, socerumque victor occidit quarto anno imperij: quadragesimo die post ipse sęuissimis corporis cruciatibus extinctus, & iusta parricidij pœna affectus.

Martiano cum imperasset septem annos successit Leo I. natus in Thracia, auctoritate Asparis Gothi consecutus imperium, cum Ardaburio, Asparis filio spem adoptionis, & Cæsareæ dignitatis fecisset; structis tamen postea Leoni ab Aspare insidijs, subinde dictitante: *Deuoremus nos leonem, priusquam ipse de nobis prandium instruat*: ipse cum filio oppressus est. Ex quo imperium tranquillè administrauit Leo, cuius anni numerantur 17. menses 6. Leoni ob Synchronismum regiminis in Occidente adiungendi sunt quatuor Occidentis Reguli magis, quā Imperatores, Olybrius, Glycerius, Iulius Nepos, Orestes, Augustulus. Olybrius, à Leone missus Romam, affinitate Imperatorum clarus, vt qui Placidiam, Valentiniani filiam, in coniugio habuit, septimo Imperij mense decessit. Glycerius inuito Senatu à militibus euectus fuit, sed huic, cum nō totum regnasset annum, Iulius Nepos eripuit Imperium; quem Iulium Nepotem Orestes militum Magister postea deposuit, filiumque suum Augustum adolescentem Imperatorem fecit, qui postea per contēptum Augustulus vocatus est. Hic, cum Odoacer Rugianus Orestem Patrem victum, captumque spectante exercitu interfecisset, fugiens imperio se addicauit; Exspirante cum eo Occidentali Imperio, quod cum Augusto incipiens annos 500. stetit; volunt enim aliqui Iulium Cæsarem Dictatorē

per-

perpetuum dumtaxat fuisse, non propriè Imperatorem, quamuis reipsa imperaret. Deinceps ergò sequuntur in historia Imperatores, qui in Oriente, Occidentali imperio extincto, ad vsque Carolum Magnum regnauerunt. Imperium Italiæ Gothis tenentibus, stabiliente Theodorico Veronense nouum regnum.

Huiusmodi Imperatores fuerunt numero 20. qui claritatis gratia possunt in sequentes diuidi classes; *Prima* continet historiam Zenonis, Anastasij Dicori, Iustini; vsque ad Romani Imperij sequutā postea aliqualem restaurationem: *Secunda* Iustiniani, Iustini iunioris, Tyberij, Mauritij, Phocę; cum enim prius fuisset magna pars Romani Imperij à supradictis Imperatoribus auulsa, Barbaris in Italia regnantibus; tandem sub hac secunda classe aliquo modo restauratum fuit, non quod omnia sint vindicata, sed Italia Barbari pro maiori parte sint expulsi; Iustinianus enim opera Bellisarij, Africam Vandalis eripuit, Romam Gothis abstulit, Siciliam per Mundum occupauit, per Narsetem verò post varia certamina capto Theia Rege, regno Gothorum in Italia finem imposuit. *Tertia* Classis cōtinet Imperatores illos, sub quibus iterum repetita fuit Romani Imperij prius aliquo modo interrupta diuisio, excitato potissimum, in Oriente, à Mahumete perfido, regno; Et hi sunt vel *Heracleonidæ*, vel *Isauridæ*: illi à Patre sic dicti, sunt Heraclius, Constantinus IV. Heraclij filius; Heracleonas alter Heraclij ex Martina filius, Constans Constantini IV. filius, Constantinus V. cognomine Pogonatus, & Barbatus, Iustinianus II. Constantini V. filius, vltimus stirpis Heraclij Imperator: quibus annumerari possūt Philippus Bardanes, Arthemius, Theodosius III. Imperatores autem *Isauridæ* ab Isauro Patria sic denominati, sunt Leo III. Patria Isaurus, Constantinus VI. Copronimus, filius Leonis, sic dictus, quod infans dum baptizabatur, aquam sacram stercore inquinarit; Leo IV. Porphyrogenitus Constantini VI. filius, Constātinus VII. Leonis IV. filius, qui tantisper felix fuit, quantisper matris consilijs adhuc iuuenis obtemperauit. Grandior autem factus, deiecta matre, insolenter regnare cepit, ardore libidinis legitima coniuge abdicata, prætexens insidias, & Theodote cubicularia in eius locum ducta, ex quo magni motus orti sunt, alijs probātibus, alijs improbantibus hoc Imperatoris factum. Hinc mater Irene, potiorem rationem habens Imperij, quam filij, eo rem deduxit, vt filius Constantinus caperetur, & capto oculi eruerentur, eoque ex impatientia maternę contumeliæ paucis diebus post mortuo, Imperiū ad solam Irenem redierit, quod dum tribus annis tenuit, per occultos nuntios Caroli Franci connubium petijsse scribitur; qui ambitus ita proceres offendit, vt ipsa, iam tum ob sæuitiam in filium exercitam publico odio subiecta, tanquam exteris imperium proditura, in Lesbium relegata, & ab imperio de communi sententia amota fuerit. Tantùm de Imperatoribus sub decursu interualli secundi, à Constantino Magno vsque ad Carolum Magnum.

Tertium interuallum est annorum 867. à Carolo Magno, in quo Leo Papa tertius transtulit (vide Bellarminum contra Illyricum) Imperij dignitatem à Græcis ad Francos anno Christi 800. in die Natalis Domini, qui annus ab alijs dicitur 801. quia à Natali Domini annos numerant, vsque ad Leopoldum I. hodie feliciter imperantem. Sub cuius interualli decursu notandum est, vel tandē capta à Turcis Cōstantinopoli Oriētale imperium Græcorum desijsse, Occidentale vero vsque ad præsentem diem, singulari Dei protectione stetisse. Adhuc tamen post auulsū ab Oriēte Occidentē à Carolo Magno, vsque ad captā Constantinopolim 50. fuere Imperat. Græci, siue Constantinopolitani; quorum vltimus extitit Constantinus Palæologus cognomento Dragoses. Anno enim Christi 1452. vel secundum alios 1453. in ipsis ferijs Pentecostes, sic Deo vlciscen-

ſcente perfidiam Græcorum circa proceſſionem Spiritus Sancti à Patre & filio, Mahometus II.Solymanni proauus, Turcarum Imperator, Conſtantinopolim cepit, Turcici Imperij ſedē eo transferens; præter alia crudelitatis genera, ipſum etiam Conſtantinum Cęſarem,cū omni familia interfecit, nomine & ſucceſſione Chriſtianorum Imperatorū ijs in locis funditus deletis. Imperatores verò Occidentis, ſiue Romani à Carolo Magno ad hæc vſque tempora numerantur 46. ex quinque tamen familijs diuerſis, quæ Dynaſtiæ appellari ſolent.

Prima eſt Francorum, ſeu Carolidarum, hoc eſt eorum,qui plerique à Carolo Magno ortum habuerunt, vſque ad Henricum Aucupem anno Chriſti 912. ſecundum alios 920. & fuerunt numero 10.Carolus Magnus,Ludouicus Pius, Lotharius, Ludouicus II. Carolus II. Caluus, Ludouicus III.Carolus Tertius Craſſus, Arnulphus, Ludouicus IV.Cōradus I.

Secunda Dynaſtia eſt Saxonum ab Henrico Aucupe, vſque ad Cunradum Secundum Salicum,anno Chriſti 1024. & in hac fuere quinque Imperatores, Henricus Auceps, ſic dictus quod in Aucupio Imperij inſignia à Cunrado I. per fratrem Eberhardum ſuſcepit, inaugurationis ritu Friſſarij peracto; Otho I. Magnus, Otho II.Otho III.Henricus II. ſeu Sanctus Bauariæ Dux,

Tertia eſt Franconum à Cunrado Secundo Salico, ad Cunradum Tertium anno Chriſti 1138. in qua fuere quatuor Imperatores, Cunradus Secundus Salicus, Henricus Tertius Niger, Henricus Quartus, Henricus Quintus,quibus Lotharius Secundus Saxo annumerari poteſt.

Quarta Dynaſtia eſt Sueuorū à Cunrado III. vſque ad Rudolphum I. Habſpurgenſem, anno Chriſti 1273. in qua ſex fuerunt Imperatores, Cunradus III. Franconiæ & Sueuiæ dux, cuius tempore factioſa & fetalia *Guelphorum*, & *Gibellinorum* nomina nata ſunt; Fridericus I. Barbaroſſa, ſiue Aenobarbus à barba rufa ſic dictus,Henricus VI.Aſper ſic dictus ob ſeueritatem, Philippus Henrici VI. frater, Otho IV. Fridericus Secundus Henrici VI. filius. Sunt qui his adiungunt tres alios Imperatores, qui ex diuerſis familijs fuere, Henricus Thuringiæ Landgrauius, Vvilhelmus Hollandiæ Comes, Richardus Comes Cornubiæ, Henrici Anglię Regis frater. Verùm cum iſti auctoritatem obtinuiſſe vix dici poſſint, nec ab omnibus pro Imperatoribus fuerint habiti; potius dicendum eſt à mortuo Friderico II. interregnum ferè in imperio viginti duorum annorū ſecutum fuiſſe, vſque ad Rudolphum I.

Quinta tandem & vltima Dynaſtia eſt illorum Imperatorum, qui ex Auſtriaca domo, & alijs quamuis pro maiori parte ex Auſtriaca, ab electoribus electi ſunt à Rodulpho I. vſque ad hæc noſtra tempora; & ſunt numero 21. 1. Rodulphus I.Habſpurgēſis exiguo quidem cenſu, anguſtoque principatu, ſed generis nobilitatem ad veteres Francones referens, 2. Adolphus Naſſouius, 3. Albertus Auſtriacus ſic dictus, quia per coniugium Eliſabethæ Exarchatum Auſtriæ, Comitatum Tyrolis & Goricię acquiſiuit; 4. Henricus VII. Comes Lucemburgenſis; non quidem opum, ſed virtutum ditiſſimus, hic coniunctis Electorum ſuffragijs electus, vt laboranti imperio medelam adhiberet,id quod inſigniter præſtitit. 5. Ludouicus IV. Bauarus. 6. Carolus IV. Henrici VII. nepos, filius Ioannis, Regis Bohemiæ. 7. Vvenceslaus filius Caroli IV. 8. Robertus, ſiue Rupertus Palatinus, qui Vvenceslao non immediatè ſucceſſit,ſed Friderico Brunſuiucenſi,qui in locum Vvenceslai Francofurti electus, in reditu ad patrios lares, ab Henrico Vvaldecię comite,propè Friſtariam occiſus eſt. 9. Iodocus Barbatus, Marchio Morauiæ Caroli IV. ex fratre Henrico nepos. 10. Sigiſmundus Caroli IV. filius, Venceſlai frater, Hungariæ & Bohemiæ rex. 11. Albertus II. Auſtriacus, Sigiſmundi gener,

gener, postquam ab Alberto I. occiso, sex Imperatores ex alia, quam Austriacorum familia successerant, eodem anno rex Bohemiç & rex Hungariç,& Imperator Romanus factus, ter coronatus fuit. Et ab illo Imperatores ex Austriacis ad hunc vsque diem sumpri fuere; 12. Fridericus III. Austriacus filius Ernesti, Archiducis Austriæ. 13. Maximilianus I. Friderici III. & Leonoræ Portugalensis Reginæ filius. Caroli Burgundi vnicam filiam Mariam, castissimam & pulcherrimam duxit, loco dotis Belgij prouincias acquirens,quas tamẽ vxore præmaturè ex casu equi mortua, filiò Philippo consignauit, qui ducta Iohanna, Ferdinandi & Isabellæ Hispanorum filia,familiæ Austriacæ Hispaniam, Siciliam, Neapolim, Indiasque Occidentales, tùm primum inuentas, nomine dotaliciorum acquisiuit: anno verò ætatis 28. decessit,duobus filijs Carolo & Ferdinando, & filiabus quatuor relictis, superstite adhuc Maximiliano patre; annis aliquot. 14.Carolus V. Maximiliani è filio Philippo nepos: natus Gandaui in Flandria. Cognita aui materni morte statim Castellæ & Hispaniç regis titulum vsurpauit. Sicuti etiam Auo paterno electus Imperij Imperator successit. 15. Ferdinandus I. filius Philippi Regis Hispaniarum, Caroli V. frater. Primum electus Romanorum Rex, reclamante Electore Saxone, *deferri imperium ad externum contra auream bullã.* Tandem Carolo fratri imperium resignãte vnanimi electorũ consensu Francofurti Imperat. declaratus fuit. 16.Maximilianus II. Ferdinandi I.& Annę Vladislai, Poloniæ & Vngariæ Regis, filiæ pientissimæ filius. 17. Rudolphus II. Maximiliani II. filius. 18. Mathias Hungariç & Bohemiæ rex, frater Rudolphi. 19. Ferdinandus II. Ferdinandi I. nepos Caroli Archiducis filius. 20. Ferdinandus Tertius Ferdinandi II. filius; 21. Leopoldus I. Ferdinandi III. filius, qui hodiè imperat.

Notandum est me dixisse quintam & vltimam Dynastiam esse illorum Imperatorum,qui fuerunt à septem electoribus electi, à Rodulpho Primo vsque ad tempora nostra, non vt stabilirẽ tunc temporis præcisè, & non antea institutos fuisse septem electores principes, & à quo; de qua re accuratissimè agit Cardinal. Bellarminus lib.3. de translatione Imperij Romani, sed tantum, quia tunc potissimum ex communi historicorum consensu, postrema decreti pars de electione Imperatoris, quæ numerum electorum ad septenarium redigit, vsu recipi cæpta est. Probabilior autem est sententia Bellarmini loco citato cap. 2. asserentis, sanctionem illam de electoribus non à Gregorio X.sed à Gregor.V. Summo Pontifice, Othone III. consentiente factam esse, annis plus ducentis ante imperium Rudolphi. Superesset iam vt pro complemento huius capitis, ad vniuersalem primò, ac deindè particularem historiam superiorum sæculorũ fructuosè legendam,nec non perfectam vtriusque imperij notitiam habendam, inter alia proferre dignitates Occidentalis & Orientalis imperij; verùm cùm de his, & alijs similibus extet egregius Vidi Pancirolę in Patauino Gymnasio olim interpretis legum primarij commentarius omnibus obuius, libenter illis supersedeo; sicut & referendis Sacri Romani Imperij membris, pro vt nunc est; quæ distinguntur secundum classes,& circulos. Classes, quibus distinguntur sunt septem. 1. Electorum. 2. Archiepiscoporum. 3. Episcoporum. 4. Principum politicorum. 5. Prælatorum, siue Abbatum, & Præpositorum. 6. Comitum & Baronum. 7. Ciuitatum liberarum Imperialium. Circuli autem cum prius sex tantùm constituti essent Augustæ Vindeliciæ anno 1500. deinde decem anno 1522. Noribergæ stabiliti sunt. 1. Francicus. 2. Bauaricus. 3. Austriacus. 4.Sueuicus. 5. Superior Rhenanus. 6. quatuor electorum ad tractum Rheni. 7. Vvestphalicus. 8. Superior Saxonicus. 9. Saxonicus inferior. 10. Burgundicus, sic dictus quoniam à domo Burgundica cõstitutus est. Circulus quilibet

libet tres ſtatus continet, Eccleſiaſticorum, Principum ſæcularium, & liberarum imperij ciuitatum; de quibus omnibus vide Petrum Bertium in Germania, & alios plures.

Synchroniſmus Eccleſiæ ſub decurſu Monarchiæ IV.

AD hoc temporis interuallum primùm pertinet Natiuitas Domini Noſtri Ieſu Chriſti ſecundùm carnem, quę licet anno à creatione mundi 5199. ponatur iuxta Martyrologij Romani cōputum ex Septuaginta Interpretibus; nihilominus rem aliter ſe habere, ac teneri debere iam oſtendimus tom. 2. lib. 3. ſect. 1. c. 63. vbi etiam probabilius eam contigiſſe circa annum Mundi 3950. deduximus. Huic autem fidei noſtræ myſterio deinceps cum innitatur tota hiſtoria ſacra noui teſtamenti, religioniſque Chriſtianæ, quam omiſſis Scriptoribus Sacris, de quibus loco ſtatim citato c. 76 egimus, innumeri alij tam antiqui, quam moderni contexerunt; illos hic claritatis gratia in duas veluti claſſes Chronologorum & hiſtoricorum diſtribuemus, vt inde quæ ad doctrinæ vſum fuerint neceſſaria, eius ſtudioſi repetere poſſint.

Inter Chronologos primus eſt Euſebius Pamphili Epiſcopus Cæſarienſis, qui ſcripſit tempora ab orbe condito vſque ad annum Domini 330. S. Hieronymus cōtinuauit vſque ad annum 381. S. Proſper continuauit vſque ad annum 448. Caſsiodorus Senator, & Regi Theodorico ab epiſtolis perduxit ad ann. 519. Marcellinus Comes ad annū. 535. S. Iſidorus Hiſpalenſis ad annum 625. Venerabilis Beda ad annum 725. S. Nicephorus Epiſcopus Conſtantinopolitanus ad annum 842. Ado Epiſcopus Viennenſis de ſex ętatibus mundi ad annum 879. Rhegino Abbas Prumienſis ab aduentu Domini vſque ad annum 908. vt ipſe teſtatur initio ſui operis. Sed continuauit aliquis alius anonymus vſque ad annum 967. Hermannus Contractus Monachus Augienſis de ſex ætatibus mundi, vſque ad annum Domini 1052. ſed continuatum fuit à Bertoldo vſque ad annum Domini 1065. Marianus Scotus Monachus Fuldēſis ad annū 1083. Leo Marſicanus Epiſcopus Oſtienſis ad annum 1087. Bertoldus Conſtantienſis continuauit Chronicum Hermāni Contracti vſque ad annum 1065. & præterea ſcripſit Chronologiam rerum geſtarum ſui temporis vſque ad annum Domini 1100. Sigebertus Gemblacenſis ad annum 1112. Gothefridus Viterbienſis Notarius Conradi III. & Friderici I. Imperatorum ad annum 1185. Dodechinus Abbas S. Dyſibodi continuauit Chronicum Mariani vſque ad annum Domini 1200. Robertus de monte continuauit Chronicum Sigeberti vſque ad annum Domini 1210. Conradus Abbas Vſpergenſis ſcripſit Chronicum à primo Rege Aſſyriorum Belo vſque ad annum Domini 1229. qui author licet ſit ſatis diligens, & dignus qui legatur, notandum eſt tamen ipſum ob amorem erga Imperatores ſuæ nationis, non pauca cōtumelioſa ſcripſiſſe de Innocentio Tertio, & Gregorio Nono Pontificibus valdè pijs & doctis. Henricus Stero Monachus ab anno Domini 1152. vſque ad annum 1273.

Martinus Polonus natione, Monachus profeſſione, Archiepiſcopus dignitate, & Pænitentiarius Innocentij Quarti Pontificis ſcripſit Chronicum, in quo breuiter res geſtas Pontificum, & Imperatorum perſequitur vſque ad annum Domini 1275. fuit Martinus vir ſimplex & fabellas pro hiſtorijs obtrudit, qualis in primis eſt illa de Ioanna Papiſſa femina. Quod enim Centuriatores alijque Hæretici dicunt, hanc narrationem de Ioanna Papiſſa, haberi apud Marianum Scotum, & Sigebertum, qui Martinum Polonum præceſſerunt, falſum eſt, vt lib. 3. huius operis, agendo de Summo Pontifice oſtendi; nam in impreſsis codicibus Mariani, & Sigeberti irrepſit hęc fabula ex Martini Poloni libro: ſed in antiquis manuſcriptis non habetur. Sif-

fri-

fridus Presbyter Misnensis scripsit epitomem historiarum libris duobus comprehensam ab anno Domini 458. vsque ad annum Domini 1307. Mathæus Palmerius Florentinus, qui vixit tempore Concilij Florentini, vt ipse testatur in Chronico, scripsit siue cõtinuauit Chronicũ ab anno 449. vbi desijt S. Prosper, vsque ad annum 1449. Scribit quidem Ioannes Trithemius, hunc Mathæum postea de hæresi conuictum, & damnatum fuisse; in eius tamen Chronico nullum erroris vestigium inuenitur. Mathias Palmerius Pisanus, vixit eodem sæculo, & continuauit Chronicum Mathæi ad annum 1481. Vvenerus Vesphalus scripsit Fasciculum temporum ab initio mundi, vsque ad annum Domini 1484. Ioannes Nauclerus Præpositus Tubingensis scripsit ingens Chronicum cõtinens res memorabiles ab initio mundi vsque ad annũ Domini 1500. opus distinguitur in duo volumina, & primum quidem continet generationes 63. ab Adam vsque ad Christum: alterum continet generationes quinquaginta & vnam. Ioannes Linturius continuauit Fasciculum temporum ad annũ 1514. Paulus Langius ad annum 1515. Alexander Scultetus ad annum 1541. Gilbertus Genebrardus ad annum 1566. Onuphrius Panuinius ad annum 1577. Robertus Bellarminus ad annum Domini 1612. Tantùm de Chronologis vsque ad annum millesimum sexcentesimum, qui enim post illum scripserunt tam in Generali quam in particulari de sacris temporibus, omnem penè numerum excedunt. Nunc ad Historicos etiã antiquos veniamus.

Primus occurrit Egesippus circa annum Domini 177. qui scripsit historiam Ecclesiasticam vsque ad sua tempora, id est, vsque ad Aniceti Pontificatum; cuius fragmenta leguntur apud Eusebium lib.4. histor. cap.21. & S. Hieronymum in lib. de Script. Eccles. Libri verò de excidio Hierosolymæ, qui sub nomine Egesippi circumferuntur, aut alterius Egesippi recentioris, aut suppositij sunt. Ex libro enim 3. c.5. colligitur, post Constantini tempora libros illos fuisse conscriptos.

Eusebius Pamphili Episcopus Cæsariensis circa annum Domini 326. scripsit decem libros historiæ Ecclesiasticæ; quam Gelasius Papa inter apocryphos libros retulit, fortasse ob nimias laudes Origenis; vel etiam quia hæreticum Arianum fuisse testantur S. Athanasius in libro de decretis Nicænæ Synodi; S. Hieronymus in vtroque libro aduersus Ruffinum; & demum septima Synodus act.5. vbi primum legati Apostolici, deinde tota Synodus reijciunt auctoritatem Eusebij Pamphili, tanquã hæretici Arriani.

Ruffinus Presbyter Aquileiensis S. Hieronymi quondam amicissimus, deinde æmulus factus, circa annum Domini 390. scripsit duos libros Historiæ Ecclesiasticæ, quos addidit ad historiã Eusebij Cæsariensis à se translatam ex Græco; & hic quoque notatur erroris à Gelasio Papa, *cap. Sancta Romana. distinct.*15.

Palladius Galata Ruffini æqualis & amicus, circa idem tempus scripsit historiam Lausiacam & paradisum Heraclidis, in quibus describuntur breuiter multorum Sanctorum vitæ, quæ non modicam præstare possunt legentibus vtilitatem. Ipse tamen reprehenditur vt Origenista, à S. Hieronymo in epist. ad Ctesiph. & à S. Epiph. in epist. ad Ioannem Hierosol.

Seuerus Sulpitius circa annum Domini 420. scripsit libros duos de sacra historia, item vitam S. Martini Episcopi Turonensis, item dialogum de conuersatione Orientalium Monachorum; qui tamen libri de sacra historia, & dialogi de cõuersatione, cautè legendi sũt, vt potè aliquibus erroribus respersi, de quibus vide Posseuinum in apparatu, & Bellarminum de Script. Ecclesiasticis.

Paulus Orosius Presbyter Hispanus S. Augustini discipulus, circa annum Domini 425. scripsit ad ipsum S. Augustinum libros septem historiarum ab orbe

orbe condito, in quibus potissimum clades Romanorum describit, quas dum Idola colerent acceperunt.

Theodoretus Episcopus Cyriæ circa annum Domini 430. scripsit libros quinque historiæ Ecclesiasticæ à Constantino vsque ad Theodosium iuniorem; addit Gennadius continuasse historiam vsque ad Leonem Imperatorem quinque alijs libris adiunctis: sed hi posteriores libri nō extant; scripsit quoque historiam Sanctorum Patrum, quam religiosam vocat; & de hęreticis fabulis libros quatuor.

Socrates quoque & Sozomenus historiam Ecclesiasticam scripserunt ab eo tempore in quo definit historia Eusebij Cæsariensis, vsque ad tempora Theodosij Iunioris. Eodem tempore ipsi vixerunt circa annū Domini 440. & quod dolendum est, vterque Nouatianis erroribus fauisse dignoscitur.

Sanctus Victor Vticensis Episcopus circa annum Domini 490. scripsit libros tres de persecutione Vandalica lectu dignissimos, ob insignium Martyrum fortitudinem, qui in ea persecutione claruerunt.

Aurelius Cassiodorus circa annum Domini 530. præter Chronicum de quo supra, scripsit etiam libros 12. de rebus gestis Gothorum, cuius operis compendium fecit Iordanus Episcopus Rauennæ, quod compendium cum libris epistolarum excusum reperitur. Deinde mundo valedicens, & Monachus effectus inter alia, historiam tripartitam ex libris Theodoreti, Socratis & Sozomeni, per Epiphanium Scolasticum in latinam linguam conuersis, confecit.

S. Dacius Episcopus Mediolanensis circa annū Domini 560. scripsit Chronicum, in cuius lib. 1. cap. 10. tradit Cāticum, Te Deum laudamus, compositum fuisse à Sanctis Ambrosio & Augustino.

Euagrius Scholasticus circa annum 596. scripsit historiam Ecclesiasticam libris sex, ab eo tempore in quo desijt Sozomenus vsque ad annum duodecimum Mauritij Imperatoris, id est, ad annum Domini 597.

Gregorius Turonēsis Episcopus circa eumdem annum 596. scripsit de historia Francorum, libros decem; de gloria Martyrum, 1. de gloria Confessorū, 2. de miraculis Sancti Iuliani 1. de miraculis Sancti Martini 4. & Epitomem historiæ Francorum.

Venerabilis Beda Presbyter Anglus circa annum Domini 720. scripsit multa ad historiam Ecclesiasticam pertinentia, quæ secundo & tertio suorum operum tomo continentur.

Paulus Diaconus Aquileiēsis, prius à secretis Desiderij Regis Longobardorum, deinde Monachus Cassinensis factus, circa annum Domini 744. scripsit libros sex de gestis Longobardorum. Scripsisse etiam dicitur libros historiæ Romanæ, qui adiuncti sunt historiæ Eutropij post imperium Iouiani, vbi desijt Eutropius. Sed viri docti negant eos libros esse Pauli Diaconi.

Eginartus Cancellarius Caroli Magni circa annum 780. scripsit eius vitam satis diligenter. Scripsit etiam historiam Francorum. Scripsit quoque de translatione Sanctorum Petri, & Marcellini prosa & versu, quæ extant apud Surium tomo 7. die 2. Iulij. Tandem Monachus, & Abbas relicto sæculo factus est.

Freculphus Monachus S. Benedicti, & postea Episcopus Lexouiensis circa annum 830. scripsit ad Iudithiam Ludouici Pij Imperatoris vxorē libros quinque historiæ Vniuersalis ab orbe condito vsque ad annum Domini sexcentesimum. In hoc tamen reprehendendus est, quod scripsit tomo 2. lib. 4. cap. 20. Gothos ab Arrianis ad fidem Christianā fuisse conuersos. Refert enim Theodoretus lib. 4. Histor. cap. vltimo Gothos ab Vlphila Episcopo fidem Catholicam fuisse edoctos; sed postea tum ipsum Vlphilam tum eius populos ab Arianis fuisse seductos; neque enim, vt docet Tertullianus in lib. de præscript. Hæretici Paganos conuertere, sed Catholicos peruertere norunt.

S. Eu-

S. Eulogius Martyr, & Episcopus electus Toletanæ Ecclesiæ, vixit tempore persecutionis Saracenorum, qui Cordubæ sedem regni constituerant circa annum Domini 850. & occasione illius scripsit memoriale Martyrum, vbi tribus libris descripsit martyria Cordubēsium martyrum.

Haymo Episcopus Halberstatensis circa annum Domini 852. scripsit de Christianarū rerum memoria libros tres.

Vvalafridus Strabo à vitio oculorū sic appellatus, Abbas Augensis circa idem tempus scripsit de rebus Ecclesiasticis librum satis vtilem; & duos libros de Sanctis Gallo Abbate, & Othmaro, qui extant apud Surium die 16. Octobris, & die 16. Nouembris.

Simeon Metaphrastes circa annum Domini 859. scripsit vitas Sanctorum per singulos menses; obseruandum est tamen ab illo scriptas fuisse multis additis ex proprio ingenio, non vt res gestæ fuerunt, sed vt geri potuerunt: addit enim multa colloquia, siue dialogos Martyrum cum persecutoribus; aliquas etiam conuersiones adstantium Paganorum in tanto numero vt incredibiles videantur: denique miracula plurima, & maxima, in euersione templorum, & idolorum, & in occisione persecutorū: quorum nulla est mentio apud veteres historicos. Illud quoque animaduertendum est, aliquas historias Sanctorum videri additas à posterioribus, & non omnes esse auctoris eiusdem. Inueniuntur enim aliquæ Sanctorum vitæ, qui post obitum Metaphrastes vixerunt. De quo vide Baronium tomo 10. Annaliū, ad annum 859.

Nicætas Dauid circa annum Domini 858. fideliter scripsit vitam S. Ignatij Episcopi Constantinopolitani, & simul etiā descripsit vitia Photij Episcopi etiam Constantinopolitani viri magnæ nequitiæ, qui Sanctum Ignatium mirè vexauit.

Anastasius Bibliothecarius & Abbas Romanus circa annum Domini 858. scripsit vitas Pontificum Romanorum à Sancto Petro, vsque ad Nicolaum primum.

Hincmarus Episcopus Remensis circa annum 860. inter alia scripsit vitam S. Remigij Episcopi Remensis, & encomium eiusdem.

Ioannes Diaconus circa annū 873. scripsit libros quatuor de vita Sancti Gregorij Papæ primi, in quibus res eius gestas accuratissimè prosecutus est.

Aimonius Monachus Gallus circa annum Domini 873. scripsit historiam de rebus gestis Francorum, quam perducit à primo Rege Pharamundo, vsque ad obitum Ludouici Pij Caroli Magni filij, & annum Domini 840.

Luitprandus Ticinensis Diaconus, & postea Cremonensis Episcopus, vir multæ authoritatis ob eruditionem & prudentiam, circa annum Domini 946. scripsit historiarum libros sex de rebus gestis in Europa suo tempore. Sed Cardinalis Baronius tomo 10. Annalium ad annum Domini 963. suspicatur, à capite sexto sexti libri historiam non esse Luitprandi, sed alicuius anonymi auctoris.

Vvitichindus Monachus Corbeiensis circa idem tempus scripsit libros tres de rebus Saxonicis, vbi res gestas Othonum Imperatorum describit.

Frodoardus Abbas Remēsis scripsit Chronicum Remense ab anno Domini 919. vsque ad annum 966. quo anno creditur obijsse.

Glaber Rodulphus Monachus circa annum 1040. scripsit historias sui temporis libris quinque satis accuratè.

Petrus Damiani Monachus S. Benedicti, ac deinde S. R. E. Cardinalis Episcopus Ostiensis, circa annum 1060. scripsit vitas S. Odilonis Abbatis, Sancti Romualdi, & Sancti Dominici Loricati.

Georgius Cedrenus Historicus Grecus circa annum 1070. scripsit compēdium historiarum ab orbe condito vsque ad annum Domini 1057.

Ioannes Curopalates circa eumdem annum scripsit historiam ab anno Domini 811. vsque ad annum 1081.

Lambertus Schafnaburgensis insignis & verax historicus præsertim cum de contentione inter Gregorium VII. Papam, & Henricum III. Imperatorem agit, circa annum Domini 1077. scripsit historiam Germanicam, & incipit ab orbe condito vsque ad annũ Domini 1077 sed continuauit illam Monachus quidã Erphesphordensis, vsque ad annum Domini 1472.

Ingulphus Abbas in Anglia, circa annum eumdem, scripsit historiam Monasteriorum Angliæ, sed attingit multa, quæ ad res gestas Regum Angliæ pertinent. Incipit ab anno Domini 664. & definit anno Domini 1067. quo Rex Vvillelmus I. regnare cœpit.

Sigebertus Monachus Gemblacensis circa annũ Domini 1101. præter Chronologiam de qua supra, & in qua iniquior fuit Gregorio VII. ob studium erga Imperatorem; scripsit præterea duos libros de viris illustribus.

Ioannes Zonaras Monachus Græcus circa annum 1118. scripsit libros tres annalium, quibus complexus est historiam vniuersalem ab orbe condito vsque ad exitum Alexij Conneni Imperatoris Græcorum, qui obijt anno Dom. 1118.

Gulielmus Monachus Anglus, dictus Bibliothecarius, & Malmesberiensis circa annum Domini 1130. scripsit libros quinque de rebus gestis Regum Anglorum, vsque ad Henricum I. Item historiæ Nouellæ libros duos. Denique de rebus gestis Pontificum Anglorum libros quatuor.

Henricus Vtidoniensis circa annum 1140. scripsit quoque historiam Anglicanã libris octo vsque ad Stephani Regis obitum, id est, vsque ad annũ 1153.

Otto primum Monachus Cisterciensis, ac paulo post Abbas Morimundensis, deinde Episcopus Frisingensis circa annum Domini 1145. scripsit libros septem Chronicorum ab orbe condito vsque ad annum Domini 1146. Scripsit præterea de gestis Friderici primi Imperatoris libros duos; quibus duos alios addidit Radeuicus Canonicus Frisingẽsis.

Petrus Comestor, qui & Magister historiæ Scholasticæ, circa annum 1150. Scripsit historiam sacram 16. libris, qui sunt libri sacri historiales. Scripsit autem inserens verbis sacris multa ex glossis, & ex prophanis auctoribus, & non raro admiscens incertas historias.

Gulielmus Archiepiscopus Tyri circa annum Domini 1180. Scripsit historiam de bello sacro libris viginti tribus, sed liber vigesimus tertius ab ipso inchoatus, non absolutus fuit; incipit ab anno Domini 1095. & perduxit historiam vsque ad annum 1180. Sed continuauit Ioannes Heroldus additis libris sex ad annum Domini 1521.

Helmoldus Canonicus Butsoniensis circa eumdem annum scripsit historiam Henetorum, siue Sclauorum à Carolo Magno vsque ad annum Domini 1168.

Gulielmus Neubrigensis circa annũ Domini 1190. Scripsit historiam Anglicanam libris quinque, ab anno Domini 1066. vsque ad annum 1197.

Rogerius de Houeden insignis historicus circa eumdem annũ scripsit quoque libros duos Annalium Anglicanorum valde diligenter, & peruenit vsque ad annum Domini 1199.

Guntherus Monachus Parisiẽsis scripsit circa annum 1203. historiam Constantinopolitanam, quæ tempore suo contigit, quando videlicet Constantinopolis à Latinis capta est, & Balduinus Flander Imperator creatus.

Helinandus Monachus Gallus circa eumdem annum scripsit historiam ab orbe condito, vsque ad annum 1212. libris quadraginta octo; quem auctorem præcipuè sequuti sunt Vincentius Bellouacensis, & S. Antoninus in historia scribenda.

Nicetas Acominatus, siue Choniates circa annum Domini 1205. scripsit historiam, quæ extat Græcè & Latinè, ab anno 1118. vsque ad annum 1205. id est, ab imperio Ioannis Conneni Alexij filij, vsque ad obitum Balduini primi ex Latinis Imperatoris Constantinopolitãni.

Hono-

Honorius Augustodunensis presbyter circa annum 1220. scripsit summam historiarum, siue Chronicum magnum excusum Basileæ anno 1544.

Iacobus à Vitriaco Gallus S.R.E.Cardinalis, & Episcopus Tusculanus circa annum 1240. scripsit libros duos historiæ Hierosolymitanæ, & occidentalis: item libros duos de vita B. Mariæ Ocgniacensis; qui extant apud Surium die 23. Iunij.

Mathæus Parisiensis Monachus S. Albani in Anglia tempore Henrici III. Regis Anglorum circa annum Domini 1245. Scripsit histoiam Anglicanam, ab anno Domini 1067. vsque ad annum 1250. Quæ historia multa continet scitu digna, præsertim de rebus Ecclesiasticis, de Concilio Lugdunensi, de dissidio inter Ecclesiam, & Imperium. Verum quoniam edita est ab Hæreticis Tigurinis, caute legenda est; plura enim habentur tùm in ipso libro, tum in notis marginalibus, quæ videntur addita ab hæreticis, ad inuidiam Ecclesiæ Romanæ confandam.

Vincentius Bellouacensis Episcopus circa annum 1250. scripsit Speculum historiale ab initio mundi vsque ad annum Domini 1244. Sed continuauit aliquis alius vsque ad annum Dom. 1494.

Thomas Cantapratensis, Brabantinus, Religiosus S. Dominici auditor Alberti Magni & condiscipulus S. Thomæ Aquinatis circa annum Domini 1265. in opere de proprietatibus apum duobus libris comprehenso, in quo sub figura apum, multa scribit de officio Prælatorum, & subditorum; miracula atque exempla sui temporis verè, fideliterque describit; scripsit præterea vitas B. Christinæ mirabilis, Sanctæ Ludgardis, & addidit vnum librum ad vitam S. Mariæ Oegniacensis.

Nicephorus Callistus historicus Græcus circa annum 1305. scripsit historiã, quæ nunc continetur libris octodecim, & incipit à Natiuitate Christi, ac definit in annum eiusdem 625. Credibile autẽ est, multo plures ab eo libros scriptos fuisse, sed perijsse. Porro in historia huius authoris non solum continentur aliqui errores in rebus historicis, vt ex Annalibus Card. Baronij constat; sed etiam cum fuerit Græcus & Schismaticus in ipsa præfatione tenet processionem Spiritus Sancti à solo Patre.

Nicephorus Gregoras Historicus Græcus circa annum 1330. scripsit libros vndecim de rebus Imperij Orientalis ab eo tempore, quo Imperium Orientale deuenit in potestatem Latinorum, & perduxit historiam vsque ad obitũ Andronici Iunioris, id est, ab anno Domini 1200. vsque ad annum 1344.

Ioannes Villanus Historicus Florentinus circa eumdem annum idiomate Italico scripsit historiam vniuersalem temporis sui satis accuratè, breuiter tamen attactis prioribus temporibus ab erectione turris Babylonicæ, vsque ad annum Domini 1348. Et quamuis propositum eius principale fuerit scribere historiam ciuitatis Florentiæ; tamen multa commemorat vtilia de rebus Ecclesiasticis, quæ ab alijs minus fideliter narrata fuisse inueniuntur.

Guido natione Catalanus, prior Generalis Ordinis Carmelitani, ac postea Episcopus Maioricensis, circa annum Domini 1330. scripsit ingens volumen de omnibus hæresibus.

Lupoldus Bambergensis circa eumdem annum, scripsit librum de iuribus Imperij, in quo etiam multa admiscentur ad historiam Ecclesiasticam vtilia.

Petrus ab Alliaco Archiepiscopus Cameracensis & Cardinalis circa annũ Domini 1410. scripsit vitam S. Petri Cælestini, grauiter, & pie & renuntiationem Pontificatus ab ipso factam laudat, & defendit contra detractores.

Flauius Blondus patria Foroliuiẽsis, à secretis fuit Eugenio IV. Summo Põtifici; & scripsit circa annum 1440. historiam Romanam, in qua multa Ecclesiastica habentur, ab inclinatione Imperij vsque ad sua tempora, id est, ab anno Domini 407. vsque ad 1400.

S. Antoninus Ordinis Prædicatorũ, ac

ac postea Florentiæ Archiepiscopus circa annum Domini 1445. Scripsit summam historialem in tres partes diuisam.

Aeneas Siluius Senensis, postea Sũmus Pontifex Pius II. scripsit circa annum Domini 1450. de historia Bohemorum, de clade Constantinopolitana; & de Concilio Basileensi, cum Iuuenis esset, duos libros, quos retractauit Senex, & Pontifex Maximus.

Laonicus Chalcondyla Atheniensis, circa annum Domini 2460. Scripsit historiam libris decem de origine, & rebus gestis Turcarum vsque ad annum Domini 1462. in qua, quia continentur plurima ad res Christianas pertinentia, merito inter Scriptores Ecclesiasticos reponi potest. Quia tamen hic auctor ab hæretico homine latinitate donatus est, & annotationibus in margine positis auctus, in indice librorum prohibitorum eius lectio interdicta reperitur. Ipse etiam Laonicus non caret narrationibus falsis, quas temere credidit rerũ nostrarum ignarus.

Baptista Platina Cremonensis circa annum Domini 1472. scripsit librum de vitis Pontificum à Sancto Petro, vsque ad Paulũ II. cui libro addit Onuphrius Panuinius notas non contemnendas; & præterea vitas sequentium Pontificum vsque ad Pium V. quam tamen solum inchoauit.

Iacobus Philippus Bergomensis, Ordinis S. Augustini circa annum 1494. scripsit historiam ab initio mundi vsque ad annum Domini 1436. libris quindecim, quod opus inscripsit supplementũ Chronicorum. Scripsit etiam de claris mulieribus Christianis.

Antonius Bonfinius circa annũ 1500 Scripsit historiam Vngaricam.

Robertus Gagninus Gallus, Ordinis Sanctæ Trinitatis Generalis scripsit circa annum eumdem de origine, & regibus Francorum libros duodecim vsque ad Carolum VIII.

Marcus Antonius Coccius Sabellicus circa annum Domini 1500. scripsit historiam ab orbe condito per Enneades, quarum primo tomo continentur quinque, id est libri quadraginta quinque; secundo verò sex, id est, libri quadraginta septem: nam Enneadis vltima non habet nisi duos libros. In eodem tomo continetur historia Veneta per Decades tres.

Albertus Krantsius Bambergensis, vir admodum diligens in historijs conscribendis circa eumdem annũ scripsit Metropolim, quę continet historiam Ecclesiasticam. Item historiam Saxonicam, & Vandalicam, & Chronicum aliarum Septemtrionalium regionum. Verum impiæ notæ ad marginẽ additæ ab hæreticis, fecerunt, vt libri eius authoris prohiberentur in indice Romano donec purgarentur.

Ioannes Trithemius Germanus, Abbas Spanehemensis, Ordinis Sancti Benedicti, circa eumdem annum scripsit multa historica, de illustribus viris Germanis, de illustribus viris, Ordinis S. Benedicti Carmelitarum, de Scriptoribus Ecclesiasticis, Chronicum Monasterij Hirsaugiensis, Chronicum Monasterij Spanehemensis, de origine Francorum, de successione Ducum Bauariæ, & Comitum Palatinorum.

Iacobus Vuimphelingius Presbyter Ecclesiæ Spirensis, Historicus non contemnendus circa eumdem annum scripsit præter alia Epitomem rerum per Germaniam gestarum.

Franciscus Ferrariensis Ordinis Prædicatorum Prior Generalis scripsit de vita B. Osannæ Mantuanæ libros sex.

Hector Boethius Scotus, scripsit libros 17. historiæ Scoticæ, scripsit etiam descriptionem Regni Scotiæ, & Regum Scotorum.

Ioannes Fischerus, Anglus, Episcopus Roffensis, ac postea S. R. E. Cardinalis scripsit librum historicum de vnica Magdalena contra Iacobum Fabrum.

Thomas Morus Anglus scripsit res gestas Richardi III. Angliæ Regis.

Iohannes Cochlæus Norimbergensis, vir doctissimus scripsit librum de actis & scriptis Lutheri, valde vtilem

ad

ad Lutheranos confundendos. Item scripsit historiam Hussitarum libris duodecim.

Hos sequuti sunt innumerabiles alij historici, qui historiam Ecclesiasticam tam vniuersalem quam particularem vniuscuiusque regni, vel prouinciæ scripserunt; inter quos tamen iure merito primum locum tenere debet Cæsar Baronius Congregationis Oratorij Presbyter, & postea S. R. E. Cardinalis, qui incredibili labore & diligentia historiam Ecclesiasticam vniuersam ab aduentu Domini, vsque ad annum 1200. tomis duodecim comprehendit; quàm primũ octo tomis Abraham Bsouius Ordinis Prædicatorũ continuauit. Deinde Henricus Spondanus Mauleosolensis Appamiarum in Gallia Narbonensi Episcopus ad annum 1640. tribus tomis; & tandem Odoricus Raynaldus Taruisinus Congregationis Oratorij Presbyter sex huc vsque tomis Romæ excusis.

Catalogus præcipuorum Regnorum, & Politiarum aliarum, sub decursu Monarchiæ Quartæ in Mundo extantium.

PLurima regna in quartam Monarchiam incidunt, ex eius tamen veluti ruinis orta, quorum præcipua tantùm hic referemus.

I. Est regnum Francorum, qui post Romanos latè in Gallia dominati sunt; nam circa annum Christi 404. secundũ alios 419. Rhenum transgressi Treuiros primùm occuparunt; deinde longius profecti apud sequanam fluuium consederunt, paulatimque aucti numero latius se per intima Galliæ diffuderunt, duce Pharamundo aut Vvaremundo, Marcomiri filio, cui secundo loco successit Clodio Capillatus, tertiò Merouęus à quo sequentes reges eiusdem stirpis, siue primæ Dynastiæ Merouingij dicti sunt, quartò Childericus, quintò Clodouęus, qui primus regum Francicorum Christo nomen dedit, circa annum Domini 499. mansitque deinceps regium sceptrum apud huius & aui Merouæi posteros ad annum vsque Christi 750. quo Childericus rex 21. istius prosapiæ ob ignauiam regno exautoratus, & eius loco Pipinus Caroli Martelli filius ex alia familia rex cratus fuit: pater Caroli Magni, qui ei successit, à quo noua hæc regum familia, secundaque dynastia Carolina, aut Carolouingia à multis est appellata, celebrior priore ob magnitudinem rerum gestarum, & opes ingentes armis partas. Atque hæc familia siue Dynastia habuit reges 13. durauitque vsque ad Hugonem Capetum originis Saxonicæ, sed in Gallia inter Francos, natum & educatum, vbi & parens, & auus & proauus, abauusque in magnis opibus fuerant, & summos honores gesserant, qui anno Christi 988. post Ludouicum V. & vltimum regem stirpis Carolinæ, rex coronatus est, propagator familiæ siue dynastiæ tertiæ Regum Franciæ, quæ deinceps nusquam interrupta serie peruenit ad nos, regnumque adguc tenet in Ludonico XIV. Adeodato 30. illius rege. Durauit igitur hoc Francorum Regnum à Principio Pharamundi Regis primi, ad initium Pipini annos circiter 330. inde ad Hugonem Capetum 237. ab initio Hugonis Capeti ad præsens hoc tempus quo hæc colligo 665. in vniuersum à sceptro ad Pharamundum delato ad nos 1233. quo temporis decursu habuit Reges 65.

II. Est regnum Vvestgothicum in Hispania; cum enim deuictis à Cæsare Augusto Cantabris mansisset vniuersa illa regio in potestate Romani Imperij vsque ad Honorium Imperatorem in Occidente & Theodosium II. in Oriente circiter annum Christi 409. primùm Vandalis, Alanis, & Sueuis in eam inuadentibus, & occiduas eius partes occupantibus rege Gunderico; hos Gothi secuti sunt, & post multa certamina sedes ibidem posuere, & regnum condidere complexum latas regiones citra

vltra-

vtraque Pirenæos montes. Venere in Hispaniam duce Ataulpho, alijs Arnulpho, Alarici qui primus Romam cæpit, in Calabria mortui successore; & Barchinone in potestatem redacta ad annum Christi 425. paulatim longius sunt progressi, donec Genserico Vandalo in Aphricam transgresso, maximam Hispaniæ partem suam fecere volentibus nolentibus Romanis. Ataulpho à Gothis occiso successit Rex creatus Sigericus alijs Rogerius; & Sigerico similiter necato Vvallis dux astutus & prudens, Rex constitutus est, successoremque Theodoricum habuit principem pacis & belli artibus insignem à Sidonio Apollinare laudatum, in pugna contra Attilā Hunnorum Regem in campis Catalaunicis interemptum, hærede relicto filio Thorismundo anno Christi 451. Cui successor datus Theodoricus II. eidem Sidonio Apollinari laudatus, cum flueret annus 454. A quo reliqui Aquitaniæ, & proximæ Hispaniæ reges ad finem Amalarici, qui à Theodeberto Francorum Rege euersus perijt anno Christi 533. Et is finis fuit regni Vvestgothorum in ea Galliæ parte. Sed in Hispania regnū rapuit Theudes viuo adhuc Amalarico, cui adolescenti curator datus erat ab auo materno Theodorico Ostgotho Italiæ rege, & transmisit ad successores Vvestgothos longa serie sequentes ad postremum Rodericum, quem 21. à Theude Mauri Mahometani à Iuliano comite ob Roderici eiusdem libidines euocati ex Africa vicina, regno & vita exuerunt anno Christi 714. regnumque id sibi vendicarunt post Gothorum primum in Hispaniam aduentum 298. tantùm de prima regni Vvestgothici in Hispania, dynastia.

Post aliquot deinde annos Vvestgothi Maurorum tyrannide pressi, animis & viribus recollectis, excusso illorum iugo hic illic in libertatem se vendicarunt, & multa regna minora in Hispania constituerunt: quorum præcipua, Aragonense, Nauarrenum, Legionis, Castellæ veteris & nouæ, Portugalliæ, reges suos è Gothico sanguine ortos per multa sæcula retinuere, diutissimè verò Aragonicum & Castellanum, in quibus eius stirpis reges cum vtroque auo Caroli V. primùm cæperunt deficere. Nunc regna omnia sub regibus originis Austriacæ in vnum rursum conflata sunt; si regnum Portugalliæ exceperis aliquibus ab hinc annis separatum. Primus igitur ex Gothorum reliquijs, qui se ausus fuit opponere Saracenis, fuit Pelagius Roderici patruus vt plerique volūt, fretus asperis, & montanis locis Asturiæ & Galliciæ, in quæ cum manu magna popularium se receperat, multis munitionibus recuperatis, regno Legionis (Legione enim oppido recepta illic sedem posuerat) initium dedit; secundamque veluti dynastiam regni Vestgothici in Hispania constituit. Post ipsum Fafilla filius, & post hunc gener ipsius Alphonsus è stirpe Recaredi regis cognomento Catholicus, felicibus pugnis contra Saracenos commissis, Legionis regem se appellauit, regnumque cum tempore crescens ad posteros ex se genitos transmisit vsque ad Veremundum Tertium. Quo sine liberis extincto per sororis Sanctiæ matrimonium regni potestas peruenit ad Principem alienum ab hac domo regia; qui tertiæ dynastiæ principium dedit. Is fuit Ferdinandus Sanctij Nauarræ Regis (quod regnum Sanctius per coniugem Eluiriam vnicā opum Nauarrænarū hæredem obtinuerat) & simul Castellæ comitis filius, qui primus Asturum, Legionis, & Castellæ regem se se nuncupauit, & vtriusque domus opes possedit. Sceptrum tenuit annos 40. Idem Nauarræ quoque regnum, interempto per nefas fratre Garsia illic regnante, prioribus adiecit. Valentiam etiam suę ditioni subiecit. Sed nec in eius familia vltra Alphonsum filiū istius nominis VI. regnum durauit. Ipso enim sine mascula sobole mortuo, cum regnasset annos 43. per filiam Viriacam nuptam Raymundo Burgundiæ comiti regnum deuolutum est in Alphonsum VII. Viriacæ & Raymundi filium, qui

quar-

quartæ Dynastię caput fuit, tantaque potentia, vt Hispaniæ Imperator sit nuncupatus. Huius verò posteri masculi inter quos præsertim floruere Ferdinandus III. Victoriosus, qui Saracenos, Hispali, Corduba, Vandalusia eiectos in angulum Beticæ inclusit, cuius caput Granata, in qua regni sedem Saraceni retinuere ad annũ Christi 1492. ineuntem; tum celeberrimus Alphonsus X. Astronomię studio clarus, Legionensiũ & Castellanarum rerũ potiti sunt stemmate non mutato ad finem Henrici IV. cui soror Elisabeth, quod filia Iohanna spuria censeretur successit, auia materna Caroli V. nupta Ferdinando V. Aragonũ Regi, à quo quinta Dynastia; deinde his Iohanna filia, & maritus eius Philippus Austriacus Burgũdię dux, & Belgicarum prouinciarum princeps successere; vnde sexta Dynastia Austriaca. Ab his enim Carolus V. Imperator Hispanica regna vniuersa, & simul prouincias Belgicas cum comitatu Burgundiæ accepit, filioque suo vnico Philippo Secundo, & hic moriens Philippo Tertio ex se genito; deinde Philippus Tertius Philippo IV. hic autem Carolo II.

Non diu post exordium regni Legionensis, regnante adhuc Pelagio, circiter annum Christi 724. ortum est in alia Hispaniæ parte Pyrenæis montibus vicina, qua Vascones olim habitarunt aliud regnum; quod Suprarbiæ initio vocatum: cuius author & rex primus Garsias quidam fuit Eximini filius sanguine Gothico è Cantabria oriundus, regnumque filio Garsię II. cui Innici cognomen ex matre, reliquit: qui cum Pampelonem vrbem Vasconiæ nobilem (ea Pompeiopolis quondam fuit) à Saracenis cepisset, ex ea Pampelonensis quoque rex, vt & Suprarbiensis appellatus fuit. Sed Pampelonem diu conseruare non potuit occupatam rursum à Saracenis, & his ereptam à Carolo Magno Francorum rege, qui munitionibus omnibus eam exuit. Garsiæ II. anno Christi 802. defuncto successit Fortunius eius filius Tertius Suprarbiæ rex, qui cum annos 13. regnasset, moriens successorem reliquit filium Sanctiũ, quartum Suprarbiæ regem, cui & Pampelon & totus ferè Nauarræ tractus summotis inde Mauris paruit, sed demum prælio ab iisdē Mauris superatus occubuit anno Christi 832. Tum Pampelone denuò amissa cum magna fortunę parte interregnum secutum: quo durante seorsim sibi Nauarreni cæperunt consulere, atque ad nouum alium regem eligendum festinarunt Innicum Eximini Vasconis filium, cui Aristæ cognomen fuit. Verum Seprarbienses, quorum Metropolis Iacca erat sub mōtibus Pireneis, cunctantius agentes, re pressius deliberata non nisi certis legibus secundùm libertatem, regem tandem feruntur cooptasse eundem Innicum Aristam, annis circiter 26. post Nauarrenos. Suprarbiensibus cohæsere Aragones vicini, populus non latè tunc habitans, comitibusque suis parens. Innico Pampelonis simul & Suprarbię regi dicto successit Garsias filius in vtroque, cui per vxorem Vrracam Fortunij Aragonum comitis sexti filiam & hęredē vnicam Aragonia quoque accreuit, duosque filios ex eadem illa vxore reliquit. Quorum natu maior fortunius post rerum potitus per ann. 16. cum sponte sua Monachus factus fuisset successorem habuit fratrem Sanctium Albarcam, qui primus non Suprarbiæ solùm & Pampelonis, sed etiam Aragoniæ se regem appellasse traditur: mortuus anno 933. Hunc sequuti sunt filius Garsias, Sanctius Nepos, Garsias cognomento tremulus Aragoniæ, Suprarbiæ & Pampelonis, id est, Nauarræ reges, quorum postremus mortuus est anno Christi 1000. Tremuli autem filio Sanctio Maiori regnorum paternorum hęredi cum nupsisset Eluira soror & hęres vnica Garsiæ Castellæ comitis, Castellanæ opes quoque accessere: Ex qua coniuge filios tres Garsiam, Ferdinandum, Gundisaluum, ex altera verò, quã Concubinæ tantùm loco eum habuisse Castellani Scriptores dicunt, vnum solummodo sustulit Ramirum. Inter hos au-

autē moriturus anno Christi 1034. opes suas omnes diuisit, & Primogenito quidem Garsię Pampelonis regnum, Ferdinando Castellæ ditiones, Gundisaluo regnum Suprarbiæ, Ramiro Aragoniæ attribuit. Ex Garsia sequentes Pampelonis, aut Nauarræ reges; ex Ferdinando Castellani & Legionenses per neptem ex filio Alphonso Vrracam Raymundo Burgundicæ stirpis iuueni nuptam; ex Ramiro, ad quem fratris Gundisalui sine prole extincti regnum peruenit, Aragonenses descenderunt. Atque hunc quidem Ramirum primum fuisse, qui Aragoniæ regis, & quidem à morte patris, nomen sibi sumpserit, è concubina natū iidem Castellani Scriptores affirmant, cōtradicētibus Aragonijs; Ramiro apud Aragones Sanctius filius, Sanctio Petrus eius nominis primus, Petro Alphonsus Vrracæ Castellanæ maritus; Alphonso Ramirus ex cucullà ad sceptrum vocatus; tres scilicet fratres mutuò se excipientes, omnes Sanctio nati, successere. E quibus solus Ramirus hęredem genuit filiam Petronellam: qua elocata Raymundo comiti Barcinonensi, sceptro relicto spontè ad cucullam redijt: cum quo finem habuit posteritas mascula, primaque dynastia Sanctij Abarcæ primi Aragonum Regis. Ex Raimundo verò & Petronella prognati ex stirpe Barcinonensi regnum idem iam auctius factum tenuere deinceps, secundamque dynastiam constituere ad annum vsque Christi 1410. quo obijt fine sobole legitima superstite Martinus Rex huius stirpis postremus. Raymundum hunc excepit filius Alphonsus Castus, hunc Petrus II. Petrum II. Iacobus I. Iacobum I. Petrus III. qui Aragoniæ, Valentiæ, Cataloniæ, & demum Siciliæ quoque rex est appellatus; Petrum III. Alphonsus III. hactenus recta linea descētes. Alphonso autem fine liberis defuncto successit frater Germanus Iacobus II. & huic Alphonsus IV. filius, Alphonso Petrus IV. filius, Petro verò Ioannes itidem filius, illi autem Martinus frater ante dictus. Ab huius morte regnum Aragoniæ deuenit ad Ferdinandum Castellanum Henrici III. Castellę regis fratrem Leonora Martini sorore natum; vnde tertia Aragonum dynastia; qui successorem habuit Alphonsum V. filium cognomento sapientem, regno Neapolis quoque potitum; & hunc in eodem Aragoniæ regno secutus est frater ipsius germanus Ioannes II. & Ioannem filius Ferdinandus V. cui nomen Catholici tributum, eum capta Granata, totoque Maurorum regno in Hispania deleto, & inquisitione in Maranos malæ fidei Christianos instituta optimè meritus esset de Religione Catholica. Atque is postremus Castellani generis in Aragonia rex obijt anno Christi 1517. eum in hac domo sceptrum Aragoniæ continuo hæsisset annos 103. Ei successor fuit Carolus Austriacus ex filia nepos, vnde quarta Dynastia, in quem morte auiæ Elisabethæ, & matris Ioannæ, cæteræ quoque Hispaniæ regna deuoluta fuere, & ab ipso ad posteros Philippum II. III. IV. & Carolum II. hodie regnantem.

Nauarrenum quoque regnum Aragonico vicinum, quondam Pampelonense à Metropoli Regionis etiam appellatum ab eodem, vt statim vidimus, principio ortum est, Innico videlicet primo, circiter annum Christi 832. A quo ad Sanctium V. eiusdem stirpis vltimum reges numerantur XI. ad primā Dynastiam pertinentes. Deinde frequenter regnantium domus ac dynastiæ mutatæ: & primùm per Blancam Sanctij sororem nuptā Theobaldo Comiti Cāpaniensi regnum translatum ad Campanienses: quorum primus fuit Blancæ filius eiusdem cum patre nominis rex XII. cui eum ex ordine successissent filij duo Theobaldus alter, & Henricus, hic relicta hæredi filia vnica Ioanna vxore Philippi Pulchri Galliæ regis, genero regnum reliquit, qui id porrò transmisit ad filium Ludouicum Hutinum ex Ioanna natum. Cuius filia vnica, quæ & ipsa Ioanna fuit vocata, nupta Philippo Franco Eburonici, nepoti Philippi Audacis Galliæ regis, ad eum dotale

tale regnum Nauarrenũ attulit. Ex quibus coniugibus Carolus est natus Nauarræ rex 18. Carolo dein successit Carolus II. & huic gener Ioannes Aragonius, Blancæ filiæ eius maritus, qui post fratrem Alphonsum sapientem rex Aragonię quoque est factus, & filio ex Blanca suscepto Carolo III. cum adoleuisset, regnum maternum restituit. Sed eo ante patrem sine prole mortuo, magna de regno contentio extitit, cum & pater id retinere, & Henricus IV. Castellæ rex, cum quo nupta Caroli soror erat, idem vendicare satagerent, & soror altera Caroli Leonora matrimonio iuncta Gastoni Fossensi Gallo ius eius ad se quoque traheret. Cuius neptis ex filio Gastone Catharina data in vxorem Ioanni Albretano regni huius ius in domum Albretanam inter Gallicas illustrem intulit. A qua regni titulum filius Henricus Albretanus accepit Sororius Francisci I. Gallorum regis. Ex quo vnica filia genita Iohanna iuris paterni hæres Antonio Borbonio fuit in matrimonium tradita, qui rex ex coniuge audijt, filiũ Henricum Borbonium Vendocimensem iuris eiusdem sui hæredem reliquit, ad regnum Galliæ tandem euectum, cui filius Ludouicus XIII. huic verò Ludouicus XIV. filius hodiè regnans successit. Sed hi post Carolum III. Nauarrenum Ioannis Aragonij filium nomen quidem titulumque regni fugitiui tenuerunt, rē verò & possessionem eius Hispaniarum reges habuerunt. Nam licet Blanca Henrici IV. Castellani vxor, Caroli III. Nauarreni soror sine legitima prole decesserit atque adeo cum ea quicquid iuris Nauarreni penes Castellanos fuerat, expirarit, tamen vis & potentia horum hactenus plus potuit, quam illorum ius.

Recentissimum quamuis ex maioribus Hispaniæ regnis est Portugallense, cuius initium ab Henrico quem alij Lotharingum, alij probabilius Burgundum nepotem Roberti Ducis Burgundiæ, & pronepotem Roberti Regis Gallię esse volunt, generum Alfonsi VI. Castellæ Regis, cui cum filia notha Tarasia in dotem dedisse socerum partem illam ditionum suarum, & à Mauris & Saracenis, qui illam occupabant, vindicandam commendasse ferunt. Sed regium nomen Henrico non tributum. Primus id tulit filius eius Alfonsus parta nobili cõtra Saracenos victoria Oricensi anno Christi 1139. superfuitque huic nouo honori suo in parlamento comitijsque Lamecensibus confirmato annos 41. Ei successit filius Sanctius ex Alfonsa regis Aragoniæ filia; Sanctio filius Alphonsus II. ex D. Vrraca filia regis Castiliæ; Alfonso II. Sanctius II. filius; Sanctio II. sine liberis mortuo frater germanus Alfonsus III. qui vixit annos 70. regnauit 32. obijt anno Christi 1279. Huic porrò filius, & successor fuit Dionysius ex Beatrice filia notha Alphonsi X. Castellæ regis, Astronomiæ studijs inclyti, natus: cui in gratiam matris, clientelæ onus dicitur ab auo esse remissum, quo hactenus Portugalliæ reges, Castellanis regibus fuerant obnoxij. Dionysio successit filius Alphonsus IV. ex Sancta Elisabetha regis Aragonię filia; Alphonso IV. filius Petrus I. ex Beatrice filia Castiliæ; Petro I. Ferdinandus I. Ferdinando verò Iohannes frater eius nothus. Etsi enim Ferdinandus ex Leonora Telles Portugallię principissa filiam vnicam hæredem haberet Beatricem Castellæ regi Iohanni I. nuptam, nihilominus fuit exclusa à Lusitanis à successione paterna, ob violatas matrimonialis contractus clausulas, inter quas erat ista, quod prędictus Rex maritus non posset habere Regnum Portugalliæ post mortem Soceri, donec ex ipsa Beatrice susciperet filium masculum ætate capacem regno administrando; vnde Ferdinandus in regno successorem sortitus est electione totius populi Ioannem fratrem nothum, sed virum acrem, & regendo regno haud imparem, in primis in bello fortiter, & feliciter ad tuendum regnum contra Castellanos gesto inclytum; cuius posteritas mascula regnũ tenuit ab anno Christi 1433. ad tempora vsque Philippi II. Hi-

Hispaniarum regis, qui nixus iure matris eiectis maribus non iusto matrimonio natis, id occupauit; & ad Philippum III. filium, & Philippum IV. nepotem transmisit.

III. Est regnum Ostgothicum in Italia. Ostgothi enim anno Christi 455. ducibus tribus fratribus Valemiro, Vindemiro, Theodemiro in Pannoniam venerunt; inde post annos 35. non inuito Zenone Imperatore duce Theodorico Veronensi Theodomiri filio in Italiam transgressi sunt. Tum Odoacro, Herulorum rege, qui imperium Occidentale in Augustulo sustulerat, debellato Theodoricus rex Italiæ factus est anno Christi 493. religione Arianus; sed alioqui prudens, & Ecclesiæ Romanę, summoque Pontifici multum honoris deferens & ideo feliciter regnans; vbi enim Ioannem Pontificem in carcerem coniecit, & Symmachum ac Boetium interfecit, eodem anno miserrimè cum regno vitã amisit. Cui mortuo successit Amalasunta filia, ex Audefleda vxore, quæ filia erat Clodouæi Francorum regis nata, & Eutaricho Ostgotho nobilissimo atque optimo iuueni ex Gallia euocato, nuptui data à Patre; ex qua natus Athalaricus; verùm ante matrem obijt, vnde post eius mortem defuncto etiam Eutarico, Theodabatus in societatem regni assumptus est ab Amalasuntha consobrina, qui eam interemit. Eo mortuo Viriges regnum inijt, & post Vitigem Ildobaldus, post hunc Ararieus, vterque intra biennium consumptus. Tum Totilas maximis rebus gestis clarus bis Romam cępit; sed vulneratus in pręlio cõtra Narsetẽ Eunuchum Iustiniani Imperatoris ducem felicissimum ex vulnere obijt anno Christi 552. Demum Teias Totilæ suffectus eodem anno in pugna interemptus est, & cum eo regnum Gothorum in Italia deletum, quod durauit ab initio Theodorici annos tantum 59. Narsete titulo ducis Italiam postea regente, verùm irritatus ab vxore Iustini Longobardos in Italiam vocauit, qui vt statim dicemus, crudelissimè sęuiendo, nouum regnum istic condiderunt.

IV. Igitur est Regnum Longobardorum, à longis barbis ita dictorum; hi anno Christi 382. egressi è Scythia in Rugiorum insulam, inde in Pannoniam transgressi, vsque ad annum Christi 568. habitarunt inibi, inde sub Alboino Rege Italiam occuparunt, à Narsete euocati tempore Iustini Iunioris Imperatoris, Iustiniani è sorore nepotis. Cum enim Narses Belisarij victorias in Italia feliciter continuaret, ita eum pressit in aula Imperatoris inuidia, vt auocato Longinus successor missus fuerit, mandante simul Augusta Sophia, *vt ad partiendorum inter puellas pensorum ministerium rediret*: qua contumelia incitatus Narsetes respondit, *talem se telam orsurum, qualem ipsa, dum viueret, detextura non esset*: id quod planè fecit, Longobardis in Italiam attractis, qui crudelissimè sæuiendo nouum regnum istic constituerunt: vt in cęteris prouincijs, quę imperio subiectę manserunt, Exarchatum Rauennatem, nouum Magistratus genus, ad vices suas obeundas, cõstituere oportuerit: quod ab anno Christi 569. ad annum Christi 743 durauit. Tunc enim Luitprandus Longobardorũ Rex, Rauennam cepit, & Exarchatui huic finem imposuit. Itaque anno Christi 568. Alboinus Longobardus è Pannonia veniens in Italiã descendit, & regnum illic sibi constituit, cuius sedes Ticinum, sed breui occisus fuit, vt etiam eius successor Clepho, post quem per annos decem Rege caruerunt Longobardi, & duces multi prouincias sibi diuiserunt, donec iterum regnum paternum inijt Autharis Clephone natus, primus Christianismo imbutus. Atque eum longa regum series eiusdem gentis secuta fuit: quorum decimus nonus, & vltimus Desiderius à Carolo Mag. Francorum rege debellatus circa annum Domini 774. regno huic Longobardico finem imposuit, cum stetisset ab Alboini in Italiam aduentu, & Ticino occupato annos 206. A quo tempore ibidem regnatum à Francis, Italis, Saxonibus, alijsque Germanis per aliquot sęcula, & regnum

regnum nō Longobardiæ sed Italiæ appellatum, quod qui inibant, Medoctiæ & Mediolani solemni ritu coronabantur, ex instituto Caroli Magni.

V. est regnum Vandalorum, oriundorum è Scythia: qui primum sub Cōstantino Magno imperio subiecti, post in Pannonijs sibi concessis, quietè habitarunt vsque ad annum Christi 410. verum inde cum Alanis & Sueuis, duce Gondigisilo eorum rege ad regnum accesserunt, & traiecto fluuio in Galliam penetrarunt; vbi tandem victi à Francis, hinc in Hispaniam vlteriorem se contulerunt, ibique consederunt. Gondigisilus successorem habuit filium Gundericum. Ex quo & concubina natus est Gensericus, qui vocante Bonifacio duce Romano ex Hispania traiecit in Africam anno Christi 427. Cum enim Bonifacius, qui Africam sub Valentiniano III. Imperatore regebat, ab altero duce Aëtio, qui Narbonensi Galliæ præerat, apud Placidiam calumnijs proscissus, & vocatus ex prouincia, metu periculi venire renueret, Vandalorum Regem Gēsericum attraxit; quo tamen attracto, de ipso Bonifacio, de exercitu Romano & de Cartagine in Africa actum fuit; quam regni sui sedem constituit: eo progressu vt Valentinianus cum eo pacem inire, Africæque partem ei concedere coactus fuerit. Verum hac pace non considerata, Gensericus ex Pannonia contra Gothos attraxit Hunnos & Attilam illorum regem, venientem cum quingentis millibus in Germaniam & Italiā ad Tolosam vsque, vbi Aëtius Francos sub rege Merouco, & Gothos sub Rege Theodorico sibi adiunxit, vt nunquam maiores exercitus inter se oppositi fuisse scribantur. Commisso prælio ad campos Catalaunos, ex altero exercitu dux Theodoricus, Gothorum rex, ex altera parte totus exercitus peremptus est, cadentibus centum octoginta millibus hominum. Quanquam autem Attila penè ad desperationem tum adactus fuerit, tamen collectis nouis copijs, ita instructus in Italiam regressus fuit, vt plerasque illius vrbes diripuerit, vt statim dicemus agendo de regno Hunnorum. At si hi motus Barbarorum Imperio funesti fuerunt, tamen Valentinianus præter alia scelera sua, etiam adulterio eidem fuit funestior; vt ad Gensericum redeamus, Maximo, Consulari viro, coniux erat pulcherrima quam deperiebat Valentinianus. Vocato igitur Maximo in aulam, lusuque talorum ipsius annulo, per annulum ipsa eius coniuge potitur, misso eo Maximi coniugi, vt quasi à Maximo vocata in aulam veniret, quæ dum veniebat, à Valentiniano per vim stuprum passa est, hac iniuria motus Maximus, statim de occidendo Valentiniano cogitare cœpit; metuens autem Aëtiū, cumque prius tollendum iudicans, per cuniculos calumniarum effecit, vt Aëtius quasi affectator Imperij ex Gallijs vocatus, nihilque tale metuens, à Valētiniano propria manu, sed aliena fraude peremptus fuerit: Quo facto, duo milites, impulsu Maximi, demum ipsum Valentinianum in campo Martio confoderunt. Hinc Maximus raptor Imperij & Eudoxiæ vxoris Valentiniani, quā turpibus nuptijs sibi copulauit; cuius iniuriæ adeò impatiens fuit, vt Gensericus, Vandalorum rex, ab ea vocatus, Romam venerit, vltum iniurias. Maximus ergò, veniente Genserico, membratim discissus in Tiberim proijcitur, & Roma, orbis domina, tanquam mancipium diripienda & stupranda in Prædatoris manus venit; qui etiam Eudoxiam abduxit, filioque Honorico vxorem dedit; quem demum multis alijs turbatis ac gestis anno Christi 478. mortuus Successorem reliquit. Eum Gundamundus, Gundamundū Trasamundus, hunc Hildericus, Hildericum Gilimer vltimus excepit. Ille à Bellisario auspicijs Iustiniani Imperatoris victus, captusque, & Constantinopolim abductus finem regno Vandalico in Africa dedit anno Christi 534. cum regnatum illic esset post occupatam à Genserico Cartaginē annos quasi 95. post eiusdem Genserici aduentum in Africam 107.

VI. est

VI. est regnum Hunnorum, qui postea Vngari dicti sunt; hi è Scythia erūpentes, Pannoniam post Romanos primi dicuntur occupasse tempore Honorij Imperatoris anno Christi 411. Ad quos, post aliquos annos cum nouis & maioribus copijs Imperante iam Valentiniano III. multis prouincijs alijs euastatis, eiusdem Gentis rex Attila accessit, ille humani generis terror, Deique flagellum, & ex ea sede vicinos omnes imprimis Germaniam & Galliam afflixit; vnde victus, vt diximus supra, in campis Catalaunicis in Italiā regressus fuit, vbi plerasque Istriæ & Insubrię vrbes diripuit, idemque excidium reliquis Italiæ partibus minabatur: sed cum Romā ardenti furore raperetur, iamque copias, vbi Mincius in Padum influit, traijcere pararet, occurrit ei Leo I. malorum Italiæ impendentium misericordia permotus, cuius diuina eloquentia persuasum est Attilæ, vt regrederetur. Qui interrogatus à suis, quid esset, quod præter consuetudinem, tam humiliter Romani Pontificis imperata faceret; respondit, se astantem quemdam alium, illo loquente, sacerdotali habitu veritū esse, sibi stricto gladio minitantem mortem, nisi Leoni obtemperaret: Quare in Pannoniam reuersus est. Eo extincto anno Christi 454. post triennium cum diffiderent inter se ipsius filij, Gepidæ gens Gothica, adiuti à cæteris Gothis, qui simul Attilæ paruerant, in eos insurgentes ingenti Hunnorum multitudine cæsa fugataque regionem eamdem sibi vendicarunt, tenueruntque per annos circiter centum. Quibus exactis Hunnorum & Auarum noua manus adueniens ibidem sedes composuit; sensimque plurium confluxu inualescentes, gentem condiderunt, quam posteri Vngaros dixerunt; quorum principes interdum duces, interdum reges dicti à Scriptoribus sunt, omnes cum maxima populi parte cultui idolorum dediti. Donec tandem anno Christi 1000. Stephanus Geisæ filius, Toxonis nepos fidem suscepit, & apud suos promouit tanto studio, vt ob id, & ob sanctos mores Sanctorum numero adscribi meruerit; cui Summus Pontifex coronam cū nomine regio tradidit, quo deinceps posteri perpetuo sunt vsi: insuper concessit, vt crux ante regem, ceu apostolatus insigne deferretur. Quod latius enarrat Em. Cardinalis Baron. sub finē tomi 10. Annal. Eccles. Huic Stephano eiusdem sanguinis & familiæ reges successere longa serie, quorum vigesimus tertius & vltimus fuit Andreas III. qui quod matre Veneta Venetijs esset natus, Venetus est appellatus. A cuius obitu sine prole circa annū Domini 1300. successerūt reges extranei, Carolus Neapol. à Franciæ regibus oriundus, Bohemi, & tandem Austriaci huc vsque.

VII. est regnum Polonicum, sic dictum à Polonis gente Heneta aut Slauica, qui quondam duce Lecho tempore Mauritij aut Phocæ Imperatorum Russiæ regionibus in illud habitatum venere circa annū Domini 600. A quo duces è diuersis familijs fuere, vsque ad Boleslaum I. acerrimi ingenij principē, filium Miezislai primi suæ gentis Principis Christiani; qui primus Poloniæ rex designatus & Corona insignitus est Gnesnæ anno Christi circiter millesimo, cum ante biennium defuncto patri successisset. Mansitque regia dignitas in eius familia per annos circiter 80. in quorum fine Boleslaus II. prioris pronepos ob iniquam Stanislai Episcopi Cracouiensis cædem excommunicatus & regno eiectus est. Et quamquam filius Vladislaus ei successerit in principatu, & post hunc alij ex hoc descendentes, regio tamen titulo abstinuere omnes per annos circiter 115; quibus varia fortuna iactata fuit Polonia, & Silesia ab eius corpore sensim auulsa, Bohemiæque adiecta. Primus ex voluntate ordinum suorum diadema resumpsit Præmislaus II. Præmisli filius anno Christi 1195; eoque paulo post per insidias interempto rex surrogatus est Vladislaus Locticus: & hic ob vitia solio deiectus, regnante interim Vvences-

lao

lao Bohemo, post quinquennium restitutus in integrum viuendo & regnando peruenit ad annum Christi 1333. regnumq; reliquit filio Casimiro Magno, qui feliciſſimam Ruſſiæ partem armis ſubactam Poloniæ coniunxit, & regno potitus ann.37.obijt anno Christi 1370. vltimus regum ex gente ſua, & poſteritate Boleſlai I. oriundus. Post hunc non alij quàm peregrini in Polonia regnarunt; quorum primus Ludouicus Gallici generis ex domo Andegauenſi Neapolis & Vngariæ rex, Caſimiri Sororius, poſtpoſitis duabus Caſimiri filiabus, & principibus agnatis ad ſceptrum à proceribus vocatus. Qui cum regnaſſet annos 12. ſucceſſorem habuit Iagellonem magnum Lituaniæ ducem nuptijs filiæ alterius (duas enim opum ſuarum hæredes Ludouicus reliquit) potitum, & nuptiarum regnique cauſa, baptiſmo ritu Chriſtiano, cum tota domo & populo Lituanico ablutum; cui nouum nomen Vladiſlai in lauacro impoſitum, circa annum Domini 1386. Per hunc tota Lituania, & partes quædam Ruſſiæ Lituanis parentes, Poloniæ additę, regnumque latè auctum; cuius poſſeſſio penes domum hanc Lituanicam manſit per annos fere 186. ad mortem pronepotis Sigiſmundi Auguſti. Quo ſine prole mortuo regnum ſuffragio procerum peruenit ad Stephanum Sepuſium Tranſyluaniæ principem, & ab eo poſt decennium ſine liberis defuncto ad Hẽricum Andium ducem Gallorum regis fratrem: quo à morte fratris è Polonia in Galliam ſe recipiente ad incundum Galliæ regnum, Poloni in locum eius ſuffecere Sigiſmundum Suecum iuuenem Sigiſmundi Auguſti Sorore, & Ioanne III. Sueciæ rege natum, apud cuius poſteros nunc regnum perdurat.

VIII. eſt regnum Bohemicum, quod ſimul cum Polonico principium habuit; alia enim gens Heneta ſeu Slauica, eiuſdem linguæ & moris cum Polonis eodem tempore duce Zecho, fratre Lechi, qui Polonico regno initium dedit, ex Sarmatia migrauit in Germaniam, & regionem à Boijs Celtis, deindè à Marcomannorum parte quondam habitatam, forte cum cultoribus raram occuparunt, quæ adhuc hodie à vetuſtiſſimis cultoribus Bohemia nuncupatur, & populus ipſe habitans Bohemi. Prædictum Zechum ſecuti ſunt plures duces, quorum decimus in ordine Boriuoius, primus Chriſto nomen dedit, baptizatus à Methodio Morauorũ Epiſcopo anno Chriſti 895. Vigeſimus verò Vratiſlaus II. ab Henrico V. Imperatore Moguntiæ in comitijs primus regium titulum accepit anno Chriſti 1086; titulo tamen hoc non omnibus ſucceſſoribus competente. Cum nec frater eius, qui ſucceſſit, nec filij deinde illum vſurpauerint; donec Primiſlaus II. à Philippo Cæſare Friderici filio anno Chriſti 1199. denuo rex dictus fuit; & deinceps eius poſteri; quorum vltimus fuit Vvenceſlaus II. vi ſuorum Olomutij in Morauia occiſus anno Chriſti 1308; cum regnum Bohemiæ à primi regis Vratiſlai coronatione ſtetiſſet annos circiter 220, penes illius proſapiam. Inde ad nos Bohemia per peregrinos ſanguinis Germanici aut Lituanici gubernata per annos quaſi 340: excepto tempore, quo mortuo ante nuptias Ladiſlao Alberti Auſtriaci filio, Georgius Boiebradius Bohemus ſurrogatus regnum tenuit annos fere 14.

IX. eſt regnum Britannorum veterum & Anglo-Saxonum in Inſula Britannia; quod cum prius pluribus inter ſe diſtinctis principibus ſeu regulis pareret, primus Iulius Cæſar illud vectigale reddidit; manſeruntque deinceps Britanni in ditione Romanorum, quamuis ſeditiones ſæpe motæ, & arma contra eos capta fuerint. Nec in eo ſtatu res eſſe deſijt, donec ſub Theodoſio II. Orientis, & Valentiniano III. Occidentis Imperat. grauius ab hoſtibus Scotis & Pictis preſſi Britanni, atque à Romanis deſerti, Vortigernum ſuæ gentis regem elegerunt, & cum nec in eo ſatis præſidij ſibi eſſe compeeriſſent, ex voluntate eiuſdem Engiſtum & Horſam fra-

fratres Anglosaxones, præpotentes in ora Germaniæ maritima principes, & piratica celebres in auxilium vocarunt, circa annum Christi 449. Qui stipendijs conducti, re primum feliciter gesta contra Britannorum hostes, mox ex regis procerumque consensu, cum rursum maioribus viribus insurgerent ijdem illi hostes, maiorem exercitum popularium suorum confectum ex Germania in Britanniam exciuerunt, & ingenti victoria potiti contra Scotos & Pictos, paulo post arma sua in Britannos, à quibus conducti erant, verterunt. Deinde hi & eorum hæredes varia fortunæ vicissitudine in bello contra Vortigerni posteros reges Britanniæ vsi tandem illuc peruenere, vt à morte Arturi vltimi è Vortigerni domo, nullo negotio debellatis ijs, qui post Arturum regium nomen sumere ausi fuerant, ex ea Britanniæ parte, quæ Anglia hodie vocatur, indigenas Britannos eiecerunt; diuisamque inter se, ac in septem regna minora distinctam sui tandem iuris fecerunt. Quorum è numero Ethelbertus Hengisti abnepos opressis proximis quibusque gẽtibus suis è Cantio in Humbrum vsque flumen regnum extendit, primusque à coniuge Franca Bertha nomine fæmina Christiana persuasus, auditis Sanctis Monachis Augustino & socijs à S. Gregorio Papa missis in Angliam, Christianam religionem suscepit circa annum Christi 600. qui postea exemplo & studio suo facile effectum dedit, vt eamdẽ religionem populus quoque, qui hactenus idololatriæ à maioribus accepta adhæserat, amplecteretur. Huius posteri à Venerabili Beda relati Cantiano regno potiti sunt ad finem Etheluolphi regum ab Engisto descendentium decimi octaui, qui ab Egberto Occidentalium Saxonum rege captus regnum cum libertate amisit. Destructo itaque Cantiano regno, sibique subiecto, dein & Orientalibus Saxonibus & Northũbrijs quoque debellatis, regni sui fines cum plurimum ampliasset Egebertus circa annum Christi 800, id totum Angliæ nomine, & omnes subditos suos Anglos appellari voluit; Eius filij tres, nepotes duo, pronepotes item duo post ipsum regnarunt, vsque ad annũ Christi 1017. quo Dani per quinque Regum successionem regnum tenuerunt. Dehinc Normannorũ redordienda successio, à Guilielmo Conquæstore Normanno Roberti ducis filio è concubina genito, anno Christi 1067. ad regnum euocato. Qui cum diu illud possedisset, illi successere ordine filij duo, Guilielmus Rufus, & Henricus, quorum posterior Normanniam Gallicam Angliæ regno coniunxit. Hunc mortuum excepit Stephanus Blesensis ex Gallia sorore ipsius natus: & eum Henricus II. Andegauensis Henrici I. ex filia nepos, à Stephano adoptatus, per vxorem Aquitania potitus, rex felicissimus & potentissimus, penes cuius posteros masculini sexus regni possessio permansit: in quibus reges 14. numerantur, quorum vltimus Richardus III. regnum Parricidio adeptus necatis fratris sui Eduardi IV. filijs impuberibus, quorum tutor esse debuerat, post triennium ipse vicissim in prælio interemptus parricidij pœnas luit anno Christi 1486. post primordia Hẽrici II. Andegauensis, à quo hæc familia descẽdit, 332. Richardo III. occiso rex factus fuit Henricus VII. auo paterno Vvallo nobilis sed obscuræ stirpis, auia clarissima Henrici VI. matre, Caroli VI. Galliç regis filia Catharina, quæ mortuo marito rege, cum Vvallo secundas nuptias inierat, ortus, à stirpe regum Angliæ alienus: Ex quo & Elisabetha filia Eduardi IV, quam vxorem duxerat, genitus fuit Henricus VIII, & ab Henrico VIII. Eduardus V, & Maria Hispaniæ regi Matrimonio iuncta, & Elisabeth post sororem regina; quæ anno Christi 1603. mortua, eodem anno suffragijs ordinum regnũ competitoribus alijs prælatus accepit Iacobus eius nominis VI. Scotorum rex, proauia Margaretha sorore Henrici VIII. oriundus; & ad posteros transmisit, ita vt hodierna Anglorum dynastia Stuartorum dicatur, inau-

inaudito tamen Crommuellij regicidio ac tyrannide aliquibus annis interrupta, nunc autem restituta.

X. est regnum Scoticum, cuius prima dynastia decurrit ab Alexandro Magno circa cuius tempora initium sumpsisse putatur, hoc est ab anno 330. ante Christum natum, vsque ad annum eiusdem Christi 1370. quo vltimo rege Dauide Brusio eius nominis II, sine liberis defuncto, Regnum summo procerum Scotorum consensu delatum est ad Robertum Stuartum ex sorore Dauidis natum, substitutum quondam filio à Roberto Brusio, & ab ipso quoque filio Dauide hæredem nominatum. A quo tempore incepit secunda Stuartorum dynastia, regnumque perpetuo ad nos vsque in eorum familia permansit: idque ita, vt pater filium semper successorem reliquerit ad Iacobum vsque V: qui cum mascula prole legitima careret, Mariam filiam vnicam ex coniuge Guisia genitam hæredem habuit. Ex qua cum Henrico Stuarto Leuiniæ seu Lenoxiæ comitis filio, agnato suo nupta, natus est Iacobus VI, & ex illo cæteri qui huc vsque regnarunt Anglia cum Scotia coniuncta.

XI. est regnum Danorum, quorum res, vt cæterorum terras Septentrionales colentium, Suecorum, Norvvegiorum, Fiunorum, quos omnes prior ætas florente Francorum imperio Normannos appellauit, vix vllam merentur fidem, vsque ad Gotricum Gormonis filium, quem Godefridum Francici annales nominant, Carolo Magno imperatori coæuum, & hostem infensissimum, qui minitatus fuit fanum Aquisgranense magno impēdio ab ipso magnificè structum in stabulum equorum suorum se esse conuersurum: Eius posteri regnum tenuerunt per annos circiter 235, vsque ad annū Christi 1045, quo Canuto III. successit alienigena Norvvegius Magnus, Olai quondam regis filius. Verùm ipso breui sine prole defuncto Danicum sceptrum translatum est in Suenonem II, Canuti II. regis Daniæ filia, & Vlfone ignobili Sueco, sed belli artibus eximio editum; cuius posteri regno potiti sunt vsque ad annū Christi 1365, quo mortuus est Vvaldemarus IV. sine prole mascula; vnde ex filiabus duabus nata maior Margaretha Haquino Norvvegiæ regi ex regia Suecorū prosapia denupta regni culmen ascendit, felicissimeque illud gubernauit, à patris maritique morte; & extincto filio Olao, quē ex Haquino susceperat, Norvvegiæ etiā regina nuncupata fuit; Alberto etiam Megalburgico Suecorum rege armis superato & capto, illud quoque regnum Daniæ suæ coniunxit. Sed hærede suo carens, extinctis agnatis, Slesuuici ducibus, ex voluntate procerum regni, & consensu sororis vnicæ, quæ adhuc supererat nupta duci Megalburgico, hæredem & successorem sibi adoptauit Ericum Pomeraniæ ducem, sororis ex filia nepotem; qui bellorum & molestiarum regni pertæsus, & Suecorum defectione turbatus post annos 26. spōte sua regnum deposuit reuersus in patriam, in qua consenuit. Tum vocatus ad regnum à Danis & Noruegijs Christophorus Palatinus, Erici sorore natus, idemque non multo post à Suecis quoque receptus; sed eo post decennium mortuo sine liberis, suadente in primis Adolpho Slesuuici duce, cum ipse inuitatus regnare nollet ob ætatem grauem, regnum à Danis Noruergijsque delatum est ad Christianum I. sorore Adolphi genitum, ex veteri familia ac stirpe comitum Oldenburgensium, in qua ab anno Christi 1450. ad hæc vsque tempora perseuerat.

XII. est Sueciæ regnum, quo hodie duplex Gottia, Finlandia, Finnia, Lappia, aliæque Septentrionis regiones latæ continentur: fuit antiquitus cum Dania sæpe coniunctum, vnique cum ea regi parens; plurimùm tamen separatim sibi consuluit, & reges rectoresue suæ gentis habuit, sed incerta certa serie annorum; inter quos rex imprimis inclytus fuit Ericus X. cognomento Sanctus, circa annum Domini 1130, à quo

ferunt magnificum templum Vpsaliense toto regno celeberrimum inaugurationi regum solemni esse extructum; & Finlandiam, quæ Russis parere solebat Sueciæ adiunxit: Verum à morte Erici XII, eius stirpis vltimi, cum exortis in regno dissidijs & factionibus nunc vnus, nunc alius illud teneret, tandem Gustauus Erici perantiquo & illustri genere equestri ex Trolliorum familia natus, eius regni peculiare sceptrum denuo apprehendit, circa annnm Domini 1523, solemnibus in comitijs rogatus ab omnibus regni ordinibus. Successit ei Ericus filius, eius nominis XIV; & huic ob crudelitatem atque amentiam amoto & in custodiam dato, surrogatus post octennium frater consanguineus Ioannes III, qui moriens anno 1587. hæredem, & successorem reliquit Sigismundum; cui postea Carolus Patruus regnum ademit anno 1599. indeque Poloniæ rex electus fuit, vt vidimus supra; transmisso ad posteros Caroli Gustauum Adolphum, & Christinam eius filiam Sueciæ regno; quæ dum hæc scribo, reliquit regnum Principi Carolo Gustauo Palatino, vt fieret Catholica.

XIII. est regnum Noruegiæ; quod modo proprijs regibus, modo Suecis, modo Danis paruit; & his quidem à Margaretha Vvaldemari filia circa annum Domini 1387, vsque ad hæc tempora nostra, suis tamen legibus, suo iure, non Daniæ vsum. De eius antiquitate, rebusque gestis propter litterarum nullum aut rarũ vsum, posteritati non mandatis, nihil certi statuunt historici; tantùm constat, cum reliquis duobus borealibus regnis examina effudisse piratarum, quos communi vocabulo Normannos vetustas appellauit, qui potissimas Europæ prouincias, sæpe deprædati sunt. Ex prædis autem relatis, cum iam Christiano nomini se dedissent, velut culpam priorem expiaturi Noruegiæ vastæ molis templum exstruxere Nidrosiæ, in quo reges coronari solent.

XIV. est regnum Siciliæ sub Normannis, Sueuis, Gallis & Aragonijs. Normanni enim ex Gallia, cuius partẽ iam dudum tenebant, in Italiam venere circa annum Domini 1000, duce Tancredo viro forti, multorumque filiorum fortium parente. Hi cõmorati aliquantisper in Gallia Cisalpina, ad facienda stipendia contra Saracenos vocati in extrema Italiæ parte sedes posuere, & experti fortunæ vicissitudines varias, Apuliam, Calabriam, magnam Græciam, Campaniæ bonam partem sibi subiecere. Atque hinc auxilia quoque rogati contra eosdem Saracenos transiere in Siciliam, eamque insulam armorum iure, eiectis Saracenis, libentibus & fauẽtibus omnibus Christianis redegerunt cum progressu temporis in potestatem suam, primumque Siciliæ comites, deinde reges non Siciliæ solum sed etiam Neapolis meruerunt appellari, quorum vltimus legitimi & Masculini stemmatis Normannici fuit Guilielmus II. cognomento bonus, qui regno gemino feliciter & pacificè per annos 25. administrato obijt sine liberis anno Christi 1189. Nam qui eius locum rapuit Tancredus, Rogerio regi ex pellice natus fuit, aut, vt quidam tradiderunt, suppofititius: quem anno 1195. mors absũpsit. Filium verò eius Rogerium, Henricus VI. Imperator Sueuus, Friderico I. Imperatore natus, qui Constantiã Guilielmi II. regis amitam in matrimonio habebat, eodem illo anno regno deiecit: regnumque ipse nomine coniugis & Infantis filij tenuit; sicque regnum Siciliæ à Normannis ad Sueuos transijt; quod Henrico defuncto, quinquenni filio eius Friderico, qui post Imperator eius nominis secundus creatus fuit, cum matre Constantia cessit. Eique successere Conradus filius, Imperator huius nominis IV, Manfredus eodem patre Friderico, sed toro illegitimo natus, denique Conradinus Conradi legitimus filius & hæres vnicus: quem statim in regno aditu primò victum in Marsorum regione, Carolus Andegauensis Ludouici Galliæ regis frater, qui iam dudum rex Neapolis erat, manu carnificis capite

pite

pite truncauit, Siciliæque regnum accepit, anno 1268. Quod tamen paulo post amisit anno videlicet 1282. cum cæde Gallorũ, quotquot in insula erant, sine discrimine sexus & ætatis vna vespera crudeliter à Siculis trucidatorum: occupante regnum Petro Aragoniæ rege, qui Manfredi filiam constantiam vxorem habebat. A quo descendentes reges numero quinque Siciliam tenuere: quorum vltimus Fridericus III, moriens anno 1368, vnicam filiam hæredem reliquit, quæ nupta Martino filio Martini Aragoniæ regis, agnato suo regem Siciliæ eum matrimonio suo fecit. Quo post coniugem mortuo, quod accidit anno 1409, pater eius tum adhuc viuens Aragoniæ suæ regnum Siciliæ adiecit. Atque ab hoc tempore quicunque Aragoniæ regnum tenuere, reges etiam Siciliæ fuere: in quorum numero Alphonsus sapiens fuit, Ferdinandi filius, qui à Ioanna II. regina Neapolitana adoptatus id quoque regnum accepit, vitaque decedens filio notho Ferdinando, quoniam legitimis liberis carebat, reliquit. A quo ad filium Alphonsum, ab Alphonso ad Ferdinandum II. ex ipso genitũ, à Ferdinando II. ad Fridericum patruum per varios casus peruenit. Hic à Ludouico XII. Galliæ rege regno exutus exul in Gallia obijt; sed Ludouicus illud haud diu retinere potuit, occupante id Ferdinando Aragoniæ rege Caroli V. Imper. auo materno; penes quem, & successores eius Aragoniæ reges deinceps mansit ad hoc vsque tempus.

XV. est regnum Neapolitanum, de cuius primordijs licet varient Scriptores, hoc tamen extra controuersiam est, fundamẽta futuri regni cœpisse à Normannis: qui vt statim dictum est, Apuliam, Calabriam, magnam Græciam, & Campaniæ bonam partem sibi subiecere; primumque ipsi, deinde eorum posteri Apuliæ & Calabriæ duces, Capuæ principes, Neapolis, Salerni, Amalphi, & aliarum ciuitatum quæ hactenus sub Imperio Græcorum manserant, ab Innocentio II. Papa Rogerio II. donatarum Domini sunt appellati, vsque ad Gulielmum I. eiusdem Rogerij filium, qui ab Adriano IV. Papa non Siciliæ solum, sed etiam Neapolis rex est dictus circa annum Domini 1154. Regius tamen titulus, Neapoli & ditionibus Neapolitanis separatim sumptis tùm primum tributus est, cum Carolus I. Andegauensis Sicilia eiectus à Petro Aragoniæ rege anno Christi 1282. deinde Romæ iussu Clementis IV. Papæ à Cardinale legato, Clemente ipso Perusij morante, anno Christi 1285, solemni ritu, regia corona insignitus est. Cui in regno Neapolitano successit filius eiusdem nominis, Carolus scilicet II. multorum liberorũ pater ex vxore Maria Vngarica; è quibus natu maximus Carolus Martellus Vngariam per matrẽ adeptus est: alter tertiogenitus Robertus mortuo patre regnum Neapolitanũ accepit anno 1309. In cuius defuncti locum venit neptis ex Carolo filio præmortuo Ioanna I. nupta primũ Andreæ Vngaro agnato suo, deinde isto ob ignauiam interempto, Ludouico Tarentino item agnato, patrui scilicet magni nepoti, ab Vngariæ rege Ludouico regno eiecta, sed mox à Pontifice restituta, demum à Carolo Dyrrachino Vngaro anno Christi 1380. aut strangulata, aut suffocata cũ à morte secundi mariti Ludouicum I. Andegauensem sibi adoptasset. Atque hic Carolus euerso æmulo Ludouico, regnoque occupato, ad Vngariæ quoque sceptrum ex Italia reuocatus reginæ Vngaricæ fraude dicitur perijsse anno 1386. superstitibus filio & filia relictis. In Italia filius Ladislaus ei surrogatus est ex voluntate plerorũque procerum, sed non sine æmulo Ludouico II. Andegauensi è priore genito, ius patris repetente; præualuit tamen Ladislaus, qui mortuus anno Christi 1414. sine liberis, hæredem habuit sororem Ioannam II. quæ primum Ludouicum III. Andegauensem II. filium, deinde eo reiecto, Alphonsum Aragonensem cognomento sapientem, & demum Al-

Alphonſo quoque reprobato, Renatum Andegauenſem Ludouici III. fratrem germanum adoptauit. Sed locum quem ſemel cæperat retinuit Alphonſus; qui moriens ſine prole legitima anno 1458. teſtamento Regnum hoc Neapolitanum legauit Ferdinando filio è concubina ſibi genito; qui ſucceſſorem habuit Alphonſum II. ex ſe genitum, & Alphonſus ob tempeſtate à Carolo VIII. Gallorum rege imminentem, cui ſuſtinendę parem ſe non eſſe arbitrabatur, ſponte cedens filio Ferdinando alacri iuueni regnum tradidit. Qui etiam aduerſam fortunam declinans, Carolo locum dedit ad tempus; ſed poſt eius diſceſſum ſtatim in regnum reuocatus eſt, vbi non totum biennium ſupervixit, reſque omnes cum regno patruo ſuo Friderico reliquit. Quem Fridericum ſexennium nō integrum regnantem Ludouicus XII. Galliæ, & Ferdinandus V. Aragoniæ reges inita inter ſe arcana conſpiratione euerterunt, & regnum eius vti conuenerāt, portionibus æquis diuiſerunt. Gallo ius Renati Andegauenſis à Ioanna II. adoptati Carolo VIII. anteceſſori ſuo per teſtamenti tabulas tranſcriptum, & à Carolo ad ſe deuolutum allegante. Hiſpanus autem regnum Neapolitanum ſeorſim quidem acquiſitum fuiſſe ab Alphonſo cognomento ſapiente patruo ſuo quod ad Aragoniam nihil pertineret, ſed nō ſine Regni Aragonici impendijs aiebat; atque adeò huiuſmodi impendiorū fructum aliquē ad reges Aragoniæ peruenire debere contendebat. Verùm occupato regno non diu concordes manere potuerunt. De finibus enim in regni diuiſione, cum non conuenirent, intra vertentem annum in bellum inciderunt: in quo Rex Aragoniæ victor virtute Ferdinandi Gonſalui totum regnum redegit in poteſtatem ſuam, atque ad hæredes Carolum V. nepotem ex filia, Philippū II. Hiſpaniarum regē pronepotē, Philippū III. IV. & Carolū II. qui nunc regnat tranſmiſit; atque ita Siciliæ poſt ſeparationem primam, quę accidit tempore Caroli primi Andegauenſis, Neapolis iterum ſub vno cōmuni rege coniuncta fuit: prius regnante Alphonſo V. ſapiente circa annum Domini 1423. ſecundò ſub hoc Ferdinando V. ann. 1503 Durauit autem maieſtas regia Neapolitana ab eo tempore, quo Carolus I. Andegauenſis Sicilia excidit vſque ad nos per annos quaſi 367.

XVI. Eſt regnum Hieroſolymitanum ab Europæis inſtauratum, cum enim poſt varia excidia, adhuc anno Chriſti 636. à Saracenis orientem tunc vaſtantibus occupata, & ſordibus Mahometanis fœdata, eorumdem Saracenorum imperio ac libidini obnoxia manſiſſet Hieroſolyma per annos 463. tandem in huius temporis fine à Chriſtianis Europæis principe Godofrido Bullionæo Lotharingiæ duce recuperata eſt, exterminatis Saracenis anno Chriſti 1099. ipſis Edibus Iulij, nouoque regno illic inſtituto, idem Godofridus primus rex declaratus corona ſpinea inſignitus eſt die 11. Kalendas Auguſti. Quo ex hac vita abrepto anno proximè ſequenti 1100. frater eius Balduinus ſucceſſor ei datus fuit. Regnum verò illud non ſolùm Palæſtinam, & Iudæam, ſed optimam quoque & maximam partem reliquæ Syrię comprehendit. Balduino I. mortuo alter eiuſdem nominis ſurrogatus fuit anno Chriſti 1117. qui captus à Turcis in prælio, & poſt 18. menſes datis obſidibus libertati redditus magnis cladibus hoſtes affecit, & regnum feliciter ampliauit: defunctuſque anno 1131. ſucceſſorem habuit Fulconem Andegauenſem. Fulco cum regnaſſet annos 1[illegible]. & menſes duos locum filio dedit Balduino III. Et is regno potitus annos 20. cum tribus menſibus regni ſucceſſorem reliquit fratrem ſuum Almericum, qui bello Aegyptum inuaſit & Saracenis Damiatam, ac Peluſium ademit; mortuus eſt anno regni 11. & in eius locū venit Balduinus IV. eiuſdem filius natus tum annos 13. Hic lepra infectus cum filios nō gigneret ex voluntate ordinum hæredē regni inſtituit moriturus Balduinum V. adhuc puerum è ſorore ſua natum, curæ Comi-

Comitis Tripolitani cõmendatum. Sed eo quoque statim post auunculum defuncto, Vitricus ipsius Guido Lusignanus regnum inuasit anno Christi 1184. indignissimè id ferente Comite Tripolitano. Vnde discordia inter regni proceres orta, quæ Saladinum Aegypti regẽ potentissimum, qui aliquot ante annos dominum suum Calipham in Aegypto occiderat, ac regnum inuaserat, in Palæstinam attraxit: ille verò occasionem rapiens non regionem solùm depopulatus est, sed ipsam metropolim, regni caput, Hierosolymam expugnatam Christianis ademit. Actumque tunc sine dubio de rebus Christianis in Oriente fuisset, nisi ex vniuersis ferè Europæ prouincijs, quo fama calamitatis peruolarat, auxilia opportuna & frequentia alia post alia aduenissent, quæ cursum victoriarum Saladini inhibuere, & Ptolemaida aliasque regni partes Christianis restituerunt. Saladino interim defuncto regni sceptrũ anno Christi 1217 ad Ioannem Brennensem Gallum virũ in primis fortem delatum est, ac Tyri corona ei imposita, & ab eodem anno sequẽti Damiata Aegypti obsessa captaque, Hierosolyma tamen in potestate Saracenorum manente, qui rursum Damiatam recuperarunt. Sed Fridericus II. Imperator ducta in vxorem Iole filia Ioannis Brennensis, qui auxilij rogandi causa in Italiam venerat, ac iure regni Hierosolymitani in dotem accepto, in Palestinam profectus terrore exercitus sui eo compulit Soldanum Saracenorũ, vt Hierosolyma decederet. Ita ipse cum suis vrbem ingressus anno Domini 1229 die 15. Kalendas Aprilis solemni ritu corona regia est ornatus. Sed eadem vrbs Hierosolyma post annos 16. à Soldano Babyloniç rursus Christianis erepta est: eodemque illo anno Christiani ingenti prælio victi, viuente tum adhuc, & imperante Friderico II. verùm intra vertentem annum post hanc cladem extincto. Nec tamen propterea ijdem se se deseruerunt freti oppidis compluribus, quæ adhuc tum illic, tum in reliqua Syria & vicinis regionibus possidebant. In quo numero Antiochia, Tyrus, Sidon, Beritus, Ioppe, Cęsarea, imprimisque Ptolemais in ipso littore cum percommodo portu sita: in qua Veneti & Genuenses ac Pisani præcipuum emporium mercium orientalium constituerant, multo tempore concordes inter se. Sed anno Christi 1260. cum rupta concordia ijdem in bellum exarsissent, Aegypti Soldanus Bondegar audacia inde sumpta anno Christi 1268. Syriam cum exercitu percurrit, loca plurima cæpit, in Armeniam quoque impetum dedit, afflictis vbique Christianis; indeque reuersus Antiochiam vrbium Syrię quondam maximam, tum fuga prope desertã inuasit, diruit penèque excidit. Anno autem sequente ad reparandam fortunã ex Europa magni exercitus in Palæstinã profecti, in quibus S. Ludouicus IX. Galliæ rex cum fratribus in Africa Saracenos aggressus, labores & impendia perdidit; nam & ipsum cum fratribus duobus, magnamque exercitus eius partem pestis ad Cartaginem absumpsit. Inde nouis armorum tumultibus inter reges & principes Europæ ortis, non potuere noua auxilia laborantibus in Syria submitti. Qua occasione Soldanus Aegypti anno Christi 1290. cum maximo exercitu Tripolim Palestinæ, Tyrum, Sydonem, Berytum cepit, & tandem Ptolemaida post bimestrem obsidionem quam funditus euertit, vt ne reliquiæ vrbis vllæ superessent. Hic finis regni huius Hierosolymitani ab Europęis cõditi; quod ab vrbe à Godofrido Bulionæo capta ad hanc cladem Ptolemaidis durauit annos 191.

XVII. Est regnum Mahometistarum in Oriente; cum enim Saraceni, vel Arabes Scenitæ ab Heraclio Imperatore ob denegatum stipendium militiæ defecissent, circa annum Christi 622. (quo anno, qui cum XII. Heraclij Imperatoris concurrit, à die 16. mensis Iulij principium ducit Hegira Mahometica, id est æra Saracenorum,) Mahomethem Pseudoprophetam ducem creant, totamque Sy-

Syriam, Aegyptum & Africam ab imperio auellunt, ipsamque Persiam occupant, Ormisda Iesdegirde vltimo Persarum rege oppresso. Mahomethi successere in principatu illo per ordinem alij numero 18. quorum non pauci breui admodum tempore rerum sunt potiti. Postremus Mahometh Abubala imperium hoc finijt anno Christi 757. ab initio Mahomethis Pseudoprophetę, & Hegiræ Saracenicæ 135. Idem Mahomethes Pseudopropheta successores etiam Caliphas habuit in ijs partibus, numero 18. quorum vltimus Maruuan huius nominis III. dignitate & imperio exutus, atque in Aegypto interfectus est ab Abasidis, quorum princeps erat Abul-Abas. quod contigit anno Christi 749. ab initio Mahomethis & æræ Saracenicæ 122. A quo tempore Abasidæ dignitatem Caliphatus tenuere per annos totos 119 vsque ad annum Christi 868. quo Caliphatus in Syriam & Aegyptum, siue in Babylonium & Aegyptium diuisus est, & constitui cepit dynastia secunda; ita quidem vt in Aegypto hæc dynastia continua successione durauerit vsque ad annum Christi circiter 1246. vbi rerum potiti sunt Mamaluci, Sultani Aegyptiaci serui, vsque ad annum 1517. quo Campson & Tomumbeius à Selimo I. Turcarum rege victi sunt, regno eorum destructo & finito. In Syria verò eadem dynastia itidem continua successione vsque ad annum Christi præter propter 1260. mā sit, quando Musteazam à Tartaro Haleacho interfectus fuit. Hinc noua Osmanidarum seu Turcarum dynastia & successio, cuius regnum Othomanicum vocant, de quo statim.

XVIII. Est regnum Turcarum Othmenidarum, seu Othomannorum. Turcæ igitur diu potentes fuere in partibus Orientis primum, deinde in minori Asia; sed eorum vires maximè apud Europęos inclarescere cæperunt post annũ Christi 1090. temporibus expeditionum sacrarum, cum Solimanno duce in minore Asia se ijs obiecere; & ab isto tempore cum sedem & imperiũ in eadem regione tenuissent per annos plus minus 150. deinde à Tartaris in Asiam influentibus vehementer sunt afflicti, & redacti in arctum. Sed emersere rursum circa annum Christi 1300. labētibus rebus Tartaricis. Qua tempestate caput inter Turcas potissimum efferebat Othmen Othogulis filius, Othomannus vulgo nuncupatus, Caramanniæ primùm præfectus beneficio Aladini Sultani potentissimi, quo mortuo ipse imperium arripuit circa annum Domini 1302. obijtque post annum ab hoc initio suo vigesimũ quintum; & ab ipso posteri Othmanni, vel Othomanni nuncupari voluerunt. Imperium defuncti, dum duo filij maiores armis inter se cōtendunt, rapuit filius minimus Orchanes: qui rebus in Asia firmatis & arctis, Nicæa Bithyniæ Metropoli quoque occupata, regnauit annos 22. Successere ei duo filij Solcimannes Callipoli in Chersoneso Thracia potitus, sine filijs mortuus, & Amurates. Hic prolatis in Europa Imperij finibus Hadrianopoli in Tracia sedē posuit, demum à transfuga in prælio contra Seruiæ Dynasten interemptus est, cum imperium tenuisset annos quasi 30. Eum excepit filius Baiazethes, qui post multa feliciter gesta à Tamerlane Tartaro tandem in prælio ad fines minoris Armeniæ captus, & caueæ ferreæ inclusus, circumvectusque, & ostentui habitus omne genus contumeliæ pertulit in eaque miseria vitam finijt, cum regnasset annos circiter 12. videbaturque Othomannicũ Imperium finem habere, cum è filijs, quos multos habuit, Iosua sparsas fortunę reliquias à morte Tamerlanis cæpit recolligere: quem frater Emir Mussumanes, & hunc vicissim Moses, Mosen denique Mahometes I. ope Christianorum euertit & occidit; qui fortuna imperij Othomanici restituta in Asia, & Europa, cum imperium administrasset per annos 8. illud reliquit filio natu maiori Amurathi II. qui fratre Mustapha æmulo occiso solus rerum Turcicarum potitus est. Is rebus maximis gestis, adhuc viuens regni habenas filio Mahomet-

homethi II. Christiana fœmina Seruiæ Despotæ filia nato tradidit, sed paulò post consilij pœnitens easdem resumpsit; obijt anno Christi 1451. relicto Mahomethe II. cognomento Magno, qui anno Christi 1453. Costantinopolim occupauit, Trapezuntem alteram Orientalis Imperij sedem, quam Comneni tenebant, cum Cappadocia, Colchide, alijsque cum his coniunctis prouincijs subegit, Comnenos omnes euertit, Caramannos Cilicia & locis vicinis exuit, Macedoniam Græciamque,& Illyrici regiones rursum bello sibi subiecit. Cum Vsumcassane Persarum rege in Oriente, & cum Ioanne Huniade in Vngaria graui ac vario marte conflixit; tandem anno Christi 1481. imperij sui 31. imperium multò maius, quam à patre acceperat, Baiazethi, & Zizimo filijs reliquit, tertius enim Mustapha natu maximus iuuenis acer, qui cum patre fortiter dimicarat cõtra Vsumcassonem, Iconij paulò ante obierat. Sed Zizimus, quem Giemen etiam vocant velut imperij æmulus, post tres infelices contra fratrem pugnas, quas ope Suldani Aegyptij, & Caramanni inierat, fuga manus fratris victoris euasit in Rhodum, atque inde in Italiam venit, vbi diu vixit: princeps præclaræ indolis. Porrò Baiazethes II. militari virtute & fortuna patre minor infeliciter in Oriente contra Aegyptios primùm, deinde contra Persas, felicius verò contra Venetos in Græcia, & ante contra Vngaros, & Illyrios ad Sauum fluuium bellum gessit. Quatuor habuit filios Seiansiacum natu maximum, ante patrem mortuum; Achomatem Amasiæ à patre præfectum, Corchutum, & Selimum natu minimum, quos iam senex de successione contendentes cum videret, Selimo demum natu minimo, sed ferocissimo gubernacula dimittere coactus fuit, qui patrem postea veneno necauit: item fratres, & fratrum liberos omnes euertit. Sic occupato imperio cũ Hismaele Persarum rege in Oriente feliciter pugnauit, Syriam & Aegytum debellatis Mameluchis imperio Othomanico adiecit. Maiora parans octauo regni anno vix dum expleto è vita abijt, successoremque accepit filium vnicum Solimanum ex Tartara Præcopitide susceptum; Solimannus Selimum II. Selimus II. Amurathem III; Amurathes III. Mahomethem III. & sic deinceps.

XIX. Est Respublica Veneta, cuius prima dicuntur iacta fuisse fundamenta circa annum Domini 421. Cum Attila ex Gallia in Italiam regressus plerasque Istriæ & Insubriæ vrbes diriperet; idemque excidium reliquis Italiæ vrbibus minaretur. Hinc enim potentissimi quique patria relicta, insulis, paludibus, stagnisve salutem suam permisere, & hac necessitate etiam Venetia in Adriatici sinus ora, vbi riuus altior, & reliquis tutior videbatur, securitatis ergò ædificari fuit cœpta. Primùm eam Consules gubernarunt exemplo Romanorum sic nuncupati: deinde Tribuni, ex singulis insulis singuli electi cum potestate perpetua, quorum cum circa annum vrbis conditæ 297. satias cepisset ciuitatem, Dux creari cœpit velut ciuitatis totius princeps supremus, ad quem à Tribunis, qui relinquebantur præfecti insularum suarũ, prouocatio esset; primusque dux creatus est Paulutius Anafestus Heraclianus suffragijs vniuersi populi, circa annum Domini 697. magnaque ei potestas permissa legum fræno minus adstricta. Paulutio mortuo successit Marcellus Heraclianus, Marcello Hipatus Vrsus, quem populus potestate abutentem, & ferocius insolentiusque agentem, concursu facto anno ducatus ipsius 11. occidit. Tum tædio potestatis ducalis loco ducis creatus est Magister Equitum, cui imperium tantummodo annum. Sed post quintum Magistrum Equitum, placuit ducem rursum eligere. Electusque est Theodatus Hipatus Vrsi filius circiter annum Christi 742. Atque id institutum durauit deinde in Repub. & peruenit ad nos, sed non sine crebra mutatione. Nam per aliquot sæcula eligendi arbitrium mansit apud vniuersum populum, celebrataque electio est sæpe tumultuariè,

vti

vti solet in magna confusaque multitudine fieri; deinde circa annum Domini 1170. indigna morte Vitalis Michaëlis optimi Ducis ira populi occisi, occasionem vt dicunt præbente, nouus modus eligendi ducem priore multò melior introductus est: à toto enim populo ad magnum illud Decemuirorum conciliũ omnium nobilium aut patritiorum certis legibus formatum, & perenne institutum potestas illa translata est: à concilio verò viri optimi quadraginta sunt designati, qui ducem eligerent. Et primus hoc modo nouo electus fuit Dux Sebastianus Cianus, qui sine mutatione notabili, quæ ad rei summam perueniret, ad nos vsque peruenit.

XX. Est Respublica Genuensis, à principali ciuitate Genua sic dicta, quæ vt vetera eius omittam tempora, celebrior fieri cæpta est, cum primùm ius habuit ab Imperatoribus eligendi præfectos, qui Rempubl. gererent. Dein creati consules annui diuersis temporibus diuerso numero bini, terni, quaterni, quini, seni; deni etiam. Et his additi alij, qui cum his velut Senatum constituerent, numero ferè 24. Anno demum Christi 1190. iubente Frederico Barbarossa Imperatore, qui idem passim in vrbibus Italiæ instituisse scribitur, Prætor consulibus additus, quibus cum rempublicam administraret, & iudicia regeret. Atque is ex lege ferè peregrinus fuit. Antequam verò huiusmodi Prætorum vsus in Remp. fuit introductus, cum consules summum Magistratum tenerent, imperium suum ciuitas multũ auxit, multa loca in ora Italiæ suæ ditioni subiecit, Corsicam Saracenis ademit, Sardiniæ quoque partem aliquãdiu possedit, multasque alias vrbes in Oriente à Turcis postea occupatas. Post Prętores, præfecti etiam populi & Prætoribus additi iam singuli iam bini: & hi interdum omissi, interdum domestici, siue ex ciuibus lecti, interdum externi mira fluctuatione. Interim & factiones enatę familijs primarijs grauiter inter se dissidentibus. Quibus cõpescendis ad creandum ducem cum imperio plurium annorum deuentum. Quorum primum Dominicũ Fulgosum fuisse volunt aliqui, Simonem verò Boccanigrum alij, circa annum Domini 1339. Idque institutum durauit ad annum 1390. quo ob factiones Guelphorum, & Gibellinorum Rempublicam turbantes Ciuitas, in fidem se contulit Caroli Sexti Galliæ Regis: qui eam duodecim post annos insolentia, vt dicitur præfecti sui amisit; & ex populi voluntate princeps eius factus est Ioannes Maria Vicecomes Mediolani dux. Sed hoc à suis occiso, dux rursũ Genuæ creatus Georgius Adurnius, deinde alij; vsque ad annum Christi præter propter 1420, quo iterum Philippo Mariæ Ioannis fratri Mediolani Domino se ciuitas subiecit, ac in fide eius mansit annos 15. Post quos offensa enata nuncium ei remisit, seque reuocato creandi ducis more in libertatem rursum asseruit: qua tamen nihil tumultuosius per annos 17. donec anno Christi 1453. Petri Fregosi Ducis ope ciuitas in potestatem Galliæ regis Caroli VII. relapsa est. Quo post octennium repudiato, cum priores seditiones redijssent in scenam, anno 1464. imperium vrbis Francisco Sfortiæ tunc Mediolani principi vltra delatum est, & ab eo heredibusque eius pacificè possessum per annos 14. Deinde Ioanne Galeaceo Sfortia reiecto, duces rursum electi fuerunt; sed denuo post decennium Ioanni Galeaceo imperium est restitutum; à quo ad patruum Ludouicum Sfortiam, ab hoc ad Ludouicum XII. Galliæ regem cum ipso Mediolano peruenit. Sed nec hic, nec successor eius Franciscus I. tranquillam ac non interruptã eius possessionem ob rerum Mediolanensium vicissitudines tenere potuit. In his enim fluctibus Genua cùm à Gallis teneretur, anno Christi 1522. à Prospero Columna summo exercitus Caroli V. & aliorum duce capta, ac toto triduo à militibus fœdè direpta, imperioque Gallorum erepta fuit. Post quinquennium tamen fluente anno 1527. ab eodem

Gal-

Galliæ rege recepta, ac paulo post libertate donata est. Tum authore Andrea Auria noua reipublicæ forma ei data: ducis potestas biennio finita, successio sorti tributa: duci additi gubernatores 8. ac procuratores totidem, & Syndici 5. statutum vt duces Magistratu abeuntes inter procuratores sederent quoad viuerent, vt singulis semestribus bini gubernatores transirent in collegium procuratorum, ac viciſſim totidem procuratores in collegium gubernatorum, atque ita in curanda Repub. singuli coadiuuarent per quadriennium, biennium nimirum in hoc, & alterum biennium in collegio altero, quæ forma paucis mutatis ad hęc vsque tempora fuit conseruata.

Tantùm de præcipuis regnis sub decursu quartæ Monarchię extantibus, ad plenam quorum notitiā consulendi sunt singuli vniuscuiusque historici, ad copiā citati in Bibliotheca selecta Posseuini, in Indice vniuersali Iustiniani, in arcana studiorum omnium methodo Alexandri Fichet, & alijs Bibliothecarijs; vnde libenter hic ab illis referendis supersedeo, & ad loca Scripturæ transeo quibus dilucidandis inseruire potest notitia rerum historicarum quartæ Monarchiæ.

Adducuntur loca Sacræ Scripturæ, quorum intelligentiæ potest inseruire historia quartæ Monarchiæ.

QVarta tandem & vltima Romanorum Monarchia Danielis cap. 2. v. 33. & 40. per tibias ferreas, pedesque partim ferreos, partim fictiles præfigurata est; quod enim aliqui hæretici Porphyrium secuti dicunt, tàm hic per quatuor metalla, quam cap. 7. per quatuor bestias intelligi 1. Babylonios. 2. Persas. 3. Alexandrum Magnum, 4. Alexandri successores, vsque ad Antiochum Epiphanem; hoc, inquam, facilè arguitur erroris; primò quia in vtraque visione, expressè numero quartum, à tribus antecedentibus diuersum, & distinctum regnum, vi interpretationis Prophetice ponitur. Daniel. 2. ver. 40. *Et regnum quartum erit velut ferrum*; & cap. 7. v. 17. *Hæ quatuor magnæ bestiæ quatuor sunt regna, quæ consurgent de terra*; atqui regnū successorum Alexandri, puta Seleucidarum, & Lagidarum non fuit distinctum regnum à regno Græcorum; Ergo regnum ipsorum nō potest per pedes partim ferreos partim fictiles, aut per quartam bestiam intelligi. Secundò quia euentus rerum sub Romanorum Monarchia, vsque ad hunc præsentem diem, longè presſius & exactius cum dictis visionibus conueniunt, quam conuenire cum Seleucidis, & Lagidis, à Francisco Iunio, Polano, & alijs hæreticis finguntur, id quod patebit ex sequentibus.

Primùm igitur Romanum imperium comparatur ferro, non solum ad significandum ratione vilitatis præ alijs tribus metallis, vltimum eius in ordine locum, sed ratione duritiei præsertim summam fortitudinē in domandis & subiugandis omnibus gentibus, Scriptura ipsa ita declarante: *Quomodo ferrum comminuit, & domat omnia, sic comminuet & conteret omnia hæc*. Sicut, inquam, ferrum emollit, & conterit aurum, argentum, & æs, (ex eo enim mallei fingūtur, & incudes) sic Romana potentia vires confregit eorum, quos aurum, argentum, & æs adumbrabant. Quod tamen parimodo ac de superioribus regnis diximus, sumendum est hiperbolicè, dum asseritur regnum Romanorum omnia regna mundi comminuisse. Certum est enim, & ex Appiano constat in proœmio Historiæ Lybicæ suis etiam finibus terminatum, ita vt latiſſimè quidem, sed non vsquequaque patuerit: fuit enim terminus eius Occidentalis extremitas Hispaniæ; Orientalis Euphrates, Taurus Armenia; Septentrionalis Rhenus & Danubius; Australis Aethiopia. Vsque adeò, vt vel ob id Romani Terminum Deum coluerint, qui scilicet limitibus imperij præsideret, ne modo vllo retrocederēt, sed immobiles eo protegē te remanerent. Quod Tarquinius augurio firmatū volens finxit, Terminum Deum ne Ioui quidem voluisse loco cedere in Capitolio, vt re-

fert D. August. lib. 4. de Ciuitate Dei cap. 23. Certos igitur reipsa habuit limites Monarchia Romanorũ, quia tamen amplissimos, hinc ortæ Scriptorum non solùm prophanorum, sed etiam sacrorũ exaggerationes; nam Lucæ cap. 2. dicitur exijsse edictum à Cæsare Augusto *vt describeretur vniuersus orbis*. Et D. Chrisostomus in 1. cap. Isaiæ. *Quatenus Sol*, inquit, *terram spectat, principatus Romanorum patet*. Et D. August. lib. 18. de Ciuit. Dei cap. 22. *Per eam*, scilicet Romam, *placuit Deo orbem terrarum debellare, & in vnam societatem Reipublicæ legumque perductum longè, latèque pacare*.

Secundo Romanorum imperium in statua comparatur tibijs, cuius multæ adducuntur rationes. Prima, quia sicut tibiæ humani corporis infima, & vltima pars est: ita Romanorum imperium postremum fuit, & vt infra dicemus, vsque ad tempora Antichristi, & consummationem mundi aliquo modo perdurabit. Secunda, quia sicut tibijs ingredimur, & currimus, ita Romani belligerando, & vincẽdo vniuersum orbem peragrarunt. Cæsar Baronius tom. 2. Annal. refert, triginta duas legiones habuisse Romam ad conseruationem imperij, quas per omnes prouincias sparsas alebat. Tertiò, in tibijs quarum magnum est robur, & firmitas, quippè omne corporis pondus illis fulcitur, ac sustinetur, significatur firmitudo, & Robur animi Romanorum, sufficiens ad tantam imperij molem subeundam, & sustinendam. Postremò, vt in tibijs multum est carnis, & ossis, ita vt in carne teneritudo, & molitudo sit, in osse duritia, & firmitudo: sic in Romanis magna fuit vis, & firmitas ad eos, qui repugnabant ipsis, comminuendos & domandos: magna item humanitas clementia, & fides erga sibi deditos & subiectos, quibus de rebus laudantur in lib. 1. Maccabæorum cap. 8.

Tertiò ad significandam Imperij Romani diuisionem, ac veluti dismembrationem, subditur: *Porrò quia vidisti pedum, & digitorum partem testæ figuli, & partem ferream: regnum diuisum erit, quod tamen de plantario ferri orietur, secundum quod vidisti ferrum mistum testæ ex luto. Et digitos pedum ex parte ferreos, & ex parte fictiles: ex parte regnum erit solidũ, & ex parte contritum*. Priusquam tamen expendamus quænam sint illius regni partes tam dissimiles; aut quæ sit illius regni tanta diuisio; breuiter explicandũ est, quomodo pedum statuę quædã pars ferrea, quædam autem fictilis, siue terrea dicatur. Aliqui interpretes putant eiusmodi pedes conflatos fuisse ex ferro non puro, sed mixto cum terra, siue quod idem est ex ferro, & luto commixtis. Primò quia disertè ait Daniel v. 33. ferrum testæ in pedibus fuisse permixtũ. Secundò quia ver. 43. hęc permixtio ferri cum luto significatur & explicatur per commixtionem seminis. Tertiò, quia si altera pars pedum tota fuisset ferrea, alia tota lutea, non diuersos imperij status, sed diuersa potius imperia significaret: nec enim minus à ferro testa, quam ferrum ab ære, auro & argento distat. Alij opinantur totos esse ferreos huius statuæ pedes, & ex illis digitos erumpere partim ex ferri partim ex luti solida materia. Dum enim in textu habetur: *Pedum quædam pars erat ferrea, quædam autem fictilis*; ibi partes duę videntur significari diuersę, quarum altera è ferro puro; altera è puro luto videtur esse formata. Deinde quia ex ferro, ac luto nulla fieri potest compositio, vt ipse Daniel docuit ver. 43. *Sicut ferrum misceri non potest terræ*; Et id satis indicat *Plantarij* nomen, quod habetur vers. 41. quodque non tam significat plantam pedis, quam locum plantandis arboribus destinatum, quod nos seminarium appellamus, seu stirpẽ, quæ nouellas plantas fundit, & continet. Vt enim de Plantario erumpunt, aut plantæ, aut rami; sic etiam ex pede, qui quoddam quasi plantarium, aut stirps est, pullulant digiti tanquam rami, aut plantæ nouellę, ac teneræ. Vtraque sententia est probabilis, reique significationi accommodari facilè potest.

Nunc ergò videndum est de ipsa significatione.

gnificatione diuisionis, siue, quomodo Imperium Romanorũ sit diuisum? circa quod diuersa sunt placita; Rabbi enim David in cap. 2. Zachariæ, quod mirum est placere potuisse Montano eodem loco, putat hic significari quintum Imperium, nempè Madianitarum, seu Turcarum. Sed errat: Daniel enim tantùm quatuor hic consignat, & de quarto ait, quod in eo ferrum permiscebitur testæ. Deinde cum de eodem ait, *Regnum diuisum erit*; planè significat idem regnum fore, sed in se diuisum. Similiter vers. 42. cum ait, *Regnum partim erit solidum, & ex parte contritum*, clarè indicat se non aliud regnum nouum, sed eiusdem regni, de quo egerat, diuersos status significare. Sunt ergò alij, etiam Rabbini, & cum illis Galatinus lib. 4. cap. 25. qui duo regna ex luto, ferroque composita, ac deinde diuisa, Romanorum esse putant, & Hebræorum, qui fœdus inierunt Maccabæorum tempore, vt constat ex lib. 1. Macab. cap. 8. & 12. Illud verò *commiscebuntur humano semine*, in Herode Ascalonita impletum esse volunt, qui à Romanis Iudeæ rex institutus est, & ex Iudęorum genere vxorem duxit Hircani regis, & summi Sacerdotis filiam, quo regnum haberet magis sociali sanguine cõfirmatum. Sed neque hæc sententia plus habet momenti ac fidei, quam antecedens. Primò, quia non tam dicit propheta ex duobus compositum iri regnum vnum, quàm vnum, nempè Romanum in duo esse diuidendum. Secundò hic agitur ex instituto de regnis Iudæorum populo contrarijs, non verò de fęderatis. Tertiò quo tempore fuit inter Iudęos, atque Romanos initum fædus, nondum stabilitum erat Romanorum Imperium, cum adhuc in Antiocho, ac Ptolomæo Grecum extaret, immo & floreret.

Melius ergò cum alijs dicendum est Imperij Romani diuisionem hic sumi, vel pro diuerso gubernandi modo, qui permixtus fuit cum veteri Romanorum administratione, vt docet Maldonatus, vel pro diuersis regnis in principio eius dominatui adiunctis, quorum alia maiora, alia minora erant, sicut digitorũ non est ęqua magnitudo; alia ferrea, fortia videlicet & strenua, & perferendis belli molestijs idonea, qualia fuerunt Gallica, Hispanica, Græca, & alia plura; alia mollia & fictilia, vt Aegyptus & aliæ Asiaticæ prouinciç. Iraque dum dicitur: *Quod autem vidisti ferrum mistum testæ, commiscebuntur quidem humano semine, sed non adhærebunt sibi, sicut ferrum non potest misceri testę*; hunc facit sensũ, multa prouinciarum, atque adeò hominum genera continebit imperium (semina enim posuit pro diuersitate hominum) sed non adhærebunt sibi, nec sociabuntur diu, sicut nec testæ ferrum misceri potest, ac adeò totum tandem imperiũ dissoluetur. Vel tertiò hęc diuisio refertur ad notabiles illas diuisiones, quibus vt vidimus supra, Romanum Imperium miserè dilaceratum, ac imminutũ fuit. Vel tandem quarto in digitis, qui extremi sunt in animalium pedibus, & numero decem intelliguntur decem illi postremi reges, in quos Romanum diuidetur Imperium; de quibus in visione sequenti.

Rursus igitur Imperium Romanum Danielis cap. 7. per quartam bestiam denotatur, quam Propheta non nominat, sed sola periphrasi descriptam proponit vers. 7. *Post hæc aspiciebam in visione noctis, & ecce bestia quarta terribilis, atque mirabilis, & fortis nimis: dentes ferreos habebat magnos, & comedens, atque comminuens, & reliqua pedibus suis cõculcans. Dissimilis autem erat cæteris bestijs, quas videram ante eam, & habebat cornua decem.* vers. 8. *Considerabam cornua, & ecce cornu aliud paruulum ortum est de medio eorum: & tria de cornibus primis euulsa sunt à facie eius: & ecce oculi, quasi oculi hominis erant in cornu isto, & os loquens ingentia*. Hactenus Propheta, vbi primùm occurrit dubium, cur hæc bestia quarta non fuerit peculiari nomine, vel specie indicata per illum, vt tres præcedentes. Porphyrius, homo, vel ad mentiendum, vel ad errandum penè factus, ait id ita factum esse, quoniam tertia, & quar-

quarta bestia non significant duo regna diuersa, sed vnum tantùm Græcorum, quod quidem, pro vt fuit sub Alexandro comparatur Pardo; provt autem fuit sub successoribus eius, comparatur bestiæ innominatæ, quod à pluribus non potuerit vnum nomen accipere. Verùm hæc interpretatio conuincitur falsa, primùm ex contextu, in quo Angelus visionem explicans Danieli: *Hæ quatuor bestiæ*, inquit, *quatuor sunt regna*; & paulò post; *Bestia quarta, regnum quartum erit, quod maius erit omnibus regnis*. Deinde Scriptura hic asserit, quartam bestiam fuisse ferociorem, & potentiorem prioribus tribus, at regnum Græcorum non fuit potentius penes Alexandri successores, imò longè infirmius, & obscurius. Manet ergò certum contra Porphyrium, per quartam bestiam significari quartum distinctum Impertum.

Hebræi, vt hic refert D. Hieronymus more suo nugando asserunt, vel potius diuinant hanc quartam bestiam fuisse aprum, propterea quod in Psalmo 79, in quo de Republica Iudeorum agitur, quam destruxerunt Romani, ita scriptũ est: *Exterminauit eam aper de sylua, & singularis ferus depastus est eam*; Sed hæc quoque sententia deficit, quoniam aper non est robustior, neque ferocior leæna, vrso, & pardo, quod tamen Daniel affirmat de quarta bestia.

Est ergo omnium sententia significari per quartam bestiam Monarchiam Romanorum, cuius speciem & nomen tacuit Propheta, vel quoniam apud Romanos varia fuit administrandi ratio, modo regalis, modo consularis; postea partim consularis, partim tribunitia; nonnunquam etiam dictatoria: tandem imperialis. Vnde modus ille multiplex & varius neque vna bellua, neque vno symbolo significari potuit. Vel rectius ex D. Hieronymo, vt ferociorem exprimeret. *Satis miror*, inquit, *quod cum supra Leanam, vrsum, pardum in tribus regnis posuerit, Romanum regnum nulli designata bestia compararit? Nisi fortè vt formidolosam faceret, vocabulum tacuit, vt quidquid ferocius cogitauerimus in bestijs, hoc Romanos intelligamus*. Verum cum Romanum imperium possit considerari dupliciter, vel antè, vel post Christi aduentum, priusquam ad explicandum minutius textum accedamus, breuiter examinandum est, an quarta bestia imperium exprimat Romanũ, quod Christi primum aduentum antecessit; an etiã quod ab illo ad suum vsque occasum propagatum est. Aliqui enim hæretici apud Maldonatum, de illo Romanorum tempore institutum esse putant hoc vaticinium, quod Christum natum antegressum est. Quod ideo sibi persuadent, quia eodem videtur spectare hæc visio, quo illa quæ oblata fuit supra cap. 2. Chaldæorum regi. At ibi in statuæ parte ferrea Romanorum imperium notabatur, quod Christi antecessit ortum. Quod ex eo videtur verisimile, quia lapis excisus sine manibus statuam illam variam, quæ quatuor sustinebat imperia, ita deiecit, vt ex ea pars nulla reliqua fuerit. Quare vt tria alia imperia destruxit, sic etiam Romanum.

Nihilominus opposita sententia est omnino tenenda, quod hæc visio ad extrema etiam tempora Romani imperij se extendat. Non enim apparet, quinam sint illi decem reges in decem cornibus expressi: aut exiguum illud cornu, de quo tam mira à Daniele prædicuntur, nisi postremum imperij tempus intueamur. Et quidem Ioannes Apocalips. cap. 17. in decem bestiæ capitibus idem cernit, quod Daniel in totidem bestiæ cornibus, decem nempe reges: At Ioãnes annis à Christi exortu pluribus hęc prædixit, tanquam futura. Igitur dicendum est hanc visionem ad tempus Romani imperij referendã esse, tàm quod antecessit, quàm quod consecutum est primum Christi aduentum. Ad rationem autem dubitandi respondetur vtrãque visionem se extendere ad vtrumque Romani imperij tempus, tàm antecedens, quàm subsequens augustissimum Christi Domini aduentum; quatenus non statim, ac subito, sublata est idololatria,

latria, sed paulatim & per temporum interualla, nunc his, nunc illis regnis ad fidem Christi conuersis, qua generali, & continuata conuersione regnum Christi spirituale in dies auctum, ac feliciter stabilitum est; præsertim quando Constātinus Magnus ad fidem conuersus, se primum, imperiumque suum Christi imperio deuotè submisit: Quod enim dicitur Lapidem mysticum, hoc est, Christum, destruxisse omnia regna mūdi, etiam Romanum, non tàm intelligi debet, quo ad temporalem eorum dominationem, quam quo ad idololatriā, destruendo scilicet idola, quæ in mundo regnabant: ideo namque prædicta regna, sub specie immanis illius idoli, visus est comminuere præcisus è monte lapis.

Constituto ergò quod bestia quarta sit Monarchia Romanorum, quodque illam exprimat tàm vt antecessit, quam vt consecuta est aduentum Christi primum. Septem illi tribuit epitheta Daniel, vocando primo *terribilem*; secundò *mirabilem*, id est stupendam; tertio, *fortem nimis*: Quarto ait eam habuisse dentes ferreos & magnos, id est magnos fortesq; exercitus: bestiæ enim arma sunt dentes. Quinto, vocat bestiam comedentem atque comminuentem, id est discerpentem, quod homines quasi deuorare videretur, ad significandam famem & ingluuiem populi Romani, qui nihil videbat pulchrum, & eximiū quod non appeteret, nihil quod non tentaret. Sextò, dicit eam reliqua, quæ non comedit & comminuit, pedibus suis conculcasse, vt faciunt bestiæ, quæ homines non comedunt, nec occidunt, sed conculcant: quo significat fore vt Romani, quos non occiderint, partim præsidijs militum, partim tributis subigant. Hinc Romanorum Præturæ & Proconsulatus, quorum id erat muneris, vt tributa in vrbem transmittenda exigerent, & per milites præsidiarios continerent in officio prouincias. Vnde Marcus Tullius scribens ad Quintum fratrem de præfectura Asiana, duo commendat, & Publicanorum curam ad exigenda tributa, & militum præsidia ad confirmandos, vel potius conculcandos Prouinciales. Septimò dicit eam decem cornua habuisse, id est decem reges, vti ait Angelus, qui erunt sub finem mundi ante iudicium, in quos diuidendum est imperium Romanum, quique imperium illud post sæcula terminabunt, sicut decem digiti in superna visione totam statuæ molem definiunt, & absoluunt; sed de his vide interpretes, Cornelium à Lapide tam hic, quàm in cap. 17. Apocalips. Gasparem Sanctium & alios, qui de regibus his, aut illorum numero non omnino consentiunt; Sicut nec de vndecimo rege in exiguo cornu figurato; dę quo eodem versu 24. dicitur. *Et alius consurget post eos, & ipse potentior erit prioribus*.

Vt enim omittam Porphyrium in vndecimo, aut pusillo cornu Antiochum Epiphanem adumbrari putantem; cuius sententiam impugnât Hieronymus, Theodoretus; hæreticos Lutheranos per hoc cornu accipientes Romanum Pontificem, sed insulse & absurde, vt fatetur ipse Caluinus, alias capitalis eius inimicus. Ex doctoribus Catholicis, alij in paruo cornu Mahumetem impiæ sectæ Principem, & authorem considerant, aut, quod idem ferme est, Turcarum imperium, quod initium habuit ab ignobili & obscuro Mahumete; alij vero cornu hoc pusillum Antichristum esse dicunt; quæ est magis vera, communisque sententia. Ergò dicamus, ait S. Hieronymus, quod omnes Scriptores Ecclesiastici tradiderunt in consummatione mundi quando regnum Romanorum destruendum est decem futuros reges, quasi decem cornua, qui orientur quidem ex Romano imperio, sed non erunt Romanum imperium, qui orbem Romanorum inter se diuident, tumque vndecimum cornu paruum, id est, regem paruulum surrecturum, (scilicet Antichristum) obscuro loco natum, & plebeium, qui sensim crescens tres reges de illis decem superaturus est, scilicet, re-

gem

gem Aegypti, regem Africæ & regem Aethiopiæ, quibus interfectis etiam reliqui septem reges illi victori colla submittent. Ita S. Hieronymus.

Porro subditur; *& ecce oculi, quasi oculi hominis erant in cornu isto*; vel ad significandam humanam sapientiam & prudentiam Antichristi, qua multos seducet, inquit Theodoretus; vel ne diabolũ fore putemus, vti aliqui putarunt; sed hominem, in quo totus Sathanas habitaturus est corporaliter. Habebit etiam, *os loquens ingentia*, siue vt habetur vers. 25. *sermones contra excelsum loquetur*; id est, contra verum Deum, qui frequenti Iudæorum sermone altissimus vocatur; quia illum maximè laudari audiet, quẽque ex hominum mentibus extorquere molietur. *Et Sanctos altissimi conteret*; id est Christianos, qui hoc loco Sancti dicuntur altissimi; quorum aliqui neque muneribus, neque doloribus succumbent; alij verò, qui pauci non erunt, nonnisi vi aut muneribus adacti patriam ac veram religionem abiurabunt. *Et putabit quod possit mutare tempora & leges*; id est statuta tempora, puta stata festa, vt Paschæ, Pentecostes, Dominicæ &c. quia nouum Antichristus cultũ, nouas solemnitates, nouamque suam sectam & religionem inducet. In temporibus enim per metonymiam significari illa, quæ fiunt in tempore, satis est notum, quomodo Kalendas, & Neomenias vocamus illa sacra, quæ principio mensis obibant Iudæi. *Et tradentur in manu eius vsque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis*; id est, permittet Deus Antichristi furorem aliquandiu in Sanctis impune grassari; non tamen diu, neque enim excedet illius imperatoria potestas, & tyrannicus furor vltra tres annos cum dimidio. Sanctus enim Hieronymus, Theodoretus, S. Augustinus lib. 20. de ciuitate Dei cap. 25. Ireneus lib. 5. cap. 30. & passim veteres, per *tempus* accipiunt annum, per *tempora* duos annos, per *dimidium temporis*, dimidium annum.

Probatur id primo, quia ita se explicat Daniel cap. 12. cum enim ver. 7. dixisset desolationem Antichristi duraturam in tempus, & tempora, & dimidium temporis; mox ea vers. 11. explicat dicens. *A tempore quo ablatum fuerit iuge sacrificium, & posita fuerit abominatio in desolationem, dies mille ducenti nonaginta*, qui circiter tres annos cũ dimidio efficiunt. Secundò, quia ita explicat S. Ioannes Apocalips. 12. 6. cũ ait mulierem id est Ecclesiam, tempore Antichristi fugisse in solitudinem per dies 1260. qui faciunt tres annos cum dimidio, & rursus v. 4. ait, datas esse mulieri alas, vt volaret in solitudinem vsque ad tempus & tempora & dimidium temporis; & cap. 13. datam esse ait potestatem Antichristo per menses 42. qui pariter tres annos cum dimidio efficiunt. Tertiò, quia erit tunc acerrima persecutio: vnde Deus illi tam breue tempus constituit, ne in errorem inducantur electi, qui vtique caderent, si illa diutius duraret, vti ait Christus Matth. cap. 24. *Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi vsque modo neque fiet; & nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro; sed propter electos breuiabuntur dies illi*. Quartò quia decet, vt Antichristus à Deo non permittatur diutius regnare, & prædicare, quam Christus, qui tres duntaxat annos cum dimidio Euangelizauit.

Hinc patet perperam nonnullos hos tres annos cum dimidio, referre ad persecutionem Antiochi, non solum quia Antiochus ad tertiam, non autem ad quartam bestiam, siue Monarchiam pertinuit, sed præsertim quia post hos annos mox, *Iudicium sedebit, vt regnum detur populo Sanctorum*; *cuius regnum, regnum sempiternum est, omnes reges seruient ei, & obedient*, vti subdit Daniel. Peius alij referunt hos annos ad tempus quo Nero alijque imperatores Romani Domitianus, Traianus, Antoninus, Seuerus, Aurelianus, Decius, Maximianus, Valerianus, & Diocletianus persecuti sunt Ecclesiam: Omnium pessimè

ſimè aliqui noſtrorum temporum hæretici, qui volunt per hæc non certum, ſed incertum tempus, quo regnabit Antichriſtus, id eſt Pontifex Romanus, ſignificari. Vt enim alias rationes omittam, quæ videri poſſunt ſupra, vbi egimus de Summo Pontifice; quomodo, dicente Chriſto Domino dies perſecutionis Antichriſti propter electos eſſe breuiandos, Antichriſtus Pontifex Romanus ab homine ſani cerebri exiſtimari poterit, cum iam pridem Chriſti vicarius in Petri ſede per multa ſæcula ſedeat. Tantùm de his & in vniuerſum de hiſtoria, quantum per modum Iſagoges ſufficit Theologo, vt illa deinceps vti poſsit, pro perfecta ſtudij Theologici ratione: nunc de Scriptoribus hiſtoriæ, tam quatuor Monarchiarum, quam aliorum regnorum eis, vt vidimus Synchronorum agendum eſſet; verum cum ad copiam citati reperiantur ab Antonio Poſſeuino in Bibliotheca ſelecta, à Iuſtiniano in Indice vniuerſali, ab Antonio Fichet, in arcana ſtudiorum omnium methodo, & magis methodicè à Gabriele Bucelino in Auctario, ſiue Nuclei Hiſtorici parte ſecunda, vbi primum hiſtoriæ ſemitam per diuerſorum ſæculorum authores & Scriptores, ceu viæ duces Chronologicè demonſtrat: deinde eorumdem magis celebriũ Scriptorum hiſtoriæ initium ſiue finẽ Chronologicè pariter exhibet: inde ſit huius Sectionis, totiuſque libri tertij finis ad maiorem Dei gloriam, Virginiſque Matris, & omnium Sanctorum. Amen.

Finis Tomi Quarti.





INDEX

INDEX ALPHABETICVS

Præcipuarum rerum in hoc quarto Bibliothecæ Theologicæ tomo contentarum.

Primus numerus paginam, secundus, vbi adhibetur, columnam indicat.

A



B

C

D

E

G

H

I

Pan-

L

M

N

O

P

R



REGE-

REGESTVM.

††† A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sſ Tt Vu Xx Yy Zz.

Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii Kkk Lll Mmm Nnn Ooo Ppp Qqq Rrr Sſſ Ttt Vuu Xxx Yyy Zzz.

Aaaa Bbbb Cccc Dddd Eeee.

Omnes ſunt Duerniones.





R O M AE,
Typis Philippi Mariæ Mancini. M. DC. LXVIII.
SVPERIORVM PERMISSV.

5-2

